SUMMA THEOLOGICA

AD MODUM COMMENTARII

IN AQUINATIS SUMMAM

PRAESENTIS AEVI STUDIIS APTATAM

AUCTORE

LAURENTIO JANSSENS

S. T. D.

MONACHO MAREDSOLENSI (CONGR. BEUR.) COLLEGII S. ANSELMI IN URBE RECTORE

SACRAE INDICIS CONGREGATIONIS CONSULTORE

« Nova et vetera. »

MATTH. XIII. 52.

TOMUS IV.

DE DEO-HOMINE

(I. PARS. - CHRISTOLOGIA.)

CUM APPROBATIONE SUPERIORUM

FRIBURGI BRISGOVIAE

SUMPTIBUS HERDER

TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII

MCMI

VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI AMERICAE.

TRACTATUS

DE DEO-HOMINE

SIVE

DE VERBO INCARNATO

AUCTORE

LAURENTIO JANSSENS

S. T. D.

MONACHO MAREDSOLENSI (CONGR. BEUR.) COLLEGII S. ANSELMI IN URBE RECTORE
SACRAE INDICIS CONGREGATIONIS CONSULTORE

« *Nova et vetera.* »
MATTH. XIII. 52.

I. PARS. - CHRISTOLOGIA.
(III. - Q. I-XXVI.)

CUM APPROBATIONE SUPERIORUM

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library



FRIBURGI BRISGOVIAE
SUMPTIBUS HERDER
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII
MCMI
VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI AMERICAE.

25753

BX
1749
T5
J2
1900
V.4

†
PAX

APPROBATIO

Opus cui titulus *Tractatus De Deo-Homine,* auctore R. D. Laurentio Janssens, S. T. D. monacho Abbatiae nostrae Maredsolensis, necnon Rectore Collegii nostri S. Anselmi de Urbe, et in eodem Sacrae Theologiae Lectore, typis mandari libenti animo permittimus.

Datum Romae, ex Abbatia S. Anselmi de Urbe, die festo S. Ioannis Baptistae, 1901.

† HILDEBRANDUS,
Abbas S. Anselmi, Primas O. S. B.

IMPRIMATUR:

Fr. Albertus Lepidi, O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR:

Iosephus Ceppetelli, Archiep. Myr. Vicesgerens.

SALVO IURE PROPRIETATIS ET TRANSLATIONIS.

Romae. Typis Vaticanis.

Deus qui de Deo Patre,
Homo Virgine de Matre,
Idem Unigenitus:

Deus – Homo Iesu Christe,
Humilis conatus iste
Fac sit tibi placitus!

Tuque digna tanta Prole,
Vires ne terantur mole,
Auge fautrix caelitus!

Dilecto Filio Laurentio Janssens O. S. B.
Rectori Collegii Anselmiani in Urbe

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Volumen alterum obtulisti Nobis, in quo disserere de Deo Uno pergis; opus sane, quod, dum ingenium eruditionemque tuam commendat, Collegium etiam honestat, cui tu regundo merito es praefectus. Nosti plane quo Nos studio Anselmianum Coenobium, quibusque curis prosequamur. Videmur igitur in theologico opere cui tu manum admovisti quodque impigre prosequi decretum est, fructum aliquem decerpere, quo industrias Nostras collocasse optime reputemus. Quamobrem, quod sapienter inchoasti, sollicite, pro muneris opportunitate, prosequere. Addatque volenti vires Apostolica benedictio, quam, testem caritatis Nostrae, tibi libentissime impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VI. novembris MDCCCXCIX, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

LEO PP. XIII.

PROLOGUS

O admirabile commercium!

Cogitanti mihi de ratione qua *Summam Theologicam* opportunius producam, duplex se via ineunda praebet. Altera a Deo in se considerato ad creaturarum effectionem moderationemque gressum movet; altera Deum ipsum intueri pergit in sua veluti extensione per humanam assumptam naturam. Prior via pro se vindicat ipsam methodum S. Thomae, iuxta quam gemino tractatui de Deo Uno ac Trino, iam succedere deberet tractatus de *Deo creante et gubernante*. Et sane, si unice mihi Commentatoris partes essent agendae, hunc ordinem potius servarem. At Lectoris officium me strictius urget. Unde quum post mysterium Trinitatis de mysterio Christi ad tirones ex munere sermonem habeam, de *Verbo Incarnato* quoque nunc seu de *Deo-Homine* scribendum duxi.

Et re quidem vera, ut modo innuebam, non deest inter utrumque argumentum nexus, isque arctissimus. Christus enim est Deus; contemplatio proin Christi contemplationem Dei prosequitur atque absolvit. In

praecedenti tractatu scrutati sumus exordium Ioannis: « In principio erat Verbum ». Iam cum ipso pergimus: « Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis ». Unde utraque cognitio Dei et Christi, teste ipso Salvatore, totam quam colimus religionem comprehendit: « Haec est vita aeterna: ut cognoscant te, solum Deum « verum, et quem misisti Iesum Christum » [1]. Iure ergo a Deo Uno et Trino tractatio nostrae *Summae* ad Deum-Hominem, ad Verbum Incarnatum convertitur.

Porro mysterio Incarnationis competit dignitas singularis, ex hoc quod in ipso, tanquam in electro lucidissimo, divina humanis, ima summis iunguntur. Filius enim Dei, operante Spiritu Sancto carnem nostram assumens, Patris secum totiusque Trinitatis profunda nobis attulit. Et quum medici instar se ad nos venisse testetur, quae culpa nostra erant perdita suo sacrificio reparaturus, en veritas lapsae nostrae naturae Incarnationis dono iuste simul ac misericorditer expressa. Quid iam dixerim de sublimitate Benedictae illius inter omnes mulieres, quae digna tanti Filii per Ipsius gratiam effecta est Mater? Quid de thesauro gratiarum, unguento optimo a venerando Capite caelestis Aaron in vestimentum Ecclesiae usque ad infimos fideles descendente? Quid de gloriae recuperatae splendore, cuius primitias Apostoli in Thabor, discipuli in Olivarum monte contemplati sunt? Iure ergo, testis utriusque exaltationis Ioannes hoc Verbi incarnati mysterium vocavit « *plenum gratiae et veritatis* ». Continet quippe

[1] Ioann. xvii, 3.

in se totam christianam veritatem, totamque gratiam, in sua causa, in suo esse, in suo fructu.

Nil mirum proin, si iam a Gregorio nostro [1], scriptores sacri ad Incarnationis mysterium retulerint celeberrimam illam visionem Ezechielis [2].

De qua iuvat hic afferre expositionem Ruperti Tuitiensis, ex initio praestantissimi sui operis cui titulus: « *De gloria et honore Filii hominis* » desumptam. Evangelium secundum Mathaeum illustraturus, in ipso Evangelistae exordio totum Incarnati Verbi mysterium quasi in germine reperit.

« Considera nunc initium hoc sive caput Evangelii, « quantis vel qualibus titulis illustratum sit. " Liber « generationis Iesu Christi, filii David, filii Abraham ". « Quatuor insignia sunt notissima gloriae et honoris « huius Filii hominis, quia *Deus* est et *Homo*, *Rex* et « *Sacerdos*. Si recte consideres, nihil horum hic tacitum « est. Nam ipso nomine, quod est Iesus, id est Sal- « vator, cuius nominis sive vocabuli causa est, quia « salvat a peccatis, dicente angelo ad Ioseph: " Ipse « enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum " [3]; « ex ipso inquam nomine, quod est Iesus, ex ipsa « causa nominis, quae est salvare a peccatis, quod « facere est solius Dei, Deus esse asseritur, Deus « verus esse cognoscitur. Porro sequenti nomine, quod « est Christus et interpretatur *unctus*, praedicatur unctus

[1] *In Ezech.*, 1 c. *hom. 2, n. 14.*

[2] XLIX. Hanc visionem, inter coaevos, Cl. Billot in suo prooemio ad tractatum de Verbo incarnato tam docte quam pie exponit.

[3] MATTH, I,

« Rex, unctus Sacerdos, Rex et Sacerdos, qui patribus « suis iure successit, patri regi, patri sacerdoti, regi « David, Abrahae sacerdoti, quod praedicat hic titulus « rutilans, et taliter enuntians: " Filii David, filii « Abraham ". Rex namque David, sacerdos Abraham « fuit, quippe qui obediens et fidelis filium suum Deo « in holocaustum obtulit [1]. Primogenitus quippe fuit « Thare patris sui; et secundum morem, quo primo- « geniti usque ad id temporis sacerdotes fuisse tra- « duntur, ipse sacerdos fuit, et post illum Isaac; sed « haec primogenita Esau propter gulam perdidit [2]. « Horum patrum sive patriarcharum, qui utique homines « fuerunt, iste filius et ipse homo est, sive Filius hominis, « quia veram de carne illorum carnem assumpsit. Sunt « igitur quatuor, ut iam dictum est, insignia praesenti « titulo spectanda, quia Deus est et Homo, Rex atque « Sacerdos. " Hic *Homo* et in Sion natus est, et ipse « fundavit eam Altissimus " [3]. Iste *Sacerdos* semetipsum « obtulit, et sacrificatus est tanquam *vitulus*. Iste *Rex*, « tanquam *leo*, sive catulus leonis, ad praedam ascendit [4], « apertis in morte sua dormiens oculis, et spoliato in- « ferno, surrexit a mortuis. Hic *Deus*, ut *aquila* volans, « super omnes caelos ascendit. Secundum quatuor ista « naturae vel officii sui nomina, quatuor nobis sacra- « menta pietatis necessario credenda proposuit, scilicet « *incarnationis* sive nativitatis, *passionis*, *resurrectionis*,

[1] GEN. XXII.
[2] Ib. XXV.
[3] PS. XLVI, LXXXVI.
[4] GEN. XLIX.

« *ascensionis*, quorum nullum Christiano ignorare licuit « unquam aut licebit. Ex istis cognoscitur Iesus Chri- « stus qualis sit, scilicet vere bonus, et vere fortis, « quia tanquam bonus propter nos homo fieri et pas- « sionem subire voluit; et tanquam vere fortis, victa « morte, resurrexit et in caelum ascendit ».

Et pergit Rupertus ostendens, haec quatuor mysteria unius Filii hominis figurari per quatuor facies unius animalis visionis propheticae. Quo peracto, ita pulchre prosequitur: « Facies istae fulgent super iustos, quia « Iesus Christus videt eos, sicut scriptum est: " Oculi « Domini super iustos »[1], et videndo illo conformes facit « sibi, sive cuilibet ex istis faciebus suis, multo effica- « cius quam specular penetrat, suamque in illo imagi- « nem format. Videt iustum beatum Matthaeum, sicut « ipse de semetipso: " Cum, inquit, transiret Iesus, « vidit hominem sedentem in telonio nomine Mat- « thaeum " [2], vidit, inquam, istum sol verus, et in « speculari pectoris eius faciem formavit hominis; vidit « alium et in illo figuravit faciem suam, faciem leonis; « vidit alium, et in illo expressit faciem aquilae volantis. « Isti sunt quatuor evangelistae, qui secundarie quatuor « animalia dicuntur. Nam prima quatuor quae iam dicta « sunt, sacramenta, quatuor facies sunt, et animal unum « est Iesus Christus » [3].

Hanc efficaciam creatricem intuitus Filii hominis sane

[1] Ps. XXXIII.
[2] MATTH. IX.
[3] *P. L.* t. CLXVIII, col. 1310, sq.

cogitabat Augustinus, quando profunde orabat: « *Aspice « me ut diligam te!* » Aspiciat benigne et nos, ut videntes diligamus, ac diligentes ad imaginem eius erigamur: fortes scilicet simul et boni, induti *hominem* novum, ad *sacrificia* prompti, *leonis* aemuli in doctrina et libertate Ecclesiae Christi per aspera quaeque, imo, si temporum ratio exigat, per ipsam mortem strenue tuendis, contemplationis *pennis* culmina patriae caelestis iam in praesenti vita conscendentes: verbo in nobismetipsis mysteria repraesentantes « *cur Deus homo* ».

Non autem sine trepidatione ad mysterium tam altum aliqualiter illustrandum accedimus, memores verborum eiusdem Augustini: « Tanta est christianarum « profunditas Litterarum, ut in eis quotidie proficerem, « si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam « senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio « conarer addiscere... Tam multa tamque multiplicibus « mysteriorum umbraculis opacata intelligenda profi- « cientibus restant, tantaque non solum in verbis quibus « ista dicta sunt, verum etiam in rebus quae intelli- « gendae sunt, latet altitudo sapientiae, ut annosissimis, « acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc con- « tingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: « " Cum consummaverit homo, tunc incipit " » [1].

Sed si nimia rerum altitudo, quae non sinit totum dici, quod de argumento dici potest, a scribendo retinere deberet usquedum, qui scribit, saltem acquisierit

[1] *Eccli.* XVIII, 6. — *Epistola ad Volusian.*, c. 1, n. 3. — *P. L.* t. XXXIII, col. 516, sq.

totum id, cuius ipse quandoque compos erit, nihil de huiusmodi argumentis, nec a peritissimo tentaretur unquam. Accedamus ergo cum humili conatu ad laborem etsi perarduum, apprime scientes, vix aliquid esse quod de tanto mysterio proferre contingat; sitque inchoanti solamen simul ac robur, fidei amorisque sensus hac dulci contentus invocatione: « Adoramus te Chri-
« ste, et benedicimus tibi, quia per Crucem tuam rede-
« misti mundum »; necnon antiphona apprime dogmatica huius diei: « O admirabile commercium! Creator
« generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine
« nasci dignatus est, et procedens Homo sine semine
« largitus est nobis suam Deitatem » [1].

Scribebam Romae, in aedibus S. Anselmi, ineunte saeculo XX. Redemptori Christo peculiari pietate dicato.

[1] In festo Circumcisionis Domini.

INDEX RERUM.

PROLOGUS IX
Index rerum XVII

PRAEVIA.

I. De ordine S. Thomae 1
II. De erroribus vitandis 2
III. De ordine tractatus 10

PARS I.

CHRISTOLOGIA.

Praeambulum 15
De ipso Incarnationis nomine 16
De fontibus consulendis 18

SECTIO I.

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS.

QUAESTIO I.

MEMBRUM I.

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS IN SE.

Articulus I. — Utrum conveniens fuerit, Deum incarnari 21
Quaestio connexa et corollarium 28
Articulus II. — Utrum necessarium fuerit ad reparandum genus humanum, Verbum Dei incarnari 31
Appendix. De mente Sancti Anselmi. 40
Articulus III. — Utrum si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset . . . 44
Corollaria 52
Articulus IV. — Utrum principalius Christi incarnatio facta fuerit ad tollendum peccatum originale quam actuale 55
Corollarium 58

MEMBRUM II.

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS QUOAD TEMPUS.

Articulus V. — Utrum conveniens fuerit Deum incarnari ab initio mundi. . . 58
Quaestio connexa 61

Articulus VI. — Utrum incarnatio differri debuerit usque ad finem mundi . . 63
Quaestio connexa 66
Brevissima totius Quaestionis synopsis 66

SECTIO II.

DE MODO UNIONIS VERBI CUM NATURA HUMANA.

Ordo Sectionis 58
De tribus opinionibus Magistri 69

MEMBRUM I.

DE MODO UNIONIS QUOAD IPSAM UNIONEM.

QUAESTIO II.

Ordo Quaestionis. 70
Articulus I. — Utrum unio Verbi Incarnati facta sit in natura 72
Notula historica de haeresi Eutychiana 72
Appendix. De traditione patristica ac theologica circa geminam in uno Christo naturam 81
Articulus II. — Utrum unio Verbi facta sit in persona 93
Nota historica de haeresi Nestoriana. 93
Appendix 1. De traditione patristica et theologica circa Christi Dei-Hominis unitatem personalem 107
Corollaria 121
Appendix II. De doctrina S. Anselmi et Sancti Bonaventurae. 128
Articulus III. — Utrum unio Verbi Incarnati facta sit in supposito vel hypostasi 131
Quaestiones connexae 138
Appendix. De terminologia theosophica circa personam, etc. 139
Articulus IV. — Utrum persona vel hypostasis Christi post Incarnationem sit composita 144
Appendix. De concordia inter S. Thomam et S. Bonaventuram quoad compositionem in Christo praedicandam 147
Articulus V. — Utrum sit facta aliqua unio animae et corporis in Christo . . 153
Corollaria 156
Appendix. De formula « duae naturae et tres substantiae » 156
Articulus VI. — Utrum natura humana fuerit unita Verbo Dei accidentaliter 160
— De modo loquendi S. Augustini 164
— Quaestiones connexae. 165
— Corollaria 166
Appendix. De errore Güntheriano. 172
Articulus VII. — Utrum unio naturae divinae et humanae sit aliquid creatum 178
Corollarium. 180
Articulus VIII. — Utrum unio Verbi incarnati sit idem quod assumptio. . . 181
Corollarium 183
Articulus IX. — Utrum unio duarum naturarum in Christo sit maxima unionum. 184
De quibusdam comparationibus afferri solitis 186
Articulus X. — Utrum unio duarum naturarum in Christo sit facta per gratiam 189
Articulus XI. — Utrum unionem Verbi Incarnati aliqua merita praecesserint. 190
Quaestio connexa 192
Articulus XII. — Utrum gratia unionis fuerit Homini Christo naturalis . . . 194
Appendix. De conceptu theosophico Incarnationis Christi 193
Brevissima totius Quaestionis synopsis 207

MEMBRUM II.

DE MODO UNIONIS EX PARTE PERSONAE ASSUMENTIS.

QUAESTIO III.

Ordo Quaestionis 209

A) DE RELATIONE NATURAE ET PERSONAE AD UNIONEM.

Articulus I. — Utrum personae divinae conveniat assumere naturam creatam. 209
Quaestio connexa 211
Articulus II. — Utrum divinae naturae conveniat assumere. 213
Appendix. De formula: « Natura divina incarnata » 214
Corollarium. 218
Articulus III. — Utrum, abstracta personalitate per intellectum, natura possit assumere 218

B) DE PERSONIS AD INVICEM ET AD NATURAM ASSUMPTAM.

Articulus IV. — Utrum una persona possit sine alia naturam creatam assumere 220
Articulus V. — Utrum quaelibet persona divina potuerit humanam naturam assumere 220
Corollarium. 223
Articulus VI. — Utrum plures personae divinae possint assumere unam numero naturam humanam 224
Appendix. De mente S. Anselmi et S. Bonaventurae 227
Articulus VII. — Utrum una persona divina possit assumere duas naturas humanas 233
Articulus VIII. — De maiori convenientia incarnationis Filii, seu Verbi . . . 235
De doctrina S. Anselmi 238
Appendix. De solo Filio incarnato. 240
Corollarium. 247
Brevissima totius Quaestionis synopsis 247

MEMBRUM III.

DE MODO UNIONIS EX PARTE ASSUMPTI.

CAPUT I.

DE HIS QUAE SUNT A VERBO DEI ASSUMPTA.

§ I. - **De ipsa humana natura assumpta.**

QUAESTIO IV.

Ordo Quaestionis 249
Articulus I. — Utrum natura humana fuerit magis assumptibilis a Filio Dei quam aliqua alia natura 250
Quaestio connexa 255
Corollarium 256

Articulus II. — Utrum Filius Dei assumpserit personam 257
Quaestiones connexae 262
Articulus III. — Utrum persona divina assumpserit hominem 264
Articulus IV. — Utrum Filius Dei debuerit assumere humanam naturam abstractam ab omnibus individuis 266
Articulus V. — Utrum Filius Dei naturam humanam assumere debuerit in omnibus individuis. 271
Articulus VI. — Utrum Filius Dei naturam humanam assumere debuerit ex stirpe Adae 273
Scholion 276
Corollarium. 276
Brevissima totius Quaestionis synopsis 277

§ II. - De assumptione humanae naturae quoad partes.

QUAESTIO V.

DE MODO UNIONIS EX PARTE PARTIUM HUMANAE NATURAE.

Ordo Quaestionis. 278
Nota historica de Doketismo 278
Articulus I. — Utrum Filius Dei debuerit assumere corpus verum. 283
Articulus II. — Utrum Filius Dei debuerit assumere corpus terrenum, scilicet carnem et sanguinem. 289
Corollarium. 294
Appendix. De assumptione omnium partium corporis 294
Scholion et Corollarium. 298
Articulus III. — Utrum Filius Dei assumpserit animam 299
Corollarium 305
Articulus IV. — Utrum Filius Dei assumere debuerit intellectum 306
Corollarium. 310
Brevissima totius Quaestionis synopsis 311

§ III. - De ordine assumptionis.

QUAESTIO VI.

DE MODO ASSUMPTIONIS QUANTUM AD ORDINEM.

Ordo Quaestionis. 312
Articulus I. — Utrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima . . . 312
Articulus II. — Utrum Filius Dei assumpserit animam mediante spiritu vel mente. 316
Articulus III. — Utrum anima a Dei Filio prius fuerit assumpta quam caro . 319
Quaestio connexa 323
Articulus IV. — Utrum caro Christi fuerit prius a Verbo Dei assumpta quam animae unita. 324
Articulus V. — Utrum tota humana natura sit assumpta mediantibus partibus 325
Articulus VI. — Utrum humana natura sit assumpta mediante gratia. . . . 328
Appendix. De mente S. Bonaventurae 331
Brevissima totius Quaestionis synopsis 334

CAPUT II.

DE HIS QUAE SUNT A VERBO DEI COASSUMPTA.

§ I. - DE PERTINENTIBUS AD PERFECTIONEM.

A) DE GRATIA CHISTI - 1) HOMINIS

QUAESTIO VII.

DE GRATIA CHRISTI PROUT EST QUIDAM SINGULARIS HOMO.

Ordo Quaestionis 335

§ I. - **De gratiis gratum facientibus.**

Articulus I. — Utrum in anima Christi fuerit aliqua gratia habitualis . . . 336
Quaestio connexa 340
Articulus II. — Utrum in Christo fuerint virtutes 341
Quaestio connexa 344
Corollarium. 344
Articulus III. — Utrum in Christo fuerit fides 345
Quaestio connexa 348
Articulus IV. — Utrum in Christo fuerit spes 348
Quaestio connexa 350
Articulus V. — Utrum in Christo fuerint dona. 350
Articulus VI. — Utrum in Christo fuerit donum gratis timoris 352

§ II. - **De gratiis gratis datis.**

Articulus VII. — Utrum in Christo fuerint gratiae gratis datae 354
Articulus VIII. — Utrum in Christo fuerit prophetia 357

§ III. - **De gradu sive mensura gratiae Christi.**

Articulus IX. — Utrum in Christo fuerit plenitudo gratiae 361
Articulus X. — Utrum plenitudo gratiae sit propria Christi 363
Articulus XI. — Utrum gratia Christi sit infinita 365
Articulus XII. — Utrum gratia Christi potuerit augeri 367

§ IV. - **De habitudine inter gratiam et unionem.**

Articulus XIII. — Qualiter gratia Christi habitualis se habeat ad unionem. . 370
Appendix. De doctrina S. Bonaventurae 372
Brevissima totius Quaestionis synopsis 373

2) - DE GRATIA CHRISTI CAPITIS.

QUAESTIO VIII.

DE GRATIA CHRISTI SECUNDUM QUOD EST CAPUT ECCLESIAE.

Ordo Quaestionis 374
Articulus I. — Utrum Christus sit caput Ecclesiae 374
Corollarium. 381
Articulus II. — Utrum Christo sit caput etiam hominum quoad corpora . . 381
Articulus III. — Utrum Christus sit caput omnium hominum 383
Articulus IV. — Utrum Christus sit caput Angelorum 386
Articulus V. — Utrum gratia Christi secundum quam est caput Ecclesiae, sit eadem cum gratia habituali, secundum quam est quidam homo singularis. 589
Doctrina S. Bonaventurae 393

Articulus VI. — Utrum esse caput Ecclesiae sit proprium Christi 394
Articulus VII. — Utrum diabolus sit caput omnium malorum 395
Articulus VIII. — Utrum Antichristus possit etiam dici caput omnium malorum 397
Brevissima totius Quaestionis synopsis 399

B) DE SCIENTIA CHRISTI. - 1) IN COMMUNI.

QUAESTIO IX.

Ordo Quaestionis 400
Articulus I. — Utrum Christus habuerit aliquam scientiam praeter divinam . 400
Articulus II. — Utrum Christus habuerit scientiam quam habent beati . . . 402
Praemittenda 402
Quaestiones connexae 410
Articulus III. — Utrum Christus habuerit scientiam inditam vel infusam . . 412
Articulus IV. — Utrum Christus habuerit aliquam scientiam acquisitam. . . 415
Appendix. De doctrina Cl. Schell.. 418
Brevissima totius Quaestionis synopsis 431

2). DE SCIENTIA CHRISTI IN SPECIE.

a) De scientia beata animae Christi.

QUAESTIO X.

Ordo Quaestionis 432
Articulus I. — Utrum anima Christi comprehenderit Verbum, sive divinam essentiam 433
Appendix de doctrina S. Fulgentii, B. Alcuini et Hugonis Victorini. . . 437
Articulus II. — Utrum anima Christi in Verbo cognoverit omnia 442
Appendix de interpretatione loci S. Marci XIII. 32. 447
Articulus III. — Utrum anima Christi in Verbo cognoverit infinita. 449
Articulus IV. — Utrum anima Christi videat Verbum seu divinam essentiam clarius qualibet alia creatura. 452
Brevissima totius Quaestionis synopsis 453

b) De scientia indita, vel infusa animae Christi.

QUAESTIO XI.

Ordo Quaestionis 454
Articulus I. — Utrum secundum scientiam inditam vel infusam Christus omnia sciat. 454
Articulus II. — Utrum Christus hac scientia uti potuerit non convertendo se ad phantasmata 456
Articulus III. — Utrum haec scientia fuerit collativa. 458
Articulus IV. — Utrum haec scientia in Christo fuerit maior scientia Angelorum 460
Articulus V. — Utrum haec scientia fuerit habitualis 461
Articulus VI. — Utrum haec scientia fuerit distincta per diversos habitus . . 463
Brevissima totius Quaestionis synopsis 465

c) De scientia animae Christi acquisita.

QUAESTIO XII.

Ordo Quaestionis 466
Articulus I. — Utrum secundum hanc scientiam Christus cognoverit omnia. . 466
Quaestio connexa. 468

Articulus II. — Utrum Christus in hac scientia profecerit. 469
Articulus III. — Utrum Christus aliquid ab homine didicerit. 474
Articulus IV. — Utrum Christus aliquid acceperit ab Angelis. 476
Brevissima totius Quaestionis synopsis 478

C) DE POTENTIA ANIMAE CHRISTI.

QUAESTIO XIII.

Ordo Quaestionis. 479
Articulus I. — Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter . . 479
Articulus II. — Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. 482
Articulus III. — Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis 485
Articulus IV. — Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suae voluntatis. 488
Quaestio connexa. 489
Brevissima totius Quaestionis synopsis 490

§. I. - DE COASSUMPTIS PERTINENTIBUS AD IMPERFECTIONEM.

A) DE DEFECTIBUS CORPORIS ASSUMPTIS A FILIO DEI.

QUAESTIO XIV.

Ordo Quaestionis 492
Articulus I. — Utrum Filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus 492
De Doctrina S. Anselmi ac S. Bonaventurae 496
Articulus II. — Utrum Christus necessitatem his defectibus subiacendi assumpserit. 498
Articulus III. — Utrum Christus defectus corporales contraxerit 500
Articulus V. — Utrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit 502
Appendix. De speciosa forma corporis Christi 505
Brevissima totius Quaestionis synopsis 522

B) DE DEFECTIBUS ANIMAE A CHRISTO ASSUMPTIS.

QUAESTIO XV.

Articulus I. — Utrum in Christo fuerit peccatum 522
Articulus II. — Utrum in Christo fuerit fomes peccati. 525
Articulus III. — Utrum in Christo fuerit ignorantia. 529
Articulus IV. — Utrum anima Christi fuerit passibilis. 532
Articulus V. — Utrum in Christo fuerit dolor sensibilis 535
Appendix. De praecipuis erroribus sive excessibus circa passibilitatem Christi. 537
Articulus VI. — Utrum in Christo fuerit tristitia 555
Quaestiones connexae. 559
Articulus VII. — Utrum in Christi fuerit timor. 561
Articulus VIII. — Utrum in Christo fuerit admiratio. 563
Articulus IX. — Utrum in Christo fuerit ira 564
Articulus X. — Utrum Christus simul fuerit viator et comprehensor. 566
Brevissima totius Quaestionis synopsis 568

SECTIO III.

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM.

MEMBRUM I.

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM SECUNDUM SE.

CAPUT I.

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM SECUNDUM ESSE ET FIERI.

QUAESTIO XVI.

Ordo Quaestionis 570
Articulus I. — Utrum haec sit vera: Deus est homo 570
Articulus II. — Utrum haec sit vera: Homo est Deus 573
Articulus III. — Utrum Christus possit dici homo dominicus. 574
Articulus IV. — Utrum ea quae conveniunt Filio Hominis, possint praedicari de Filio Dei et e converso 577
Articulus V. — Utrum ea quae conveniunt Filio Hominis possint praedicari de divina natura, et de humana, ea quae conveniunt Filio Dei 479
Articulus VI. — Utrum haec sit vera: Deus factus est homo 580
Articulus VII. — Utrum haec sit vera: Homo factus est Deus. 583
Corollarium. 585
Articulus VIII. — Utrum haec est vera: Christus est creatura 585
Articulus IX. — Utrum haec sit vera: Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse. 589
Articulus X. — Utrum haec sit vera: Christus secundum quod homo, est creatura. 590
Articulus XI. — Utrum haec sit vera: Christus secundum quod homo, est Deus. 592
Articulus XII. — Utrum haec sit vera: Christus secundum quod homo, est hypostasis vel persona 593
Quaestiones connexae 595
Brevissima totius Quaestionis synopsis. 596

CAPUT II.

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM RATIONE UNITATIS.

1) DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM CHRISTI *QUANTUM AD ESSE.*

QUAESTIO XVII.

Ordo Quaestionis 599
Articulus I. — Utrum Christus sit unum vel duo. 599
Articulus II. — Utrum in Christo sit tantum unum esse 604
Appendix. De duplici defectu et excessu depellendo quoad Unitatem seu Esse in Christo 607
1. Prop. In Christo non est nisi una existentia proprie dicta substantialis. 607
2. Prop. Humana natura Christi est quasi suppositum 610

3. Prop. Humana natura Christi est aliquid, sed non in se 611
4. Prop. Humana Christi natura non est ubique 611
Brevissima totius Quaestionis synopsis 618

Dissertatiuncula de constitutivo formali unionis hypostaticae.

§ 1. Praemittendae considerationes 619
§ 2. Exponuntur aliae praecipuae sententiae 621
§ 3. Exponitur ac defenditur sententia, quae probabilius Sancti Thomae videtur 626
Appendix. De substantiali Christi sanctificatione et unctione 635

2) DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO *QUANTUM AD VOLUNTATEM.*

QUAESTIO XVIII.

Ordo Quaestionis 643
Articulus I. — Utrum in Christo sint duae voluntates 643
Praenotamen historicum de Monothelismo 643
Articulus II. — Utrum in Christo fuerit aliqua voluntas sensualitatis praeter voluntatem rationis 655
Articulus III. — Utrum in Christo fuerint duae voluntates, quantum ad rationem 656
Articulus IV. — Utrum in Christo fuerit liberum arbitrium 658
Articulus V. — Utrum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis divinae voluntati in volito 660
Articulus VI. — Utrum in Christo fuerit contrarietas voluntatis 662
Doctrina S. Bonaventurae 665
Appendix. De Christi impeccabilitate 667
Brevissima totius Quaestionis synopsis 676

3) DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM CHRISTI *QUANTUM AD OPERATIONEM.*

QUAESTIO XIX.

Ordo Quaestionis 677
Articulus I. — Utrum in Christo sit una tantum operatio divinitatis et humanitatis 677

APPENDIX I.

Corollaria 683
1) De περιχωρήσει in mysterio Incarnationis 683
2) De carne Christi vivifica 687
3) De quibusdam locutionibus difficilioribus Patrum 689
Appendix II. De agendi ratione Papae Honorii 691

Articulus II. — Utrum in Christo sint plures operationes humanae 700
Articulus III. — Utrum actio humana Christi potuerit esse sibi meritoria . . 703
Articulus IV. Utrum Christus aliis mereri potuerit 708
Brevissima totius Quaestionis synopsis 712
De sententia S. Bonaventurae, Scoti et Toleti 713

MEMBRUM II.

DE CONVENIENTIBUS CHRISTO SECUNDUM HABITUDINEM AD PATREM.

Ordo Membri 714

CAPUT I.

Ordo Capitis. 714

1) DE CONVENIENTIBUS CHRISTO SECUNDUM QUOD PATRI FUIT SUBIECTUS.

QUAESTIO XX.

Ordo Quaestionis. 714
Articulus I. — Utrum dicendum sit, Christum esse subiectum Patri 714
Articulus II. — Utrum Christus sit subiectus sibi ipsi 717
Brevissima totius Quaestionis synopsis 719

2) DE ORATIONE CHRISTI.

QUAESTIO XXI.

Ordo Quaestionis. 729
Articulus I. — Utrum Christo competat orare 720
Articulus II. — Utrum Christo conveniat orare secundum suam sensualitatem 723
Articulus III. — Utrum fuerit conveniens Christum pro se orare. 726
Articulus IV. — Utrum oratio Christi semper fuerit exaudita 728

3) DE SACERDOTIO CHRISTI.

QUAESTIO XXII.

Articulus I. — Utrum Christo conveniat esse sacerdotem 733
Articulus II. — Utrum Christus simul fuerit sacerdos et hostia 736
Articulus III. — Utrum effectus sacerdotii Christi sit expiatio peccatorum . . 737
Articulus IV. — Utrum effectus sacerdotii Christi non solum ad alios pertinuerit, sed etiam ad ipsum. 739
Articulus V. — Utrum sacerdotium Christi maneat in aeternum 742
Articulus VI. — Utrum sacerdotium Christi fuerit sec. ord. Melchisedech . . 745
Brevissima totius Quaestionis synopsis 748

CAPUT II.

II) DE HABITUDINE PATRIS AD CHRISTUM.

Ordo Capitis 749

1) DE ADOPTIONE CHRISTI.

QUAESTIO XXIII.

Ordo Quaestionis 749
Articulus I. — Utrum Deo conveniat filios adoptare 749
Articulus II. — Utrum adoptare conveniat toti Trinitati 752
Articulus III. — Utrum adoptari sit proprium rationalis creaturae 754
Articulus IV. — Utrum Christus, secundum quod homo, sit Filius Dei adoptivus 756
Notula historica de Adoptianis et de Adoptianismo 756
Corollaria 761
Brevissima totius Quaestionis synopsis 763

2) DE PRAEDESTINATIONE CHRISTI.

QUAESTIO XXIV.

Ordo Quaestionis 766
Praeliminaria notula exegetica 766
Articulus I. — Utrum Christo conveniat praedestinatum esse 770
Articulus II. — Utrum haec sit falsa: Christus, secundum quod homo, est praedestinatus esse Filius Dei 773
Articulus III. — Utrum praedestinatio Christi sit nostrae praedestinationis exemplar 775
Articulus IV. — Utrum praedestinatio Christi sit causa nostrae praedestinationis 777
De causa finali praedestinationis Christi 779
Brevissima totius Quaestionis synopsis 779

CAPUT III.

DE PERTINENTIBUS AD CHRISTUM IN COMPARATIONE AD NOS.

1) DE ADORATIONE CHRISTI.

QUAESTIO XXV.

Ordo Quaestionis 781
Articulus I. — Utrum una eademque adoratione sit adoranda divinitas Christi et eius humanitas 781
Appendix de vera divinitate Christi 785
1. Prop. Christus annuntiatus et demonstratus est verus Deus. 786
2. Prop. Christus aperte seipsum Filium Dei Deumque verum affirmavit. 789
3. Prop. Coaevi Christi doctrinam eius de sua divinitate plane intellexerunt 796

Articulus II. — Utrum humanitas Christi adoranda sit adoratione latriae . . 804
Corollarium de cultu SS. Cordis Iesu. 807
Articulus III. — Utrum imago Christi sit adoranda adoratione latriae. . . . 808
Articulus IV. — Utrum Crux Christi sit adoranda adoratione latriae 812
Quaestio connexa de reliquiis pretiosissimi Sanguinis 816
Articulus V. — Utrum Mater Christi sit adoranda adoratione latriae. . . . 817
Articulus VI. — Utrum reliquiae Sanctorum sint adorandae. 820
Brevissima totius Quaestionis synopsis 824

2) DE CHRISTO MEDIATORE DEI ET HOMINUM.

QUAESTIO XXVI.

Articulus I. — Utrum esse mediatorem Dei et hominum, sit proprium Christo 825
Articulus II. — Utrum Christus secundum quod homo, sit mediator Dei et hominum 827
Brevissima totius Quaestionis synopsis 830

EPILOGUS 831

PRAEVIA.

Quemadmodum in tractatu *de Deo Trino* egimus, quaedam praemittimus 1) de ordine S. Thomae, 2) de erroribus vitandis, 3) de fontibus consulendis.

I. - De Ordine S. Thomae.

Duce Angelico, mysterium Verbi incarnati ita scrutabimur, ut in prima parte agatur de ipsa Incarnatione, in altera de operibus Salvatoris. Prior pars respondet tractationi quae hodie **Christologia** nuncupatur; altera continet **Soteriologiam**. Prior exponit: « Et Verbum caro factum est »; altera: « Et habitavit in nobis ».

Sequenti tabella materia comprehenditur:

I. PARS.

De ipso Salvatore (Christologia).

I. **Sectio.** De convenientia Incarnationis (Q. I.)
II. **Sectio.** De modo unionis Verbi cum humana natura (Q. II-XV.)
III. **Sectio.** De consequentibus unionem (Q. XVI-XXVI.)

II. PARS.

De operibus Salvatoris (Soteriologia).

I. **Sectio.** De pertinentibus ad ingressum Christi in mundum (Q. XXVII-XXXIX.)
II. **Sectio.** » » ad progressum Christi (Q. XL-XLV.)
III. **Sectio.** » » ad exitum Christi de mundo (Q. XLVI-LII.)
IV. **Sectio.** » » ad exaltationem Christi (Q. LIII-LIX.)

Viam quam in evolvendis sectionum argumentis S. Thomas ingreditur, opportunius loco suo pro utraque parte assignabimus, quum molis gratia unum volumen praesentem tractatum continere non valeat.

Interim observa, ordinem prioris partis esse magis logicum; alterius autem, uti res secum fert, magis historicum. Quanta autem sit in evolutione argumenti gradatio, quantaque acuminis virtus, in ipsa sectionum expositione apparebit.

Notanda tamen duo sunt. Moris est apud moderniores specialem locum assignare *Marialogiae*. Ita v. gr., *Scheeben*, inter theologos huius aetatis unus ex maxime laudandis, postquam egit de praeparatione Incarnationis (cap. I.), de persona Christi, seu de Christologia in se (cap. II.) et in attributis (cap. III.), ac de mysteriis vitae Christi (cap. IV.); in ultimo capite tractat de dignitate matris Dei (cap. V.).

Nos de his quae ad B. V. M. spectant in prima sectione II. partis agemus. Nec displicebit Matris excellentiam cum ipso ortu divini eius Filii contemplari. Tam intime enim cum Ipso coniungitur, ut in luce Prolis Genitricis gloria quasi rutilantius emicet.

Alterum notandum respicit ea quae de *Messianitate* Christi dicenda sunt. Possunt quidem ea optime, uti laudatus theologus procedit, ad praeparationem Incarnationis reduci; sed non est unicus iste locus quo ea tractari placet. Etenim Messianitas Christi argumentum princeps est ad vindicandam divinitatem Ecclesiae catholicae. Habet proin rationem dogmaticam simul et apologeticam. Quum igitur S. Thomas in *Summae* parte III. haec vix tetigerit, nos in tractatu de *Soteriologia* brevius hoc argumentum tangemus, fusiorem expositionem remittentes ad tractatum *de Vera Religione*.

II. - De erroribus vitandis.

Quum tota doctrina Incarnationis summatim in hac sententia contineatur: Christus est simul verus Deus et verus homo, una persona Homo-Deus, totius humani generis Redemptor; errores contra hoc mysterium directe versantur vel circa divinitatem veram, vel circa veram humanitatem,

vel circa veram unionem personalem utriusque naturae in Christo, vel circa opus salvificum ab eo peractum. - Missos negligo tantopere dementes ut ipsum historicum Iesum, uti aiunt, in dubium vocent, silentio sane despiciendi potius quam argumentis confutandi.

Iuxta hanc partitionem praecipui de Christo errores ad haec quatuor capita [1] reduci possunt.

- I. *In Christum* **Deum** *offendunt:*
  - A) e non Christianis:
    1) Gentiles,
    2) Iudaei,
    3) Mahumedani,
    4) Buddhistae,
    5) Rationalistae,
    6) Theosophi;
  - B) e Christianis:
    1) Cerinthus, aliique,
    2) Ariani,
    3) Patripassiani,
    4) Sociniani (Ariminiani).
- II. *In Christum* **Hominem** *offendunt:*
  - A) totaliter: Doketae seu Phantasiastae;
  - B) partialiter:
    1) Valentiniani,
    2) Apollinaristae.
- III. *In Christum* **Hominem Deum** *offendunt:*
  - A) per defectum:
    1) Nestoriani,
    2) Adoptiani;
    } qui et indirecte in I.
  - B) per excessum:
    1) Eutychiani (Monophysitae),
    2) Monothelitae.
    } qui et indirecte in II.
- IV. *In Christum Hominem Deum* **Redemptorem** *offendunt:*
  1) Passim, saltem indirecte, qui in praecedentia offendunt,
  2) Pelagiani,
  3) Abaelardus,
  4) Ianseniani.

Sit verbulum de singulis; fusior tractatio ad opportunum locum melius differtur.

I. Christi **divinitatem** A) ex *non Christianis,* imprimis negant 1) *Gentiles,* quippe quibus divinitas hominis in patibulo inter horrenda supplicia emortui, stultitia erat conviciis deridenda potius quam examine tentanda. Nec obiiciatur iudicium quod de Christo tulit Tiberius imperator,

[1] Iuxta haec quatuor capita card. Franzelin tractatum suum *de Verbo Incarnato* ordinat.

Iesum inter Romanorum deos recipi cupiens. Toto enim caelo distat incarnatio ab apotheosi. Illa est piissimus Dei ad homines descensus, haec impia hominis in Deum exaltatio [1].

2) *Iudaei* autem multi nec de divinitate expectati Messiae conceptum nitidum habebant; ipsum autem Christum, nedum promissum illum Messiam Deum habuerint, morte mulctarunt ob arrogatam divinam maiestatem. Audiantur ipsi ad Christum: « De bono opere non lapidamus te, sed de blasphe« mia: et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum » [2]. Et ad Pilatum de Christo: « Nos legem habemus et secundum « legem debet mori, quia Filium Dei se fecit » [3].

3) *Mahumedani* pariter in Christum Deum offendunt, quia non agnoscunt nisi Deum unum; falso existimantes, cum hac Dei unitate Filium Dei componi non posse. Mitius autem sentiunt de Christo quam ipsi Iudaei. His enim Iesus non fuit nisi homo falsam missionem sibi superne vindicans; illi autem Christum uti verum, imo magnum prophetam habent, ac veluti Mahumedi antesignanum.

4) *Buddhistae* autem in divinitatem Christi offendunt, quia, - quidquid sit de plus minusve clara notione incarnationis quam vaga eorum religio possidet, - in Buddha id se colere falso gloriantur, quod Christiani in Dei Filio de Virgine nato vere adorant [4].

5) *Rationalistae* pariter in Christum Deum blasphemant. Possunt autem in duas species dispesci. Alii, *positivistae,* ad merum ordinem naturae deprimere conantur, quaecumque de Christo enarrant Evangelia [5]. Alii, *symbolistae* vel *idealistae,* in Christo ipso altius quoddam symbolum recognoscunt.

a) *Positivistarum* caput est apud Germanos *Fridericus Strauss* [6], apud Gallos *Ern. Renan* [7]. Nec desunt, praesertim

[1] Cf. Hettinger (*Apologie,* t. II. p. I, p. 445).

[2] Ioann. x, 33.

[3] Ibid. xix, 7.

[4] De Buddhismo fusius tractabimus in tractatu *de Vera Religione.*

[5] Imo peiores ex ipsis nec illa uti historica habent, sed ex imaginatione discipulorum decurso temporis conflata.

[6] *Das Leben Iesu critisch bearbeitet; Das Leben Iesu für das deutsche Volk, Der alte und der neue Glaube.*

[7] *La vie de Jésus.*

in Germania inter exegetas protestantes, qui tam depresse de Christo sentiant: uti *Schenkel, Wegscheider, Baur, Hase,* etc. Hi tales Iesum quidem adnumerant magnis illis viris, uti Socrati, Platoni, etc., qui gloriam summam humani generis constituunt. Imo nec a vitio semper eum immunem praedicant: uti Renan, qui impie admittit, Christum fraudes discipulorum in sui favorem tolerasse.

b) *Symbolistae* passim pantheismum sapiunt: uti *Spinoza, Schelling, Hegel.* Iuxta horum placita Christus est typus perfectissimus commixtionis illius, quae in quovis homine obtinet inter spiritum immensum, ubique diffusum, qui Deus est, et materiam qua corpora constituuntur [1].

Dolendum sane, apud Protestantes, non amplius sane vere christianos, magis magisque invalescere hanc opinionem de Christo ut mero homine, aut ad summum ut symbolo incarnationis universalis. Et tamen Lutherus, quem patrem agnoscunt, fortissime veram divinitatem Christi praedicabat! [2].

5) Rationalistis symbolistis adnumerandi sunt *Theosophi,* qui quasi idem ac isti opinantur, cum hac tamen insuper impietatis arrogantia, ut placita sua contendant esse conformia occultiori doctrinae quae semper ab initio in Ecclesia ab electis est cognita, atque ad electos sub velamine transmissa [3]. - Hi pariter neque Christianorum nomen merentur.

B) Porro ex *Christianis* falsis utique, sed tamen nomine, 1) divinitatem Christi a primaevis temporibus negabant illi contra quos S. Ioannes in Evangelio suo princeps hoc dogma maxime inculcavit. Sunt autem saeculo primo *Cerinthus* et *Ebion,* a Iudaismo ad Christi nomen conversi; quorum prior Christum merum hominem, alter nec de Virgine natum asserebat; - sequenti saeculo *Carpocrates, Theodotus Byz.* Coriarius et *Artemon;* maxime *Paulus Samosatenus,* qui docuit

[1] De hoc conceptu pantheistico plura dicemus in tractatu *de Deo Creante.* — Interim cf. HETTINGER (*Apol.* t. II p. I. p. 479.).

[2] Cf. haec verba professionis fidei a Luthero anno 1529 factae: « Zum andern « glaube ich,... dass die Mittelperson in Gott, nämlich der Sohn, allein ist wahrhaf- « tiger Mensch worden. . Und dass solcher Mensch sei wahrhaftig Gott, als eine « ewige unzertrennliche Person aus Gott und Mensch worden ». Et concludit, B. V. M. esse vere matrem Dei (GRAUL, *Die Unterscheidungslehren,* 1865, p. 2).

[3] Cf. dicenda de Theosophis in fine Quaestionis V.

Christum undequaque incepisse quando ex Maria natus est, - quod idem saeculo quarto docuit *Photinus*. De quibus omnibus haereticis erudite de more disserit Petavius [1].

2) His adiungendi sunt, licet alia ex ratione, *Ariani*. Quum enim isti negarent, Verbum esse veri Dei Filium, quomodo potuissent Verbo Incarnato Christo veri nominis tribuere divinitatem?

3) Consequens simile occurrit de *Patripassianis*. Hi enim negantes, utpote Sabelliani, distinctionem personalem inter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, consequenter docuerunt Patrem, haud secus ac Filium, pro nobis esse incarnatum et passum [2].

4) Nec procul mente, licet tempore procul (saeculo scilicet XVI.), ab Arianis distant *Sociniani*, et cum ipsis *Arminiani*. Quorum primi Christo veram divinitatem denegabant, quum non esset antequam a Maria nasceretur; sed quamdam ei delegationem divinam ex munere concedebant. Alteri divinitatem Christi non inter ea dogmata ponebant, de quibus inter Christianos dubium exstare nequeat. Quod et e modernioribus Protestantibus sat multi, heu! hodiedum opinantur.

Neque Nestorianos ab hoc errore circa Christi divinitatem esse immunes, ex mox dicendis apparebit.

II. **Humanitatem** Christi A) ex *toto* negaverunt *Doketae* sive *Phantasiastae*, quorum error multiplici ex fonte derivasse videtur: ex ipsa scilicet evidentia indolis suprahumanae in Christo, quasi vera natura humana cum tanta divinitatis irradiatione stare non posset, sicut solares radios non patitur nix; insuper, imo forsan magis, ex manichaeistico praeiudicio, iuxta quod materia, utpote a malo spiritu derivata, spiritum bonum dedeceat. Doketae praecipui enumerari solent, ex Gnosticis primi et secundi saeculi: *Simon Magus, Menander, Saturninus, Basilides; Heracleon, Cerdon, Marcion, Ophitae;* e saeculo tertio *Manichaei* passim [3].

[1] Op. cit. l. I, c. 2. et 3.

[2] Cf. quae de Arianis et Patripassianis in tractatu *de Deo Trino* diximus, et mox dicemus.

[3] De Doketis pluries sermo redibit; maxime in Quaestione V. — Interim de Doketis lege S. Aug. (*De Haeres.* c. 45; *P. L.* t. XLII, col. 34); Petavium (*De Incarn.* l. I, c. 4.), etc.

B) Ex *parte* in humanitatem Christi offendunt: 1) a parte *corporis*, *Valentiniani* et *Apelliani,* quippe qui non negant quidem veritatem humanae naturae Christi, sed negant Christum hominem de homine formatum. Caro enim Christi, iuxta eos, non est de Virgine sed de sidereis elementis conflata; nec Virgo aliud in incarnatione munus exercuit nisi canalis, per quem haec natura superne formata ederetur. De quo errore, deque eius reapparitione tempore *Anabaptistarum* ac postea, sermo infra recurret [1].

2) Huic errori, a parte *animae,* respondet error *Apollinaristarum,* cum Luciano et Ario sentientium; iuxta quos Verbum vices animae in assumptione humanae naturae gessit. De huius haereseos vicissitudinibus sermo redibit inferius, ubi directe haec fallacia a Sancto Thoma depelletur [2].

Quomodo ad istum errorem appropinquent *Monotheletae,* in Christo nonnisi unam voluntatem admittentes, imo et *Eutychiani* passim, ex mox dicendis constabit.

III. Iam transitum facimus ad **modum unionis** divinitatis et humanitatis in Christo. Heic inquisitio evadit subtilior; nec mirum, plures de hoc argumento prodiisse errores, quum et inter orthodoxae fidei septa non una sit de hoc argumento theologorum sententia.

Et sane, quemadmodum agentes *de Deo Trino,* vidimus in duo castra errantes abiisse, ex falso axiomate: tot dari personas quot dantur naturae; ita in praesenti quoque dogmate occurrit. Posita hac propositione tanquam maiori, illi qui peccant per defectum, in minori pergunt: Atqui in Christo duae sunt naturae; unde concludunt: Ergo in Christo sunt et duae personae. Qui autem peccant per excessum, pergunt: Atqui in Christo est una tantum persona; unde concludunt: Ergo nonnisi una natura in Christo haberi potest. Priores respondent Tritheistis; alteri Monarchianis. Veritas autem, sicuti quoad Trinitatem, ita quoad Incarnationem, stat in medio, sed modo diverso et quasi opposito. Scilicet sicuti

[1] Praecipue in Quaest. V. — Cf. interim Katschthaler (*Theol. dogm. cath. specialis*, l. II, 148).

[2] Maxime in Quaest. V.

Deus est simul unus natura et tres personis; ita in Christo persona est una et naturae sunt duae.

A) Per *defectum* igitur 1) peccant *Nestoriani,* qui simpliciter asserunt in Christo duas esse hypostases, sicuti personas. De quo errore fusior sermo mox, imo pluries recurret [1].

2) Nestorianam haeresim sapiunt implicite *Adoptiani,* tenentes scilicet in Christo duplicem filiationem, aliam naturalem, iuxta aeternam nativitatem divinam; aliam adoptivam, secundum nativitatem humanam in tempore. Cuius rursus erroris fusius infra genesis describetur, et falsitas depelletur [2].

Porro Nestorianos indirecte saltem divinitatem Christi impugnasse, manifestum est; unde, uti iam monuimus, et ipsi pertinent per redundantiam ad illos qui in Christum verum Deum offendunt.

B) Per *excessum* autem, - nec logice tantum, sed et historice excessus fuit, uti loco suo dicemus, - in unionem personalem hominis cum Deo in Christo offendunt, quotquot ipsam naturam humanam sub hac unione mutilant. 1) Imprimis sunt *Eutychiani, Monophysitae* passim vocati, quia docent, humanam in Christo naturam tantopere in divinitatem Verbi esse attractam, ut ab ea absorpta sit in naturam singularem.

2) Hunc errorem anathemate perculsum, mox mitigarunt *Monothelitae,* duas quidem naturas in Christo profitentes, at tam arcte humanam cum divina coniunctam, ut nonnisi una in Christo sit voluntas, utique divina.

De Eutychianis directe erit sermo in Quaestione II; de Monothelitis in Quaestione XVIII.

Observa autem, Adoptianismum remotius se habere ad Nestorianismum, quam ad Monophysitismum se habet Monothelismus; est enim hic alter error multo crassior. Unde licet tempore Nestorius Eutychen praecesserit, nil mirum, si Adoptiani longe post Monothelitas in Ecclesia apparuerint, nec modo tardius, sed et in alia omnino regione; uti loco opportuno fusius exponemus.

[1] Maxime art. 2. Q. II.
[2] Q. XXIII.

IV. Breviter tandem tangendi sunt illi, qui impugnant munus Dei-Hominis **Redemptoris.** 1) Et primo quidem per se patet, plerosque ex his qui divinitatem Christi inficiantur, consequenter negare veram redemptionem ab eo peractam. Quid enim Gentiles, etsi miseram conditionem humani generis intuentes, de vera expiatione per immolationem Filii Dei obtentam cogitare potuissent, quum nec de necessitate huiusmodi redemptionis notionem sanam habuerint? Quî pariter naturalistae moderni admitterent redemptionem veram, quippe qui originalis culpae dogma superbe reiiciunt, negantque in homine redemptionis fundamentum, lapsum scilicet ac diaboli sensuumque lethalem servitutem? Quae negatio semper magis invalescens, est veluti radix e qua moderna Civitas in paganismum regressa, excrevit [1], ex pessima radice arbor sane miserrima, cuius amari ac venefici fructus iam taedium cum cruciatu ingerunt, quin tamen ad unicum remedium redeatur, ad Christum. Etenim « qui naturam peccato « perditam reparavit semel, servat idem servabitque in per- « petuum. " Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus [2] " « " In Christo omnes vivificabuntur [3] ", " Et regni eius non « erit finis [4] ". Itaque ex aeterno Dei consilio, omnis est in « Christo Iesu cum singulorum, tum universorum posita « salus ». Ita Leo XIII in recentissimis Litteris encyclicis de Iesu Christo Redemptore.

2) Sed et *Pelagiani* ex eadem ratione in opus salvificum insurgebant. Quum enim Pelagius peccatum originale reiiceret, non poterat in Christo agnoscere verum Redemptorem; sed tantum in eo venerabatur Magistrum mira docentem, morteque sua patientiae summae exemplar exhibentem [5].

3) Nec a Pelagianis in media aetate multum distabat *Abaelardus,* utpote negans, Christum carnem induisse ut

[1] Inde ars moderna in carnis cultum a cultu spiritus fatali degradatione declinavit; ars quidem omni pudore destituta, lasciviamque exsudans, cuius, paganâ prorsus, ne plus dicam, licentiâ, recens exhibitio Parisiensis lugendum mundo spectaculum dedit.

[2] I. Tim. II, 6.

[3] I. Cor. XV, 22.

[4] Luc. I, 33.

[5] Errores Pelagii praesertim tangemus in tractatu *de Gratia.*

hominem a daemonis captivitate liberaret. Contra quem strenue egit S. Bernardus [1].

De omnibus erroribus breviter heic conctractis ex professo agetur in utraque parte huius tractatus. Satis sit ab initio mente ac fide recolere verba Gabriëlis ad B. M. V.: « Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur... Spiritus « Sanctus superveniet in te, etc. » [2]; item Angeli ad Virginis Sponsum: « Vocabis nomen eius Iesum: Ipse enim « salvum faciet populum suum a peccatis eorum » [3]; Praecursoris de Messia: « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit pec- « catum mundi » [4]; ipsius Christi de semetipso: « Venit Filius « hominis quaerere et salvum facere quod perierat » [5]; et Petri de eodem: « Non est in alio aliquo salus. Neque enim « est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo opor- « teat nos salvos fieri » [6].

Optime ergo Leo XIII de erroribus circa Christum: « Iesum « Christum nullo unquam tempore nullaque ratione novisse, « summa infelicitas est, vacat tamen pervicacia atque ingrati « animi vitio; repudiare aut oblivisci iam cognitum, id vero « scelus est adeo tetrum atque insanum, ut in hominem « cadere vix posse videatur. Principium enim atque origo « est ille omnium bonorum: humanumque genus, quemad- « modum sine Christi beneficio liberari nequiverat, ita nec « conservari sine eius virtute potest » [7].

III. - De Fontibus consulendis.

Porro ad adstruendam simul de Iesu-Christo Redemptore veritatem, erroresque de ipso depellendos, praeter sacra eloquia utriusque Testamenti, adsunt uberrimi fontes tum ecclesiasticae, tum patristicae atque theologicae auctoritatis a tironibus, nec minus a iam provectis iugiter adeundi.

[1] *Tract. de error. Abaelardi.* — *P. L.* t. CLXXXII.
[2] LUC. I, 32, 35. Cf. paulo superius.
[3] MATTH. I, 21.
[4] IOANN. I, 29.
[5] LUC. XIX, 10.
[6] ACT. IV, 12.
[7] *Litt. encycl.* « *Tametsi futura* » de Iesu Christo Redemptore.

I. **Ecclesiastica** documenta praecipua sunt. 1) *Symbola,* maxime *a*) *Apostolicum*, *b*) *Nicaenum*, *c*) *Constantinopolitanum* [1], *d*) *Tolosanum* (Syn. II. ann. 675.). - 2) *Anathematismi*) *S. Damasi* in 4ª synodo Romana (ann. 378. vel seq.) contra Apollinaristas aliosque haereticos emissi [2]; *b*) *S. Cyrilli* contra Nestorium, decretis Concilii Ephesini inserti [3]. - 3) *Epistolae* dogmaticae *a*) *S. Leonis M.* ad Flavianum contra Eutychen, ad cuius normam Concilium Chalcedonense statuit [4]. *b*) *S. Agathonis* a Conc. oecum. VI. Constantinop. III. summo honore recepta. - 4) *Conciliorum acta,* praesertim *a*) *Ephesini* oecum. III. (ann. 431.) contra Nestorium; *b*) *Chalcedonensis,* oecum. IV. (ann. 451.) contra Eutychen: [5] *c*) 14 canones Synodi *Constantinop.* II., oecum. V. (ann. 553.), in quibus Nestorii error uberius exponitur, pressiusque damnatur [6]; *d*) canones Concilii *Lateranensis* a Martino I. (ann. 649.) contra Monophysitas et Monothelitas habiti [7]; - pariter decretum Concilii *Francofordiensis* (ann. 794.) contra Adoptianos adunati [8]; necnon *professio fidei* ab Urbano VIII et Benedicto XIV Orientalibus imposita [9]. - Adde recentissimas Litteras encyclicas Leonis XIII « *Tametsi futura* » de Iesu Christo Redemptore.

II. **Theologicae** auctoritates dividi possunt in quatuor classes iuxta aetatem patristicam, mediam, scholasticam, et modernam.

A) In *patristica* aetate eminent contra Nestorianos et Eutychianos, ex Graecis: Cyrillus Alexandrinus, Proclus, Leontius Byzantinus, Anastasius Sinaita, Eulogius Alexandrinus, Petrus Chrysologus; - ex Latinis: S. Fulgentius [10] et Boëthius [11].

[1] Denzinger. *Enchir*, I; IV, A; VII.
[2] Denzinger, Op. c. VI.
[3] Ibid. XII.
[4] Ibid. XVI.
[5] Ibid. XVII.
[6] Ibid. XXIII, a can. 2.
[7] Ibid. XXV, a can. 1-17. inclus.
[8] Ibid. XXXII.
[9] Ibid. LXXXV.
[10] *De Chr. Incarn.* — *P. L.* t. LXV.
[11] *De duabus naturis.* — *P. L.* t. LXIV.

Monothelitas specialius confutarunt Sophronius, Maximus, Ioannes Damascenus; Adoptianos vero Paulinus Aquileensis, Etherius, Alcuinus, Agobardus.

Caeterum pullulant apud Patres scripta de mysterio Christi tractantia. Si ipsum Christum consideras, ecce, praeter laudatos scriptores graecos, Tertullianum [1], S. Felicem [2], S. Ambrosium [3], S. Augustinum [4], Cassianum [5]. Si opera Christi vel asceticam indolem magis attendis, adsunt S. Damasus [6], Sedulius [7], Iuvencus [8], S. Nicetas [9] et Rusticus Elpidius [10].

2) In *aetate media* de Christo praecipue scripserunt S. Anselmus [11], Rupertus [12], S. Bernardus [13]. Adde Ratramnum [14], Flodoardum [15], Card. Drogonem [16], Odonem Cameracensem [17], Ven. Guibertum [18].

3) In aetate *Scholae,* quae utique triplicem periodum continet, habes *a*) in priore, utrumque Victorinum, Hugonem [19] et Richardum [20], Magistrum Bandinum [21], Petrum Lombardum [22], Ioannem Cornubiensem [23], Petrum Cantorem [24]. - *b*) In

[1] *De carne Christi.* — *P. L.* t. II.

[2] *De Chr. div. et human.* — Ibid. t. V.

[3] *Lib. de Incarn. Sacr.* — Ibid. t. XVI.

[4] Passim, v. gr. in *Enchiridion,* in ep. ad *Volusianum,* etc., etc. Adde libr. *de Verbi Incarnatione* ap. S. Aug. — Ibid. XLII.

[5] *Libr. VII de Chr. incarn.* — Ibid. t. L.

[6] *Carmen de Chr. Ascens.* — Ibid. t. XIII.

[7] *Carmen de Incarnatione* — Ibid. t XIX.

[8] *Christi Triumphus.* — Ibid. t. XIX.

[9] *Lib. de Christi appellationibus.* — Ibid. LII.

[10] *Carmina de Chr. beneficiis.* — Ibid. LXII.

[11] *Cur Deus homo; de Conceptu virginali;* in Meditationibus, etc., etc. — Adde Meditationes metricas *de Chr. gestis,* ap. S. Ans. — Ibid. t. CLVIII, CLIX.

[12] Praecipue in opere *de Victoria Verbi.* — Ibid. t. CLXVII.

[13] Passim in Sermonibus, necnon *in Canticum,* etc., etc. — Adde libr. *de Chr. passione,* ap. S. Bern. — Ibid. t. CLXXXII.

[14] *Lib. de Chr. nativitate.* — Ibid. CXXI.

[15] *Lib. 3 de Chr. Triumphis; Carmen de Chr. vindicta.* — Ibid. t. CXXXV.

[16] *Serm de Chr. Passionis Sacram.* — Ibid. t. CLXVI.

[17] *Disp. de Chr. adventu.* — Ibid. t. CLX.

[18] *Tract. de Christi Incarn. ctr. Iudaeos.* — Ibid. t. CLVI.

[19] *Tract. de Verbi Incarn. fide; Lib. de Chr. voluntatibus quatuor; Lib. de Chr. animae sapientia.* — Ibid. t. CLXXVI; *Hist. de Chr. nativitate.* — Ibid. t. CLXXVII.

[20] *Lib. de Verbi Incarnatione; Christus quomodo regimen populorum;* Ibid. t. CXCVI.

[21] *Sent. l. III.* — *De Verb. Incarn.* — Ibid. t. CXCII.

[22] Item. — Ibid. t. CXCII.

[23] *Apol. de Verbo Incarn.* — Ibid. t. CLXXVII.

[24] *Verbum abbreviatum.* — Ibid. t. CCV.

secunda periodo habentur magni scholastici passim, praesertim S. Thomas [1], S. Bonaventura [2], Scotus [3], praecipuique Lombardi ac S. Thomae commentatores, uti Dionysius Carth., Francisc. a Christo, Estius, Sylvius, Medina, Gonet, Caietanus, etc. - Scolam Scotisticam praesertim illustrarunt Frassen, de Rada, Henno. - *c*) E scriptoribus tertiae periodi maxime consulendi sunt Bellarminus [4], Salmanticenses [5], Lugo [6], Suarez [7], Petavius [8], Thomassinus [9], Theoph. Reynaud [10], cardinalis Berulle [11].

4) Ex *recentioribus* satis sit citasse Wirceburgenses Munier et Holzklau, Salisburgenses, Legrand [12]; et ad praesentia tempora protrahendo, card. Franzelin, Kleutgen, Schäzler, Scheeben, Jungmann, Hurter, Stentrup, Knoll, Heinrich, Billot, Katschthaler, Schell, inter tractatus cursus theologici cui nomen dederunt.

Insuper, monographias speciales de aspectibus variis huius complexi mysterii conscripserunt P. Lud. a Leone [13], G. Lieber [14], Kirschkamp [15], Kappenhöner [16], Atzberger [17], P. Ios. M. [18] Roberti, P. Franciscus Risi [19], etc., etc.

Adde ex scriptis asceticis vel apologeticis praeter selecta loca ex Bossuetio, Fenelonio et Segneri, Card. Deschamps [20], Lacordaire, Monsabré, Fabre, Gay, John Morris, Petr. Rossi [21];

[1] III. Q. I-LIX; *Sña. ctr. G.* IV, 27-55; III. Sent., *De Veritate* Q. XX-XXIX. etc.
[2] In III. *Sentent.*; *Breviloquium.*
[3] In III. *Sentent.*
[4] *De Chr. cap. tot. Eccl.* Controv. I. col. 1619.
[5] *Comm. S. Th.*
[6] *De Incarn.* Opp. III.
[7] *De incarn.* Opp. XIV, XV.
[8] *Theol. dogm.* IV. pars I, 2.
[9] *Theol. dogm.* III, IV.
[10] *Th.* I, II.
[11] *Des grandeurs de J.-Chr.*
[12] Mign. Collect. theol.
[13] *De los nombres de Christo.*
[14] *Das Wachsthum Jesu in Der Weisheit,* Mainz 1850.
[15] *Das menschliche Wissen Christi,* Würzburg 1873.
[16] *Körperleiden und Gemüthsbewegungen Christi.* Düsseldorf 1878.
[17] *Die Unsündlichkeit Christi.* München 1883.
[18] *L' Onomatologia del divin Redentore* nel N. Testamento.
[19] *Sul motivo primario della Incarnazione del Verbo.*
[20] *Le Christ et les Antéchrists.*
[21] *Cristologia.*

expositiones apologeticas Hettinger, Van Weddingen, Devivier, etc.; vitam Iesu historice ac polemice conscriptam a Didon, Veuillot, Card. Capecelatro, etc., etc.; necnon concionem de Redemptore a Card. Ferrata in Urbe nuper habitam [1].

Et haec, licet incompleta [2], scopo praesenti sufficiant. Iam ad primam partem huius tractatus, ad Christologiam, transitum Deo iuvante faciamus.

[1] *Cristo Redentore.*

[2] Cfr. SCHWANE, ZOBL. *Dogmengeschichte.*

I. PARS.

CHRISTOLOGIA

SEU

DE IPSO VERBO INCARNATO

DEO-HOMINE CHRISTO.

PRAEAMBULUM.

Perfectum nomen illud est, quod exprimit entitativam dignitatem agentis, palmare eius opus, simul cum gloria et honore utrique debitis. Tale est imprimis nomen Christi Iesu, iuxta celeberrimam S. Pauli sententiam, quae haec tria hoc ipso ordine continet et evolvit. Praemissa thesi morali: « Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu », pergit hoc nomen illustrans: « Qui cum in forma Dei esset, non rapi-« nam arbitratus est esse se aequalem Deo: sed semetipsum « exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem homi-« num factus, et habitu inventus ut homo ». En Verbum, Filius Dei incarnatus, Deus - Homo, *Christus*. « Humiliavit « semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem « autem crucis ». En palmare Verbi incarnati opus, scilicet redemptio, per quam Christus est *Iesus*. « Propter quod et « Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super « omne nomen » [1]. En honor et gloria nomini Christi Iesu debita et annexa. De hac gloria passim sermo redit in omnibus quae ad Christum spectant sive in caelis, sive in terris, sive in inferis. Hic agendum est de entitativa dignitate Christi, et de palmari opere Iesu. Prius praestamus in hac prima parte tractatus, cui, ob idipsum, *Christologiae* nomen dedimus; alterum erit secundae partis sive *Sotereologiae* argumentum. Praemittenda autem pauca visa sunt tum de Incarnationis appellatione, tum de ordine quem, Angelico duce, in hac prima parte sequemur.

[1] *Philipp.* II, 5-9.

I. - De ipso Incarnationis nomine.

Incarnationis nomen, Σάρκωσις graece, non expresse hac ipsa forma in Scripturis occurrit. Derivatur autem immediate a sententia S. Ioannis in Prologo Evangelii sui: « Et « Verbum *caro factum* est. Καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο ». Unde nil mirum, si iam ab antiquo haec vox apud scriptores sacros occurrit.

Non unica tamen hac appellatione mysterium de quo tractamus, a sanctis Patribus honestari solet. Quemadmodum enim in Sacris Scripturis multifariam describitur, ita quoque a scriptoribus ecclesiasticis variis titulis designatur. Ita nonnunquam dicitur « *exinanitio* » [1], a sententia S. Pauli: « Semetipsum *exinanivit* formam servi accipiens,.... et habitu « inventus ut homo » [2]. Quae ultima verba suggerunt vocem « *inhumanationis* », certe optimam. « *Apparitio* » [3] alibi vocatur, a sententia S. Ioannis: « Annuntiamus vobis vitam « aeternam, quae erat apud Patrem, et *apparuit* nobis » [4], et iterum Pauli: « *Apparuit* enim gratia Dei Salvatoris nostri « omnibus hominibus ». « *Unctio* » quoque vocatur ab ipso nomine *Christi* et a sententia ipsius Salvatoris, Isaiam [5] citantis: « Spiritus Domini super me, propter quod *unxit* « me » [6].

Operationem ipsam assumendi humanam naturam vocant quoque Patres terminis magis genericis *unionis,* vel etiam *incorporationis,* vel *assumptionis* [7].

Porro si vocem *incarnationis* in se consideras, dupliciter deficit [8]. 1) Primo quidem nimis generica est: nam ordo carnis, tanquam genus est, in quo tamen caro humana tenet locum

[1] Vel vicino nomine *demissionis.*

[2] *Philipp.* II, 7.

[3] Sive *Dei manifestatio.*

[4] I. Ioann. I, 2. — Cf. III, 8.

[5] C. LXI, 1.

[6] Luc. IV, 18.

[7] Lege de his variis nominibus Legrand (op. cit. Diss. 1. c. 1. ap. Migne *Curs. theol.* t. IX p. 11, sqq.) Inter historicos dogmatis consule quoque Klee (*Dogmengeschichte*, t. II, p. 7, sqq.), et recentissimum opus Roberti.

[8] Haec nonnisi intendi de voce *incarnationis* per se, vi verborum in stricto sensu acceptorum, vix monendum puto.

eminentem, utpote maioris perfectionis subtiliorisque complexionis, ac praecipue altioris dignitatis ob formam qua animatur. - 2) Insuper est incompleta; quum caro non sit nisi pars illius humanae naturae quam Filius Dei sibi subsistentialiter sive hypostatice copulavit. Posset enim, si altera pars huius naturae inspicitur, tam bene, imo, si nobilitatem assumptae partis consideras, vocari *inanimatio*. At modus loquendi Scripturarum utramque deficientiam in voce compensat; nec latent rationes profundae ob quas carnem potius quam animam, aut etiam totum hominem Ioannes nominaverit. Audiatur S. Bonaventura: « Et quoniam nobis, magis « nota est pars carnis et magis a Deo distat, ut expressior fiat « nominatio et maior exprimatur humiliatio, et profundior « explicetur dignatio; hinc est, quod opus istud non inani- « matio, sed incarnatio nominatur » [1]. Adde, per carnem Verbum de homine nasci, et per carnem a primo homine originalem culpam traduci. Caeterum in sermone biblico caro hominem significare solet.

Si iam ad invicem confers *inhumanationem* et *incarnationem,* inhumanatio, in se expressio optima, facilius in errorem Nestorii inducit, quam incarnatio, quia *homo* per se involvit personam, non vero *caro*. Ex opposito *incarnatio* magis appropinquat ad errorem Eutychetis, aut saltem Apollinaris, qui voce ea maxime abutebatur. Plena appellatio esset *assumptio humanae naturae;* sed haec longior est; unde usu maxime invaluit illa, qua S. Ioannes est usus et quae plenior apparet, si prae oculis habeatur sermo hebraicus, in quo « caro » nonnunquam totum hominem designat, cum adsignificatione eius debilitatis atque, si cum Deo confertur, humilitatis.

Ita determinata, usuque tum scripturistico tum ecclesiastico sacrata appellatione incarnationis, de duplici respectu quem Filii Dei Incarnatio potest habere, verbulum sit.

Etenim Incarnatio considerari potest vel in fieri vel in facto esse. Ipsa quidem vocis structura per se significat actum; actus autem iste inducit statum. 1) Si ergo Incar-

[1] *Breviloq.* p. IV, c. 2.

natio *in fieri* intelligitur, seu Incarnationis *actus*, est illa mirabilis operatio divinae potentiae, inter omnes operationes ad extra maxime admiranda, qua Deus tanta virtute ad se attraxit determinatam humanam naturam de Virgine sumptam, ut in persona ipsa secundae personae SS. Trinitatis subsistat. Quae operatio describitur per verba angelici praeconis: « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altis-« simi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanc-« tum, vocabitur Filius Dei » [1].

2) Incarnatio in *esse*, seu in *statu* per eam inducto, est illa permanens coniunctio, quae nec per Christi mortem est soluta; vi cuius Christus in aeternum manet Homo-Deus, quia haec tanta virtus per quam Incarnatio in fieri producta est, nunquam aliquid de sua intensitate remittet. Porro si consideratur, hanc unionem a parte assumptae naturae pertinere ad ordinem creationis, nihilque extra Deum esse posse, quod non iugiter, ne redeat in nihilum, a Deo active sustentari debeat; facile apparet, inter opera quae activitas divinae conservationis sustentat, tota sua celsitudine ipsam Incarnationem eminere, quatenus nullum opus est in quo perennis virtus Omnipotentis tam splendide eluceat, quam in illa coniunctione in aeternum operosa humanitatis Christi cum subsistentia divina ipsius Verbi Dei.

Incarnatio tum in fieri, tum in esse, potest iuxta legem satis frequentem humani sermonis sumi pro ipso Verbo Incarnato. Si enim B. V. M. nuper de se dixit: « Je suis « l'Immaculée Conception », a fortiori Christus vocari potest ipsa Incarnatio [2].

II. - De Ordine in Tractatu de Christologia servando.

Sequens tabella iuxta incessum S. Thomae ordinem totius huius tractationis complectitur.

I. SECTIO. - *De* **convenientia** *Incarnationis* (Q. 1)
A) in *se* (a. 1. 2. 3. 4.) (I. *Membrum*);
B) quoad *tempus* (5. 6.) (II. *Membrum*).

[1] Luc. 1, 35.

[2] Hac moti ratione Incarnationem, ubicumque de Christi mysterio dicitur, reverentiae causa, cum maiuscula littera initiali conscribimus.

II. SECTIO - *De* **modo unionis** *Verbi cum Natura humana.* (Q. II-XV).

A) Quoad *ipsam unionem* (Q. II).
(I. *Membrum*)

B) Quoad *personam assumentem* (Q. III) (II. *Membrum*)

C) Quoad *naturam assumptam.* (III. *Membrum*)

- I) De *assumptis:* (I. *Caput*)
  - 1) de ipsa *natura* humana (Q. IV);
  - 2) de *partibus* naturae humanae (Q. V);
  - 3) de *ordine* assumptionis (Q. VI).
- II) De *coassumptis:* (II. *Caput*).
  - 1) *perfectionis:*
    - *a*) de *gratia*
      - α) personae (Q. VII),
      - β) capitis (Q. VIII);
    - *b*) de *scientia*
      - α) in communi (Q. IX),
      - β) in specie
        - α′) beata (Q. X),
        - β′) infusa (Q. XI),
        - γ′) acquisita (Q. XII);
    - *c*) de *potentia* (Q. XIII);
  - 2) *imperfectionis:*
    - *a*) quoad corpus (Q. XIV),
    - *b*) quoad animam (Q. XV).

III. SECTIO. - *De* **consequentibus unionem,** *quantum ad ea quae conveniunt Christo.*

A) Secundum **se:** (I. *Membrum*)

- 1) secundum *esse* et *fieri* (Q. XVI); (I. *Caput*)
- 2) secundum rationem *unitatis:* (II. *Caput*)
  - *a*) quantum ad *esse* (Q. XVII),
  - *b*) » *velle* (Q. XVIII),
  - *c*) » *operari* (Q. XIX).

B) Per comparationem **ad Patrem:** (II. *Membrum*)

- 1) *secundum* habitudinem *Christi ad Patrem:* (I. *Caput*)
  - *a*) de *subiectione* (Q. XX),
  - *b*) de *oratione* (Q. XXI),
  - *c*) de *sacerdotio* (Q. XXII);
- 2) *Patris* ad *Christum:* (II. *Caput*)
  - *a*) de *adoptione* (Q. XXIII),
  - *b*) de *praedestinatione* (Q. XXIV).

C) Per comparationem **ad nos:** (III. *Membrum*)

1) de *adoratione* (Q. XXV),
2) de *mediatione* (Q. XXVI).

SECTIO I.

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS.

(QUAESTIO UNICA).

Argumentum quod in hac Sectione tractatur, posset quidem tanquam praeambulum haberi: est enim veluti introductio in sequentia. At quum maximi momenti sit, et quaestiones contineat de quibus non levis viget controversia, maluimus illam uti Sectionem, praeliminariam utique, sed tamen Sectionem habere.

De primaria Sectionis divisione ex praecedenti tabella constat.

MEMBRUM I.

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS IN SE.

Hoc primum membrum quatuor complectitur articulos, qui se nexu sequenti intime tenent. Estne conveniens Incarnatio (a. 1.)? Et si affirmative, estne ita conveniens, ut sit necessaria (a. 2.)? Et si rursus affirmative, estne ita necessaria vel summe conveniens, ut, etiamsi lapsus homo non esset, Filius Dei esset nihilominus incarnatus (a. 3.)? Et si hic respondetur negative, quatenus Incarnatio ordinatur primario ad humani generis reparationem, estne principalius ordinata ad reparandum peccatum originale (a. 4.)?

De nexu logico articulorum alterius membri loco suo dicetur.

ARTICULUS I.

UTRUM CONVENIENS FUERIT DEUM INCARNARI.

I. **De ipsa Quaestione.** - Fuisse quovis tempore qui non solum Crucis sed et Incarnationis stultitiam blasphemarent, ex epistola Volusiani ad Augustinum [1], et ex verbis S. Anselmi in initio operis « *Cur Deus homo* », missis aliis documentis, satis demonstratur.

Quum ad prioris scriptum S. Thomas tironem remittat, audiamus hunc alterum querelas incredulorum exprimentem: « Obiiciunt nobis deridentes simplicitatem nostram infi-
« deles: quia Deo facimus iniuriam et contumeliam, cum
« eum asserimus in uterum mulieris descendisse, natum esse
« de femina, lacte et alimentis humanis nutritum crevisse,
« et, ut multa alia taceam, quae Deo non videntur convenire,
« lassitudinem, famem, sitim, verbera, et inter latrones crucem
« mortemque subiisse ».

Sed auditis contumeliis, auscultemus etiam piae indignationis responsum. « Si diligenter considerarent quam conve-
« nienter hoc modo procurata sit humana restauratio, non
« deriderent nostram simplicitatem; sed Dei nobiscum lau-
« darent sapientem benignitatem ». Inde S. Doctor totius operis salutiferi compendium texit, quod exordio huius tractationis praeponere iuvat: « Oportebat namque, ut, sicut per
« hominis inobedientiam mors in humanum genus intraverat,
« ita per hominis obedientiam vita restitueretur; et quemad-
« modum peccatum, quod fuit causa nostrae damnationis,
« initium habuit a femina, sic nostrae iustitiae et salutis
« auctor nasceretur de femina; et ut diabolus, qui per gustum
« ligni quem persuasit, hominem vicerat, ita per passionem
« ligni, quam intulit, ab homine vinceretur. Sunt quoque
« alia multa quae studiose considerata ineffabilem quamdam
« nostrae redemptionis, hoc modo procuratae, pulchritudinem
« ostendunt ». Ita Anselmus, cui cum Bosone plaudamus

[1] Ep. CXXXV. — *P. L.* t. XXXIII, col. 512.

dicente: « Haec omnia pulchra et quasi quaedam picturae « suscipienda sunt » [1].

2) Quaestio tamen quae hic movetur, non tam considerat opus Redemptionis quam ipsum Incarnationis medium.

Rationes impugnandi convenientiam huius mirae coniunctionis Dei cum humana natura procedunt aliae a parte Dei assumentis, aliae a parte naturae assumptae. *a*) A parte *Dei assumentis* sunt praecipue eius aeternitas et immensitas. α) *Aeternitas* enim videtur per Incarnationem violari, quatenus mutationem inducit in tempore; - β) *immensitas* pariter, quatenus Incarnatio secum fert contractionem activitatis et potentiae. Quae utraque difficultas, si quid valeat, contra quamvis creatae naturae etiam angelicae assumptionem, servata utique gradatione, valet.

b) Difficultates a parte *naturae assumptae* iam respiciunt conditionem determinatae naturae *humanae;* idque dupliciter: α) *absolute,* ex compositione maxima quae in humana natura invenitur; - β) *relative,* ex maiori indignitate naturae *lapsae* per peccatum corruptae.

3) At penitius rem intuenti apparet, has omnes rationes ex falsa imaginatione procedere. *a*) Priores ambae, quia perperam supponunt, Incarnationem involvere in ipso Deo mutationem τοῦ esse et limitationem τοῦ operari; alterae ambae, quia convenientia unionis non debet peti ab ipsa natura absoluta in se considerata, sed relate ad finem per hoc opus a Deo intentum; nec assumptio naturae lapsae in assumentem inducit malum peccati, in quo unice veri mali ratio consistit, uti ex mox dicendis fiet manifestum.

II. **Ad Textum.** - S. Thomas duas adducit obiectiones a parte Dei assumentis, et duas a parte naturae humanae assumptae; hoc tamen ordine, ut hae duae alterae inter duas priores inserantur. Si autem perfectiones Dei consideras ex quibus hoc ordine procedunt, prima obiectio procedit ex Dei aeternitate, secunda ex eius sapientia, tertia ex eius sanctitate, quarta ex eius potentia. Quae perfectionum distributio forsan rationem suggerit, cur ista successione

[1] Lib. I. c. 3. — *P. L.* t. CLVIII, col. 364, sq.

S. Thomas obiectiones disposuerit. Iam de singulis obiectionibus pauca.

1. Obi. Uti iam breviter praeoccupavimus, haec obiectio procedit a falsa imaginatione circa modum quo Incarnatio se habet ad aeternitatem, seu immutabilitatem Dei. Error est ex hoc quod in Deo fingitur mutatio, quae tota est a parte assumpti. Utique pro quovis ente finito talis assumptio in tempore facta mutationem secum ferret; sed cum hoc in Deo dari non possit, mutatio se habet tota a parte assumpti. Quod quomodo sit, in ipso decursu tractationis magis illustrabitur.

2. Obi. Procedit a falsa imaginatione modi unionis. Si fieret unio in natura, tunc utique daretur dissociabilitas inter naturam divinam et humanam propter infinitam distantiam quae interiacet inter utramque, uti optime disserit Boëthius contra Eutychen agens [1], et ipse S. Thomas infra lucide ostendit [2]. Sed unio facta est in persona.

3. Obi. Procedit ex confusa idea mali. Unicum malum veri nominis est peccatum. Iam vero Christus, uti ait S. Paulus, in omnibus similitudinem nostram accepit, « *absque peccato* » [3].

4. Obi. Haec obiectio, sane crassior, procedit a nimis materiali conceptione conditionis in qua incarnatus Deus se habet ad assumptam naturam, quasi ad illam quoad praesentiam et potentiam contraheretur.

Porro notatu dignissimum est, multas difficultates huiusmodi moveri solitas, quasi per Incarnationem Deus mutationem, imminutionem aut saltem dependentiam pateretur, posse pro ipsa creatione urgeri, unde earum inanitas ex absurdo plenius appareat [4].

Sed contra est. Doctrina huius articuli, id est perfecta Incarnationis convenientia, demonstratur ex *fide* tum indirecte, tum directe. *Indirecte* quidem ex ipso facto, quod per fidem constat. Iam vero si iure cantat Psalmista: « Quam « magnificata sunt opera tua, Domine, omnia in sapientia

[1] *De duabus naturis*, c. VI. — *P. L.* t. LXIV, col. 1349 sq.
[2] Q. II, a. 1.
[3] HEBR. IV, 15.
[4] Cf. dicenda in tractatu *de Deo creante et gubernante*.

« fecisti » [1]; et Ecclesia: « O Sapientia, ... attingens a fine « usque ad finem » [2]; nonne inter omnia opera praecellens erit dicenda Incarnatio, utpote centrum universi, in quod aetates anteactae et sequentes mira providentia conspirant?

2) *Directe* demonstratur per omnia loca sive inspiratae, sive ecclesiasticae, sive theologicae auctoritatis, in quibus sublimitas operis salvifici per Incarnationem completi commendatur. Audiatur S. Paulus: « Nos autem praedicamus « Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus « autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudaeis atque Grae- « cis, Christum Dei virtutem ac Dei sapientiam » [3].

In idem eunt passim Patres magnalia Incarnationis contra omnes impugnationes venerabundi defendentes; nec aliter Concilia [4], ac deinceps tota catholica traditio.

Nec deest sane huic convenientiae ratio theologica; unde S. Thomas, ab ea exorditur, antequam alicuius ex scriptoribus sacris auctoritatem adducat.

Argumenti autem vis est in hoc. Ratio operum Dei ad extra, teste Paulo [5], est manifestatio invisibilium Dei; ergo quo efficacius ista manifestat opus, eo Deo dignius erit. Atqui in hoc ordine maxime eminet Incarnatio; ergo Deo est apprime condecens. Potest huic considerationi superaddi, per Incarnationem non solum attributa Dei visibilia reddi, sed et ipsum Deum se oculis contuendum praebere. Egregie Augustinus: « Quia Verbum caro factum est et habitavit in « nobis ipsa nativitate collyrium fecit unde tergerentur oculi « cordis nostri et possemus videre maiestatem eius per eius « humilitatem » [6]. Et ante Hipponensem Ioannes: « Quod fuit « ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod « perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de Verbo « vitae » [7].

In sententia quam S. Thomas ex S. Damasceno adducit, adverte successionem, quae, non utique tempore sed logico

[1] Ps. CIII, 24.
[2] I. Ant. O Adventus.
[3] I. COR. I, 23, 24.
[4] Cf. paulo inferius.
[5] ROM. I, 20.
[6] *In Ioann.* tr. II, n. 16. — Cf. CHOLLET, *Theologiae lucis theoria,* p. 133, sqq.
[7] I. IOANN. I, 1.

ordine, in Deo de Incarnatione quasi meditante occurrit. Exorditur *bonitas:* nisi enim gratuitus amor praecessisset, quî unquam Deus ad hanc miram dignationem descendisset? - Bonitati succedit *sapientia,* ad praestatutum ex bonitate finem dignam rationem quasi inquirens. - Accedit et *iustitia,* inter varia media possibilia illud determinans, in quo compensationis rigor plenissime eluceat. - Demum in opus tanta bonitate, sapientia et iustitia excogitatum, exit summa exsequens *potentia.* Licet in evolutione S. Damascenus non teneat ordinem enuntiationis, hic ordo ex dictis potius servandus apparet.

Porro circa iustitiam adverte, quam caute Damascenus dixerit: « difficillimi pretii decentissimam solutionem ». Arguit nempe ex summa convenientia, non ex necessitate. De quo fusius in articulo sequenti, ubi de mente Anselmi quaerendum erit.

Rationibus quae hanc convenientiam impugnant, moti esse videntur ex prioribus Ecclesiae temporibus Proclitanitae, dicentes Christum non venisse in carne; item Apellitae, qui ad errorem suum tuendum impie eraserunt ex epist. I. Ioann. IV, 2, sequentia verba: « Omnis spiritus qui non confitetur, Christum in carne venisse, ex Deo non est ». Adde his Saturninum, affirmantem Christum umbraliter tantum in mundo apparuisse; necnon Manichaeos, Christum non hominem verum sed phantasma fuisse blasphemantes. De his omnibus dicitur in Concilio Chalcedonensi, Actione 1, eos beneficium accepisse in occasionem blasphemiae. Eadem actione idem Concilium disertis verbis convenientiam incarnationis asseruit [1]. Quod et fecit Concilium Toletanum II. in proclamatione publica fidei catholicae ante primum capitulum [2]. Iure inde merito theologi cum S. Leone papa, Toletanisque Patribus huic mysterio applicant illam Scripturae sententiam qua dicitur: « Sapientia aedificavit sibi domum » [3]; proclamantes

[1] Imo obiectam inconvenientiam Incarnationis depellit ex absurdo, quia haec inconvenientia in creatione quavis reperiretur; « Si enim turpe est Deum habitare « in virgine, turpius est omnino creare ». — Cf. Capponi a Porrecta, Comm. in S. Th. hoc loco.

[2] Cf. ibidem.

[3] Prov. IX, 1.

nimirum Incarnationem non solum non inconvenientem, sed et altissimae Sapientiae opus esse.

In Corpore. Argumentum ad hoc reducitur. Essentiae Dei, utpote summae bonitati, maxime convenit quidquid bonitatis est; atqui bonitatis est apprime se communicare; et perfectissima communicatio est attractio in unionem personae; ergo. Cave autem, ne ita intelligas argumentum, quasi necessitatem Incarnationis inducat. Esset supponere theoriam optimismi, non solum conditionalis, sed et absoluti. Ab uno enim ad alterum transitus logicus est; unde magis sibi constat, licet magis aberret, qui a falso principio ad ultimas conclusiones descendere non veretur.

S. Bonaventura [1] considerat congruitatem Incarnationis tum a parte Dei, tum a parte hominis. A parte Dei, quia manifestat eius perfectiones. A parte hominis, tripliciter: *a*) propter *dignitatem hominis conditi:* etenim si ipse caret fine, tota materialis creatura, quae ad ipsum spectat, fine carebit; - *b*) propter *modum labendi:* totus in parente, et diabolo decipiente, unde congruit reparatio per aliud caput et per superiorem revelationem; - *c*) propter *statum lapsus:* in quo scilicet poenitentia placabat iustitiam, et miseria provocabat misericordiam.

Haec sane pulcherrime dicuntur. Hic vero S. Thomas sobrius discurrit, utpote agens directe et quasi exclusive de convenientia unionis hypostaticae *in se* consideratae. Si enim Deum dedeceret *in se*, aliae rationes parum, imo nihil iuvarent.

Resp. ad 1.m Adverte modum quo S. Th. se ipsum veluti corrigere videtur: « quod novo modo se creaturae uni- « vit, vel *potius eam sibi* ». In quo profunda veritas continetur. Immobilis in se Deus permanens, extra se suscitat entia de nihilo: est primus gradus communicationis, quin sane aliquid de sua immobilitate omittat. At unam praelectam naturam non solum creat extra se, sed infinita sua attractiva virtute attrahit ad se, ut ipsam in propria sua personali subsistentia subsistere faciat. Hoc modo si con-

[1] III, Dis. xx, a. 1, q. 1.

cipitur unio hypostatica, apparet, nihil immutati ex ea in Deo consequi [1].

Resp. ad 3.m Carnis nomine tres, imo, subdividendo primum, quatuor notae sese offerunt menti: corporitas, mutabilitas, passibilitas, concupiscentia. Quomodo de his relate ad Dei perfectiones iudicandum?

a) Primae duae, *corporeitas* et *mutabilitas*, quarum altera fluit ex priore, per se bonae sunt et directe intentae a sapientia et bonitate divina. Quare post creatas res corporales Deus sibi testimonium dedit, eas esse bonas, imo bonas valde [2].

b) *Passibilitas*, quatenus est consequens constitutionis sensibilis externis elementis subiectae, rursus per se bona est, et directe una cum creatione talium corporum intenta. - Abstrahimus hic a dotibus praeternaturalibus corpori primi parentis collatis. - Quatenus vero passiones sunt in poenam praevaricationis, non quidem antecedenter intenduntur, sed consequenter per Dei iustitiam in divinam gloriam ordinantur.

c) *Concupiscentia* vero in brutorum carne bona est, utpote in conservationem individuorum et specierum sapienter ordinata. De homine vero, praesertim post lapsum, aliter dicendum. In illo enim concupiscentia est mala, si consideretur ut inordinatos affectus pariens; si vero consideretur ut consequens quidem lapsus originalis, quin tamen inducat affectus malos, quia mens robustior ipsi dominatur, tunc quidem in se mala non est, mala tamen in causa, et ideo dedecet exemptum ab hac culpa; insuper, etsi iuxta aliquem gradum consequatur naturam hominis utpote spiritu et carne compositi, tamen propter luctam quam inducit et elementum infimum ad quod attrahit, dedecet prorsus naturam in Deo subsistentem. Sed de his fusius alibi.

Collige: *a*) carnem assumere mutabilem, corpoream, nihil habet in Deo indecentis; - *b*) carnem assumere passibilem in expiationem culparum generis nostri, non magis ipsum

[1] Praeclare S. Augustinus, sumens utique hominem in sensu humanae naturae singularis: « Homo quippe Deo accessit, non Deus a se recessit ». — *Ep. ad Volus.* c. 10, n. 10. - L. c. col. 520.

[2] GEN. I, 31.

dedecet, imo maxime condecet Redemptorem sese in victimam Patri Deo offerentem; - *c*) concupiscentiam vero carnis, maxime culpam ex ea inductam, assumere prorsus in Deo repugnat. Sed hoc ultimum ad reparationem nostram nullo modo requirebatur. Ergo in assumpta carne a Virgine immaculata nihil est quod Dei sanctitati non plene conveniat.

Resp. ad 4.m [1]. Habes ex hac solutione quod Ecclesia in solemnitate nati Domini canit:

« *Parvoque lacte pastus est*
« *Per quem nec ales esurit.....*
« *Palamque fit pastoribus*
« *Pastor Creator omnium* » [2].

Inde illa devotio pictorum primae aetatis erga Christum virginea Matris ubera sugentem, ad exprimendam illam sublimem oppositionem, quam Augustinus in Simeone sene tam pulchre describit his verbis: « Simeon senex ferebat « Christum infantem, Christus gerebat Simeonis senectu- « tem » [3]. Unde canit Ecclesia: « Senex puerum portabat, puer « autem senem regebat: quem Virgo peperit et post partum « virgo permansit; ipsum, quem genuit, adoravit » [4].

Quaeres. - Quid, si non solum quis neget Incarnationis *convenientiam,* sed et **possibilitatem?**

Resp. 1) In Deo, cuius perfectio simplicissima est, quidquid non convenit, nec dari potest. Quare obiectiones superius allatae redundant in ipsam impossibilitatem.

2) Si autem praeter huiusmodi rationes, quae omnes sunt indirectae, velis ipsam medullam rei impugnare, quatenus impossibilis esset talis unio Dei cum natura creata, quae hanc faciat participare divinitatem, multipliciter potest huic proterviae responderi.

a) Primo quidem, per factum ipsum, vi axiomatis: ab esse ad posse valet illatio. Possibilis est incarnatio, nam Filius Dei incarnatus est. Hoc enim factum tanta claritate historica patescit, ut nil contra id valeant praeiudicia humanae rationis.

[1] Verba quae hic a S. Augustino afferuntur, sunt ex variis locis responsionis eius collecta.

[2] Hymn. ad Laudes.

[3] Serm. 13, de Temp. c. 3.

[4] Ant. I. Vesp. ad Magn. Fest. Purif.

b) Eo vel magis quod haec praeiudicia sunt in se valde debilia. Adversarii nostri arguunt ac si ipsi de Incarnationis impossibilitate evidentiam haberent rationalem. Atqui haec evidentia prorsus est arbitraria; nec ullam vim apodicticam habent rationes ad illam fulciendam congestae.

c) Si reponant, neque nos a parte nostra cogentibus rationibus demonstrare posse sive possibilitatem facti,sive modum facti, respondeo: Inter demonstrare possibilitatem facti, et modum facti, datur medium; scilicet probare, ut ita dicam, factum facti; nec tenemur apodictice demonstrare a priori esse possibile, quod a posteriori esse constat. Modum autem facti quomodo ex toto explicare teneremur, quum ultro mysterium fateamur, de quo maxime intimum nos lateat, imo nec latere non possit? At ideo mysterium recusare, quia mysterium est, insulsum nimis!

Optime auctor *Exposit. verae fidei:* « Est enim dispensa-
« tionis ratio inexplicabilis, nec vero est quod a me quis-
« quam unionis modum et rationem requirat: non enim me
« pudebit ignorationem profiteri, contraque magis gloriabor,
« quod abstrusas res credam, eorumque doctor et interpres
« sim, quorum et ratio et intelligentia notitiam debilitet.
« Nihil ergo evidens et clarum vel a me vel ab alio de
« his rebus velis discere » [1]. Eloquenter sane Augustinus:
« Demus Deum aliquid posse quod nos fateamur investigare
« non posse: in talibus enim rebus tota ratio facti est potentia
« facientis » [2]. Et sane qui agnoscit Deum, et divina agnoscat, quae nulla creata mens comprehendere possit. Ad rem illa profunda animadversio Pasteur: « Celui qui proclame
« l'existence de l'infini, - et personne ne peut y échapper -
« accumule dans cette affirmation plus de surnaturel qu'il
« n'y en a dans tous les miracles de toutes les religions [3];
« car la notion de l'infini a ce double caractère de s'impo-
« ser et d'être incompréhensible. Quand cette notion s'empare
« de l'entendement, il n'y a qu'à se prosterner ». Caeterum inquisitio theologica de modo Incarnationis sat uberes fruc-

[1] Hic lib. olim S. Iustino M. tribui solebat.

[2] *Epist. ad Volus*, c. 2, n. 8, — *P. L.* t. XXXIII, col. 519.

[3] Noli urgere haec verba. Vera miracula nonnisi in vera religione habentur, et haec est unica.

tus tulit, quorum si intima medulla manet mysterium, sunt tamen humanae rationi sapore iucundissimi. Sed haec in ipso decursu tractationis magis magisque patescent.

Corollarium. - Ex dictis in hoc articulo de habitudine Incarnationis ad immutabilitatem aliasque perfectiones Dei, vides quo sensu accipiendae sint locutiones Scripturarum ex quibus videretur quamdam imminutionem Deus per Incarnationem subiisse. Talia sunt imprimis laudata verba Sancti Pauli: « *Exinanivit* semetipsum, etc. ». Huiusmodi scilicet locutiones efficacissime insinuant benignitatem Dei, qui revera sese abdicavit a parte naturae assumptae, eam ita sibi uniendo ut in ea subsisteret, quin tamen a parte assumentis aliquid amittere possit [1].

Simili modo intelligenda est illa Verbi per Incarnationem *abbreviatio,* de qua Patres et scriptores sacri loquuntur.

Conclude Incarnationem, nedum divinae immutabilitati obsit, esse ex opposito triumphum eiusdem. Quod iam animadvertit subtiliter Rupertus. Causam enim sciscitatus, cur Deus « venit per semetipsum et homo factus est ad salvandum « genus humanum, cum hoc idem fieri potuisset per alium? « cur non potius misit aliquem legatum? cur non misit « angelum, sive archangelum? » respondet: « Quia nulli alii, « nulli nisi soli naturae divinitatis hoc fuit unquam possibile: « assumere quod non erat, et manere quod erat » [2].

Inde canit Ecclesia: « Mirabile mysterium declaratur « hodie: innovantur naturae, Deus homo factus est: id quod « fuit permansit, et quod non erat assumpsit, non commixtio- « nem passus neque divisionem » [3].

[1] Sunt tamen theologi, qui haec verba Pauli in sensu stricto urgentes, argumentum inde desumant ad ostendendam absolutam Incarnationis praedestinationem ante praevisionem lapsus. Exinanivit, aiunt, semetipsum, hoc est, praedestinatam gloriosam humanitatem ad formam servi et victimae declinando. Sed haec videntur nimis longe petita; imo contra textum ipsius Pauli, qui simpliciter pergit: « et « habitu inventus ut homo ». Ergo exinanitio est ipsa Incarnatio, modo utique quo eam explicavimus. Unde hic textus potius favet opinioni oppositae. Sed de his loco suo.

[2] *De Victor. Verbi,* l. XI, c. 25. — *P. L.* t. CLXIX, col. 1459.

[3] Ant. ad Bened. in Circumcisione Domini.

ARTICULUS II.

UTRUM NECESSARIUM FUERIT AD REPARANDUM GENUS HUMANUM, VERBUM DEI INCARNARI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) De nexu inter hunc articulum et sequentem iam in praeambulo Quaestionis dictum est. Antequam autem solvatur quaesitum de necessitate Incarnationis, quatuor distinctiones praemittendae sunt [1].

a) Alia necessitas *absoluta,* alia *conditionata.* Prior rem intuetur in se, abstractione facta a quavis conditione; altera eam considerat apposita conditione, seu hypothesi: quare etiam *hypothetica* audit.

b) Alia rursus necessitas *antecedens*, alia *consequens.* Prior in casu considerat obiectum in suo respectu ad Deum ante ullam liberam determinationem divinae voluntatis; altera illud intuetur respectu habito ad praecedentem - logice - determinationem divinam.

c) Alia praeterea necessitas *ad esse simpliciter* vel *ad posse;* alia ad *bene esse*, seu *facilius* posse. Prior est *sine qua non;* altera, *qua melius.*

d) Alia demum necessitas a *parte Dei,* alia a *parte hominis.* Prior illa est, qua Deus sibi vel creaturae debet illud de quo quaeritur; altera, qua homo eadem re indiget.

Quibus praemissis distinctionibus ad quaesitum accedamus.

2) *Absolute necessaria* tunc Incarnatio dumtaxat dici posset, si Deus teneretur ad extra illud opus producere, quo sese maxime communicat atque manifestat. Atqui hoc sustinere, est incidere in optimismum absolutum. Ergo talis necessitas est prorsus reiicienda; et necessitas Incarnationis nequit esse nisi conditionata.

3) Iam vero duplex *conditio* vel *hypothesis* excogitari potest iuxta quam saltem *conditionaliter* vel *hypothetice necessaria* Incarnatio praedicetur: *a*) creatio; *b*) lapsus creaturae rationalis. *Creatio* non sufficit; haec enim positio indu-

[1] Cf. distinctiones huiusmodi allatas in Quaestione introductoria in tractatum *De Deo Uno,* art. 1.

ceret optimismum mitigatum. Quaestio igitur remanet, utrum *lapsus hominis* sufficiat ad necessitatem Incarnationis adstruendam.

4) Iam vero eatenus iste lapsus ad hoc sufficere posset, quatenus *a*) Deus debuisset lapsum hominem reparare, et *b*) ad hoc obtinendum nonnisi Incarnationis medium ipsi praesto fuisset. Quae duo simul stare debent. Satis enim est alterutrum membrum deficere, ut vera necessitas desit. Inquiramus ergo de utroque membro.

5) Deum non debuisse hominem reparare *antecedenter*, patet ex hoc solo quod angelum non reparaverit, ea saltem ratione qua angelus reparabilis cogitari potest [1].

At forsan instabis cum aliquibus modernioribus, inter quos praecipue Güntherus: nonne ipsa oeconomia transfusionis iustitiae vel peccati originalis oeconomiam reparationis praesupponit atque exigit?

Concedo, uti mox in articulo exponetur, ordinem solidaritatis inter protoparentes et humanum genus universum ab eis ortum, potuisse influere in decretum Incarnationis, imo influxisse ad modum suadentis; nullatenus tamen ad modum cogentis. Etenim si hoc verum esset, sequeretur: *a*) hanc oeconomiam conditionis originalis esse per se iniustam; *b*) fructum Incarnationis de facto singulis hominibus applicari debere. Caeteroquin *c*) in hac opinione, quid saltem pro ipsis Adamo et Eva, utpote quibus peccatum fuit personale? - Caveatur quam maxime ab huiusmodi innovationibus, quae fontem suum habent in rationalistico praeiudicio contra dogma, austerum quidem, sed aequissimum originalis culpae.

6) Reiecta igitur necessitate hypothetica antecedente, quid saltem *de consequente?* Quid si, iuxta sententiam nonnullorum Patrum et Doctorum, inter quos eminent Augustinus et Anselmus, Deus creavit hominem ut sedes ab angelis malis amissas hominibus beatis impleret? - In ista sane hypothesi, nisi frustrentur consilia divina, oportet quidem tot futoros esse homines salvos, quot daemones exstant. Sed nec haec hypothesis strictam necessitatem inducit. Reiecta

[1] Hanc subtilem quaestionem fuse investigabimus, ubi de Angelis in tractatu *De Deo Creante* disseremus.

enim stirpe Adae, nonne potuit Deus aliud condere genus humanum?

Instabis: quid autem, si Deus non solum decrevit numerum angelorum per homines, sed etiam per homines ex Adae stirpe complendum? - Duplicata ita hypothesi, concedendum est utique *reparationem* hominis lapsi fuisse necessariam; ea tamen necessitate, quae, utpote ex liberrima conditione orta, nullum detrimentum divinae libertati afferat. Sed nondum inde sequitur necessitas *Incarnationis*, nisi demonstretur, hanc fuisse unicam reparationis viam.

7) Iam vero huc spectat distinctio inter necessitatem ad esse vel posse *simpliciter*, et ad *melius* esse vel posse.

Eatenus tantum Incarnatio - cuius proprium est, reparare ex stricta iustitia - ad reparationem simpliciter necessaria dicenda foret, quatenus Deus non potuisset nos nisi ex stricta iustitia reparare. Atqui concedunt quasi omnes Doctores, Deum potuisse ex infinita sua clementia acceptare satisfactionem ex se insufficientem; imo non desunt qui opinentur, sanctitati Dei non obesse absolute, ut illatam sibi offensam simpliciter ex misericordia condonet. Ergo stare nequit necessitas Incarnationis ad esse reparationis *simpliciter*.

8) Concedenda tamen est, imo largissime, necessitas ad *melius* esse, tum *a*) a *parte Dei*, - en ultima nostra distinctio, - ut scilicet iustitia et misericordia aequales in reparatione partes habeant; tum *b*) a *parte hominis*, ut per Filium Dei hominem factum homo efficacius ad finem suum dirigatur.

9) Quod autem, statuta oeconomia redemptionis, haec oeconomia sit *consequenter* homini ad salutem necessitate sine qua non accipienda, patet tum *a*) ex *unitate* medii a parte *Dei*, tum *b*) ex *impotentia* absoluta a parte *hominis* sibi relicti. Ad rem S. Petrus, cuius verba iam superius allata heic iterare non pigeat: « Non est in alio aliquo salus: nec « enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo « oporteat nos salvos fieri » [1].

[1] Act. iv, 12. — Cf. locum Ioann. in *Sed contra est* adductum.

Tota haec nostra doctrina sequenti schemate illustrari potest.



Ex supradictis satis patet, quo sensu S. Thomas quaestionem tractaverit. Ipse enim titulus monstrat, eum de Incarnatione in ordine ad reparandum genus humanum unice loqui.

II. **Ad Textum.** - Obiectiones hoc dilemmate comprehenduntur. Si Incarnatio esset necessaria, esset vel a parte Dei, vel a parte hominis. A parte Dei non: etenim Deus nullam virtutem per carnem acquisivit (1. obi.); neque a parte hominis: nam homo poterat pro peccato satisfacere (2. obi.); imo Incarnatio videtur saluti ipsius potius obesse (3. obi.). De singulis dicemus ubi de responsionibus.

Sed contra est. - Locus hic ab Angelico allatus demonstrat necessitatem Incarnationis a parte hominis, eo sensu quo supra exposuimus. Hoc autem interest inter locum hunc Ioannis et locum supra e Petro assumptum, quod hic alter,

[1] Utique praeter illam necessitatem consequentem quae ratione divinae immutabilitatis omni praedestinationi communis est.

utpote negative loquens, impossibilitatem salutis extra mediatorem Iesum Christum magis affirmat.

In Corpore. S. Thomas primo distinguit inter necessitatem ad esse *simpliciter* et ad *melius* esse. Negata priore, transit ad rationes affirmandi alteram. Haec autem affirmatio, utpote magis intenta, plus influit in thesim quam prior negatio. Quare obiectiones procedunt ex negatione et non ex affirmatione.

A) *De priori necessitate.* Observa sedulo, quam firma et absoluta sententia S. Thomas neget hunc primum necessitatis modum, scilicet a parte Dei: « Deus per suam omni- « potentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis « modis reparare ». Ad quam sententiam illustrandam iuvat inducere distinctionem inter *modum* et *modum modi.* Modus in casu est ipsa Incarnatio; *modus modi* est Incarnatio ex Virgine, passio, mors, sepultura, resurrectio, et omne quod his verbis continetur. Agitur hic solum de *modo.*

Quaestio igitur duplex est. Poteratne Deus reparare genus humanum, quin exigeret reparationem strictae iustitiae? Eratne Incarnatio unicum medium ad hanc reparationem strictae iustitiae obtinendam?

Ex sanis principiis utrumque affirmandum videtur. Primum quidem, quia non apparet ratio cur non possit Deus renuntiare iuri suo reparationem aequivalentem exigendi. Alterum, quia ad reparationem aequivalentem sive sit iniuriae, sive sit damni, requiritur ex una parte ut ab homine praestetur, et ex altera parte ut valorem habeat infinitum ratione iniuriae, indefinitum saltem ratione damni. Atqui solus Deus-homo utriusque capax est; ac sola via ad hoc ut homo sit Deus, est Incarnatio. Ergo.

Hoc sensu intelligenda est doctrina Sancti Augustini, Sancti Bonaventurae et ipsius Sancti Thomae. De Sancto Anselmo in fine specialius quid senserit, inquiremus.

1) **S. Augustinus** ita scribit: « Eos qui dicunt: Itane defuit « Deo modus alius quo liberaret homines a miseria mortali- « tatis huius, ut Unigenitum Filium Deum sibi coaeternum, ho- « minem fieri vellet, induendo humanam animam et carnem, « mortalemque factum mortem perpeti? parum est sic refel- « lere, ut istum modum quo nos per Mediatorem Dei et

« hominum hominem Christum Iesum Deus liberare dignatur, « asseramus bonum et divinae congruum dignitati; verum « etiam ut ostendamus non alium modum possibilem Deo « defuisse, cuius potestati cuncta aequaliter subiacent; sed « sanandae nostrae miseriae convenientiorem modum alium « non fuisse, nec esse oportuisse » [1]. Et pergit S. Doctor ostendens eximiam charitatem Dei ex opere Redemptionis elucentem. Hoc de primo puncto.

Paulo infra, quaerens directe de remissione peccatorum per oblationem Filii Dei, haec de altero habet: « Numquid « isto iure aequissimo diabolus vinceretur, si potentiâ Chri- « stus cum illo agere, non iustitiâ voluisset? Sed postposuit « quod potuit, ut prius ageret quod oportuit. Ideo autem « illum esse opus erat, et hominem et Deum. Nisi enim homo « esset, non posset occidi; nisi Deus esset, non crederetur « noluisse quod potuit, sed non potuisse quod voluit; nec ab « eo iustitiam potentiae praelatam fuisse, sed ei defuisse « potentiam putaremus » [2]. Quibus ex locis, imo ex tota hac parte tractatus, duo apparent: *a*) Deum alio modo quam Filii incarnatione potuisse hominem redimere; *b*) non alium tamen modum adfuisse ut illum ex stricta iustitia redimeret [3].

2) **S. Bonaventura** idem prorsus docuit. In libr. III. Sentent. Dist. XX [4], statuta convenientia Incarnationis, tam ex parte opificis, quam ex parte operis, - imo ex parte Dei statuta necessitate, ratione immutabilis propositi, sciscitatur in quaestione sequenti: « An magis congruerit genus humanum « reparare per satisfactionem quam per aliam viam ». Et responsio eius ad hoc reducitur: Modus reparandi naturam humanam per satisfactionem fuit congruentissimum ex parte Dei, ut scilicet in ipso appareret misericordia et veritas; ex parte nostra, propter nostram glorificationem et nostram

[1] *De Trinit.* l. XIII. c. 10. — *P. L.* t. XLII, col. 1024.

[2] Ibid. c. 14. — Ibid. col. 1028.

[3] Ad rem facit adhuc alius locus Augustini *(De agon. christ.* c. 11) « Sunt « autem stulti qui dicunt: Non potuit aliter sapientia Dei homines liberare, nisi « susciperet hominem et nasceretur ex femina et a peccatoribus omnia illa patere- « tur? Quibus dicimus: Poterat omnino: sed si aliter faceret, similiter vestrae « stultitiae displiceret ». — Cf. Leo M. Serm. 2. de Nativ. c. 2.

[4] A. 1. q. 1.

iustificationem. - Quae est ipsissima doctrina quam vindicamus.

Nec movere debet quod S. Bonaventura ait in fine articuli I. Q. 1., Deum incarnari « est necessarium ex parte Dei, « sed ex parte nostri non ». Nam necessitatem quam intendit, his verbis supra exponit: « Necessitatem, inquam, non ine- « vitabilitatis, quae dividitur in coactionem et prohibitionem; « sed necessitatem immutabilitatis, quae consurgit ex stabi- « litate et immutabilitate divinae dispositionis: haec autem « non arctat divinam potentiam ad oppositum, sed eam deter- « minat ad tale propositum ». Quibus patet, necessitatem a S. Bonaventura hoc loco positam non esse antecedentem sed consequentem ipsam voluntatem seu propositum reparandi genus humanum. Hoc sensu evidens est, ex parte Dei eam necessitatem ponendam esse, non autem ex parte hominis, quum haec voluntas Dei a voluntate humana, vel ab exigentia nostrae lapsae naturae sit prorsus independens.

3) **S. Thomas** commentans eumdem locum Lombardi - qui locus quasi ad verba desumptus est ex doctrina S. Augustini modo allata [1] - ita statuit in Q. 1. a. 1. Qcula 3. sol. 1: « Congruentissimum fuit humanam naturam, ex quo lapsa « fuit, reparari ». Dein in sol. 2: « Congruum etiam fuit quod « natura humana per satisfactionem repararetur ». Quod probat tripliciter: *a*) ex parte *Dei,* propter manifestationem iustitiae; *b*) ex parte *hominis,* ratione gloriae et cooperationis; *c*) ex parte *universi,* ratione ordinationis. Tum in solutione 3. de necessitate huius operationis per satisfactionem investigat. Distincta necessitate ex parte Dei et ex parte hominis, ita respondet. *a*) Ex parte *Dei* non adest necessitas coactionis, neque necessitas absoluta; sed concedi debet quaedam necessitas conditionata, non quidem respectu finis ipsius, qui multis mediis attingi potest, sed respectu medii, posita talis medii praedestinatione. - *b*) Ex parte *hominis* similiter neganda est necessitas absoluta, item coactionis; sed admittenda necessitas conditionata respectu finis.

Absolvit autem doctrinam de qua quaerimus, in articulo 2,

[1] *De Trin.* l. XIII.

ubi statuit, nullam creaturam puram potuisse pro humana natura satisfacere.

Quae omnia si colligimus, habemus iuxta Angelicum: *a*) Deum potuisse quidem reparare genus nostrum sine satisfactione; *b*) attamen ad satisfactionem stricti nominis Incarnationem fuisse necessariam. Iuvat ex sententiis aureis quae in his locis habentur, et quae, nisi brevitas tractationis obstaret, ex integro essent adducendae, hanc praesertim affirmationem proferre: « Quantum est de potentia Dei, Deus « posset peccatum absque omni poena dimittere; nec iniustus « esset, si hoc faceret » [1].

B) Exposita ac vindicata prima parte *Corporis,* iam ad alteram transeamus, in qua statuitur necessitas *ad melius* esse.

En autem hanc secundam partem schemate expressam:

Incarnatio fuit necessaria ad melius esse reparationis.

I) Quantum ad promotionem hominis in *bonum:*
1) quantum ad *fidem:* ipsa veritas Homo-Deus;
2) quantum ad *spem:* summum argumentum amoris Dei erga nos;
3) quantum ad *charitatem:* amor exposcit amorem;
4) quantum ad *rectam operationem:* Deus-homo exemplar;
5) quantum ad assecutionem *finis:* Deus-homo facit hominem Deum.

II) Quantum ad remotionem *mali:*
1) Incarnatio solvit a *cultu diaboli;*
2) nutrit existimationem humanae naturae, ne polluatur *vitio carnis;*
3) pellit *praesumptionem* ex necessitate gratiae;
4) pellit *superbiam* ex humilitate Dei;
5) liberat a *servitute peccati.*

Singula argumenta quae Angelicus in hoc pulcherrimo discursu breviter tangit, sententiis Scripturarum facili negotio illustrantur [2].

I. Quantum ad promotionem hominis in bonum. 1) *Pro fidei* augmento habes: I. Hebr., necnon Luc. XX, ubi para-

[1] Dist. XX. Q. 1 a. 1. Qla. III, sol. 3. ad 3. — Cf. et articulos sequentes.

[2] Ex hac parte *Corporis* habes quam pia simul et profunda concionator ex S. Thoma depromere possit.

bola affertur de filio regis. - 2) Pro *augmento spei:* Rom. V, 5. - 3) Pro *charitate:* Rom. V, 8, sqq. Tria simul collecta habes: Gal. II, 20. De *fraterna* autem charitate, vide I. Ioann. III, 23; I. Ioann. IV, 7. - 4) Pro *operatione recta:* Tit. II, - 5) Pro *recuperatione beatitudinis:* Rom. VIII, 12-17.

II. Quantum ad remotionem mali, pro rehabilitatione carnis habes: I. Cor. VI, 15-20. - Pro rationibus 3ª et 4ª, vide praesertim: Philipp. II. - Pro ratione 5ª: Coloss. I, 13; II, 14, 15; - II. Tim. I, 10; - I. Ioann. III, 8; - Hebr. II, 14; - Apoc. XII, 9, sqq.; XX, 2.

Argumenta plura heic a S. Thoma allata, invenies egregie a S. Anselmo exposita in tractatu *Cur Deus homo* [1].

Resp. ad 1.m Vide quantopere hoc responsum corroboret doctrinam supra expositam.

Resp. ad 2.m Ex hoc habes, duplicem dari gradum reparationis per satisfactionem: alterum perfectum, per satisfactionem de condigno; alterum imperfectum, de congruo. Hic autem imperfectus gradus potest considerari dupliciter: vel quatenus sustentatur a perfecto, et tunc fit quasi de condigno, non quidem vi puri hominis, sed vi unionis eiusdem cum Christo; vel quatenus est per se impar ad satisfaciendum, et tunc non potest nisi a gratuita acceptatione Dei habere quod aliqua ratione satisfaciat. Hoc ultimo modo fuisset, si Deus hominem, alia via quam stricta satisfactione, ex conatu ipsius hominis misericordiose acceptato, liberare statuisset.

Rationes quas Angelicus hic tangit ad ostendendam incapacitatem puri hominis ut pro peccato satisfaciat, tam *offensam,* quam *damnum* respiciunt. In damno autem potest ulterius distingui finis amissus et ruina generis. Offensa simpliciter infinita est, damnum vero nonnisi secundum quid. Excedit tamen omnem virtutem puri hominis, imo purae cuiusvis creaturae.

De ipsa satisfactione a Christo praestita, in altera parte huius tractatus agetur. Interim lege Card. Toletum hoc loco.

[1] Passim, sed magis in libro I.

APPENDIX

de Mente S. Anselmi.

Doctrinam supra expositam de neganda necessitate Incarnationis in primo sensu ab ipso S. Thoma excluso, videtur S. Anselmus in gemino libro *Cur Deus homo* directe oppugnasse, quatenus ex professo ostendere intendit, ad reparandum genus humanum unicam dumtaxat viam Deo patuisse: incarnationem scilicet et immolationem Filii Dei. Quid ergo hac in re tenendum, et quaenam censenda est genuina mens S. Anselmi?

Tota argumentatio S. Anselmi hac sententia libr. II, c. IV, contineri videtur. « Necesse est ut Deus de humana natura « perficiat quod incepit; hoc autem fieri nequit, nisi per « integram peccati satisfactionem, quam nullus peccator « facere potest [1] ». Et pergit. c. VI: « Hoc autem fieri nequit, « nisi sit qui solvat Deo pro peccato hominis aliquid maius « quam omne quod praeter Deum est... Nihil autem est supra « omne quod Deus non est, nisi Deus... Ergo non potest « hanc satisfactionem facere nisi Deus... Sed nec facere illam « debet nisi homo, alioquin non satisfacit homo. Necesse est « ergo ut eam faciat Deus homo ». Cui mirabundus Boso: « Benedictus Deus! » [2].

Pergit dein Anselmus, ostendendo quomodo Verbum factum sit homo ac solverit debitum (reliqua enim ostenderat in primo libro), et concludit c. XXI: « Misericordiam Dei, « quae tibi perire videbatur, cum iustitiam Dei et peccatum « hominis considerabamus (libr. I), tam magnam tamque con- « cordem iustitiae invenimus, ut nec maior, nec iustior cogi- « tari possit (libr. II). Nempe quid misericordius intelligi valet, « quam cum peccatori tormentis aeternis damnato, et unde « se redimat non habenti, Deus Pater dicit: « Accipe Uni- « genitum meum et da pro te »; et ipse Filius: « Tolle me « et redime te? Quasi enim hoc dicunt, quando nos ad « Christianam fidem vocant et trahunt. - Quid etiam iustius,

[1] *P. L.* t. CLVIII col. 402.
[2] Ibid. col. 403, sq.

« quam ut ille cui datur pretium maius omni debito, si « debito datur affectu, dimittat omne debitum? » [1].

Ne tamen haec nonnisi uti summe congruentia et non uti necessaria dicta quis putet, subdit reconciliationem diaboli cum reconciliatione hominis conferens: « Diaboli vero « reconciliationem *impossibilem* intelliges, si diligenter huma- « nam consideres. Sicut enim homo *non potuit* reconciliari, « nisi per hominem Deum, qui mori posset, per cuius iusti- « tiam Deo restitueretur quod per peccatum hominis perdi- « derat; ita angeli damnati *non possunt* salvari, nisi per « angelum Deum, qui mori possit et qui per iustitiam suam « Deo reparet quod aliorum peccata abstulerunt. Et sicut « homo per alium hominem, qui non esset eiusdem generis, « quamvis eiusdem esset naturae, non debuit relevari, ita « nullus angelus per alium angelum salvari debet, quamvis « omnes sint unius naturae; quoniam non sunt eiusdem gene- « ris, sicut homines. Non enim sic sunt omnes angeli de uno « angelo, quemadmodum omnes homines de uno homine » [2].

Inspecta itaque totius operis ratione, videtur S. Anselmi doctrina ad sequentia tria capita reduci posse.

I. Deus creavit homines ut implerent sedes a daemonibus amissas. Atqui voluntas Dei immutabilis est. Ergo homo debet sibi ut has sedes impleat. Atqui per peccatum homo incapax factus est hunc finem attingendi. Ergo necesse est ut reparetur. (Haec est ipsa necessitas quam consequentem vocavimus).

II. Atqui iustitiae Dei repugnat hominem reparari quin solvat debitum. Iam vero debitum est infinitum. Ergo ad reparationem hominis requiritur ut homo debitum infinitum solvat.

III. Quum igitur solvens debeat simul esse homo et infi-

[1] Ibid. col. 430.

[2] C. XXII. — Ibid. Cf. l. I. c. XVII. Addit aliam rationem intrinsecam ex inconvertibilitate mentis angelicae. Sed haec non est ad rem praesentem. Porro adverte cohaerentiam utriusque scriptoris cum semetipso. S. Anselmus, qui putat unam dumtaxat reparationem per strictam restitutionem, Deum decere, urget hoc principium pro angelis et in eo novam atque speciosam rationem reperit, cur angeli reparari non potuerint. S. Thomas, utpote tenens plures vias redemptionis Deo patuisse, admittit quidem irreparabilitatem angelorum ex eorum inconvertibilitate interna, non autem ex ratione a S. Anselmo heic allata.

niti capax; infiniti autem capax non sit nisi Deus: necesse est ut solvat pretium *Homo-Deus*, seipsum puro homini substituendo, poenamque quam meritus erat homo purus, immolationem sui perferendo.

Quibus tribus capitibus inspectis, uti ex opere *Cur Deus homo* congeruntur, en iudicium quod de iis ferendum existimamus. *Primum caput* corripi nequit, licet forte fundamentum cui innititur, non satis solidum alicui videatur [1]. - In *capite secundo*, si de mera convenientia summa intelligatur, haec necessitas reparationis perfectae nihil nisi optimi habetur. Putamus tamen S. Anselmum limites praetergressum esse, loquendo de necessitate stricta. - In conclusione *tertii capitis* distinguendus est *modus* a *modo modi*. Admisso capite secundo, saltem quoad ordinationem Dei ex summa convenientia, *modus* Incarnationis necessarius est; at quoad *modum modi*, scilicet per passionem et mortem, credimus conclusionem Anselmi, si de vera necessitate intelligatur, rursus ultra limites progredi.

Putamus proin rectum de S. Anselmi doctrina iudicium tulisse Petavium, ubi scribit: « Apparet autem non eandem « Anselmi rationem esse, ac Patrum caeterorum, in adstruenda « necessitate Incarnationis Filii Dei: nec illius ita posse nos « interpretari sententiam, quemadmodum istorum plerique « mollire student; ut non de absoluta et simplici necessitate « loquatur, sed de ea tantum quae decorem ac dignitatem « operis spectat » [2].

Porro, si demimus Richardum Victorinum, qui valde ad sententiam S. Anselmi appropinquat [3], alii scriptores S. Thomae doctrinam passim tradunt. Ut alios taceam, S. Bernardus omnino concordat cum S. Augustino. « Quis negat, ait cum « Abaelardo disputans, omnipotenti ad manum fuisse alios « et alios modos nostrae redemptionis, iustificationis, libera- « tionis? Verum hoc non praeiudicat huius, quem e multis « elegit, efficacia » [4]. - Ex Graecis autem Patribus satis sit

[1] Abstrahimus hic a demonstratione huius propositionis, plura de eadem in tractatu *de Deo Creante* dicturi. Interim lege subtilem discursum S. Anselmi. l. I, c. XVI-XVIII. Ibid. col. 381, sqq.

[2] *De Incarn.* l. II, c. XIII, n. 5.

[3] L. *de Verbo Inc.* c. 8. — *P. L.* t. CXCVI, col. 1002.

[4] Ep. CXC. — Cf. Serm. 11. in Cantica.

adducere S. Gregorium Nazianzenum et S. Ioannem Damascenum: « Haec Salvator quidem fecit (i. e. formam servi « accepit), idque quum sola voluntate, tanquam Deus, salutem « afferre posset; quemadmodum et universa solo iussu pro- « creavit » [1]. Ita prior. Et alter: « Poterat, in cuius potestate « sunt omnia, omnipotenti sua virtute hominem eripere ab « eo, qui tyrannice illum opprimebat » [2]. Monet tamen recte Petavius [3], necessitatem veram quam S. Anselmus tenet, non esse nisi hypotheticam, scilicet, si Deus decreverit numerum praefixum electorum ex hominibus complendum. Sed, eodem fatente, neque alii scriptores passim, posita etiam hac hypothesi, necessitatem Incarnationis praedicant.

Et haec de controversia ista satis. Caeterum opus *Cur Deus homo,* mitigatis quibusdam sententiis, inter pulcherrima adnumerandum est, quae unquam ingenium et pietas in laudem Redemptionis conceperint.

Corollarium. Interdum de summa dumtaxat convenientia aut de necessitate mere consequenti intelligendae sunt assertiones Patrum, quae strictam necessitatem inducere videntur. Talia sunt, v. gr., haec verba S. Athanasii: « *Indecorum,* (ἀπρε- « πές)... et divina bonitate *indignum prorsus* erat, res a « Deo factas ob fraudem qua homines diabolus circumvenit, « destrui. Praeterea *maxime indecens* erat (τῶν ἀπρεπεστάτων « ἦν) Dei artem in hominibus vel propter eorum incuriam, « vel propter daemonis dolum aboleri... Satius ergo erat, « omnino non fieri, quam factos negligi et interire... Itaque « *par Deo non erat,* sinere homines in corruptionem labi, « quia id indecorum et indignum divina bonitate erat ». [4] Inde Ecclesia in sua Liturgia hanc summam convenientiam veluti harmonicam quamdam expostulationem celebrat. « Hoc « opus nostrae salutis - ordo depoposcerat, - multiformis pro- « ditoris - ars ut artem falleret, - et medelam ferret inde, - « hostis unde laeserat » [5].

[1] Orat. 19, n. 13. — *P. G.* t. xxxv, col. 1060.

[2] L. 3. c. 18. — *P. G.* t. xciv, col. 1072.

[3] Loc. cit. n. 10.

[4] *De Incarn.* c. vi. Alias auctoritates huiusmodi plures confer apud Petavium (l. cit. praesertim c. 12).

[5] Hymn. *Pange lingua gloriosi praelium certaminis.*

Imo ab hac veluti necessitate remedii, propter ipsam remedii celsitudinem et ubertatem, ad necessitatem causae saltu lyrico assurgit: « O certe necessarium Adae peccatum, quod « Christi morte deletum est! » [1].

Quaeres. Quid, si Incarnatio Filii Dei fuerit praedestinata a Deo independenter vel antecedenter ad praevisionem peccati primi hominis?

Resp. Haec positio, cuius fundamentum et probabilitas in articulo sequenti ponderantur, non aliam inducit Incarnationis necessitatem, nisi illam consequentem quae ex ipsa immutabilitate divina omnes comitatur Dei voluntates, etiam circa illa futuribilia de quibus Deus decrevit [2]. Ut autem ex hac Incarnationis praedestinatione necessitas alia sequeretur, induci deberent hypotheses aliae, quas superius ex ordine discussimus.

ARTICULUS III.

UTRUM, SI HOMO NON PECCASSET, DEUS INCARNATUS FUISSET.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Excellentia summa Incarnationis et perfectissimus Redemptionis modus per eam obtentus ecce iam suggerunt subtilius argumentum de praedestinationis ordine inter Incarnationem et Reparationem.

a) Si dicis hanc praecessisse, videris non satis attendere ad bonitatem intrinsecam Incarnationis ipsius, subordinare proin bonum maius bono minori; imo, aliquatenus saltem, ipsi peccato. Insuper non satis vales rationem reddere de typis Christi ante lapsum Adami in narratione sacra occurrentibus; neque ipsam gratiam primam Adami, minus adhuc gratiam Angelorum, a gratia Christi derivare. Tandem quomodo salvas ea loca utriusque Testamenti in quibus Christus

[1] Benedict. Cerei Paschalis.

[2] Ad futuribilia per transennam alludenti, liceat mihi conqueri de modo prorsus superficiali, quin et falso, quo plures critici, v. gr., in *Etudes religieuses,* doctrinam meam de futuribilibus exhibuerunt. Truncatam deridere sententiam, facilius negotium quam dignius. Longe aliter scriptor in ephem. Batavis *De Katholiek* (Nov. 1900), qui breviter medullam meae sententiae optime expressit; ad quem proin illos alios, ne litem agam, remitto.

ostenditur primum in praedestinatione locum tenere ?[1] Ita arguunt non pauci.

b) Si, e converso, tenes praedestinationem Incarnationis praecessisse, adhuc magis offendis in textum sacrum, qui pluribus in locis aperte declarat aut implicite supponit, Christum venisse ad reparandum genus nostrum; offendis in textum Symboli Nicaeni; et traditionem sane longe maiorem, ne dicam quasi unanimem SS. Patrum parvipendis. Ita alii sat multi.

Quid ergo? An forte utraque sententia componi poterit per quamdam sententiam mediam, vera utriusque in se continentem, excessus vero utriusque cohibentem? En quaestio ardua satis.

2) Quaedam praevia sint de controversiae historia.

Negari nequit, in primis saeculis prope unanimiter SS. Patres de Incarnatione locutos esse tanquam Redemptioni subordinata. Inter quos eminet S. Augustinus [2]. Vix in oppositum citatur aliquis locus Irenaei [3], Cyrilli Alex. [4] et Tertulliani [5].

Absolutam Incarnationis praedestinationem primus docuisse fertur Rupertus noster [6] et post ipsum Albertus M. [7], Alexander vero Halensis [8] id solum docuit, dempta scilicet Redemptione, adhuc Incarnationem maxime convenientem fuisse; S. Thomas et S. Bonaventura, licet traditioni adhaerentes, concesserunt nihilominus rationes Halensis. Primus apertus propugnator opinionis Ruperti fuit Scotus [9]. Fatendum tamen cum Scheeben [10], sententiam hanc non a Scoto in tota sua vi esse defensam. Plenius eam exposuit S. Franciscus Salesius [11] post S. Bernardinum Senensem et Suare-

[1] Prov. VIII, 23; I. Cor. II, 7; Rom. VIII, 28; etc.

[2] Vide congestam citationum molem apud Thomassinum, acrem huius sententiae propugnatorem. Op. cit. L. II, c. 6. sqq.

[3] L. III. c. 22. n. 3. - Sed contra est. L. V, c. 14. n. 1.

[4] *Thesaur. Ass.* 15, — *P. G.* LXXV, col. 289, sqq.

[5] *De resurr. carnis* c. 6.

[6] *De glor. et hon. Filii hom.*, I. XIII.

[7] In II. dist. 20.

[8] III. p. Q. 3, n. 13.

[9] In III. Dist. 2. et 19.

[10] Op. cit. l. V, § 267.

[11] *Traité de l'amour de Dieu* l. II, c. 4.

zium [1]. Recentius eamdem exposuerunt inter alios Faber, Gay, Bougaud, et maxime P. Franc. Risi in praelaudato opere, eruditione ac mole sane praecipuo. Communior tamen remansit opinio S. Bonaventurae et S. Thomae; quam de caetero quidam Thomistae [2] aliquantulum mitigarunt.

Ultra limites progressi, fautores optimismi moralem necessitatem Incarnationis absolute praedestinatae perperam induxerunt Raimundus Lullus, Malebranche, et recentius Rossi, cum aliis. Quos egregie confutat Legrand.

Inspecta tota historia controversiae, negari nequit, opinionem cui S. Thomas potius adversatur, maiore nunc gaudere probabilitate extrinseca, imo eam magis ac magis patronis atque asseclis ditari quam tempore Angelici.

3) Iam ad ipsam quaestionem accedamus, breviter exponendo per quamdam propositionum gradationem, quid nobis de ipso argumento videatur. Fusiorem tractationem huius controversiae remittimus ad appendicem huic volumini, si spatium sinat, adnectendam.

a) Indubitate tenendum est, in Sacra Scriptura ita missionem Christi passim exhiberi, ut Christus et Iesus inseparabiles appareant. Ideo Christus, quia Iesus; ideo Iesus, quia Christus. Ex quo parum probabile videtur non utramque ab ipso initio praedestinationis divinae fuisse coniunctam: Incarnationem et Redemptionem.

b) Non desunt aliunde Scripturae loca in quibus Christus ostenditur primogenitus, ante omnes praedestinatus, caput et centrum universi. Quod insinuare videtur, non satis praedicari, quando simpliciter dicitur, Incarnationem Redemptioni esse subordinatam.

c) Utraque igitur loca S. Scripturae plenissimam suam veritatem acquirent atque servabunt, si possit concipi aliqua simultaneitas utriusque praedestinati, a qua dein prioritas relate ad reliqua omnia effluat.

4) Porro in praedestinatione divina triplex momentum distinguendum occurrit: partium praedistributio, complexus totius, executionis intentio; quam sequitur executionis ordo.

[1] *De Inc.* t. 1. disp. 5.

[2] Uti *Salmantic.* III. p. q. 1. a. 3; Gonet (Disp. v.); Philipp. a S. Trin., et ultimis temporibus Schätzler. (*Menschw.* § 236, sq.) ac *Monsabré* (Conf. XXV).

Iam vero, sicuti ordo executionis tempore etiam, saltem quoad nos, differt ab ordine logico intentionis (v. gr., ordine intentionis Maternitas B. M. V. praecedit immaculatam eiusdem Conceptionem, dum ordine executionis eam sequitur); ita nihil obstat quin in executionis intentione praeferatur aliquid, quod sequitur in partium distributione. (Agi hic de mera praecedentia vel successione logica, vix monendum ducimus).

5) His positis, en quomodo existimamus ordinem divinae praedestinationis relate ad Incarnationem et Redemptionem concipi posse.

a) In *partium distributione* habentur: praevisio lapsus, reparatio, reparatio per Incarnationem.

b) *In complexu totius* habetur: oeconomia Incarnationis simul et Redemptionis, ac proin Deus-homo centrum totius generis humani; quae ratio centri extenditur in praedestinatione divina ad primam gratiam hominis, imo et ad gratiam Angelorum.

c) *In intentione executionis* habemus: Filium Dei simultanee Incarnationis et Redemptionis opus complentem; ipsi uti capiti Angelos et genus humanum subiecta; ab ipso exordio creationis terrestris ante culpam, typos Christi venturi, imo ipsam mulierem e latere viri in praevisionem mysterii Crucis eductam, etc., etc.

Quantopere autem haec interpretatio omnia utriusque classis loca Scripturae conciliet, ex dictis est manifestum.

6) Penitius iam scrutanti de ratione ipsius distributionis partium (*a*), respondemus: ideo Deum elegisse ordinem iustitiae per generationem transfundendae, ut totum genus per mediatorem ex genere reparari posset; ideoque Deum lapsum a primaevo ordine permisisse, ut per Deum ipsum Mediatorem repararetur.

7) Tandem si ratio quaeratur huius ultimi, respondemus, eam consistere in ipsa excellentia tum Incarnationis, qua perfectissime Creator iungitur creaturae et creatura in Creatorem redit; tum reparationis per Incarnationem, qua reparatione, ex una parte potentia et sanctitas Dei, ex altera parte eiusdem bonitas et misericordia sublimi concordia manifestantur. Imo haec utrimque excellentia talis est, ut

insuper ostendat, cur humanae naturae potius quam angelicae sese Deus hypostatica unione coniunxerit.

Nonne synthesi ita intellecta, servantur simul et quasi congeruntur omnia quae pro utraque sententia sive ex auctoritate sive ex intrinsecis rationibus militant? nonne ita vitantur utriusque sententiae incommoda? Iudicet peritior; nam hanc conciliationis viam inquirendo potius quam docendo descripsimus.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Ex obiectione prima habes quomodo, duce Augustino, auctoritates Patrum et ipsam Scripturam interpreteris. Non ideo negatur intrinseca excellentia Incarnationis, neque minuitur superabundantia reparationis per eam obtentae, quia lapsui generis humani subordinatur. Imo sapientia simul et potestas Dei egregie inde elucent, quod a malo occasionem tanti boni acceperit. Occasionem, aio, non causam. Nullius enim boni malum causa esse potest, quum sit non ens.

2. Obi. Est instantia, ac si diceres: atqui ista Incarnationis absoluta excellentia tanta est, ut eam peccato subordinari repugnet.

Solvitur distinctione inter exitum rerum a Deo et reditum ad ipsum. Exitus requirit virtutem infinitam ac proin illam satis manifestat; reditus autem ad perfectionem operis in se, non exigitur ultra facultates naturae.

3. Obi. Rursus instat hoc pacto. Esto Incarnationem extra ordinem historicum naturae lapsae non fuisse necessariam. Saltem magis conveniens fuit. - Resp. distinguendo. Quasi natura non lapsa habuerit capacitatem activam vel etiam passivam ad unionem in persona cum Deo: nego. - Quatenus habuerit capacitatem obedientialem: subdistinguo. Quae impleri debuisset: nego; quae impleri potuisset: iterum subdist.: ita ut nulla ratio assignari possit, cur non potius impleatur capacitas obedientialis naturae post lapsum, nego; ita ut ratio talis adsit, nempe maior manifestatio misericordiae, sapientiae, potentiae: concedo.

4. Obi. Quae supra diximus, satis ostendunt, fragile valde esse fundamentum huius obiectionis ex praedestinatione petitae. Supponit enim praescientiam esse logice praedestina-

tioni posteriorem; quod generali hac forma assertum, negandum est.

5. Obi. Observa sedulo, haec verba ab Adamo prolata exprimere quoad se sacramentum Christi et Ecclesiae, uti explicat Paulus; sed non necessario formaliter quoad ipsum eadem proferentem. Sufficit ea a Deo formaliter esse intenta. Cui typo unionis Christi cum Ecclesia adde typum ligni vitae, nec non modum quo Eva de Adamo formata est. - Sed dato, Adamum, cum haec verba proferebat, cognovisse futuram Incarnationem, nec tunc aliquid inde contra mentem S. Thomae sequeretur: quia aliud est cognoscere aliquid simpliciter, aliud cognoscere insuper causam eius. Huic obiectioni connectit S. Thomas alio loco [1] obiectionem ex S. Bernardo petitam. Dicit enim Doctor Mellifluus [2] diabolum ex invidia Adamum oppugnasse, quia sciebat ex ipsius stirpe Christum seu Filium Dei nasciturum. Sed rursus hoc scire potuit, quin causam futurae Incarnationis cognosceret: « sicut « etiam, ut ibidem Bernardus dicit, diabolus praevidit se « futurum principem malorum, quod per suum casum conse- « cutus est, et tamen suum casum non praevidit » [3].

Idem dic de opinione eorum qui probationem Angelorum in hoc constitisse putant, quod ipsis Deus futuram Filii sui nativitatem de Virgine, hominemque-Deum ipsis caput ostenderit. Quae omnia, si iam nihil probant in sententia simpliciter affirmante subordinationem Incarnationis ad lapsum humani generis, a fortiori nihil probant in opinione mitigata quam modo exposuimus.

Sed contra est. Audi ex aliis Patribus Latinis Leonem M. ita disserentem: « Si enim homo ad imaginem et similitu- « dinem Dei factus in suae honore naturae mansisset,... Crea- « tor mundi creatura non fieret; neque aut sempiternus tem- « poralitatem subiret, aut aequalis Deo Patri Filius Deus « formam servi et similitudinem carnis peccati assumeret » [4]. Et ex Graecis S. Athanasium: « Dominus non habuit causam « ut esset Verbum, nisi quod Patris esset germen et Sa-

[1] III. Sentent. Dist. I. q. 1. a. 3.

[2] Serm. I. Adventus.

[3] S. Th. l. c.

[4] Serm. 3, Pentec. — *P. L.*, t. LIV, col. 412.

« pientia ingenita. Quum tamen homo efficitur, tunc causa « substituitur, cur eum oporteat carnem gestare; necessitas « quippe indigentiaque hominum anterior est, quam illius « nativitas; qua sublata, carnem non induisset » [1].

Hunc sensum exhibet Symbolum Nicaenum: « Qui propter « nos homines et propter nostram salutem descendit de « caelis ».

Ad aeque perpendendam vim locorum Scripturae et traditionis in quibus ostenditur, Christum venisse ut aegrotos sanaret, perdita salvaret, etc., considera illa loca *a*) non esse per se exclusiva, *b*) loqui insuper secundum historiam oeconomiae praesentis, in qua de facto Christus venit ad genus humanum liberandum.

Per se nihilominus huiusmodi locutiones magis favere sententiae a S. Thoma praelatae, vix negari potest. Item dicendum videtur de modo quo S. Paulus Incarnationem describit, scilicet uti exinanitionem, idque non solum quatenus Deus-Homo usque ad mortem, mortem autem Crucis obedientiam praestitit Patri; sed quatenus « formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo » [2]. Iam vero si ipsam per se Incarnationem iam veluti exinanitionem exhibet, quam utique, parta victoria, secutus est triumphus cum inenarrabili gloria; insinuare nobis videtur Apostolus, eam ad ordinem Redemptionis ex toto pertinere. Sed neque hoc argumentum apodicticum esse, ex praedictis apparet; unde nonnisi eatenus illud afferimus, quatenus vim suasivam habet.

Porro Martyrologium solemnitatis Natalis Domini utitur formula quae utrique sententiae aeque inservit: « mundum « volens adventu suo piissimo consecrare ». Imo potius habet saporem quemdam Scotisticum.

In Corpore. Ratio fundamentalis cui superstruitur solutio quaesiti, sequentibus locis Scripturae corroboratur: « Quis « enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, « qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi

[1] Sermo III. ctr. Arium, iuxta citationem Card. Toleti (hoc loco), quae sensum reddit, non verba. Plures affirmationes huiusmodi in appendice afferemus; interim consule Card. Toletum et Petavium (op. cit. l. II, c. XVII. n. 7. sqq.).

[2] PHILIPP. II, 7.

« Spiritus Dei.... Nobis autem revelavit Deus per Spiritum « suum » [1]. Et alibi: « Quis enim hominum poterit scire consi- « lium Dei? Aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? » [2]. Et ipse S. Thomas alibi inchoat solutionem his verbis: « Huius « quaestionis veritatem solus ille scire potest, qui natus est et « oblatus est, quia voluit » [3]. Nec aliter S. Bonaventura. Exposita fusius utraque sententia, ita discussionem, earumdem aggreditur: « Quis autem horum modorum melior sit, novit « iste, qui pro nobis incarnatus est » [4].

Fatendum est, in commentario in libros Sent. S. Bonaventuram et ipsum S. Thomam mitius esse locutos de sententia Scoti, quam praesens articulus. Pergit enim Seraphicus: « Quis etiam horum alteri praeponendus sit, difficile est « videre, pro eo quod uterque modus catholicus est, et a « viris catholicis sustinetur ». Modus tamen hic ab Angelico propugnatus, ipsi videtur plus consonare « pietati fidei »; idque ob quatuor rationes quas in epilogo ita contrahit: « Quoniam ergo hic modus dicendi, etsi non videatur esse ita « subtilis, sicut praecedens, plus tamen consonat pietati fidei, « in hoc quod auctoritatibus sanctorum magis concordat, et « Deum magis honorificat, etiam Incarnationis mysterium « magis commendat, et affectum nostrum ardentius inflam- « mat: ideo concedendum est, ut praedictae auctoritates et « rationes ostendunt, quod praecipua ratio Incarnationis fuit « redemptio generis humani, quamvis multae aliae rationes « congruentiae huic rationi sint annexae ». Et ipse S. Thomas, « postquam exposuit sententiam Alberti quae et Scoti concludit: « Et hoc etiam probabiliter sustineri potest » [5]. Quare in *Summa Theologica* magis ab ea sententia recessisse videtur.

Sed et heic mitis est S. Thomas, imo mitior aequo, iuxta card. Toletum, qui, posita prima conclusione: « Non est error « nec temerarium dicere et sustinere, Deum fuisse incarnan- « dum, si Adam non peccasset », ita eam explicat: « Hanc con- « clusionem pono propter S. Thomam, qui talem opinionem

[1] I. Cor. II, 11, 10.
[2] Sap. IX, 13.
[3] III. Sent. Dist. I. Q. I. a. 3.
[4] Ibid. a. II. Q. 2.
[5] Loc. cit.

« dicit esse probabilem, et propter doctos viros, qui eam susti-
« nent; quamvis, verum ut fateor, non mihi tam probabilis
« appareat. Imo puto quod si doctores antiqui scholastici
« vidissent tot ac tantorum Sanctorum testimonia in con-
« trarium quae ego modo adducam, nullam ei probabilitatem
« concederent. Unde apud me, salva pace, nihil probabili-
« tatis, nihil veritatis, nihil ingenii continet » [1]. Nec dissentit Petavius, cuius et ista verba adducere placet. Allata probataque sententia S. Thomae, ait: « Quod eo sensu defendimus,
« uti nullam significationem nec ullum documentum capi
« dicamus, sive ex litteris sacris, sive ex aliis theologicorum
« decretorum regulis unde aliud affirmare prudenter liceat.
« Nam ignotis de rebus, et in occulta Dei potestate ac volun-
« tate latentibus, quae nullis indiciis proditae sunt, temere
« vaticinari, non est considerati hominis, nedum perfecti
« sapientis, qualem esse, studio saltem et conatu, Theologum
« oportet » [2]. Caeterum ipse Scotus nonnisi modeste sententiam suam induxit: « Sine praeiudicio dici potest, etc. » [3].

De obi. 1. 2. 3. iam satis dictum est supra.

Resp. ad 4m. Cave ne primam sententiam perperam intelligas. Sensus est: Praedestinatio praesupponit praescientiam futurorum, quae non sub ipsam praedestinationem cadunt. Secus esset circulatio. Ad cuius evidentiam adverte, duplicem esse ordinem: alterum naturae, alterum gratiae. Prior comprehendit conditionem rerum in propria natura, et defectum ab ea sive physicum sive moralem. Alter comprehendit tum gratias in ordine ad finem, tum ipsum finem supernaturalem. Ordo gratiae sub praedestinationem cadit; non autem, saltem per se, ordo naturae; sed per praescientiam supponitur praescitus. De hac praesuppositione praescientiae loquitur hic S. Doctor.

Corollarium. I. - Utraque sententia, sive S. Thomae, sive Scoti convenit in hoc [4], quod per Incarnationem-Redemp-

[1] Loc. cit. — In eodem sensu brevissime argumentum absolvit Scheeben (op. cit. t. II, p. 701.).

[2] Loc. cit. n. 7.

[3] Comm. Oxon. III. Sent. dist. VII, q. 3, n. 3.

[4] Utique praeter finem principalem et ultimum, gloriam Dei. Cf. Card. Toletum (hoc loco. Conclus. 3.).

tionem genus reparatum dignitatem longe excellentiorem habeat quam habuisset secluso lapsu et seclusa Incarnatione; et ordines ipsi angelici per Christum caput dignas stricto sensu laudes Deo offerunt, ad quas sine Christo, etsi gratia quam maxime sublimati, semper fuissent impares, utpote merae creaturae. Imo ipsa creatura materialis per Dei-Hominis corpus infinitam dignitatem acquisivit. Quam doctrinam profunde Paulus expressit, in epistola ad Ephes. I. 10, consilium Patris, Filium suum carne indutum in mundum mittentis, ita definiens: « instaurare omnia in Christo, quae « in caelis et quae in terra sunt, in ipso ». Ubi adverte vocem graecam ἀνακεφαλαιώσασθαι, quae non solum significat reparare, sed comprehendere in capite, reficere in melius ope dignioris capitis [1].

Corollarium II. - Modus quo S. Thomas et S. Bonaventura de hoc argumento discurrunt, tria nos monet magni momenti. *a*) Non a priori, iuxta philosophica placita et cum quadam audacia, sed a posteriori ac modesto sermone de hac quaestione cogitandum est atque loquendum. Et sane si tanti viri, qui tanto acumine rationes in utramque partem perscrutati sunt atque expresserunt, nihilominus ancipites manent ac verecunde concludunt, quis prudens audeat iudicium praecipitare aut nimis firmiter proferre? - *b*) Ultra scopum eunt argumenta quae non solum sententiam Alberti suadere, sed sententiam S. Thomae uti impossibilem et contradictione plenam, aut prorsus indignam Deo ostendere volunt. Praecipua ex huiusmodi argumentis in appendice tangemus. - *c*) Quum S. Thomas probabilitatem concedat argumentis a patronis sententiae Alberti M. prolatis, potest quis hanc sententiam propugnare, quin deserat S. Thomam; eo vel magis quod haec quaestio non ingreditur in id, quod vocari solet systema thomisticum.

Corollarium III. - Quum utraque sententia S. Thomae et Scoti probabilis sit, utpote magnis auctoritatibus sive intrin-

[1] Cf. de hoc argumento Scheeben (loc. cit.). Ex dictis in hoc articulo iuvat notare gradationem quatuor sequentium propositionum. 1) Filius factus est homo, ut salvaret genus humanum (S. Thom.). 2) Filius factus fuisset homo, etiamsi genus non esset lapsum (Scotus). 3) Filius non factus est homo, ut salvaret genus humanum (Abaelardus). 4) Filius factus homo non salvavit genus humanum (Theodorus Byzantinus).

secis sive extrinsecis fulta, suadendum est praedicatoribus ut nonnisi cum moderamine alterutram exponant aut vindicent. Si enim quae certa sunt, veritatis praeco cum omni certitudine docere tenetur; quae sunt dubia, uti certa tradere, non modo non debet, sed neque potest. Imo experientia docet, fideles passim magis ad compunctionem ac gratitudinem erga Deum moveri, si Incarnatio Filii Dei eis uti in ordine praedestinationis logice consequens peccatum exhibeatur [1]. Tunc enim ipsum donum ex toto opus est miserentis amoris, sive, uti ait Apostolus [2], nimiae charitatis: unde maiorem videntur acquirere virtutem verba ipsius Christi: « Si scires « donum Dei » [3]; in altera autem sententia nonnisi modus doni inde processit.

Corollarium IV. - Ex dictis in articulo secundo patet, quotquot tenent Deum homines condidisse ad complendam civitatem caelestem, per daemonum casum veluti mutilatam, hos quoque in praesenti quaestione sententiam amplecti quam S. Thomas praetulit. Quare tota argumentatio S. Anselmi supponit Verbum non fuisse incarnatum nisi homo reparari indiguisset.

Quaeres. - Admittamus veritatem sententiae Scoti et S. Francisci Salesii, quaenam fuisset haec conditio Verbi incarnati? - Certe alia fuisset quam prima conditio Christi mortalis atque patibulo devoti. At qualis concrete ac positive fuisset, quomodo in mundum ingressus esset, quis Altissimi consiliarium se satis existimet ut de talibus vaticinetur? Optime Petavius: « Cuiusmodi autem alterius conditio futura « esset, si non peccati labes intercessisset, non est divinare « nostrum. Itaque missam illam facimus; nec de incognitis « et incertis Dei consiliis ludicram ac temerariam sententiam « dicimus » [4].

[1] « Plus excitat devotionem animae fidelis quod Deus sit incarnatus ad delenda « scelera nostra, quam propter consummanda inchoata opera suâ ». Ita S. Bonaventura (loc. cit.).

[2] EPHES. II, 4.

[3] IOANN. IV, 10.

[4] Loc. cit. n. 12.

ARTICULUS IV.

UTRUM PRINCIPALIUS CHRISTI INCARNATIO FACTA FUERIT AD TOLLENDUM PECCATUM ORIGINALE QUAM ACTUALE.

I. **De ipsa Quaestione.** - Praeter eam excellentiam ordinis Incarnationis de qua in Coroll. I. praecedentis articuli, alia tangitur ab Apostolo in epistola ad Romanos: « Sed non sicut « delictum ita et donum; si enim unius delicto multi mortui « sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius « hominis Iesu Christi in plures abundavit. Et non sicut per « unum peccatum, ita et donum: nam iudicium quidem ex « uno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in « iustificationem » [1].

Ex quo loco habes, Christum non solum ad tollendum peccatum originale, sed etiam ad delenda peccata actualia Mediatorem agere. Unde iam quaeritur ad quodnam munus ex his duobus principalius venerit.

Factum utrumque ex Scripturae locis pluribus constat: Christum scilicet et originale et actuale peccatum sanguine suo delevisse. De ordine solum heic quaestio movetur.

2) Iam vero solutio pendebit ab ipso modo considerandi peccatum. Potest autem considerari peccatum *extensive* et *intensive*. Primum respicit genus quod afficit, alterum singulas animas. Unde, ubi quaeritur de intentione Reparatoris totius generis, magis attendenda est ratio, quae spectat ad ipsum genus universum. Proin prius intenditur peccatum originale, quod *extensive* maximum est.

3) Paululum aliter potest eadem ratio exhiberi. Ille influxus salutiferus est a Redemptore prius intentus, sine quo nemo salvatur. Atqui nemo salvatur nisi remissa originali culpa; multi vero salvantur, quin actuales culpae ipsis sint remissae. Ergo prius intenta fuit remissio culpae originalis.

4) Idem hoc modo urgetur. Id prius intenditur, sine quo Salvatoris titulus stare nequit. Atqui, sine remissione actualium peccatorum, sola remissione originalis culpae Salvator meritus esset hunc titulum, et non e converso. Ergo.

[1] C. v. 15, 16.

5) Sed hic forte quaeres: Fuissetne possibilis oeconomia remissionis actualium culparum, non remissa culpa originali? et e converso remissio originalis culpae, sine remissione actualium culparum, saltem mortalium?

Resp. *a*) In oeconomia peccatorum remissionis stricti nominis, hoc est, verae deletionis peccatorum ope sanctificantis gratiae intrinsece animam afficientis, prius impossibile esset. In alia oeconomia iustificationis imperfectae per meram non imputationem, qualem Lutherus fingebat, esset possibile. Sed tunc non esset remissio vera.

b) Alterum autem possibile est, etiam in historica oeconomia remissionis intrinsecae per gratiam. Imo, iuxta comparationem a S. Paulo institutam, aequalitas nihil amplius exposcebat a Christo quam ut peccatum originale remitteret. - Sed si ita egisset, congruum forsan fuisset, magis curare vulnera a peccato originali accepta. - Apparet nihilominus quod haec reparatio non valuisset pro auctoribus ruinae nostrae, quum peccatum originale nobis, ipsis fuerit actuale. In tali oeconomia satius esset exspectare ad recipiendum baptismum usque ad vitae finem. Nam tunc concomitanter, propter ipsam infusionem gratiae, peccata actualia remitterentur, quum ad hoc non defuisset per se satisfactio ex meritis Salvatoris. Sed haec longe distant ab oeconomia praesenti, in qua Christus infinita amplitudine ac misericordia nihil eorum quae curatione indigent, ab opere salvifico exclusit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit magnitudinem extensivam et intensivam.

2. Obi. Supponit falso *a*) peccatum deleri non posse, nisi sustinendo quidquid ei debetur. Quomodo autem Christus poenam damni passus esset? Aliquid tamen huiusmodi sustinuit, ubi exclamavit: « Deus meus, Deus meus, ut quid dere« liquisti me? » [1]. - *a*) Pariter erronee supponit, poenalitates huius mundi et ipsam mortem esse fructus illius solius peccati cui debetur poena sensus. Hoc autem tantopere falsum est, ut maxime propter peccatum originale haec mundum invaserint.

[1] Matth. xxvii, 46.

3. Obi. Id singulare habet peccatum originale, quod generis quidem est et sub hoc respectu commune; at nihilominus unumquemque personaliter afficit.

Sed contra est. Textus graecus cum articulo hunc sensum magis clarum reddit. « Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ ὁ αἴρων τὴν « ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ». Caeterum nonnisi originale peccatum rectissime vocatur *peccatum mundi,* quo scilicet totus mundus est damnatione dignus.

In Corpore. Haec argumentatio S. Thomae egregie corroboratur per modum ipsum quo S. Paulus procedit [1]. Primo opponit inter se Adamum per inobedientiam suam totum genus humanum perdentem, et Christum per suam obedientiam idem totum redimentem. Tunc superexaltat redemptionem: ex una parte influxus mortalis ab uno delicto procedit; ex alia parte influxus vitalis ad multa delicta purganda se extendit. Habes ergo ex ipso modo quo Paulus arguit, ordinem sequentem: 1) remissionem culpae originalis, 2) remissionem peccatorum actualium.

Corroboratur haec doctrina ex modo quo Sancti Patres et traditio theologica constanter de hoc argumento locuti sunt. Cf. epistolas Leonis M. ad clerum et plebem Constantinopolitanae urbis [2], et ad Palaestinos monachos [3]. - Idem manifestat tota controversia Pelagiana.

Resp. ad 2.m Adverte heic sedulo discrimen inter Christum et nos. Nos patimur dolores et mortem quia in peccato originali conceptos concupiscentiae fomes, etiam remisso peccato, vulnerat. Christus vero ab omni macula, non solum sicuti B. M. V. ex gratia, sed ex debito divinae personalitatis liber, omne malum physicum in se suscipere dignatus est, ut, assumpto nocentis debito, innocens Patri plenius pretium solveret.

Resp. ad 3.m Ita intellige S. Thomam hoc loco, ut a mente Pauli haec verba exclamantis, respectum ad personalia sua actualia peccata non excludas. Attamen semper verum est, influxum salvificum Salvatoris pro unoquoque a remissione peccati originalis incipere. Ordo proin inversus

[1] Rom. c. v.
[2] In corp. Concil. 22.
[3] Ibid. 81.

est inter opus damnationis seu corruptionis generis humani, et opus redemptionis seu instaurationis. Ab actuali enim Adae peccato, peccatum originale in omnes eius posteros transiit; ab originalis autem peccati remissione ad omnia alia, si dentur, peccata remissio se extendit.

Corollarium. Etsi Christus per prius venit ad delendum peccatum totius generis, non inde sequitur minorem ipsi deberi a singulis gratitudinem. Peccatum enim hoc generis ita singulos afficit totum, ut totum beneficium per Redemptionem collatum, sit veluti totius singulis datum. Hinc de originali quoque peccato in se per Christum deleto Apostolus ait. « Christus dilexit me et tradidit semetipsum pro « me » [1]. Recte igitur concludit Card. Toletus: « Quilibet debet « beneficium hoc reputare, ac si pro ipso solo factum esset; « nam tantam habet obligationem » [2].

II. MEMBRUM.

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS QUOAD TEMPUS.

ARTICULUS V.

UTRUM CONVENIENS FUERIT DEUM INCARNARI AB INITIO MUNDI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Iam de convenientia Incarnationis quoad tempus. Quae convenientia eo magis nos movere debet, quo altius de divina providentia et praedestinatione sentimus. Ex una enim parte Deus in sua aeternitate compenetrat gyrum saeculorum; ex altera vero non potuit non iuxta altissimae sapientiae consilia ordinare, quidquid ad praecellens Incarnationis opus spectat, tum ob dignitatem sese Incarnaturi, tum ob eminentiam assumendae naturae, tum ob finem per Incarnationem intentum.

[1] Galat. II, 20.
[2] Hoc loco.

2) Ut autem praecise locum determinare possemus, quem in temporum harmonia instans Incarnationis occupat, deberemus cognoscere secretum saeculorum usque ad mundi finem protrahendorum. Hoc enim agnito proportionem metiri possemus inter tempus quod ante Christum natum elapsum est, et id quod post Incarnationem evolvetur. Nihilominus non requiritur perfecta huius alterius stadii cognitio, ut aliqualiter saltem oeconomia divinae praedestinationis in Incarnationis tempore elucescat.

3) Porro si primo quaeritur, quare Incarnatio non facta fuerit ab initio temporis humani, haec quaestio aliter et aliter se praebet pro his qui in praecedenti articulo cum S. Thoma vel cum Scoto sentiunt.

Etenim pro illis unice explicandum est, cur Christus non venerit immediate post lapsum; pro istis insuper, imo maxime, est reddenda ratio, cur primus omnino homo non fuerit ille homo Deo personaliter unitus. Habent tamen quod respondeant: genus scilicet humanum, utpote generatione propagandum, indiguisse aliquo temporis spatio, antequam Homini-Deo decentem aulam sive curiam exhibere potuisset.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Adverte sedulo Incarnationem, etsi tempore dilatam, profuisse iam antecedenter non solum humano generi lapso, sed et ipsis ruinae nostrae auctoribus. Unde ratio charitatis, quoad partem cogentem, in oeconomia dilatae Incarnationis optime salvatur.

2. Obi. Adverte hanc obiectionem directe tangi in quarta responsione *Corporis*. Etenim si duratio mundi independens cogitetur a tempore Incarnationis, et si oeconomia minuendae fidei decursu saeculorum aeque valeat in utraque hypothesi, fatendum est, salvandorum numerum pari ratione postulare, ut Incarnatio habeatur in temporum plenitudine. Quod enim detrimento est in dilatione, compensatur per detrimentum quod foret ex immediata executione. Alterum subitur in temporum initio, alterum subiretur in temporum fine.

3. Obi. Axioma Boëthii intelligendum est de natura in se considerata, non de his quae excedunt omnem potentiam naturae (uti maxime est unio personalis cum Deo); imo neque stricte valet de his ad quae natura non habet nisi potentiam actu libero exercendam. Quare Adam condi potuisset sine

scientia infusa, secundum quam proinde scientiam sese habuisset in statu imperfecto, antequam in ipso ordine mere naturali ad statum perfectionis pervenisset.

Sed contra est. Vox prophetica « *plenitudo temporis* », qua utitur Apostolus, per se non affirmat nisi convenientiam consequentem praedestinationis decretum. Attamen, uti recte subiungit Angelicus, inspecta Sapientia a fine ad finem omnia harmonice disponente, haec convenientia consequens antecedenti convenientiae innititur.

In Corpore. Ab initio responsionis S. Thomas ostendit, se discurrere iuxta sententiam cui in art. 3°. subscripsit, quin tamen reiiciat, uti secundarias, rationes ab aliis in oppositum allatas. Hypothesim Incarnationis ante lapsum non tam facile removeri ab istis, iam supra ostendimus. Sit de singulis rationibus heic adductis verbulum.

Prima ratio valet utique de complexu historiae, non de singulis hominibus; quae animadversio etiam pro aliis facienda est. Agitur enim de distribuendis totius generis humani cursu atque salute.

Connexam affert S. Augustinus rationem, non quidem impotentiae moralis, sed graduationis paedagogicae, ob quam Lex debuit praecedere Evangelium: « Nec oportuit, ait, venire « divinitus Magistrum, cuius imitatione in mores optimos « formaretur, nisi tempore iuventutis (mundi scilicet). Ad hoc « valet quod Apostolus dicit: Sub lege tanquam sub paeda- « gogo parvulos custoditos, donec veniret cui servabatur, « qui per Prophetas promissus erat » [1].

Secunda ratio ab Angelico allata non directe fundatur in textu Pauli, quippe cuius scopus non est illud ostendere quod S. Thomas directe intendit. Valet tamen haec allegatio ad eius intentum corroborandum. Caeterum haec ratio tangetur directius in articulo sequenti, ubi ex eodem principio gradationis ab imperfecto ad perfectum, inconvenientia Incarnationis in fine temporum demonstrabitur.

Tertia ratio suggerit aliam ipsi propinquam. Oportuit enim ut expectaretur Redemptor et propheticis signis praemonstraretur, unde divina ipsius missio invincibili argumento divinae auctoritatis firmaretur.

[1] Lib., Qq. LXXXIII, q. 44.

Ita S. Leo Magnus tarditatem adventus Christi explicat: « ut hac salutiferi operis mora capaciores nos suae voca- « tionis efficeret, ut quod multis signis, multis vocibus, mul- « tisque mysteriis per tot fuerat saecula praenuntiatum, in his « diebus Evangelii non esset ambiguum: et nativitas, quae « omnia miracula, omnemque intelligentiae erat excessura « mensuram, tanto constantiorem in nobis gigneret fidem, « quanto praedicatio eius et antiquior praecessisset et recen- « tior » [1]. Haec sane ratio una ex praecipuis dicenda est. Suppeditat enim armamentarium inexhaustum et invictum ad veritatem religionis christianae tum Judaeis, tum Gentibus demonstrandam [2].

De *quarta* ratione iam diximus.

Vide in articulo sequenti schema utriusque articuli doctrinam complectens.

Resp. ad 1.m Conferenti inter se primum S. Augustini responsum cum retractatione, et perpendenti S. Th. nihil superaddere, apparet Angelicum concedere quidem quod de minori salvandorum numero obiicitur, sed negare consequens, quia numerus salvandorum a libera Dei misericordia pendet [3].

Resp. ad 2.m Complebitur haec resp. in *Corpore* articuli sequentis. Quare ad hoc remittimus.

Quaeres. - Quid censendum est de ratione ab Euthymio collecta: « Olim, ante mundi constitutionem praedestinata « fuerat Incarnatio Dei: verum usque ad Sanctissimam Ma- « riam, nondum Incarnatione digna inventa erat officina. « Quae simul atque est inventa, tum demum incarnatus est » [4]. - *Resp.* Haec ratio pia ac solida est, quatenus insinuat, non potuisse decenter incarnari Filium Dei, antequam digna ipsi Mater esset inventa. At deficit nimis, quatenus praetermittere videtur, nonnisi Deum ipsum dignam sibi Matrem efformare potuisse. Unde inventa quidem est Maria divino hospitio digna, at ideo inventa, quia ab hospitaturo in ea, imo ex ea nasci-

[1] Cf. Petavium (loc. cit. n. 6).

[2] Id breviter quidem, sed nervose ostendit S. Augustinus in ep. ad Volusianum n. 15, 16. — *P. L.* t. XXXIII, col. 518. sq.

[3] Cf. III. Sentent. Dist. 1. Q. 1. art. 4. ad 4.

[4] Ap. Petavium (loc. cit. n. 6).

turo, talis est effecta. Quod egregie docet Ecclesia in oratione quam adnectit antiphonae *Salve Regina:* « Omnipotens, sem- « piterne Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus « et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, « Spiritu Sancto cooperante praeparasti, etc. ». Inter has praeparationes aliae fuerunt ita praevenientes, ut nec B. Virgo aliquid eis de se contulerit, uti maxime elucet in eius Immaculata Conceptione; aliae vero huiusmodi, ut in Matrem electa per optimam eis voluntatem cooperata sit, quarum ultima est ipse consensus Angelo nuntianti praestitus: « Fiat mihi secun- « dum verbum tuum! ». Unde longe melius placet modus quo S. Basilius rationem Euthymii mitigat et quasi invertit [1].

Collige ex dictis in hoc articulo, quo sensu Ecclesia Christum uti vespertina mundi hora advenientem celebrat. « Vergente mundi vespere, etc. ». Venerat enim Christus instaurare in novam iuventutem, quae vitiis iam senescentia reperierat. Inde Augustinus sexta eum mundi aetate venisse dicit, ut hominem sexta die conditum reformaret. Et nihilominus alibi idem Augustinus ait, Christum non in pueritia sed in iuventute mundi advenisse. Nec putat haec duo sibi contradicere. « Potest enim, ait, intelligi utrumque in univer- « sitate hominum, quod non potest in aetatibus singulorum. « Sicut in corpore non potest esse simul et iuventus et sene- « ctus; in animo autem potest: illa, propter alacritatem; ista, « propter gravitatem » [2]. Adde, iuventutem intelligi cum respectu ad tempora post Christum; senectutem, cum respectu ad tempora ante Christum. Unde quantumcumque dilatanda sint saeculorum spatia usque ad finem mundi, semper verum manet, adventum Christi mundum senescentem in novam iuventutem instaurasse. Quae iuventus tanta iugiter ubertate gratiae a Christo derivantis alitur, ut vicissitudines temporis vincat. Christus enim est « Lucifer qui nescit occa- « sum » [3]. Et sacrum acturus sacerdos, sit novellus adolescentia tener, sit Pontifex veneranda canitie curvatus, aeque orat: « Introibo ad altare Dei, ad Deum qui laetificat iuven- « tutem meam ».

[1] Homil. de Nat. Chr. Ibidem.
[2] *Retract.* l. I. c. 26. P. L. XXXII, col. 626.
[3] Bened. Cerei Paschalis.

ARTICULUS VI.

UTRUM INCARNATIO DIFFERRI DEBUERIT USQUE AD FINEM MUNDI.

I. De ipsa Quaestione. - Quatuor dabantur possibilitates quoad tempus Incarnationis: 1) in initio ante lapsum; - 2) in initio post lapsum; - 3) in temporum fine; - 4) in medietate temporum. - Articulo 5.° exclusa sunt 1) et 2); praesenti 3) excluditur. Remanebit proinde 4).

Augetur autem difficultas praesentis quaesiti, quia, uti praemonuimus et optime advertit S. Thomas: « non omnium temporum proportiones cognoscimus » [1]. Possumus quidem scire Christum nec in initio nec in fine mundi advenisse; locum autem plus minusve medium, quem in saeculorum evolutione adventus eius teneat, nonnisi in temporis fine cognoscemus.

Iam vero, primo intuitu, rationes supra allatae ad excludendam Incarnationem in initio temporum, videntur urgeri posse in favorem sententiae 3). Quare inducendae sunt heic rationes, quae convenientiam ostendant ut post Christum supersint tempora sat diu sese explicantia.

2) Nec erit abs re notare modum quo S. Bonaventura hanc quaestionem ponit atque solvit [2]. Incipit his verbis solutionem: « Dicendum quod, sicut rationes ostendunt, et ipsa « divina operatio comprobat, magis congruum fuit, Filium Dei « incarnari *quasi in fine saeculorum, quam in principio* »: et affert rationes quatuor: severitatem, curationem morbi, ordinem universi, beneficium exspectatum; quin ullam proferat ad sententiam tertiam excludendam. - In commentario III. Sentent. S. Thomas mitius agens, ad ostendendam pulchritudinem ordinis a Deo instituti tres rationes affert: primam de punienda superbia, quae magis valet pro dilatione; alteram de gradatione, iuxta quam prius imperfectum esse debet, dein perfectum, quod imperfectum est genus humanum usquedum in plenam adolescentiam seu iuventutem evolvatur, - quae ratio valet pro dilatione usque ad aetatem mediam, iuxta

[1] III. Sent. Dist. 1, q. 1, a. 4.
[2] III. Sent. Dist. 1, a. 2, q. IV.

illud Habacuc: « *In medio annorum* notum facies » [1]. Tertia ratio inde petita quod distantia a principio debilitat effectum, rursus valet ad ostendendum, in temporum medietate convenientissime Redemptorem exspectatum advenisse.

II. Ad Textum. - *1. Obi.* Valet quidem ut ostendat, Redemptoris adventum debuisse per varias mundi aetates praeparari; non autem ut excludat spatium temporis inde a Redemptore nato protrahendum. Ubi adverte rursus, uti iam ex S. Augustino monuimus, haec duo optime conspirare, quod Christus in senectute simul et in iuventute mundi advenerit. In senectute, quia vetus homo, de terra terrenus, longa miseriarum serie exhaustus erat viribus; in iuventute, quia per Christum in novum hominem mutatus est homo vetus.

2. Obi. Urget secundum argumentum articuli praecedentis. Solvitur distinguendo in ipso adventu Christi perfectum relate ad illud quod praecedit, et imperfectum relate ad completionem operis salvifici in gloria.

3. Obi. Confundit duplex opus Christi: Redemptoris et Iudicis.

Sed contra est. Vindicationem huius loci prophetici vide apud exegetas. - Corroboratur praesens doctrina omnibus locis Scripturae in quibus utriusque Testamenti, et utriusque Adami harmonia ostenditur. Haec enim demonstrant convenientissime duplex fuisse temporum spatium a Deo ordinatum: alterum Messiae praeparatorium, alterum ipsius adventus quasi extensio. Eamdem veritatem expressam habes ipso titulo *lapidis angularis*, quem prophetiae et ipse Christus consecrarunt.

In Corpore. Perpende sedulo primum argumentum hic allatum. In Verbo incarnato consideranda sunt duo: 1) Summa unio possibilis inter hominem et Deum; et sub hoc respectu est opus perfectum, ad quod dispositive imperfectum per gradus disponebat, non quidem in ipsa natura assumpta, sed in genere humano.

2) Causa efficiens perfectionem humani generis; et sub hoc respectu, in opere per ipsam complendo, imperfectum debet praecedere perfectum, id est ordo salutis per gratiam praecedere debet ordinem consummationis per gloriam. Christus

[1] III, 2.

igitur, quum simul sit sub diverso respectu terminus perfectionis et principium eiusdem, venire debuit « in medio « annorum ».

Doctrinam de relatione perfecti et imperfecti ad invicem ita comprehende:

Perfectum
- 1) uti *terminus*, sequitur imperfectum
  - *a*) in eodem individuo,
  - *b*) aut saltem in genere;
- 2) uti *principium*, praecedit imperfectum:
  - *a*) Creator praec. creaturam,
  - *b*) generans praec. generatum,
  - *c*) Salvator salvandos
    - α) per gratiam,
    - β) per gloriam.

Parumper aliter S. Thomas alibi [1] tria distinguit: perfectionem naturae (quae ab initio fuit), gratiae (quae per Incarnationem fuit), et gloriae (quae in fine temporum erit).

Ratio heic secundo loco allata multum habet de ratione quam S. Doctor tertio loco in III. Sent. adducit [2].

Doctrina utriusque articuli hoc schemate continetur.

Incarnari Filium Dei decuit:
- I) non *initio ante* lapsum:
  - *a*) venit reparare lapsum,
  - *b*) saltem curia ipsum decuisset;
- II) non *initio post* lapsum:
  - *a*) homo non satis esset humiliatus,
  - *b*) perfectum ab imperfecto procedere debet,
  - *c*) dignitas venientis exigit moram,
  - *d*) fidei diminutio fieret in fine nimia,
  - *e*) deesset argumentum ex prophetiis;
- III) non in temporum *fine:*
  - *a*) perfectum debet praecedere imperfectum, a perfecto perficiendum, sola gloria in fine,
  - *b*) nihil amplius boni in humano genere fuisset;
- IV) sed in plenitudine *media* temporis:
  - *a*) perfectum in medio, uti terminus et principium,
  - *b*) in senectute simul et iuventute,
  - *c*) ita ut alii salventur per Christum venturum, alii per Christum natum.

[1] Loc. cit.
[2] Vide supra.

Collige ex dictis in utroque articulo, *a*) quam mirabilem discretionem Deus adhibuerit in conferendo dono Filii sui. Rectissime proin S. Thomas: « Amor discretioni coniunctus « non facit accelerare donum antequam expediat ei cui datur. « Non autem expediebat humano generi hoc donum accipere « antequam experimento disceret quantum eo indigebat, ut « sic acceptum carius haberet » [1].

b) Rursus collige quantopere ex hac oeconomia plenitudinis temporum in medio annorum appareat supra tempora Deus, quum homines in Christum Deum futurum, in Christum praesentem, in Christum, saltem visibiliter, praeteritum crediderint, credant et credituri sint, ut salutem consequantur.

c) Collige tandem quam discrete Ecclesia in hymno ad Matutinum Adventus cantet: « Qui natus orbi subvenis, « cursu declivi temporis ».

Quaeres. Quaenam proportio probabilius tenenda est inter tempora ante Christum elapsa et post Christum evolvenda? - Resp. Haec quaestio pertinet ad tractatum de *Novissimis;* unde ad hunc locum remittimus discussionem controversiarum quae cum ea sunt connexae. Interim unum monere liceat, imprudens nobis videri ut quis ex praeconcepto systemate hoc alterum spatium vatis modo dilatet, quemadmodum, intuitu maioris numeri salvandorum, Cl. Castelein in recenti opere: « *Le Rigorisme, le Nombre des Elus et la Doctrine « du Salut* » [2]. Sed de his loco suo.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

I. *Incarnatio,* utpote opus divinarum perfectionum, imprimis bonitatis, summe manifestativum, est intrinsece maxime conveniens (a. 1). Post lapsum humani generis, si tamen de stricta iustitia Deus id reparare voluerit, fuit Incarnatio simpliciter necessaria; insuper necessaria secundum quid, ut per eam homo lapsus efficaciter stimularetur ad bonum et retraheretur a malo (a. 2). - Etsi praeter reparationis opus adsint in Incarnatione maximae excellentiae et utilitates, tamen,

[1] Loc. cit.
[2] P. 288, sqq.

inspecta Scriptura', probabilius est eam praedestinatione Redemptionem non praecessisse (a. 3). - Incarnatus autem Redemptor prius venit delere peccatum originale, uti ad totum genus extensum, quam peccata actualia (a. 4).

II. *Tempus* autem Incarnationis tam sapienter Deus in medio annorum disposuit, ut simul, punita superbia per experientiam propriae indigentiae, servato ordine perfectionis, donum magis honoraretur, grato sensu haberetur atque prodesset; et humanum genus efficaciter per Christum ad finem conduceretur (a. 5, 6).

II. SECTIO.

DE MODO UNIONIS VERBI CUM NATURA HUMANA.

Q. II-XV.

Ordo Sectionis ex tabella huic parti praemissa constat. Iuvabit in conspectu huius schematis habere tabellam ordinis quem, de eodem argumento tractans, S. Thomas in quarto libro *Summae contra Gentes* sequitur.

S. Doctor gradatim refellit errores qui quoad constitutiva Christi in Ecclesia apparuerunt. Quum autem Christus constet triplici substantia: divinitate, anima et corpore [1], primo agit de erroribus quoad unamquamque earum; dein de erroribus quoad harum unionem in Christo. Inde oritur dispositio sequens:

- *A. De erroribus* **circa substantias** *quibus Christus constat:*
  - I) Circa *divinitatem:* Ebion, Cerinthus, Paulus Samosatenus, Photinus (c. 28.) — non admittunt nisi unionem excellentiae, hominis Christi cum Deo;
  - II) Circa *corpus:*
    1) *Manichaei* negant veritatem corporis (c. 29),
    2) *Valentinus* negat corpus terrenum (c. 30),
    3) *Apollinaris* contendit partem Verbi in substantiam carnis esse mutatam (c. 31).
  - III) Circa *animam:*
    1) *Arius* et Apollinaris contendunt Verbum supplere vices animae (c. 32),
    2) *Apollinaris* dein admittit solam animam sensitivam (c. 33),
    3) *Origenes* ponit animam ante mundum creatam (ibid.).
- *B. De erroribus* **circa unionem** *Verbi ad hominem:*
  1) *Theodorus Mopsuestenus* et *Nestorius* — negant unionem factam in persona (c. 34).
  2) *Eutyches* e contra ponit unionem in natura (c. 35).
  3) *Macharius Antiochenus* concedit duplicem naturam, sed negat duplicem voluntatem (c. 36).
  4) Horum sequaces negant corpus et animam Christi sibi uniri, sed solum uniri dicunt in Verbo; 3.a opinio de qua Magister. (c. 37).
  5) *Felicianus* concedit unionem in persona, negat in hypostasi; 1.a opinio Magistri (c. 38).

[1] Quousque haec tria in eadem linea poni possint, postea inquiremus.

Pergit dein S. Doctor exponens doctrinam catholicam quae asserit unionem in una persona vel hypostasi, servata plena ratione naturae assumptae et perfecta distinctione a natura divina.

De tribus Opinionibus Magistri.

Quum saepe in sequentibus recursus fiat ad tres famosas opiniones Magistri, sit sequens schema duplex in quo hae inter se conferuntur.

I. **Opinio** (falsa):	II. **Opinio** (catholica):	III. **Opinio** (falsa):
Assumpta hypost. hum.	*Assumpta humana nat.*	*Assumpta corpus et anima.*

1. Discrepant inter se:

a) Praedicatio *in quid*;	*a*) Praedicatio *in quid*;	*a*) Praedic. non *in quid*;
b) duo supposita;	*b*) unum suppositum (utrimque substantialiter);	*b*) unum suppositum (humanum accidentaliter);
c) humana natura non pertinet ad personalitatem divinae personae, nam substantificatur per se.	*c*) humana natura pertinet ad personalitatem Verbi;	*c*) humana natura non pertinet ad personalitatem Verbi, quum nullo modo substantificetur.
d) persona simplex.	*d*) persona simplex ante Incarn., composita post.	*d*) persona simplex.

2. Conveniunt omnes tres:

a) Ponunt unam personam, — contra Nestorium;
b) ponunt duas naturas [1], — contra Eutychen;
c) ponunt corpus et animam assumpta realiter, — contra Manichaeos, Arium, Apollinarem, Valentinum;
d) negant praeexistentiam temporalem in natura assumpta, } contra Origenem;

[1] Hoc non plene valet de sententia III, deficiente inter corpus et animam unione, qua formaliter natura perficitur; nec *a*) plene valet de sent. I.

I. MEMBRUM.

DE MODO UNIONIS QUOAD IPSAM UNIONEM.

QUAESTIO II.

Ordo Quaestionis. - Quaestio praesens in sese veluti in semine totum tractatum Incarnationis continet. Dividitur autem in duas partes. Prior, complectens novem articulos, considerat ipsam unionem in se (1-6) et in suis consequentibus immediatis (7-9). Altera unionem considerat relate ad gratiam (10-12).

Prior pars inquirit de formali ratione et vi unionis in Incarnatione factae. Quinque primi articuli gradatim quaestionem solvunt. Sextus aliquo modo illos comprehendit. — Tres sequentes potius solvunt quaestiones secundarias primario argumento adnexas.

In dispositione articulorum S. Doctor magis ordinem logicum quam historicum secutus est. Secus confutationem Nestorii confutationi Eutychetis praeposuisset [1].

Porro **factum dogmaticum,** quod toti huic tractatui supereminet, sequens est. Apparuit in terris homo virtutis atque sapientiae omnino singularis, qui idem unus simul se gessit ut Deus et ut homo. Ut Deus, sibi vindicans praeexistentiam immutabilem quae solius aeterni est: « Antequam « Abraham fieret, ego sum »; identitatem cum Deo: « Ego et « Pater unum sumus », « qui videt me videt et Patrem »; omnipotentiam Supremi Entis: « Pater operatur, et ego « operor »; excellentiam divinam: « Ego sum Via, Veritas et « Vita, Lux mundi »; cui sit credendum, ut quis salutem consequatur: « Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet »;

[1] Nisi tamen contendere velis, germina Monophysitismi prius in Ecclesia apparuisse quam Nestorianismi. Sed, etiam hoc concesso, certum videtur S. Thomam non de hac ratione, sed mere de ordine logico fuisse sollicitum.

qui peccata solo verbo dimittit « Remittuntur tibi peccata »; et peccata dimittendi facultatem aliis concedit: « Quorum « remiseritis peccata, remittuntur eis »; qui, mortuus potens est suam ipse revocare animam: « Potestatem habeo ponendi « et iterum sumendi eam »; qui demum nomine Dei remuneratur divinitatem suam confitentes: « Beatus es Simon « Bar Iona », etc.; ac portenta summa operatur ut fidem in suam divinitatem exigat: « Ut credant quia tu (Pater) me « (Filium) misisti », etc., etc. Iam vero idem Deus, Filius Patris, est homo verus, « Filius hominis », natus de Virgine, cibo nutritus, passibilis, mortalis, e sepulcro redivivus. Ex quibus omnibus sine praeiudicio acceptis eruitur, unum Iesum Christum esse simul verissime Deum et hominem, ita ut Iesus sit Filius Dei, et Verbum sit Filius Virginis; homo sit adorabilis, et Deus sit passibilis. Quae simul stare nequeunt, quin inter illa per se infinite distantia, divinum et humanum, existat maxime intima unio.

His rationali obsequio acceptis, quodnam est illud formale unionis? En quaestio praesenti discussione solvenda. In quo examine ita rationes rerum ad harmoniam cum sacris eloquiis sunt trahendae, ut neque per defectum eloquia ipsa minuantur, neque per excessum rationes rerum pervertantur. Veritas quippe et in hoc stabit in mirabili medio, iuxta verba Boëthii « Media haec est inter duas haereses via, sicut vir- « tutes quoque medium tenent. Omnis enim virtus in medio « rerum decore locata consistit, si quidem vel ultra, vel « infra, quam oportuerit, fiat, a virtute disceditur: medietatem « igitur virtus tenet » [1]. Et sane, uti observat ibidem Boëthius, non dari possunt nisi hypotheses quatuor: 1) una persona et una natura; 2) duae personae et duae naturae; 3) una persona et duae naturae; 4) duae personae et una natura. Quarta hypothesis tam stulta est ut nullum unquam assertorem habuerit. Prima rerum rationes pervertit; secunda facta et oracula superna imminuit; tertia simul rationes rerum et facta historica ac revelata componit. Prima depellitur in articulo primo; secunda in duobus sequentibus; tertia, seu catholica, deinceps, his exclusis, exponitur et elucidatur.

[1] *De duabus naturis.* c. 7. — *P. L.* t. LXIV. col. 1352.

ARTICULUS I.

UTRUM UNIO VERBI INCARNATI FACTA SIT IN NATURA.

I. **De ipsa Quaestione.** - Refellendi hic occurrunt illi qui per excessum peccaverunt, tollentes distinctiones naturarum, ut in ipsa natura formale unionis constituerent. Confutantur proin directe hic *Eutyches*, et omnes illi qui quovis modo naturae humanae rationem in Christo non aeque servaverunt. Sunt autem Monophysitae, Monothelitae et Ubiquisitae.

Quo melius autem indoles ac vis huius primi percipiantur, sint quaedam, at brevissima.

NOTULA HISTORICA

de Haeresi Eutychiana.

Monophysitarum haeresis non veluti fulgur subitaneum erupit. Habuit enim tum praecursores, tum provocatores.

a) Praecursores distinguendi sunt alii quoad rem, alii quoad formam. α) Quoad *rem* viam straverunt maxime *Apollinaris* et quotquot veram perfectamque in Christo naturam humanam denegarunt; de quibus infra sermo habebitur. - β) Quoad *formam* autem praeiudicio paraverunt illi qui, etsi optima fide, modo tamen vel excessivo, vel ambiguo locuti sunt. Huiusmodi expressiones quasdam in fine huius articuli tangemus. Et sane formula μία φύσις σεσαρκομένη, quae iam apud S. Athanasium et Iulium I. occurrit, poterat falsae interpretationi ansam praebere. Quin et ἕνωσις φυσική, quam in tertio anathematismo in Nestorium S. Cyrillus Alexandrinus praedicabat, potest in falsum sensum detorqueri. Quod et Eutyches fecit. - *b*) Provocatorem autem novae haereseos fuisse errorem oppositum Nestorii, iam diximus et mox fusius exponemus.

Eutyches, Archimandrita Constantinopolitanus, contra Nestorium vehementius exsurgens, asseruit in Christo non solum non duas esse personas, sed neque duas naturas. Sci-

licet fingebat sibi aliquam naturam unicam, per quamdam absorptionem a Λόγῳ; qua ex absorptione sequebatur, ipsum corpus Christi non fuisse nisi apparens. Unde, iuxta hoc doctrinae latus conveniebat Eutyches cum Doketis sive Phantasiastis, imprimis cum Apollinari. Damnatus primum in Synodo Constantinopolitana (ann. 448), curâ praecipuâ Domni Patriarchae Antiocheni, ad Sedem Apostolicam appellavit. Leo Magnus epistola sua dogmatica ad Flavianum lucide dogma exposuit, strenueque catholicam veritatem contra audaciam conciliabuli Ephesini (ann. 449) solemni oecumenico Concilio Chalcedonensi (ann. 451) definiendam curavit. Abhinc asseclae Eutychetis ad se contradistinguendos a *Dyophysitis*, nomen *Monophysitarum* assumpserunt. Quo nomine lucta protracta est, atque hodiedum superstes proles haereticae huius stirpis in Oriente vocatur [1]. - Patet ex tota hac controversia, Eutychen virum fuisse valde mediocris ingenii; inde difficile captu est, quid proprie intellexerit, affirmando Christum esse quidem hominem, sed non habere eamdem nobiscum naturam; aut in Christo duas fuisse naturas ante coniunctionem, at facta coniunctione, mere unam.

Inter Monophysitarum sectas, quae boletorum more pullularunt, praecipuae sunt: 1) *Acephali*, ita nuncupati ob reiectum caput Petrum Mongum; - 2) *Fulloniani* a Petro Fullone, episcopo Antiocheno, *Theopaschitae* quoque dicti, qui Trisagio « Sanctus Deus » etc., addebant: qui passus est pro nobis, miserere nobis [2]; - 3) *Severiani* a Severo, Episcopo Antiocheno, et *Corrupticulae* seu *Phartolatrae* dicti, quia corpus Christi post mortem corruptioni deditum asserebant; - 4) *Iulianistae*, a Iuliano Halicarnassensi, dicti *Incorrupticolae* seu *Aphthartodoketae* quia absolutam incorruptionem corporis Christi tenebant [3]; - 5) demum recentius inter

[1] Doctrina Monophysitarum per Aegyptum, Syriam, Palaestinam, Armeniam, Ætyopiam maxime propagata est, ibique adhuc vestigia tenet. De Monophysitis lege imprimis Petavium (*De Incarn.*, l. I, c. 13-16); Wiest (*Demonstr. Dogm.* t. IV, p. 503 sqq.). Hefele (*Kirchenlex*, Hergenr. - Kaulen. - *Monophys.* t. VIII, col. 1781, sqq.). — De praecursoribus Eutychetis lege Klee (*Dogmengesch.*, t. II, p. 40).

[2] De huiusmodi adiunctis consule Petavium (l. c., l. V, c. 2-4); Nat. Alexandrum (Diss. II, ad Hist. Eccl.), etc.

[3] Lege de his aliisque sectis Card. Hergenröther (*Handb. der Kirchengeschichte*, t. I, p. 353. sq.).

Protestantes *Kenotici,* qui urgent verba S. Pauli ad Philippenses et autumant, divinitatem in Incarnatione quamdam exinanitionem subiisse [1].

De aliis erroribus Monophysitismo affinibus, quorum breviter nexum in praenotamine indicavimus, sermo fiet opportuno loco fusior, i. e.: de praecursoribus Eutychetis in Quaestione V, ubi de modo unionis a parte partium humanae naturae; de negantibus unionem formalem inter animam et corpus, in art. quinto praesentis Quaestionis; de Monothelitis sive Monenergitis, in Quaestione XVIII, ubi de his quae pertinent ad unitatem Christi quantum ad voluntatem; de Ubiquistis in Quaestione XVII, ubi de ipsa unitate Christi.

Porro hoc interest inter confutationem erroris Eutychetis et Nestorii, quod haec argumentis auctoritatis, illa argumentis rationi institui debeat. Nestorium convellit ipsa unio stricti nominis quam in Christo adesse Scripturae testantur: est enim quaestio facti. Eutychen convellit insuper ratio intrinseca naturarum in Christo unitarum: est simul quaestio facti et possibilitatis.

Datur proin gradatio logica incipiendo a confutatione Eutychetis, licet tempore posterior fuerit, saltem in sua forma explicita, quam haeresis Nestorii.

Et re quidem vera, argumentatio contra Eutychen his verbis comprehendi potest. Ex Scripturis constat ex una parte Christum habere ea quae sunt utriusque naturae; ex altera parte Christum nihilominus esse unum. Atqui intrinsece repugnat has duas naturas uniri in unam; ergo vel non erit nisi unio apparens, vel haec unio in aliquo alio reponenda est quam in ipsis naturis; scilicet in persona. Uti apparet, peculiaris nervus argumentationis contra Eutychen est in ista minori. Quare S. Thomas totus in hoc est, ut impossibilitatem huius unionis in natura demonstret.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Observa S. Cyrillum acerrimum fuisse oppugnatorem Nestorii. Mirum proin non est, si fortissimis verbis unitatem Christi affirmaverit. Inde haeretici Nestoriani, post Ephesinum Concilium occasionem sumpse-

[1] Cf. Bach (*Dogmengeschichte des Mittelalters,* 1875, par. II, p. VI).

runt, ut Cyrillum Apollinaristam calumniarentur [1]. Quantopere autem haec ipsa Cyrilli sententia strictius aequo intellecta adhuc a positione Eutychetis distet, patebit inspecta formula sequenti ab ipso Eutychete Synodo Constantinopolitano oblata: « Ὁμολογῶ ἐκ δύο φύσεων γεγενῆσθαι τὸν Κύριον « ἡμῶν πρὸ τῆς ἑνώσεως· μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν μίαν φύσιν ὁμο- « λογῶ » [2].

2. Obi. Confundit unionem in natura cum unione in persona. Comparatio insuper non supponit secundum omnia paritatem. Vide dicenda inferius.

3. Obi. Possunt quidem expressiones huiusmodi, imo debent apud Patres antiquiores in favorem exponi. In rigore tamen verborum hodie non amplius adhiberentur a theologo prudente. Confer dicenda de modo praedicandi in Christo.

Sed contra est. Doctrina praesentis articuli abundantissime constat ex Scripturis, ex auctoritate Ecclesiae, ex traditione catholica.

A) Ex **Scripturis** heic congerendi essent textus in quibus ex una parte deitas, ex altera parte humanitas, ac demum unitas Christi comprobantur. Quum autem huiusmodi testimonia quoad haec tria inferius ex professo afferemus, ubi demonstrabimus realitatem naturae assumptae, cultum Christo debitum, et eius unitatem, liceat ad ista doctrinae puncta lectorem remittere.

Unam modo adducemus locutionem apprime dogmaticam Sancti Pauli. « Qui cum in *forma* Dei esset, non rapinam « arbitratus est, esse se aequalem Deo; - sed semetipsum exi- « nanivit, *formam* servi *accipiens,* in similitudinem hominum « factus, et habitu inventus *ut homo* ». Ex quo loco habes manifestissime in Christo duas naturas, id est formam Dei, et formam servi; habes Christum ab aeterno in forma Dei, *accipientem* formam servi, ac ita principium unum subsistens in utraque forma, ratione cuius ille unus et idem est vere Deus et vere *homo.*

[1] Quaestio movetur utrum verba hic a S. Thom. allegata vere Cyrilli sint. Concilium Chalcedonense adprobavit epistolam in qua prima pars sententiae dicebatur reperiri; sed dictum uti Eutyches illud intelligebat cum suis, reiecit; alteram partem concessit, sed explicuit in sensu catholico. - Cfr. Seraph. Capponi a Porrecta hoc loco, p. 15.

[2] Cf. Hard. II, 165.

Caeterum expressio « *Filius hominis* » in Scripturis tam frequens ad Christum designandum, imo quam ipse Christus ex amore nostri tam libenter de semetipso usurpabat, veritatem eius naturae humanae ex B. M. V. desumptae expresse indicat. Nec Eutychen modo vox « hominis », sed et Nestorium vox « Filius » confutat, uti loco suo ostendemus.

B) **Ecclesiae auctoritas** eamdem doctrinam contra Monophysitas expresse sancivit. Praecipua documenta sunt Symbolum Athanasianum, epistola dogmatica S. Leonis M. ad Flavianum, acta Concil. Chalcedonensis oecumenici IV, Concilii oecumen. V. (can. 4. 7. 8. etc.), Concilii Sirmiensis, Concilii Toletani I. VI. et XI; Hispalensis II, etc., etc.

1) Epistola *S. Leonis M.* ad Flavianum inter alia haec habet: « Qui verus est Deus, idem verus est homo, et nullum « est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt et humilitas « hominis, et altitudo deitatis. Sicut enim Deus non mutatur « miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim « utraque forma cum alterius communione quod proprium « est; Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exse- « quente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, « aliud succumbit iniuriis. Et sicut Verbum ab aequalitate « paternae gloriae non recedit, ita caro naturam nostri generis « non relinquit » [1].

2) Ad normam huius epistolae *Concilium Chalcedonense* ita statuit, - momentum doctrinae et auctoritas Synodi longiorem citationem non excusant modo, sed quasi extorquent. « Se- « quentes sanctos Patres, unum eumdemque confiteri Filium « et Dominum nostrum Iesum Christum consonanter omnes « docemus, eumdemque perfectum in deitate, et eumdem per- « fectum in humanitate, Deum vere et hominem vere, eum- « dem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri « secundum deitatem, consubstantialem nobis eumdem secun- « dum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato; « ante saecula quidem de Patre genitum secundum deitatem, « in novissimis diebus eumdem propter nos et propter salutem « nostram ex Maria Virgine Dei genitrice secundum huma- « nitatem; unum eumdemque Christum Filium Dominum

[1] Denzinger, ibid. n. 132, 133. — *Epist.* xxviii. — *P. L.* t. liv, col. 767.

« unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indi-
« vise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata natu-
« rarum differentia propter unitionem, magisque salva pro-
« prietate utriusque naturae, et in unam personam atque
« subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum
« atque divisum; sed unum et eumdem Filium unigenitum
« Deum Verbum Dominum Iesum Christum, etc. » [1].

3) Consonat, per partes quasi ad verbum, doctrina *Symboli Athanasiani:* « Est ergo fides recta, ut credamus et con-
« fiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei Filius,
« Deus et homo est. Deus est ex substantia Patris ante sae-
« cula genitus, et homo est ex substantia matris in saeculo
« natus; perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali
« et humana carne subsistens; aequalis Patri secundum divi-
« nitatem; minor Patre secundum humanitatem ». Hucusque habes duas perfectas Christi naturas. Nunc de earum in Christo unione: « Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen,
« sed unus est Christus ». Quomodo? « Unus autem non con-
« versione divinitatis in carnem, sed assumptione humani-
« tatis in Deum ». Quanam assumptione, Eutychiana? absit:
« Unus omnino, non confusione substantiae, sed unitate per-
« sonae » [2]. Quae sententia simul Eutychen et Nestorium convellit. Sequitur comparatio huius unionis cum unione in composito humano; quae comparatio in alio loco huius articuli discutetur.

4. Idem docet passim **Liturgia.** Ut ad solas Praefationes Missae necnon ad formulas de tempore Canoni inserendas sermo limitetur, in Epiphania Domini canitur: « Cum Unige-
« nitus in substantia nostrae mortalitatis apparuit, nova nos
« immortalitatis suae luce reparavit »; et in Canone dies extollitur, « quo Unigenitus tuus in tua tecum gloria coae-
« ternus, in veritate carnis nostrae visibiliter corporalis appa-
« ruit ». In Ascensione Domini, Patrem alloquens, Ecclesia celebrat diem « quo Dominus noster Unigenitus Filius tuus
« unitam sibi fragilitatis nostrae substantiam, in gloriae tuae
« dextera collocavit ».

C) Porro traditionem patristicam et theologicam contra

[1] DENZINGER (op. cit. n. 134.).
[2] Ibid. n. 137.

errorem Eutychetis exhibere, longius negotium est, quod melius, iuxta methodum nostram, ad Appendicem differetur.

In Corpore. Praemissa acceptione vocis *naturae,* S. Thomas argumentum solvit. Sensus naturae praefixus hoc schemate patet.

Natura dicitur:
- *a*) nativitas, seu generatio,
- *b*) principium generationis:
  - α) motus intrinseci princ.,
  - β) forma, vel materia;
- *c*) finis generationis.

In hoc ultimo sensu natura heic accipitur: *quod quid est.*

Ecce autem schema complectens totam discussionem circa uniones possibiles in natura.

Unio in natura potest esse triplicis speciei:

Modi possibiles.	*Exempla.*	*Cur in Christo repugnent.*
I) Ex pluribus *integris* manentibus:	*a*) acervus lap. (confusio),	*a*) unio accidentalis;
	b) domus (commensuratio);	*b*) unio secundum quid;
		c) opus artis.
II) Ex perfectis *transmutatis:*	mixtum chimicum;	*a*) mixtum inducit permutationem in componentibus;
		b) mixtum mutat speciem;
		c) non obtinetur quando unienda distant nimis.
III) Ex non transmutatis sed *imperfectis:*	anima et corpus;	*a*) utraque in Christo natura perfecta est;
		b) natura divina: α) nec pars quantitativa, β) nec forma;
		c) Christus simul homo et Deus.

Utiliter conferes argumentum praesens cum modo valde ingenioso et partim magis amplo quo S. Th. procedit in Commentario Lombardi [1].

[1] III. Sent. Dist. v, Q. 1, a. 2.



Vides in *Corpore* articuli *Summae* magis evolvi, licet aliquantulum aliter, secundam partem huius schematis. Prima enim (I, 1) minus directe solvit argumentum; fit enim ex hypothesi plus vel minus extra quaesitum. Tangitur tamen aliquid huius I. partis, nempe 2) *a*) in ratione II. *c*) argumenti *Corporis*. Hanc rationem, uti mox videbimus, egregie evolvit Boëthius in capite operis sui *De duabus naturis* contra Monophysitismum directo.

Resp. ad 1m. Controversiam de hac famosa formula S. Cyrilli Alexandrini « *naturam* divinam esse incarnatam » fuse tractabimus in art. 5, Q. XVI.

Resp. ad 2m. Placet exhibere modum quo praelaudatus auctor libri *de Confessione verae fidei* hanc comparationem describit, et in ea distinguit. « Nonnulli quidem coniunctio-« nem et copulationem ut animi cum corpore quum intel-« lexissent et excogitassent; sic eam exposuerunt et aptum « illi accommodatumque exemplum, etsi minus ex omni « parte, at certe ex aliqua, attulerunt. Ut enim unus homo

« est, sed in se duas dissimiles naturas continet, et alia « quidem cogitat, alia autem, quod cogitatum est, exsequi- « tur et perficit; ita Filius, qui unus est, et duplex natura, « alia quidem quae divina sunt, efficit; alia, quae humilia « abiectaque sunt, accipit. Hoc enim ipso, quod Deus est, « miracula edit; quod autem ex Virgine natus est et homo « est, mortem, crucem, similiaque sponte naturaliter pertulit. « Si quis hucusque ea, quae exempli sunt, accipiat, recte « habet similitudo, sin totum exemplum cum toto conferat, « dissimilitudo exsistet ». Quod sic ostendit: « Homo enim « etsi duas in se naturas declarat, non tamen duplex est « natura, sed ex duabus constat. Ut enim corpus conflatus « ex igne, aëre, aqua, terra, sed non iam corpus ignem « esse dixeris, nec quidquam aliorum; sic homo quamquam « ex animo et corpore constat, tamen ab iis, ex quibus con- « stat, diversus est. At Christus non ex divinitate et huma- « nitate perfectus est Christus, quum non alius sit, quam « duo haec, sed et Deus et homo utrumque sit ». Et con- cludit: « Quamobrem exemplum sumptum ex homine aliqua « ex parte approbandum est, quadam autem ex parte repu- « diandum ». In qua expositione utique doctrina est optima; terminologia autem imperfecta. Sumitur enim vox *natura* in duplici sensu: in sensu remoto, pro constituentibus natu- ram, et in sensu proximo pro ipsa natura. Et sane sententia: « Homo enim etsi duas in se naturas declarat, non « tamen duplex est natura, sed ex duabus constat ». Haec inquam sententia infelix est, tum quia sumit naturam in duplici significatione sat distincta; tum quia concedit hominem constare duplici natura, quod falsum sonat. Melius igitur defectus comparationis vitatur per modum quo S. Th. hoc loco suggerit; qui est ipsissimus modus quo Symbolum Atha- nasianum, uti ex sententia patet qua eam inducit, et S. Augu- stinus, in epistola ad Volusianum, eamdem adduxerunt.

Putamus ex rationibus expositis comparationem institu- tam inter unionem utriusque naturae in Christo, et corporis et animae in homine, ex una quidem parte iuvisse ad Ne- storii errorem confutandam, ex altera autem oppositum Monophysitarum conceptum in quorumdam, ac imprimis in ipsius Eutychetis mente, nutrivisse.

Resp. ad 3^m. De huiusmodi formulis sermo recurret in Q. XVI, in qua leges praedicandi de Incarnatione penitius investigantur. Unde lectorem ad hunc locum remittimus.

APPENDIX

de Traditione patristica ac theologica circa geminam in uno Christo Naturam.

Quo magis nitido ordine procedatur, prius selecta e variis stadiis testimonia depromemus, dein praecipuas difficultates moveri solitas diluemus.

I. - Ostenditur doctrinae concordia saecularis.

Longius nos sermo protraheret, si acervatim heic colligere vellemus quotquot de praesenti argumento apud Patres effata occurrunt. Vix liber integer scopo sufficeret. Satis sit praecipuas quasdam auctoritates adducere, easque tum ex aetate quae haeresim Eutychetis praecessit, tum ex ea quae huic errori subsecuta est.

A) Et quidem 1) de scriptoribus *Graecis*. Ecce tibi *a*) imprimis [1] sententia S. Ignatii Martyris: « Medicus unus est, « et carnalis et spiritualis, factus et non factus, in homine « existens Deus, in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo, « primum passibilis et tunc impassibilis, Iesus Christus Do- « minus noster » [2].

b) Apud *S. Iustinum* legitur doctrina catholica sequenti modo a Tryphone comprehensa: « Quod tu asseris, ante sae- « cula Deum esse Christum, ac deinde nasci factum hominem « voluisse, nec hominem esse ab homine propagatum; non « solum praeter fidem mihi videtur esse, sed etiam stultum » [3].

c) *S. Irenaeus* inter alia hoc habet: « Si enim non haberet « caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset; « et si non haberet sanguis iustorum inquiri, nequaquam san- « guinem habuisset Dominus » [4].

[1] Ex S. Clemente constat tum divinitas tum humanitas Christi, uti loco suo ostendemus; nullus autem textus contra Eutychen omnino syntheticus est.

[2] Ep. ad Ephes. n. 7. — *P. G.* t. v, col. 650.

[3] *Dial. c. Tryph.* n. 48. — *P. G.* t. vi, col. 580.

[4] *Ctr. haeres.*, l. v, c. 14. — Observa quam fortiter hic S. Doctor Dei Incarnationem operi salvifico, in sensu supra explicato, subordinet. — *P. G.* t. vii, col. 1161.

d) *Origenes* idem docet: « Respondeant mihi haeretici, « qui nativitatem illius ut phantasma excludunt, quare Chri- « stus Filius hominis appellatur. Ego affirmo filium hominis « ipsum fuisse. Nam qui passiones assumpsit humanas, necesse « est ante passiones susceperit nativitatem » [1].

e) Pressius *S. Athanasius:* « Qui Dominum nostrum Iesum « Christum non ex Deo et homine unum esse confitentur, « sicut scriptum est in Evangelio: qui fuit Adam, qui fuit « Dei; dicant nobis, quid de Deo illo sentiant qui in forma « Dei existens, servi formam accepit » [2].

f) Eleganti comparatione *Eusebius* Caesariensis utitur ut duplicem hunc respectum unius Christi illustret: « duobus « modis, ait, considerari Christum, et ex iis quae insunt ipsi, « alterum capiti esse simile, quatenus cogitatur Deus; alte- « rum, cum pedibus conferri, quatenus hominem, cuiusmodi « nos sumus, et similibus affectionibus praeditum, pro nostra « salute subiit » [3].

g) Rursus presse *S. Epiphanius*: « Verbum, ait, perfecte « hominem esse factum ». Ne autem haec perfectio videretur esse in detrimentum unitatis, sicuti Nestorius excogitavit, addit immediate: « cum autem perfectum dicimus, non duos « idcirco Christos asserimus, vel duos reges Dei Filios, sed « eundem Deum et eundem hominem » [4]. Et alibi unionem hypostaticam huius perfectae naturae humanae cum divinitate ita celebrat: « In caelum ascendit eodem cum corpore « et anima et mente omnibus illis in unam unitatem con- « iunctis, unamque spiritualem hypostasim, ac divinam illam « faciens in Patris dextera collocavit » [5].

h) Operationem autem qua Verbum Patris sibi humanam naturam univit, egregie exprimit *S. Basilius*: « Deus in carne, « non ex intervallo operans, ut in Prophetis: sed copulatam « sibi hominis naturam et unitam obtinens » [6]. Et ad verbum sententiae Paulinae dicit Iesum Christum: « qui in principio « erat apud Deum, et Deus erat, per nativitatem ex Vir-

[1] I. Homil. in Ezech. 4. — *P. G.* XIII, col. 672.
[2] *Lib.* II. *ctr. Apollin.*
[3] H. E., l. I, c. 1
[4] *Haeres.* 77. — *P. G.* t. XLII, col. 684.
[5] *De Incarn.*, l. I.
[6] Homil. in Sanct. Christi generationem. — *P. G.* t. XXXI, col. 1460.

« gine, formam accepisse servi, et habitu inventum ut homi-
« nem, omnia quae in ipsum et de ipso scripta erant, com-
« plesse » [1].

i) Brevissima formula hanc eamdem doctrinam complectitur *S. Gregorius Nazianzenus* in secundo carmine de Virginitate:

> « *Venit Deus et homo, naturas duas in unum colligens ;*
> « *Unam occultatam, aliam manifestam hominibus* ».

j) Et alter *Gregorius Nyssenus* contra Apollinarem agens, utrumque presse coniungit: Verbum scilicet veram habere humanam naturam, et tamen nihil de sua divina natura amisisse: « Nos salvam esse naturam humanam Verbo unitam, ex « mysterio ipso didicimus, et credimus ». En fidei catholicae professio: audi iam haereticae interpretationis aut potius corruptionis depulsionem: « Dei vero Filium carneum sepa-
« ratim et in seipso consideratum, neque didicimus, neque « consequentiae ullius necessitate cogimur intelligere » [2].

k) Eloquenter hanc genuinam in uno Christo naturam vindicat *S. Ephrem* Syrus: « Perfectam habet duplicem natu-
« ram, ne duas perdat ». Adverte quam breviter haec ultima verba medullam contineant illius argumenti quod fusius Boëthius et post eum omnes scholastici evolvunt. « Neque « enim in una sola natura Deus super terram est visus; neque « in altera sola homo in caelos ascendit: verum perfectus « ex perfecto, homo ex homine, Deus ex Deo, ex Virgine « Christus » [3].

l) Claudamus hanc enumerationem per optima verba quibus *S. Chrysostomus* non solum dogma affirmat, sed et absurdam impietatem blasphemiae Eutychianae depellit. Disserens quippe, occasionem nactus a Psalmo XLIV, de duplici natura Christi, haec habet sane aurea: « Neque enim carnem « de divinitate separat, neque divinitatem a carne: non quod « substantias confundat, absit! sed ut unitionem ostendat ». Et alibi commentans illud Ioannis: « Et Verbum caro factum « est », animadvertit: « Non ipsa substantia in carnem demu-

[1] *De Fide.* — *P. G.* t. XXXI, col. 685.
[2] *Ctr.. Apollin.* — *P. G.* t. XLV, col. 1276.
[3] Orat. de margar. pretiosa.

« tata est: hoc enim vel cogitare impium est; sed manens id « quod est, ita servi formam suscepit » [1].

Et haec de Graecis Patribus satis [2].

2) Iam ex *Latinis* nonnulla praecipua testimonia colligamus.

a) Notissimus est zelus quo *Tertullianus* veritatem naturae humanae Christi vindicavit; et quum aliunde apertissime constet, eum Christum coluisse et laudasse uti vere Dei Filium, ex hac duplici doctrina dogma praesens facile eruitur. Sed et utrumque simul eloquenter praedicat, v. gr., in sententia sequenti desumpta ex opere *de carne Christi*. « Aliter « non diceretur homo Christus, sine carne; nec hominis filius, « sine aliquo parente homine: sicut nec Deus, sine spiritu « Dei; nec Dei Filius, sine Deo Patre. Ita utriusque substan- « tiae census hominem et Deum exhibuit; hinc natum, inde « non natum; hinc carneum, inde spiritalem; hinc infirmum, « inde praefortem; hinc morientem, inde viventem. Quae « proprietas conditionum, divinae et humanae, aequa utique « naturae utriusque veritate dispuncta est, eadem fide, et spi- « ritus et carnis. Virtutes spiritum Dei, passiones carnem « hominis probaverunt » [3]. De S. Cypriano dicemus in altera parte huius appendicis.

b) *Novatianus*, qui, licet a veritate ex typo aberraverit, non minus profunde de pluribus dogmatibus scripsit, pluries praesentem doctrinam luculenter exposuit. Placet sequentes ex eo adducere sententias: « Si tantummodo ante « omnem creaturam est (Christus), homo in illo substractus « est. Si autem tantummodo homo est, divinitas quae ante « omnem creaturam est, interrupta est. Utrumque ergo in « Christo confoederatum est, et utrumque coniunctum est, et « utrumque connexum est ». Adverte expressiones optimas ad nexum quidem intimum designandum inter duo quae singula sunt et manent ab invicem distincta. « Et merito dum « est in eo aliquid quod superat creaturam, pignorata in illo « divinitatis et humilitatis videtur esse concordia. Propter

[1] Homil. 11, in Ioannem. — *P. G.* t. LIX, col. 79.

[2] Plura reperies apud Petavium (op. cit. l. III, c. 6).

[3] L. c. c. 5. — *P. L.* t. II, col. 807.

« quam causam, qui mediator Dei et hominum effectus expri-
« mitur, in se Deum et hominem sociasse reperitur » [1]. Et alibi: « Quoniam nec Dei tantum illum (Christum) filium esse « proponit (Scriptura), sed et hominis; nec hominis tantum « dicit, sed et Dei referre consuevit: ut dum ex utroque est, « utrumque sit; ne si alterum sit, alterum esse non possit ». Optimam sane sententiam.

c) *S. Hilarius* idem prorsus istis exprimit verbis: « Media-
« tor ipse in se ad salutem Ecclesiae constitutus, et illo ipso « inter Deum et homines mediatoris sacramento utrumque « unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis, naturae « utriusque res eadem est; ita tamen ut neutro careret in « utroque, ne forte Deus esse homo nascendo desineret, et « homo rursum Deus manendo non esset » [2].

d) Egregie prorsus *S. Ambrosius:* « Cum Deus semper « esset aeternus, Incarnationis sacramenta suscepit, non « divisus, sed unus: quia utrumque unus, et unus in utroque, « hoc est vel divinitate vel corpore. Non enim alter ex « Patre, alter ex Virgine; sed idem aliter ex Patre, aliter « ex Virgine. Generatio generationi non praeiudicat, nec « caro divinitati » [3].

e) Sed et *S. Hieronymi* elucet haec nitida sententia: « Dominus noster unus atque idem filius Dei, et filius « hominis, iuxta utramque naturam, divinitatis et carnis, « nunc magnitudinis suae, nunc humilitatis signa demon-
« strat » [4].

f) *S. Augustini* satis sit unam heic attulisse sententiam, qua, uti eleganter scribit Petavius, « haeresis utraque, Nesto-
« rii et Eutychis, velut securi quadam succisa perimitur ». Ex verbis S. Pauli ad Philippenses ita arguit: « Ergo quia « forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus, et utrum-
« que homo. Sed utrumque Deus propter accipientem Deum, « utrumque autem homo propter acceptum hominem. Neque « enim illa susceptione alterum eorum in alterum conversum, « atque mutatum est; nec divinitas quippe in creaturam

[1] *De Trin.* c. l. 6.
[2] *De Trin.* l. IX. n. 3. — *P. L.* t. X, col. 283.
[3] *De Incarn.*, c. 5.
[4] *In Matth.*, c. ult.

« mutata est, ut desisteret esse divinitas: nec creatura in « divinitatem, ut desisteret esse creatura » [1].

B) Quam his verbis sane aureis argumentationem S. Augustinus brevi sermone comprehendit, iam exorta controversia publica, *a) Boëthius* diserta fusaque analysi evolvit. Ob argumenti simul atque scriptoris momentum placet parumper eius doctrinae immorari.

In libro cui titulus *De Persona et duabus Naturis,* postquam disserendi occasionem descripsit, philosophus martyr notionem inquirit tum naturae (c. 1), tum personae (c. 2), ac differentiam exponit quae inter utramque tenenda est (c. 3); quo praemisso veluti praeambulo, ac subtilissime evoluto, primo confutat haeresim Nestorii, - quam confutationem loco suo adducemus (c. 4); dein Eutychen debellandum aggreditur (c. 5, 6). Quo facto concludit, Christum unum in utrisque et ex utrisque naturis consistere (c. 7); et contemplationem suam absolvit per quasdam considerationes circa statum vitae Christi (c. 8).

Ecce autem quomodo errorem Monophysitarum inducit: « Transeundum quippe est ad Eutychen, qui cum a veterum « orbitis esset evagatus, in contrarium cucurrit errorem: « asserens, tantum abesse ut in Christo gemina persona cre- « datur, ut ne naturam quidem in eo duplicem oporteat con- « fiteri; ita quippe esse assumptum hominem, ut ea sit adu- « natio facta cum Deo, ut natura humana non manserit ». Dein rectissime observat, - quod et nos ab exordio egimus, - eumdem esse utriusque erroris fontem, praeiudicium scilicet philosophicum de numerica aequalitate personarum ac naturarum: « Huius error ex eodem quo Nestorii fonte prolabi- « tur; nam sicut Nestorius arbitratur non posse esse natu- « ram duplicem, quin persona fieret duplex, atque ideo, cum « in Christo naturam duplicem confiteretur, duplicem cre- « didit esse personam; ita quoque Eutyches non putavit « naturam duplicem esse sine duplicatione personae; et cum « non confiteretur duplicem esse personam, arbitratus est « consequens esse ut una videretur esse natura. Itaque

[1] *De Trin.,* l. I, c. 7, n. 14. — *P. L.,* t. XLII, col. 829.

« Nestorius recte tenens duplicem in Christo esse naturam, « sacrilege confitetur duas esse personas; Eutyches vero « recte credens unam esse personam, impie credit unam « quoque esse naturam ». Dein cavillationem Eutychetis ita exponit atque dilemmatis ensem in ipsum educit: « Qui « convictus evidentia rerum, quandoquidem manifestum est, « aliam naturam esse hominis, aliam Dei, ait duas se con- « fiteri in Christo naturas ante adunationem, unam vero « post adunationem. Quae sententia non aperte quod vult, « eloquitur. Ut tamen eius dementiam perscrutemur, adu- « natio haec aut tempore generationis facta est, aut tempore « resurrectionis ». Et reiecta priori parte dilemmatis, - quod facili negotio obtinetur, - transit ad alteram partem, idque ope novi dilemmatis hoc pacto: « Quod si hanc adunationem « non putat generatione, sed resurrectione factam, rursus « id duobus fieri arbitrabitur modis: aut enim genito Christo « et non assumente de Maria corpus, aut assumpta ab eadem « carne, usque dum resurgeret, duas quidem fuisse naturas, « post resurrectionem unam factam ». Priorem partem dilemmatis rursus multipliciter reiicit; inter alias rationes quia talis incarnatio, qualiscumque fingi possit, scopo careret. « Ad quam vero utilitatem facta procreabitur tanta humilitas « divinitatis, si homo, qui periit, generatione ac passione « Christi salvatus non est, quoniam negatur assumptus? « Rursus igitur, sicut ab eodem Nestorii fonte Eutychis « error principium sumpsit, ita ad eumdem finem relabitur, « ut secundum Eutychen quoque non sit salvatum genus « humanum; quoniam non is qui aeger esset, et salvatione « curaque egeret, assumptus est » [1].

Iam ad alteram partem secundi dilemmatis: « Si vero « assumptum est ex Maria neque permansit perfecta humana « divinaque natura, id tribus effici potuit modis: aut enim « divinitas in humanitatem translata est, aut humanitas in « divinitatem, aut utraeque in se ita temperatae sunt atque « commixtae, ut neutra substantia propriam formam teneret ». Distributio est adaequata. Iam ad singularum hypotheseon confutationem.

[1] C. 5. — *P. L.*, t. LXIV, col. 1347, sq. — Hic rursus supponitur Incarnatio-Redemptio qualem supra vindicare conati sumus.

a) Reiicitur *prima hypothesis,* idque brevius, quum apertam absurditatem sonet: « Sed si divinitas in humanitatem « translata est, factum est, - quod credi nefas est, - ut in « humanitatem, non immutabili substantia permanente, divi- « nitas verteretur; et quod passibile atque mutabile natura- « liter existeret, id immutabile permaneret: quod vero immu- « tabile atque impassibile naturaliter creditur, id in rem « mutabilem verteretur. Hoc igitur fieri nulla ratione con- « tingit » [1].

b) Ad *secundam hypothesim:* « Sed humana forsitan « natura in deitatem videatur esse conversa ». Depellitur autem facile, posita assumptione verae humanae naturae: « Hoc vero qui fieri potest, si divinitas in generatione Christi « et humanam animam suscepit et corpus? » Unde impossibilitas ostenditur per partes; et primo quoad *corpus.*

α) « Non enim omnis res in rem omnem verti ac transmu- « tari potest: nam cum substantiarum aliae sint corporeae, « aliae incorporeae, neque corporea in incorpoream, neque « incorporea in eam quae corpus est, mutari potest ». Applicatio patet. Quin et Boëthius ultra necessitatem praesentis argumenti principium urget.

« Nec vero incorporea in se invicem formas proprias « mutant; sola enim mutari transformarique in se possunt, « quae habent unius materiae commune subiectum; neque « haec omnia, sed ea quae in se et facere et pati possunt ». Et adductis exemplis fuse id per experientiam probat. Et concludit: « Non igitur fieri potest ut corpus in incorporalem « speciem permutetur ».

β) Eamdem repugnantiam a parte *animae* dari, ita Boëthius ostendit: « Nec vero fieri potest ut incorporalia in sese « commistione aliqua permutentur. Quorum enim communis « nulla materia est, nec in se verti ac permutari queunt. « Nulla autem est incorporalibus materia rebus, non pote- « runt in se igitur invicem permutari. Sed anima et Deus « incorporeae substantiae recte creduntur: non est igitur « humana anima in divinitatem, a qua assumpta est, per- « mutata ». Et conclusio totius argumentationis sonat: « Quod

[1] Ibid. cap. VI., col. 1349.

« si neque corpus, neque anima in divinitatem potuit verti, « nullo modo fieri potuit, ut humanitas converteretur in « Deum ».

c) Restat *hypothesis tertia,* quae facile expeditur: « Multo « minus vero credi potest, ut utraque in sese confunderentur, « quoniam neque incorporalitas transire ad corpus potest, « neque rursus e converso corpus ad incorporalitatem: « quandoquidem nulla his materia subiecta communis est, « quae alterutris substantiarum qualitatibus permutetur ».

Reiecta dein Monophysitarum distinctione inter consistere *ex* utrisque naturis Christum, - quod concedebant, - et *in* utrisque naturis, - quod recusabant [1], - concludit Boëthius: « Restat ut, quemadmodum catholica fides dicat, et « in utrisque naturis et ex utrisque consistere doceamus » [2].

2) Audito Boëthio, iam unum alterumve e coaevis eius auscultemus: « Nullatenus dubites, ait *S. Fulgentius,* Dei « Verbi, quod caro factum est, duas naturas inconfusibiliter... « permanere: unam veram divinam, quam habet cum Patre « communem, secundum quam dicit: " Ego et Pater unum « sumus "; ..... alteram veram humanam, secundum quam « ipse Deus incarnatus dicit: " Pater maior me est " » [3]. — Et *Ferrandus* diaconus, paucis totam veluti Boëthii argumentationem complectens, ait: « Si quis iterum unam Christi « dicit esse naturam; et quamvis eum *ex* duabus negare « non audeat, *in* duabus tamen substantiis confiteri veretur, « aut dubitat; hic aut unius naturae abolitionem, aut utra- « rumque adseverat confusionem. Nisi enim de duabus unam « simul abstulerit, aut utrasque confuderit, unam quomodo « praedicet, non habebit » [4].

3) Ex epocha transitionis ecce *B. Alcuinum:* « Certum « namque est, ait contra Felicem Urgellitanum disputans, « Dominum Iesum Christum, secundum catholicam fidem et « praeconia Scripturarum, duas habere nativitates: unam de « Patre sine tempore, alteram de matre sine virili coniunc- « tione; et harum duarum nativitatum proprias habere natu-

[1] Quo sensu haec distinctio intelligenda sit, mox dicemus.
[2] Ibid., col. 1349 sqq.
[3] *De fid. ad Petrum,* c. 16. — *P. L.* c. XL, col. 772.
[4] Epist. ad Sev. — *P. L.* t. LXVII, col. 913.

« ras: Dei scilicet, qua de Patre natus; et hominis, quae est « de matre primogenitus: unus idemque Deus, unus idemque « homo; unus idemque Filius Iesus Christus. Gemina enim « nativitas geminam uni Christo dedit naturam. Qui Deus « est de Patre, idem Deus homo est de matre » [1]. Quae profunda sententia penitius scrutanda erit, ubi de Adoptianismo agendum.

Et haec sufficiant ad traditionem catholicam de gemina in uno Christo natura contra Eutychen exhibendam. De doctrina S. Anselmi et S. Bonaventurae dicemus in secunda appendice articulo sequenti adnexa.

Quaeres. - Quid interest inter *ex utraque* et *in utraque* natura? *Resp.:* Particula *ex* significat terminum a quo unionis; particula *in* statum in unione. Unde potest quis negare τὸ *in* et concedere τὸ *ex*. Imo ubicumque mixtum verum ex pluribus obtinetur, τὸ *ex* affirmandum est, et τὸ *in,* saltem explicitum, negandum. Ita procedebant Eutychiani, concedentes quidem τὸ *ex utraque,* negantes τὸ *in utraque.* Catholici autem ambas formulas praedicabant, uti ex Conciliis et ex Boëthio audivimus. At particulam geminam non ita intelligebant, ac si realis aliqua distinctio esset inter utramque; sed mere logica, sicuti Incarnatio potest concipi in fieri (cui conceptui respondet τὸ *ex*) et in statu permanente (cui respondet τὸ *in*); prius vidimus melius dici unitionem, alterum vero unitatem [2].

II. - Explicantur quidam modi loquendi Patrum, qui Eutychianis favere videntur.

Praeter famosam formulam: «divina natura est incarnata », de qua infra sermo recurret, huc faciunt omnes locutiones in quibus minus caute connubium utriusque in Christo naturae ad modum alicuius permixtionis exhibetur. Etenim, uti eruditus monet Petavius, « non haereticus tantum Apollina-

[1] Lib. I. — *P. L.* t. CI, col. 135.

[2] Cf. Boëthium (loc. cit.) — Evidenter pro viro Ariano aut Doketa utraque pars formulae neganda, et pro viro Apollinarista utraque partialiter tantum concedenda est. Pro eo autem qui teneret successionem temporis inter Iesu conceptionem et unionem hypostaticam, utraque esset concedenda, non solum cum distinctione logica, sed et reali.

« ris, sed etiam plures alii arctissimam in Christo naturarum « coniunctionem μίξεως et κράσεως, hoc est, *mistionis* et *tem-* « *perationis* vocibus expresserunt » [1]. Ita, ut ex pluribus locis quos afferre solent [2], saltem aliquos principaliores adducam, Tertullianus dicit: « hominem Deo *mixtum* » [3]. Cyprianus ait: « Deus cum homine *miscetur* » [4], et « Homo « et Deus Christus, ex utroque genere concretus » [5]. S. Gregorius Nazianzenus in praelaudato carmine, affirmatis in Christo duabus naturis, pergit: « Quarum illa Deus erat, « haec autem postremo nobis formata est, - tunc cum in « visceribus *mistus* est Deus humanis » [6]. Ipseque Augustinus, quem modo audivimus tam nitide duas naturas in Christo distinguentem, in celebri epistola ad Volusianum haec habet: « Sicut in unitate personae anima unitur corpori, ut homo « sit; ita in unitate personae Deus unitur homini, ut Chri- « stus sit [7]. In illa ergo persona mixtura est animae et cor- « poris; in hac persona *mixtura* est Dei et hominis ». At verba quae immediate sequuntur, mentem penitius aperiunt, non solum ipsius Augustini, sed et omnium catholicorum Patrum, qui huiusmodi vocabulis usi sunt: « Si tamen rece- « dat auditor a consuetudine corporum, qua solent duo liquo- « res ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam ». Et suggerit in ipsa natura exemplum, quod parumper ad explicandum mysterium accedit: « Quamquam et in ipsis « corporibus aëri lux incorrupta misceatur » [8].

Scilicet omnes huiusmodi locutiones huc tendunt, ut arctissimum inter duas distinctas naturas nexum exprimant, nullatenus autem ut illas confundant. Quod aliunde ex eorumdem Patrum scriptis, imo interdum ex eadem sententia, - ut in citato exemplo S. Augustini, - manifeste elucet. Et sane vox *mixtura* potest aliter et aliter intelligi: vel stricto sensu,

[1] Op. cit., l. III, c. 2, n. 14.

[2] Cf. THOMASSINUM, *Incarn.*, l. III, c. 4, nn. 10 et 11; necnon integrum, c. 5.

[3] *De carn. Christ.*, c. 15. — Cf. *Apol.*, c. 21. *P. L.* t. I, col. 457.

[4] *De idol. van.*, — *P. L.* t. IV, col. 599.

[5] *Test. adv. Iud.*, l. 10.

[6] *In laude virginit.* — Cf. Orat. 42 de Pasch. et Carm. de vita sua.

[7] Mirare, quam clare S. Augustinus sensum huius comparationis determinet. Qui sensus ipsissimus est quem S. Thomas distinguit.

[8] Epist. CXXXVII. n. 11. — *P. L.*, t. XXXIII, col. 520.

cum adsignificatione reductionis ipsorum componentium in unum commune, et hoc sensu Monophysitarum errorem sapit; vel minus stricto, ad exprimendum vinculum plura distincta in unum colligans, et hoc sensu excludit quidem Nestorianismum, quin tamen in Eutychetis excessum abeat Verbo, omnes huiusmodi locutiones ab orthodoxo scriptore ante exortam controversiam adhibitae, sunt veluti expositio S. Ioannis: « Et Verbum caro factum est », qua Eutychiani, sicut et de similibus, abuti solebant [1].

Nec prae oculis dimittendum est, voces existentes passim a Patribus adhibendas fuisse ad conceptum omnino singularem exprimendum; sicuti afferendae erant ex rerum natura comparationes, quarum tamen nulla ex toto exemplar illustrare poterat.

Fatendum tamen inter illas voces alias esse magis felices aliis; nisi istae, uti audivimus ab Augustino, corrigantur. Praeferenda igitur mixturae vox *unitio*, ἕνωσις, qua Patres Graeci iam ante Nestorium [2] utebantur, at maxime contra ipsos Nestorianos, utpote qui ab ea voce multum abhorrebant; Latinis quoque haec appellatio sane optima familiaris fuit. Audi S. Fulgentium: « Nullatenus humana natura ad aufe-« rendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, « nisi unione Verbi Dei, non naturali confusione, sed solum « personali unitate transiret. Verbum quippe cum caro fieret, « unitione mirabili suam naturam fecit, quam ex nobis acce-« pit. In qua tamen unitione deifica et omnino mirabili Verbi « Dei, divinitas mutata non est in carnem » [3]. Et brevissime S. Leo M. vocat Incarnationem « unitionem divinae huma-« naeque naturae » [4].

Porro in laudatis verbis S. Fulgentii animadverte triplex vocabulum: *unionem*, *unitatem*, *unitionem*. Quorum distinctio potest, ad normam eorum quae in initio agentes de voce Incarnationis diximus, sequenti sane optima synthesi explicari. Si in Verbo-homine considero operationem mirabilem qua humana natura divinitati est coniuncta, melius

[1] Cf. de hoc argumento LEGRAND. Op. cit. MIGNE, *Curs. theol.*, t. IX, p. 489, sq.
[2] Theodoretus Irenaeum hac iam voce usum citat. l. III, c. 20.
[3] In *Ephes. Syn.*
[4] Serm. 28. In Nativ. Dom. 8. — *P. L.* t. LIV. col. 225.

dico *unitionem;* si considero statum per eam inductum, rectius praedico *unionem;* si demum attentius perpendo principium quo haec coniunctio perficitur ac permanet, satius dico *unitatem,* scilicet personae. Quare tria simul brevissime contrahi possunt dicendo: unitio efficit unionem in unitate.

Et haec de isto argumento sufficiant. Qui plura quaerit adeat, v. gr., Petavium, apud quem alias vicinas appellationes a Patribus usurpatas reperiet [1]; necnon theologos historicos, qui, uti Bach, Klee, Ehrhard, etc., evolutionem terminologiae in dogmatum expositione ex professo investigant atque illustrant.

ARTICULUS II.

UTRUM UNIO VERBI FACTA SIT IN PERSONA.

I. **De ipsa Quaestione.** - Ex praecedenti articulo habemus unionem Dei-hominis, etsi maxime intimam, esse non posse in ipsa natura, neque in sensu absorptionis, neque in sensu mistionis. Oportet ergo aliam formalem rationem unionis invenire. Haec autem erit vel aliquid intrinsecum personae, vel extrinsecum. Medium non datur. Si extrinsecum, quantumcumque de caetero arctum cogitetur, duplex erit persona simpliciter, et una dumtaxat secundum quid. Si intrinsecum, non poterit esse nisi ipsissima ratio personalitatis, quum persona sit formaliter quid indivisibile.

Articulus praesens est contra omnes illos, qui, nolentes agnoscere unionem factam intrinsece in persona, duplicem personam vel hypostasim in Christo confiteri coguntur. Et sunt praesertim *Nestoriani.* Sint igitur praevia quaedam, sed brevis

NOTA HISTORICA

de Haeresi Nestoriana.

Parentem proximum haec haeresis habuisse videtur *Theodorum Mopsuestenum* [2], iuxta quem, inter duas Christi natu-

[1] Op. cit., l. III, c. 2.

[2] Fragmenta scriptorum ipsius vide apud HARDUIN, (Act. Conc. III, 72 sq.) MANSI (IX, 231 sq.).

ras non datur nisi unio externa (συνάφεια, ἕνωσις σχετική). Idem docuit Diodorus Tarsensis, necnon monachus quidam Gallus, Leporius nomine, quem ad veritatem catholicam reduxit Augustinus; simile quid etiam Severus Antiochenus.

Caeterum, quum terminologia circa Incarnationis mysterium nondum esset usu nitido praxique firmata [1], sicuti magis in Monophysitismum videbantur proni qui mixtionis vel compositionis vocabulo utebantur, ita Nestorianum excessum saltem materialiter fovebant ex opposito, qui assumptam humanam naturam uti *indumentum* divinitatis exhibebant [2]. Inter hos eminebat schola Antiochena [3].

I. *Nestorius,* natione Syrus, Theodori Antiochiae auditor, anno 418. a monacho presbytero Constantinopolitanus Patriarcha ob eloquentiae famam [4] renuntiatus, ab exordio sui regiminis zelo magis violento quam apostolico usus [5], mox intima cordis in magnum Ecclesiae detrimentum patefecit. Occasionem quippe nactus a concione qua Anastasius presbyter, sibi familiaris, divinam B. M. V. maternitatem negaverat, publice hanc negationem defendere coepit. Ex consequentia enim huius erroris, B. M. V. non poterat vere vocari θεοτόκος [6], sed solum ἀνθροποτόκος vel χριστοτόκος, aut ad summum θεοδόχος.

Nec ista huius controversiae origo fuit. Nam ipse Nestorius in epistola ad Ioannem Antiochenum declarat, se ad componendam litem inter eos qui Bm. Mm. Vm. alii Genitricem *Dei,* alii *hominis* Genitricem appellabant, titulum

[1] De criteriis adhibendis quoad terminologiam Patrum lege inter alios eruditissimum Dr. Alb. Ehrhard *(Die altchristliche Litteratur und ihre Erforschung).*

[2] Non hac tantum locutione Scripturae abutebatur Nestorius, sed et voce *Emmanuel,* uti mox dicemus. - Cf. de his locutionibus praelaudatum Legrand (op. cit. p. 163.)

[3] Cf. Funk *(Nestorius, Kirkenl.* Hergenr. Kaul., t. IX, col. 167 sq.).

[4] Eloquentiam Nestorii descriptam invenis apud Theodoretum, qui ipsi acriter improperat studium aurae popularis, quam clamosa voce ac gestu, austeroque incessu sibi captare satagebat (*Haer. fab.,* 4, 12).

[5] Hunc zelum in haereticos, ipso consecrationis die, in concione ad imperatorem habita manifestavit his verbis: « Da mihi, o Caesar, terram ab haereticis purgatam « et ego tibi vicissim caelum dabo; debella mecum haereticos, et ego tecum Persas « debellabo ».

[6] Hanc tamen expressionem postea concessit, quando a Romano Pontifice commonitus, apparentias catholicae doctrinae callidius servare conabatur.

Christi Genitricis imposuisse; quod postea vocabulum ipse violentissime retinuit, at in sensu maternitati divinae oppositio.

Proclus, Episcopus Cisicensis, ac praecipue S. Cyrillus, Alexandrinus Patriarcha, primas in confutando Nestorio partes egerunt. Coelestinus Papa I. doctrinam Nestorii in Synodo Romae anno 430. habita damnavit, sententiamque Cyrillo exsequendam mandavit; qui convocato suffraganeorum congressu, litteras pontificias anathematismis duodecim confirmatas, Nestorio subscribendas tradidit. Hic autem, nedum impietatem dimitteret, totidem anathematismis respondit, eo in errore pertinacior, quo plures Praesules, inter quos Ioannem Antiochenum Patriarcham, Theodoretum Cyrensem Episcopum, Andream Samosatenum, Cyrillo, utpote Apollinaristas, adversantes videret.

Iubente ergo Caelestino, Cyrillus Ephesi Concilium oecumenicum III, cum Legatis Pontificiis habuit, in quo Nestorius, ter convocatus, sed contumax, solemni sententia damnatus est, anno 431.

Ioannes autem Antiochenus Patriarcha, quum tardius Ephesum advenisset, contra Concilium una cum Suffraganeis suis conciliabulum egit. Unde longae exortae sunt controversiae, nonnisi anno 433, saltem a parte Ioannis, compositae.

Inter Nestorii asseclas, utique in initio, celebriores sunt Ibas Edessenus, et Theodoretus Cyrensis Episcopus, quorum scripta de hoc argumento, cum excerptis Theodori Mopsuesteni, constituunt *tria capitula* in Conc. Constantinopolitano II, oecumen. V., anno 553 damnata.

Porro, si Nestorii doctrinam penitius investigamus, apparet ipsum non agnovisse in Christo veram internam unitatem, sed duas praedicasse hypostases; ac per consequens iuxta eum Christum hominem non esse vere Deum nec Dei Filium, neque vera adoratione colendum. Unde Christi hominis adoratores νεκρολάτρας, ἀνθρωπολάτρας appellabat.

Admisit quidem unionem quamdam personalem, at hypostaticam nunquam. Personam quippe tunc intelligebat non in sensu stricte ontologico, entitativo, sed in sensu morali, repraesentativo; Christus scilicet propter excellentem quamdam

coniunctionem cum Verbo, licet quoad suppositum homo manens, tamen Deus dictus et habitus est, quoad peculiarem quamdam personalem seu repraesentativam dignitatem.

Indolem huius unionis variis titulis illustrabat, dicens eam esse secundum gratiam seu inhabitationem, vel operationem seu potestatem, vel dignitatem, vel aequalitatem honoris, vel coadorationem seu conglorificationem [1]. Nunquam autem eam admisit quoad unitatem entitativam suppositi; nec secundum veritatem univocam vocis, sed mere homonymam, concessit hominem Iesum esse Patris Verbum, Dei Filium, Deum. Ad illustrandam hanc quam fingebat unitatem in Christo, quamque in callida acceptione superius exposita personalem admisit (ἕνωσις προσιοπική), variis utebatur comparationibus, quarum prima erat illa *indumenti* iuxta verba S. Pauli « et habitu inventus ut homo ». Alia erat *inhabitationis,* iuxta ipsum nomen *Emmanuel,* Deus nobiscum, id est, aiebat, in uno Christo « *Deus cum homine* ». Ratione huius inhabitationis aliquando concessit, ut B. M. V. diceretur θεοτόκος, sed mere « propter unitum templo Deum Ver- « bum ». Alia, imo quasi princeps eius comparatio erat *unio sponsalis,* qua maritus et uxor, licet manentes duo supposita, sunt tamen una caro et una persona moralis.

De *tempore* autem quo hanc unionem factam esse docebat, vix superest dubium. Prostat quidem una alterave locutio, quae videtur hanc unionem post nativitatem differre; at in nono anathematismo aperte contrarium affirmat. Ibi enim eos damnat, qui non concedunt « formam servi *ex ipsa conceptione* eam quae est ad Verbum coniunctionem habuisse ». Caeterum in lite Nestoriana haec quaestio est potius accidentalis; unde decreta Conciliorum contra haeresiarcham lata, vix hoc punctum tangunt [2]. Princeps quaestio movebatur circa *indolem* unionis ipsius. Errant proin gravissime illi Prote-

[1] Fontes praecipui ad genuinam doctrinam Nestorii hauriendam sunt fragmenta sermonum eius, a Mario Mercatore collecta, (*P. L.*, t. XLVIII), anathematismi S. Cyrilli in Nestorium et Nestorii in S. Cyrillum; acta Concilii Ephesini, pluriumque ex sequentibus etc. — (Cf. documenta praecipua in *Sed contra est* afferenda). Insuper consule scripta Patrum qui hunc errorem specialius impugnarunt, maxime S. Cyrilli Alexandrini.

[2] Cf. acta Conc. Ephesini et Conc. Constantinopolitani II.

stantes qui contendunt haeresim fuisse de tempore; ut ita possint ex una parte quoad unionis tempus respuere Nestorium, et ex alia parte quoad unionis indolem nestoriane sentire. Ab hac falsissima argumenti apprehensione non satis cavisse Güntherianos, constabit quando de istorum erroribus erit dicendum [1].

De populis Nestorii asseclis [2] id notatu dignum est, non eos semetipsos Nestorianos appellare, sed sive discipulos Messiae, sive Nazarenos, sive nomine propriae gentis, sive mere Orientales [3]. Imo scriptor Nestorianus famosus ex aetate media, Ebediesu, Nisibensis Metropolita, reiicit Nestorianorum nomen, quia non a Nestorio, sed ab Apostolis se gloriantur fidem accepisse intemeratamque servasse; imo non ipsos a Nestorio, sed e contra Nestorium ab ipsis doctrinam derivasse [4].

Et haec pro scopo nostro satis [5].

Uti iam diximus, tum Monophysitae, tum Nestoriani - et idem dic de Arianis et Sabellianis pro dogmate SS. Trinitatis - abierunt in errores oppositos quia tamquam axioma habuerunt: tot existere necessario personas quot existunt naturae.

Fatendum quidem, rationem sibi relictam, experientia duce, ad hanc conclusionem, licet praecipitato iudicio, pervenire; sed, facta revelatione utriusque mysterii, docilis rationis est penitius inquirere in formale, quo natura et persona ab invicem distinguuntur. Hoc autem formale accipit gradus: potest enim esse aliquid inducens distinctionem vel realem, vel simpliciter rationis.

Porro considerata perfecta Dei simplicitate, evidens est, in Deo distinctionem realem inter personam et essentiam

[1] Cf. SCHEEBEN (op. cit. p. 779, et 783, sq.).

[2] Cf. *Kirchenlexicon* Hergenröther-Kaulen, ad verbum *Nestor*.

[3] Nestorianos minori erga B. M. V. agi pietate, quam alios christianos Orientis, in promptu est. Sed et Sanctorum imagines prope respuunt.

[4] ASSEMANI, *Bibl. Orient.*, III, 1, 355.

[5] De Nestorianismo ex theologis consule, praeter laudatum PETAVIUM (l. I, c. 7), TOURNELY (*Praelect. theol.* t. IV, p. 229, sqq.); LEGRAND (loc. cit., p. 403, sqq.), Card. FRANZELIN (op. cit., th. XXII-XXIV); KLEUTGEN (*Theol. d. Vorz.*, t. III, n. 98, sqq.); SCHEEBEN (op. cit. p. 778, sqq.); STENTRUP (*Praelect. dogmat. de Verb. Incarn.* Pars I, vol. I, p. 304, sqq.); etc., etc.

divinam dari non posse. In creatis vero non est ita: ibi enim in omnibus habetur compositio essentiae (quo quid est) et esse (quod quid est); insuper, in compositis ex materia et forma, habentur essentia et principia individuantia.

Quocumque vero modo distinctio concipiatur, realis vel rationis, inter naturam seu essentiam et personam (si agatur de rationali, intellectuali ente) seu merum suppositum (secus); ex his sequitur personam esse uti continentem, suppositum uti habens essentiam seu naturam. Quare in persona seu supposito oportet uniri quidquid personae vel supposito inest. Potest proin aliquid inesse personae dupliciter: vel quatenus ad naturam pertinens, vel quatenus in persona saltem unitum.

Atqui in praecedenti articulo vidimus unionem in Christo non esse in natura. Ergo vel est intrinsece in persona, vel non est nisi extrinseca.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Abstrahit a fundamento distinctionis rationis in divinis.

2. Obi. Procedit ac si personalitas humana in Christo simpliciter deesset, quin per altius suppleretur.

3. Obi. Confundit individuum cum subsistente in se; quae duo idem esse, gratis assumitur.

Sed contra est. Quemadmodum in articulo praecedenti egimus, hic praecipua colligemus argumenta Scripturarum atque catholicae auctoritatis, quibus Nestorianismi falsitas apparet. In fine articuli ad modum appendicis traditionem patristicam de eodem argumento exhibebimus, ac praecipuas difficultates ab adversariis moveri solitas dissolvemus.

I) Quum error Nestorii non fuerit circa divinitatem Christi, nec circa eius humanitatem, sed circa unionem utriusque in una persona subsistenti, huic haeretico opponenda sunt testimonia Scripturae quae maximam identitatem subiecti praedicant. Si enim paginae sacrae passim ostendunt, unum esse omnino qui Deus divina et qui homo humana agit, nulla ratio adest ut subiectum duplex in Christo distinguatur; imo ratio multiplex ut subiecti identitas praedicetur. Sint igitur sequentia ex Scripturis argumenta.

1) Ad Iudaeos ipsum de sua personali dignitate interrogantes: « Tu qui es? », Christus respondet: « Principium

« qui et loquor vobis » [1]. Id est Ego, licet ob naturam assumptam, homo, personâ Deus, Verbum sum. Ergo unio est in persona.

2) Locutio « Verbum caro factum est » ostendit principium aeternaliter subsistens, per quod omnia facta sunt, assumptione humanae naturae, non conversione sui, hominem esse factum.

3) Item Iesus, homo visibilis dixit de se: « Ego et Pater « unum *sumus* » [2]; « Antequam Abraham *fieret, ego sum* » [3], quae supponunt sustentari naturam humanam Christi, per principium personale Verbi aeterni.

4) Adhuc, quomodo « qui descendit, *ipse est, et qui ascendit* » [4], nisi virtute unius principii personalis ante Incarnationem et in opere Incarnationis?

5) Quomodo potuisset Iesus dicere: « Exivi a Patre et « veni in mundum » [5], nisi idem esset homo et Deus? - Quomodo potuisset dicere de se, « ingrediens mundum: Hostiam « et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi », nisi homo ille ratione sui personalis principii praeexstitisset vitae suae humanae? [6].

6) Idem confirmatur ex *passione Dei* uti in sacris eloquiis continetur. Audi Apostolum: « Decebat eum, propter quem « omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam « adduxerat, auctorem salutis eorum, per passionem consum- « mari » [7]. Atqui solus Deus est: « propter quem omnia », etc.

[1] Ioann. viii, 25. Fatendum est, hoc argumentum, validissimum quidem iuxta Vulgatae litteram, infirmari, ne dicam corruere, si graecus textus consulitur: « Τὴν « ἀρχὴν ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν ». Forma enim accusativi, et genus ὅ, ostendunt vertendum esse: « (Ego sum) Prorsus id quod dico vobis ». Posset tamen adhuc cum quadam inversione sensus servari: « Ego sum ab initio quod dico vobis ». Sed esset longe petita locutio, et parum cum toto contextu colligata. Dum responsio: « Prorsus id quod dico vobis », optime convenit ad depellendos homines qui pertinaci animo eamdem semper quaestionem urgebant, quin unquam responsum prona fide acciperent. Quasi dixerit: « Quid iterum me idem interrogatis, quum ab initio « praedicationis meae dignitatem meam divinam prorsus affirmarim ». Et pergit Christus ad testimonium Patris sui appellans.

[2] Ioann., x, 30.

[3] Ioann., viii, 58.

[4] Eph., iv, 10.

[5] Ioann., xvi, 28.

[6] Hebr., x, 5.

[7] Ibid. ii, 10.

Ergo Deus per passionem consummatus est. Ergo ille homo qui passus est, erat unione personali Deus.

7) Inde Christus vocatur: « Rex gloriae » [1], « Panis vivus « qui de coelo descendit » [2], « Proprius Filius Dei » [3], « Filius « Unigenitus », cuius morte charitatem suam summam Deus in mundum ostendit [4].

8) Et re quidem vera, nisi Christus personaliter Verbo uniretur: *a*) Incarnatio non esset quid singulare, cui uti fundamento tota salutis oeconomia inniteretur; *b*) B. M. V. non esset Mater Dei, « Mater Domini », uti eam praedicat Elisabeth [5]; nec Deus misisset Filium suum « factum ex muliere » [6].

9) Quomodo adhuc servatur locutio Apostoli: « Qui, cum « in forma Dei esset... semetipsum exinanivit, formam servi « accipiens in similitudinem hominum factus » [7], si non ille idem, qui praeexistebat in forma, id est in natura divina, secundum personam in natura humana existat simul Deus et homo? - Quomodo Christus Iesus, id est Iesus, uti unctus Spiritu Sancto, proin uti homo, posset dici « in forma Dei » esse, nisi uno eodemque principio personali?

10) Caeterum huc tendit totum exordium epistolae S. Pauli ad Hebraeos, ubi homo Christus dicitur omnium Creator, fabricator orbis. « Exaltatus » et « exinanitus » [8] dicitur de eodem, homine et Deo; quomodo hoc, nisi una sit persona? - Quomodo de uno eodem dicitur quod et condiderit omne et quod sit primogenitus omnis creaturae [9], nisi sit unus idem ratione unius principii subsistentis? - Quomodo revera esset « unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia », nisi natura duplex in una persona uniretur? [10].

Corroboratur haec Scripturarum doctrina per auctoritates quas ex eisdem Scripturis infra adducemus ad demonstran-

[1] I. Cor., II, 8; Cf. Ps. 23, 10.
[2] Ioann., VI, 51.
[3] Rom., VIII, 32.
[4] Ioann., III, 16; Rom., V, 8.
[5] Luc., I, 43.
[6] Galat., IV, 4.
[7] Philip., II, 6.
[8] Act., II, 33; Philipp., II, 7.
[9] Coloss., I, 16, 15.
[10] I. Cor., VIII, 6: Vide has rationes fusius expositas apud S. Thom. in *Summa ctr. Gent.*, l. c., c. 34.

dam tum divinitatem veram Christi, tum divinam maternitatem Mariae, tum unitatem Christi, tum communicationem idiomatum.

II. **Auctoritas Ecclesiae** multifariam eamdem doctrinam proclamat. Satis sit ad sequentia documenta appellasse. 1) *Symbolum Nicaenum* clare ostendit singularitatem personae in Christo, per modum, quo, loquens de Filio, in eadem sententia transit a divinis ad humana: « Καὶ εἰς ἕνα « Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ « Πατρὸς μονογενῆ... τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους... κατελ- « δόντα, καὶ σαρκωθέντα, καὶ ἐνανθρωπήσαντα. Παθόντα, etc. » [1]. Iam vero hic loquendi modus evidenter ostendit unitatem subiecti. Ergo in Christo Deo et Homine unica tantum est persona.

2) *Symbolum Athanasianum* expressius idem docet. « Qui « licet Deus sit et homo, non duo tamen sed unus est Chri- « stus. Unus autem non conversione Divinitatis in carnem, « sed assumptione humanitatis in Deum; unus omnino non « confusione substantiae, sed unitate personae » [2].

3) *Anathematismi Cyrilli* a Concilio Ephesino recepti hanc doctrinam fusius exhibent; quos ob singulare momentum heic partim afferre iuvat.

In primo canone dignitas Emmanuelis et Genitricis Dei vindicatur. - Secundus canon ipsum dogma fundamentale proclamat: « Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ, σαρκὶ καθ' ὑπόστασιν ἡνῶσθαι « τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον, ἕνα τε εἶναι Χριστὸν μετὰ τῆς « ἰδίας σαρκὸς, τὸν αὐτὸν δηλονότι Θεὸν ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπον· « ἀνάθεμα ἔστω ». - Tertius canon reiicit alias explicationes unitatis Christi secundum, auctoritatem vel potestatem, et proclamat conventum « καθ' ἕνωσιν φυσικήν »; qua expressione deinceps abusi sunt, tum Eutychiani ad partes suas firmandas, tum Nestoriani ad Cyrillum calumniis impetendum. - Quartus canon protestatur contra divisionem quae locutiones Scripturarum de Christo alias Deo tribuit distincto ab homine, alias homini distincto a Dei Verbo. - Quintus canon uti insufficientem reiicit expressionem « θεοφόρον

[1] DENZINGER, (op. cit., n. 17.).
[2] Ibid., n. 137.

« ἄνθρωπον τὸν Χριστὸν » ; quo in canone natura humana Christi in unitate personae egregie affirmatur. - Sextus canon proclamat idem subiectum esse vere Deum et vere hominem. - Septimus canon excludit unitatem per merum aliquod adiutorium, et homini Christo attribuit gloriam unigeniti Dei. - Octavus canon respuit formulam coadorationis et conglorificationis et connuncupationis, veluti alterius in altero ὡς ἕτερον ἐν ἑτέρῳ, sed unam proclamat deberi glorificationem Emmanueli et Verbo. - Canon nonus declarat, Christum non per alienam virtutem, sed per proprium Spiritum signa fecisse. - Decimus canon respicit magis doctrinam de Christi sacrificio, et proclamat, ipsum Verbum incarnatum et non « ἕτερον παρ' αὐτὸν ἰδικῶς ἄνθρωπον ἐκ « γυναικός » oblationem obtulisse, non utique pro se, sed pro nobis. - Undecimus canon specialius definit dignitatem divinam usque ad carnem Christi derivare ob unitatem personae, eamque reddere vivificatricem. - Ultimus canon demum consecrat legem praedicationis, quae caeteroquin iam in primaevis Symbolis continetur, affirmando ipsum Dei Filium pro nobis passum esse ac mortuum [1].

4) *Epistola S. Leonis M.* ad Flavianum simul Nestorium ac Eutychen convellit. Cap. 3.[m] ita incipit: « Salva igitur pro- « prietate utriusque naturae et substantiae, et *in unam* « coeunte *personam*.... etc. » [2]. Confer et ea quae contra Monophysitas agentes, ex eadem epistola superius deprompsimus.

5) *Concilium Chalcedonense I.* (oecum. IV.) expresse ac fuse utrumque errorem depellit uti ex iam citatis apparet. Unitatem personae vocat « διὰ τὴν ἕνωσιν » ; reiicit aperte dualitatem personarum: « οὐκ εἰς δύο πρόσωπα μεριζόμενον ἢ « διαιρούμενον » ; ac ita personam unam praedicat ut et hypostasim unam: « καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν » [3].

6) Accedit doctrina *Concilii* oecumenici V, *Constantinopolitani II*, cuius canones in controversia trium capitulorum lati sunt summi ponderis, ac proin breviter hic contrahendi. Primus canon proclamat SS. Trinitatem et D. N. I. Christum

[1] Ibid., n. 73-84.
[2] Ibid , n. 132.
[3] Ibid., n. 134.

secundam personam eiusdem. – Secundus affirmat duplicem nativitatem Verbi Dei: unam aeternam a Patre, aliam in tempore, ac B. V. M. proin vere Genitricem Dei. – Tertius definit in Christo non dari alium et alium, nec alterum in altero, sed unum Deum simul et hominem, miraculorum auctorem et passionis subiectum. – Quartus varias tum Theodori ac Nestorii tum Apollinaris ac Eutychetis evasiones abigit; quem ex integro hic afferre iuvaret, nisi longior esset, et iam quoad partem in praecedenti articulo esset allatus. Sufficiant verba ipsissimam Nestorii haeresim describentia atque damnantia: « Si quis dicit... κατὰ ὁμωνυμίαν, καθ' ἣν « οἱ Νεστοριανοὶ τὸν Θεὸν Λόγον Ἰησοῦν καὶ Χριστὸν καλοῦντες, « καὶ τὸν ἄνθρωπον κεχωρισμένως Χριστὸν καὶ υἱὸν ὀνομάζοντες, « καὶ δύο πρόσωπα προφανῶς λέγοντες, κατὰ μόνην τὴν προσ- « γορίαν, καὶ τιμὴν καὶ ἀξίαν, καὶ προσκύνησιν, καὶ ἓν πρόσωπον, « καὶ ἕνα Χριστὸν ὑποκρίνονται λέγειν .... ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα « ἔστω ..... οἱ δὲ τὰ Θεοδώρου καὶ Νεστορίου φρονοῦντες, τῇ « διαιρέσει χαίροντες, σχετικὴν τὴν ἕνωσιν ἐπεισάγουσιν ». Et contra utrumque haeresim statuit: « Ἡ μέντοι ἁγία τοῦ Θεοῦ « ἐκκλησία ἑκατέρας αἱρέσεως τὴν ἀσέβειαν ἀποβαλλομένη, τὴν « ἕνωσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου πρὸς τὴν σάρκα κατὰ σύνθεσιν ὁμολογεῖ· « ὅπερ ἐστὶ καθ' ὑπόστασιν ». Quibus in verbis hoc notandum est, expressionem « κατὰ σύνθεσιν », per « καθ' ὑπόστασιν » explicari. – Canon quintus praecavet fraudes illorum qui unam quidem subsistentiam praedicant, quam tamen ita intelligunt ut duae personae aut subsistentiae in ea contineantur, et qui ad hunc perversum sensum declarationes Concilii Chalcedonensis trahere conantur. In quo canone notandum est, non solum voces « hypostasim et personam » ut synonymas adhiberi: « δύο ὑποστάσεις ἤτοι δύο πρόσωπα », sed continens plures vocari « τὴν μίαν ὑπόστασιν »; ex quo apparet, fictionem plurium hypostaseon in una persona, nisi persona sumatur in lato sensu Nestorii [1], esse quovis fundamento destitutam. Sed de hac fictione fusius in articulo sequenti. – Sextus canon magis determinat doctrinam de divina maternitate Mariae, reiiciendo Nestorianas fraudes circa hoc corollarium dogmatis de personali unitate Christi. – Tres

[1] Qui sensus utique haereticus est, sed non in se absurdus.

canones sequentes magis respiciunt errorem Eutychetis, et vafras evasiones Monophysitarum depellunt. - Decimus canon totam doctrinam his verbis breviter contrahit: « Si « quis non confitetur, crucifixum carne Dominum nostrum « Iesum esse Deum verum et Dominum gloriae et unum de « Sancta Trinitate. A. S. » [1]. - Undecimus canon damnat haeresiarchas, Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium et Eutychen, quibus adnumerat Origenem [2]. - Duo sequentes fulminant errores Theodori. - Ultimus demum, id est decimus quartus, damnat epistolam Ibae, et omnes qui Nestorium contra Ephesinum Concilium defendunt [3].

7) Ex sequentibus Conciliis satis sit attulisse haec verba Concilii *Toletani XI:* « In quo Dei Filio duas credimus esse « naturas; unam divinitatis, alteram humanitatis; quas ita « in se una Christi persona univit, ut nec divinitas ab huma- « nitate, nec humanitas a divinitate possit aliquando seiungi. « Unde perfectus Deus, perfectus et homo in unitate perso- « nae unius est Christus. Nec tamen quia duas diximus in « Filio esse naturas, duas causabimus in eo esse personas; « ne Trinitati, quod absit, accedere videatur quaternitas [4]. « Deus enim Verbum non accepit personam hominis, sed « naturam, et in aeternam personam divinitatis temporalem « accepit substantiam carnis » [5].

8) **Liturgiam** idem dogma multipliciter praedicare in aperto est. Sufficit appellare ad tria: *a*) Primum est ipse modus quo omnes orationes claudi solent: « Per Dominum « Nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in « unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saecu- « lorum ». Quae formula efficacissime demonstrat eumdem prorsus unum esse simul Iesum Christum, hominem de Vir-

[1] De formula « unus de SS. Trinitate passus est », infra dicemus.

[2] De variis Origenis erroribus circa Incarnationem data occasione agetur.

[3] DENZINGER, op. cit., n. 172-187.

[4] Haec ratio per se non sufficeret, si res in se posset esse Incarnationis consequens. Sed non dicuntur personae duae, quia non datur nisi una. Potest tamen disciplinaris ratio adduci: ut scilicet maxime caveatur a formulis quae Trinitatis mysterium laedere aut mutare videntur. Sed fundamentum huius disciplinae debet esse ipsa indoles mysterii Incarnationis, ne modus dicendi aliunde quam a rei veritate suam mensuram accipiat.

[5] Ibid., n. 230.

gine natum, et Deum, secundam personam SS. Trinitatis; quod verum non esset, si in Christo duplex haberetur persona. *b*) Alterum est instantia quacum Liturgia divinam B. M. V. maternitatem praedicat: « Sancta Maria, Mater « Dei, ora pro nobis »; « Ora pro nobis, Sancta Dei Geni- « trix », etc., etc. Iam vero formula « Mater Dei » continet in se confutationem totius Nestorianismi, quemadmodum et ipse haeresiarca fatebatur, et Patres populusque Ephesini declarationibus ac laudibus solemniter proclamarunt [1]. *c*) Tertium est ipsum symbolicum candelabrum *dycerium* nomine, quo Graeci in liturgicis officiis uti solent, ad unam Christi personam in duplici natura significandam.

Adde his argumentis ex Scripturis et Ecclesiae auctoritate directe depromptis, argumentum indirectum, sed validissimum, ex consequentiis dogmaticis deductum. Falsitas scilicet Nestoriani conceptus apparet manifeste ex eo quod, praeter dignitatem Matris Dei, impugnat dogmata summa Incarnationis, Redemptionis et Eucharistiae.

a) *Incarnationis:* nam nisi unus idem Filius Dei sit simul factus homo, quaenam vera, quaeso, Verbi incarnatio superest? Erit Christus primus utique inter Sanctos, primus inter Thaumaturgos, primus inter Prophetas, sed primus inter pares. Iam vero haeccine est illa Incarnatio in Scripturis tantopere celebrata, per quam Christo competit dignitas prorsus singularis usque ad adorationis cultum pertingens?

b) *Redemptionis:* etenim excellentia Redemptionis per Christum consistit in hoc, quod homo debitum solverit, quia Deus passus est. Iam vero nisi una sit persona Dei-Hominis, quum actiones sint personarum, nec passio erit Filii Dei, nec satisfactio infinita erit hominis. Neque obiiciat quis, utramque personam operari simul, et ex hac coniuncta operatione sequi actionem divinam salvificam. Nam haec allata coniunctio non est nisi moralis, ac proin non potest tollere distinctionem inter duo principia agentia, quorum alterum manet pure divinum, alterum pure humanum [2].

[1] Cf. complenda in altera parte huius tractatus ubi de divina B. V. M. maternitate ex professo agetur.

[2] Cf. et LEGRAND (op. cit. p. 462).

c) *Eucharistiae* Sacramentum pariter manifestat impietatem erroris Nestoriani. Quomodo enim per mera verba: « Hoc « est corpus meum », constitueretur adorabile altaris mysterium, nisi, ob unionem hypostaticam, hoc corpus esset corpus Filii Dei? Quod argumentum iam contra Nestorium S. Cyrillus victoriose vibrabat [1].

III. Porro *Traditionem patristicam* de unitate personae in Christo, in appendice huic articulo adnexa exponemus, quemadmodum de traditione anti-eutychiana in articulo praecedenti egimus.

In Corpore. S. Thomas tria agit. 1) Ostendit errores provenisse ex falso axiomate identitatis inter personam et naturam. 2) Inquirit de ratione distinctionis sive realis sive rationis inter utramque. 3) Dilemmate ostendit, unionem, si nequit esse in natura, vel esse in persona, vel non esse nisi apparentem seu extrinsecam.

Adverte, S. Thomam hic non directe agere debuisse de substantiis spiritualibus simplicibus. Si proin rationem realis distinctionis inter naturam et personam pro homine petit a compositione eiusdem naturae ex materia et forma, hoc dictum non est ad exclusionem rationis petitae ex distinctione inter essentiam (quo quid est) et esse (quod quid est). Quod melius patebit infra [2].

Resp. ad 1m. In divinis idem realiter est principium subsistens et natura. Adest tamen fundamentum distinctionis rationis. Imo per relationes oppositionis tres subsistentes sunt realissime ab invicem distincti. Iure proin consideratur natura per modum essentiae, persona per modum subsistentis.

Resp. ad 2m. Persona quum sit nomen dignitatis, perfectio personalis nequit frustrari per aliquod dignius in natura. Proin humana natura crescit in dignitate, si sustentetur personalitate divina. - Comparationem allatam non ita intellige, ac si formae vitales in nobis coniunctae per iuxtapositionem existerent. Sed unica nostra anima virtualiter et eminenter continet in se formas inferiores. Quare sicuti forma

[1] L. IV. *ctr. Nestor.* c. 5, sq. — *P. G.* t. LXXVI. col. 190, sqq.
[2] Cf. simile quid in tractatu *De Deo Uno.* Q. III, art. 3.

sensitiva in nobis absorbetur per formam rationalem, quin simus inde minus sensitiva vita praediti quam bruta in quibus est forma completiva; ita in Christo personalitas humana, quae complet caeteros homines, eminentius adest in personalitate divina, qua est Homo-Deus.

Resp. ad 3m. In forma ita: Verbum assumpsit naturam humanam *individuam,* dist.: quatenus non assumpsit naturam humanam *universalem,* conc.; quatenus assumpsisset humanam naturam *per se subsistentem,* nego. Individua enim natura plene servatur etiam subsistendo in principio subsistente superiore. Non amplius utique erit *totum in se;* sed nihilominus remanebit *individua.*

APPENDIX I.

De Traditione patristica et theologica circa Christi Dei-Hominis Unitatem personalem.

Licet manifesta sit valde traditio anti-eutychiana, manifestior tamen iure dixeris traditionem anti-nestorianam, quum nihil antiquius, nihil apertius in Ecclesia quam latriae cultus Christo exhibitus, et hic cultus in se sufficiat ad errorem Nestorii depellendum. Et sane Patres Concilii Chalcedonensis V. (oecum. IV.) exordiuntur definitionem suam hisce verbis: « Ἑπόμενοι τοῖς ἁγίοις πατράσιν Sequentes sanctos Patres » [1]. Quod dicere non potuissent, nisi fides in unum Christum, Deum et hominem, fuisset publica et in confesso. Et re quidem vera antiquissimae fidei formulae hanc unitatem tam invicte proclamant, ut Cassianus potuerit Nestorium confutare ex « fide Antiocheni symboli, in qua ipse (haere- « siarcha) baptizatus erat et renatus » [2].

Quae aperta doctrinae constantia elucet ex variis fidei professionibus ante Nestorianam haeresim confectis. Ita, teste S. Epiphanio [3], in Oriente vigebat professio, quam Episcopi cathecumenis proponere solebant, et in qua inter alia haec habebantur: « Credimus in unum Dominum Iesum Christum

[1] Denzinger (op. cit., n. 134).
[2] *De Incarn.*, l. VI, c. 3. — *P. L.* t. L, col. 141.
[3] *Ancor.* n. 120. — *P. L.* t. XLIII, col. 233.

« Filium Dei genitum ex Deo Patre, unigenitum, hoc est ex « substantia Patris;... *illum qui* propter nos homines et pro- « pter nostram salutem descendit et incarnatus est (τὸν « κατελθόντα καὶ σαρκωθέντα), hoc est, perfecte genitus ex « Maria semper Virgine per Spiritum Sanctum; inhumanatus « est, hoc est, assumpsit perfectum hominem, animam et « corpus et mentem et omnia, quidquid est homo absque « peccato, non ex semine viri; neque in homine (intellige « in alio homine), sed *in seipsum* carnem adformavit in « *unam sanctam unitatem*, non sicut in Prophetis inspiravit « et locutus et operatus est, sed perfecte inhumanatus; Ver- « bum enim caro factum est, non conversionem subiens, aut « transmutans suam divinitatem in humanitatem; uniens (car- « nem scilicet) in *unam* sanctam suam perfectionem et dei- « tatem [1]; *unus* enim Dominus Iesus Christus et *non duo,* « *idem* Dominus, idem Deus, idem Rex, passum autem (cre- « dimus) *hunc eumdem* in carne et suscitatum ». Quam elo- quenter haec professio quasi prophetice tum Nestorium, tum Eutychen confutet, ipsa verba etiam obiter inspecta manifestant.

Nec minus determinatae sunt declarationes in epistola contentae, quam Episcopi Concilii Antiocheni contra hae- resim Pauli Samosateni conscripserunt. Ibi enim declarant, tamquam doctrinae capita in quibus « omnes catholicae « Ecclesiae consentiunt », divinitatem propriam Filii Dei, « non praedestinatione, sed essentia, et hypostasi », et « hunc « ipsum Filium » proclamant, « per incarnationem hominem « factum », unde « idem Deus et homo Iesus Christus prae- « dictus est in Lege et Prophetis, et creditus in Ecclesia, « quae sub caelo est, universa; Deus quidem exinaniens « se ipsum creditus est ex eo quod est aequalis Deo, homo « autem et ex semine David secundum carnem; unde non « est alius Deus aeternus, alius homo ex tempore, sed et « Christus " quatenus Christus est " aeternus est » [2].

[1] Optime animadvertit Cardinalis Franzelin (op. cit., th. XVII, p. 141) hanc vocem τελειότητα, significare perfectionem in sensu perfectae illius absolutionis, qua res est tota in se. Unde posset et *totietas* vocari; quae totietas, uti loco suo iuxta S. Thomam videbimus, est in Christo ratio τοῦ *unius*.

[2] Inter op. Dionysii Alex. (ed. de Magistris); Mansi (*Concil. Collect.*, t. I, 1033).

Haec documenta a priori iam demonstrant, traditionem patristicam circa unitatem personae in Christo, non posse esse obscuram; eo vel minus quod ab exordiis Ecclesiae haec unitas, - quae est unicum fundamentum verae adorationis Christo exhibitae, - per martyrum tormenta, gentiliumque derisiones erat publice agnita atque proclamata. Quum inferius sermo ex professo redeat de cultu latriae Christo debito, huiusmodi considerationes ad hunc locum opportunius remittimus. Quare hic solum quasdam Patrum testificationes adducemus tum anteriores, tum posteriores liti Nestorianae; dein obiectiones praecipuas, quae contra hanc traditionem moveri solent, depellemus.

I. Afferuntur testimonia quaedam praecipua.

A) Et primo quidem ante exortam haeresim Nestorianam 1) ex Patribus Graecis *a*) S. *Ignatium* habemus, qui vocat *unum* medicum, ex Maria et ex Deo, Iesum Christum Dominum nostrum [1].

b) S. *Irenaeus* idem disertius affirmat: « Discite igitur, « insensati, quoniam Iesus, qui passus est pro nobis, qui « inhabitavit in nobis, *idem ipse* est et Verbum Dei » [2]. Et alibi proclamat « *unum* eumdemque Λόγον θεοῦ, et hunc « esse Unigenitum, et hunc incarnatum pro salute nostra, « Iesum Christum Dominum nostrum »; et vehementer impugnat eos « qui in duos illum partiuntur » [3].

c) Identitatem inter Verbum et hominem Iesum *Origenes* strenue profitetur. « Quia Iesus Christus *ipse, qui* venit, « ante omnem creaturam natus ex Patre est. Qui cum in « omnium conditione Patri ministrasset (per ipsum enim « omnia facta sunt), novissimis temporibus se ipsum exina- « niens homo factus incarnatus est, cum Deus esset, et homo « factus mansit quod erat, Deus » [4]. Caeterum ipsi Origeni tribuitur primus usus vocis θεάτρωπος, quae brevissime et

[1] *Ad Ephes.*, n. 7. — *P. G.* t. v, col. 649, sq.
[2] *Adv. Haeres.*, l. i, 9, 3. — *P. G.* t. vii, col. 547.
[3] Ibid., l. iii, c. 16. — *P. G.* t. vii, col. 921.
[4] *De Princ.* Praef. n. 4. — *P. G.* t. xi, col. 117.

efficacissime exprimit tum geminam in Christo naturam, tum singularem in eo subsistentiam.

d) S. *Hippolytus* haec praeclara habet: « Unigenitus (carne « non assumpta) perfectum erat Verbum. Neque caro per « se sine Verbo subsistere poterat, quia in Verbo habet τὴν « σύστασιν, id est, in Verbo subsistebat » [1].

e) S. *Dionysius Alex.* acriter Samosatenum reprehendit, quod « duas hypostases et duas personas unius Christi sta- « tuat », quod idem est ac ponere « Christos duos, duosque « filios » [2].

f) S. *Athanasius* contra Apollinarem disputans haec prae- clara habet. « Errant docentes, alium esse qui passus est « Filius, et alium qui passus non est; non enim est alius « praeter ipsum Verbum, quod mortem et passionem susce- « pit... formam servi ipsum Verbum suam propriam fecit « physica generatione... et caro facta est secundum naturam « propria Deo; non quasi caro consubstantialis esset divi- « nitati Verbi velut coaeterna, sed ei secundum naturam « propria facta est et indivisa per unionem, ex semine « David et Abraham et Adam, ex quo et nos progeniti « sumus... Consubstantiale enim et impassibile et immortale « cum consubstantiali non habet unitatem secundum hypo- « stasin sed secundum naturam, secundum hypostasin vero « exhibet propriam perfectionem » [3]. Eadem vox τελειότης, quam supra a Sancto Epiphanio audivimus exprimit hic ontologicam perfectionem quam unitas hypostatica confert naturae assumptae, licet haec, in quantum natura est, ma- neat a natura divina undequaque distincta. Mirare rursus quo acumine S. Athanasius, sicut illi Patres Antiocheni, ab utroque excessu caveat; affirmata unitate perfecta, monet eam non esse in naturis, sed in hypostasi reperiendam. Alibi quoque idem Doctor perfectam unitatem et identita- tem proclamat illius « qui ante saecula ex Patre, et in ultimis diebus ex Virgine exortus est » [4].

g) S. *Gregorius Naz.* pariter geminam naturam cum uni-

[1] *Adv. Noët.*, n. 15. — *P. G.*, t. x, col. 824, sq.
[2] *Epist. Synod.*, ad Paul. Samos. (l. c., c. 1039, sqq.).
[3] *Ctr. Apollin.*, l. I, n. 12. — *P. G.* t. XXVI, col. 1113.
[4] Orat., 4, n. 36. — *P. G.* XXVI, col. 524.

tate Christi componit: « Id quod erat exinanivit; id quod « non erat, assumpsit: non duo factus, sed *unum* ex duplici « natura fieri sustinens. Ambo enim Deus, nimirum quod « assumpsit, et quod assumptum est ». Scilicet natura divina est per se Deus, natura humana in Christo est deificata. At quomodo? ex unificatione naturarum? absit. Sed « duae « naturae *in unum* concurrentes, non duo filii » [1]; hoc est, ita concurrentes ut in singularitate hypostaseos, quae per filium personaliter exprimitur, suam habeant unitatem.

h) Nec minus efficaciter, imo adhuc pressius *S. Chrysostomus* in mirabili sua epistola ad Caesarium monachum: « Etsi enim duplex natura, verumtamen indivisibilis, et indis- « sipabilis unitio, *in una* [2] filiationis confitenda *persona,* et « *una subsistentia* ».

Et haec de Graecis Patribus ante-ephesinis satis.

2) Ex latinis habemus imprimis *a*) *Tertullianum,* strenuum unitatis Christi vindicem, cuius satis sit haec afferre verba iure famosa: « Videmus duplicem statum, non confusum, « sed coniunctum *in una persona,* Deum et hominem Iesum. « De Christo autem dissero. Et adeo salva est utriusque pro- « prietas substantiae, ut et Spiritus res suas egerit in illo, id « est, virtutes et opera et signa; et caro passiones suas functa « sit, esuriens sub diabolo, sitiens sub Samaritide, flens Laza- « rum, anxia usque ad mortem; denique et mortua est » [3].

b) Minus quidem, at pro mente nullo praeiudicio capta, sat aperte idem docet *S. Cyprianus:* « Et homo et Deus « Christus ex utroque genere concretus, ut mediator esse « inter nos et Patrem posset » [4].

c) *S. Ambrosium* eamdem doctrinam tradidisse, diserte ostendit locus quem eiusdem Doctoris contra Eutychen attulimus [5]. Nam, uti recte animadvertit cl. Simar, eadem testimonia plerumque geminum errorem Eutychetis et Nesto- rii convellunt [6]. - In Symbolum quoque Apostolicum ps. - Ambrosius scribit: « Vescentes pariter ac bibentes cum eo,

[1] Or. 37. (al. 31.). — *P. G.* XXXVI, col. 284, sq.
[2] *P. G.* t. LII, col. 760. Lege epistolam integram.
[3] *Adv. Prax.*, c. 27. — *P. L.*, t. II, col. 215.
[4] *Test. adv. Iud.*, II, 10. — *P. L.* t. IV, col. 733.
[5] *De Incarn.*, 5. Cf. p. 85. — Idem dic de textu S. Hilarii ibidem allati.
[6] *Lehrbuch der Dogmatik,* t. I, p. 448.

« hominem verum ac Deum videbant. Non tamen quod alter « Deus et alter homo esset; sed *unus* atque *idem* esset Filius « Dei et Filius hominis » [1].

d) S. *Hieronymus* explicitus est valde: « Haec dicimus, « non quod alium Deum, alium hominem esse credamus, et « duas personas faciamus in Filio Dei, sicut nova haeresis « calumniatur; sed unus atque idem Filius Dei et Filius « hominis est » [2].

e) S. *Augustini* doctrinae placet parumper immorari. Et primo quidem unitatem personae seu in persona diserte praedicat: « Christus Iesus, Dei Filius, est et Deus et homo. Deus « ante omnia saecula, homo in nostro saeculo. Deus, quia « Dei Verbum, Deus enim erat Verbum. Homo autem quia « in *unitatem personae* accessit Verbo anima rationalis et « caro. - *Unus* Dei Filius, *idemque* hominis Filius; unus ho- « minis filius, idemque Dei filius: *non duo* Filii Dei, Deus « et homo, sed *unus* Dei Filius: Deus sine initio, homo a « certo initio, Dominus noster Iesus Christus » [3]. Et alibi: « Verbo itaque Dei *ad unitatem personae* copulatus, et « quodammodo commixtus est homo, cum veniente pleni- « tudine temporis missus est in hunc mundum factus ex « femina Filius Dei, ut esset et Filius hominis propter filios « hominum » [4]. Et: « Nunc vero ita inter Deum et homines « Mediator apparuit ut in *unitate personae copulans utram-* « *que naturam* [5], et solita sublimaret insolitis, et insolita « solitis temperaret » [6].

In aliis locis, licet non directe utatur formula « in unitatem personae », tam arcte proclamat inseparabilitatem Christi, ut haec unitas inde manifeste eluceat. « Nec separari fas « est Filium hominis a Filio Dei, quia ipse Filius Dei factus « est Filius hominis, non mutando quod erat, sed assumendo « quod non erat » [7].

[1] C. 31. Alias *de Trin. P. L.* t. XVII. col. 571. - Auctor est episc. hisp. v. saec.

[2] Epist. ad Hedib., q. 9. — *P. L.* t. XXII, col. 996. — Cf. Comm. in Ep. ad Ephes., 1, 3.

[3] *Enchir.*, c. 35. — *P. L.* t. XL, col. 249. sq.

[4] *De Trin.*, l. IV, 20, 30. — *P. L.* t. XLII, col. 909.

[5] Mirare pulchritudinem huius brevissimae sententiae, geminum dogmatis aspectum nitidissime exprimentis.

[6] Epist. 137 (al. 5), 3, 9. — *P. L.* t. XXXIII, col. 519.

[7] Epist. 238 (al. 164), 4, 21. *P. L.* t. XXXIII, col. 1046.

Et solvens difficultatem moveri solitam ex locutione Christi: « Pater maior me est », haec scribit: « Neque enim « sic accepit formam servi ut amitteret formam Dei, in qua « erat aequalis Patri. Si ergo ita accepta est forma servi ut « non amitteretur forma Dei, cum et in forma servi et in « forma Dei *idem ipse* sit Filius unigenitus Dei Patris, in « forma Dei aequalis Patri, in forma servi mediator Dei et « hominum homo Christus Iesus; quis non intelligat, quod « in forma Dei etiam *ipse se ipso* maior est, in forma autem « servi etiam *se ipso* minor est »? [1] Qui sane loquendi modus omni nervo careret, imo veritate destitueretur, nisi unitas Christi esset stricte unitas personae.

Ex dictis ergo patet, etiam ante exortam Nestorii haeresim, consensum Patrum tum Graecorum tum Latinorum, personae unitatem quam ille inficiaturus erat, sive expressis, sive aequivalentibus sententiis propugnasse.

II. Iam afferre testimonia Patrum qui post controversiam vel in ipsa controversia Nicaena scripserunt, esset absque peculiari fructu in vastum se coniicere pelagus [2]. Quare pauca de his speciminis gratia satis sint, utrimque scilicet unum scriptorem prae aliis afferendo, ex Graecis S. Damascenum, ex Latinis Boëthium [3].

1) Profunde *Damascenus* unionis hypostaticae modum his verbis contemplatur. « Non est necesse naturis invicem « secundum hypostasim counitis, ut unaquaeque propriam « habeat hypostasim; nam fieri potest, ut in unam incur- « rant hypostasim; nec eas insubsistentes esse, nec unam- « quamque propriam retinere subsistentiam, sed unam eam- « demque hypostasim habere utramque naturam. Nam ipsius « Verbi hypostasis utriusque naturarum hypostasis existens, « nullam insubsistentem esse permittit, nec alterius esse « hypostaseos, neque quandoque quidem huius, quandoque

[1] *De Trin.*, I, 7, 14. *P. L.* t. XLII, col. 828, sq. — Plura alia loca assignata vide apud Schwetz (*Theol. dogm.*, t. II, p. 371).

[2] Vide apud Schwetz (loc. cit.) allata opera S. Cyrilli Alex., Cassiani, Procli, Theodoti Ancyrani, Ioannis Maxentii, Leontii Byzantini, Theodori Abucarae, Leporii, Marii Mercatoris, Capreoli, S. Prosperi, S. Leonis Magni, Fausti Regiensis, Virgilii Tapsensis. — Cf. et Permaneder (*Bibl. Patrist.*, t. I, p. 276 sqq.).

[3] Cf. et textus S. Cyrilli Alex. in corollario secundo afferendos.

« vero illius, sed semper utriusque indivisibiliter et inse-
« parabiliter est hypostasis; nec secta et divisa, partem
« quidem sui huic, partem vero illi distribuens, sed tota
« huius, tota illius impartibiliter et plenissime existens. Non
« enim in propria subsistentia sustentata est Dei Verbi caro,
« nec in alia hypostasi facta est, quam in Dei Verbi hypo-
« stasi; sed in ipso sustentata et subsistens potius, nec secun-
« dum propriam subsistens hypostasim facta est. Quapropter
« nec insubsistens est, nec Trinitati superaddit hypostasim » [1].

De quibus Damasceni verbis sermo redibit, ubi de ipsa unionis hypostaticae formali ratione ex professo inquiremus.

2) *Boëthius* in praelaudato opere *De duabus Naturis* Nestorianismum optimis argumentis convellit. Praemissa definitione *personae*, per exclusionis processum, quem in tractatu *De Deo Trino* fuse descripsimus, discrimen determinat quod interiacet inter naturam et personam, ut ita sibi viam sternat ad utrumque errorem depellendum. Ibi subtiliter disserit de modo quo se habent haec quatuor οὐσία seu essentia, οὐσίωσις seu subsistentia, ὑπόστασις seu substantia, πρόσωπον seu persona. Ubi hoc advertit, quoad philosophicam originem, - a modo scilicet quo se habet ad accidentia quibus substat, - idem sonare ὑπόστασιν Graecorum et *substantiam* Latinorum; at differre in usu, quum materialis ambitus substantiae latius pateat apud Latinos quam ὑποστάσεως apud Graecos, qui hoc nomine nonnisi entia rationalia decorant. Quare materialiter magis synonyma sunt apud Graecos ὑπόστασις et πρόσωπον, quam apud Latinos substantia et persona. Unde et in latino sermone accepta est vox hypostasis ad philosophice id exprimendum quod vocabula πρόσωπον et persona quoad etymologiam nonnisi imperfecto modo significant [2].

Acquisita ope huius discursus Boëthius hoc modo contrahit et applicat. « Est igitur et hominis quidem essentia,
« id est οὐσία, et subsistentia, id est οὐσίωσις, et ὑπόστασις,
« id est substantia, et πρόσωπον, id est persona: οὐσία quidem

[1] *De Fide*, l. III, c. 9.

[2] Hoc tam verum est, ut inde Nestorius interdum personae, nunquam vero hypostasis unitatem in Christo agnoverit; et Theosophi conceptum personae ut inferiorem habeant conceptu individui. Sed de his mox.

« atque essentia, quoniam est; οὐσίωσις vero atque subsi-
« stentia, quoniam in nullo subiecto est; ὑπόστασις vero atque
« substantia, quoniam subest caeteris, quae subsistentiae non
« sunt, id est οὐσιώσεις; est πρόσωπον atque persona, quo-
« niam est rationabile individuum. Deus quoque et οὐσία est
« et essentia: est enim, et maxime ipse est, a quo omnium
« esse proficiscitur; est οὐσίωσις, id est subsistentia: subsistit
« enim nullo indigens; et ὑφίστασθαι, substat enim. Unde
« etiam dicimus unam esse οὐσίαν vel οὐσίωσιν, id est essen-
« tiam vel subsistentiam deitatis; sed tres ὑποστάσεις, id est
« tres substantias. Et quidem, secundum hunc modum, dixere
« unam Trinitatis essentiam, tres substantias, tresque per-
« sonas » [1].

Iam accedens ad confutationem utriusque erroris ex eadem confusione profluentis, hypostaseos scilicet cum natura, prius, servato ordine historico, uti diximus, confutat Nestorium. Argumenta autem quae affert ad tria reduci possunt:

Duas in Christo ponere personas, est 1) ipsum Christum negare; 2) tollere mirabilem celsitudinem quae Christo soli competit; 3) destruere efficaciam operis Redemptionis.

Placet de his tribus argumentis ipsum Boëthium audire.

a) Primum ita stringit. « Si enim non est Christi una
« persona, - duasque naturas esse manifestum est, hominis
« scilicet atque Dei (nec tam insipiens quisquam, ut utramli-
« bet earum ratione seiungat), - consequitur ut duae videan-
« tur esse personae: est enim persona, ut dictum est, naturae
« rationalibilis individua subsistentia. Quae est igitur facta
« hominis Deique coniunctio? Num ita quasi cum duo cor-
« pora sibimet apponuntur, ut tantum locis iuncta sint, et
« nihil in alterum ex alterius qualitate perveniat? quem
« coniunctionis modum Graeci κατὰ παράθεσιν vocant. Sed
« si ita humanitas divinitati coniuncta est, nihil horum ex
« utriusque confectum est, ac per hoc *nihil est Christus*. At
« si, duabus personis manentibus, ea coniunctio, qualem supe-
« rius diximus, facta est naturarum, unum ex duobus effici
« nihil potuit: omnino enim ex duabus personis nihil unquam
« fieri potest. Nihil igitur unum secundum Nestorium Chri-

[1] C. 3. — *P. L.* t. LXIV, col. 1345.

« stus est, ac per hoc omnino nihil: quod enim non est unum, « nec esse omnino potest; esse enim atque unum convertitur, « et quodcumque est, unum est; etiam ea quae ex pluribus « coniunguntur, ut acervus, chorus, unum tamen sunt. Sed « esse Christum manifeste et veraciter confitemur: unum « igitur esse dicimus Christum. Quod si ita est, unam quoque « Christi sine dubitatione personam esse necesse est » [1].

b) Alterum argumentum non minus eloquenter evolvit: « *Quid* vero *novi,* per adventum Salvatoris, effectum est? « nam catholicis et fidei veritas et raritas miraculi constat. « Quam enim magnum est, quamque novum, quod semel « nec ullo alio saeculo possit evenire, ut eius, qui solus « est natura Deus, cum humana, quae ab eo erat diver- « sissima, conveniret; atque ita, ex distantibus naturis, una « fieret copulatione persona. Secundum Nestorii vero senten- « tiam, quid contigit novi? Servant, inquit, proprias huma- « nitas divinitasque personas. Quando enim non fuit divini- « tatis propria humanitatisque persona? quando vero non « erit? vel quid amplius in Iesu generatione contigit, quam « in cuiuslibet alterius, si, discretis utrisque personis, discre- « tae etiam fuere naturae? Ita enim, personis manentibus, « illic nulla naturarum potuit esse coniuntio, ut in quolibet « homine, cuius cum propria persona subsistat, nulla est ei, « excellentissimae substantiae, coniuncta divinitas » [2].

Imo ingeniose addit, non apparere rationem, cur non etiam irrationales creaturae per quas Deus mirabilia veluti per instrumenta operatus est, eodem Christi nomine decorari possint, si homo ille Iesus non ob personalem cum Deo unionem Christus sit.

c) Tertium autem argumentum pari efficacia his verbis urget: « Non est igitur salvatum humanum genus, nulla in « nos salus Christi generatione processit, tot prophetarum « Scripturae populum illusere credentem; omnis Veteris « Testamenti spernatur auctoritas, per quam salus mundo « Christi generatione promittitur. Non autem provenisse « manifestum est, si eadem in persona est quae in natura « diversitas: eumdem quippe salvum fecit, quem creditur

[1] C. 4. — Ibid. col. 1345, sq.
[2] Ibid. col. 1346.

« assumpsisse; nulla vero intelligi potest assumptio, si manet « aeque naturae personaeque discretio. Igitur qui assumi « manente persona non potuit, iure non videbitur per Christi « generationem potuisse salvari. Non est igitur, per gene- « rationem Christi, hominum salvata natura; quod credi « nefas est. Sed quanquam permultae sint quae hunc sensum « impugnare valeant atque perfringere, de argumentorum « tamen copia haec interim libasse sufficiat » [1].

Quae doctrina sane altissima ab exordiis Ecclesiae in confesso, abhinc semper magis magisque expresse in Ecclesia praedicata est, ita ut *unio hypostatica* sit formula apprime dogmatica [2]. Et sane quam identitatem subiecti Symbolum Nicaenum de Christo proclamat, hymnus ille sublimis in honorem Trinitatis et Redemptionis, *Te Deum* indubitanter collaudat. Etenim ille ipse qui ibi *Sanctus* celebratur, utpote secunda persona SS. Trinitatis, mox idem prorsus invocatur: « *Tu* Rex gloriae Christe, *tu* Patris sempiternus es Filius, « *tu* ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Vir- « ginis uterum, etc. ». Quo spectaret istud idem *Tu* toties iteratum, nisi revera idem esset prorsus, qui Deus est et Homo?

Sed haec ipsa formula sermonem flectit ad quasdam obiectiones a nestoriane sapientibus opponi solitas.

2) Quaedam Difficultates depelluntur.

Praeter obiectiones numero paucas et pondere levissimas ex Scripturis desumptas, - de quibus vel iam verbulum fecimus, vel infra sermo redibit, ubi de adoratione Christi agetur, - quaedam difficultates haud sane maiores ex modo loquendi aliquorum Patrum obiici solent, quasi tanta testium maiestas per ambiguas quasdam formulas interdum adhibitas posset ulla ratione imminui aut obfuscari.

1) Et quidem primo ecce tibi disertum testimonium S. Ioannis Chrysostomi, qui non solum ait Christum esse duo, sed in eo personam geminat ratione ipsius hypostaseos. In commen-

[1] C. 4, col. 1347.

[2] Cf. dicenda in uno ex corollariis.

tario epistolae ad Hebraeos [1], exponens verba psalmi ibidem adducti [2]: « Unxit te Deus, Deus tuus », ait: « Hic (Apostolus) « et Iudaeos, et Pauli Samosateni asseclas, et Arianos, Mar- « cellumque et Sabellium feriit et Marcionem. Quomodo ? « Iudaeis quidem ostendens *unum esse duo* et Deum et homi- « nem.... Adversus Marcellum et alios, quod sint *duae personae* « *divisae per hypostasin;* adversus Marcionitas autem, quod « divinitas ungatur, sed humanitas. Ἐνταῦθα καὶ Ἰουδαίους, « καὶ τοὺς Παύλου, τοῦ Σαμοσατέως, καὶ Ἀρειανούς, καὶ Μάρ- « κελλον, καὶ Σαβέλλιον ἔβαλε καὶ Μαρκίωνα. Πῶς; Ἰουδαίους « μέν, δύο τὸν αὐτὸν δεικνὺς, καὶ Θεόν, καὶ ἄνθρωπον.... Πρὸς « Μάρκελλον καὶ τοὺς ἄλλους, ὅτι δύο ἐστὶ ταῦτα πρόσωπα « διηρημένα κατὰ τὴν ὑπόστασιν· πρὸς δὲ Μαρκιωνιστὰς, ὅτι ἡ « θεότης οὐ χρίεται ἀλλ' ἡ ἀνθρωπότης ». Sed responsio in promptu iacet. *a*) Formula: *Unum esse duo* (et non duos) significat, *unum* numero Christum habere duas naturas, ac proin esse simul Deum et hominem. Proin nedum haec locutio nestoriane sapiat, convellit brevissime utrumque tum Nestorii tum Eutychetis excessum. - *b*) Duae autem *personae divisae per hypostasin* non intelligendae sunt in Christo, sed, contra Monarchianos, in Divinitate, iuxta Psalmistae verba: « Deus, Deus tuus », quae evidenter duas personas ab invicem discretas supponunt. Hanc esse Chrysostomi mentem per hoc solum factum corroboratur, quod nunquam Nestoriani in partes suas auctoritatem huius tanti viri trahere conati sint, licet res fuisset facillima, si revera tam aperte duas in Christo hypostases ipse praedicasset. Ex opposito autem a catholicae veritatis propugnatoribus, imprimis a S. Cyrillo et a Papa S. Caelestino, nomen Chrysostomi tamquam princeps est passim adductum [3].

2) Altera difficultas movetur ex hoc, quod Patres non

[1] C. I, Hom. III, n. 1. — P. G. t. LXIII, col. 28, sq.

[2] Ps. XLIV, 8.

[3] « Numquid qui illum (Nestorium) antecesserunt, doctrinae fidei operam non « dederunt? Numquid eloquentior est Ioanne? » Ita Cyrillus in epist. ad clerum Constantinopolitanum. - Et S. Caelestinus, in epist. 14. ad eiusdem ecclesiae populum et clerum: « Ut a recentioribus inchoëmus, quid non animis vestris eruditio sanctae me- « moriae episcopi Ioannis infudit, cuius sermo adstruens catholicam fidem toto orbi « diffusus est? » Cf. de hac locutione S. Chrysostomi dissertationes Gabrielis Danielis S. I. et Ignatii Tentscher. S. J. (ap. Zachariam, *Thesaur. theolog.* t. IX.). — Cf. et Perrone (op cit. t. IV, p. 219.).

solum dicunt Verbum assumpsisse humanam naturam, sed et *hominem,* id est humanam personam.

Responsio aeque facilis est. *Homo* duplicem significationem habet: formalem, scilicet *naturae* humanae, et materialem, scilicet *individui* humani. Quo sensu autem sumatur, a contextu et argumenti indole determinandum est, non a priori proclamandum. Unde quum aliunde ex eisdem Patribus constet, eos naturae assumptionem prae oculis habere, ad hunc sensum alibi praefixum haec ambigua locutio trahenda est.

Caeterum de hoc loquendi modo in art. 3.° Quaestionis IV. sermo recurret; quare satis sit hic attulisse textum S. Augustini, ubi iste loquendi modus per comparationem illustratus ad sensum apprime catholicum trahitur. « Filius « hominis habet animam, habet corpus; filius Dei, quod est « Verbum Dei, habet *hominem,* tanquam anima corpus. « Sicut anima habens corpus, non facit duas personas, sed « unum hominem: sic Verbum habens hominem, non facit « duas personas, sed unum Christum » [1].

3) Obiiciunt pariter, Patres unionem personalem in Christo concipere ad modum alicuius *compositionis.* Quam frequens apud Patres sit locutio « *hypostasis Christi* composita », ex Petavio disces [2]. Ita Ephraemius Antiochenus Patriarcha ait: « In unitione quae est secundum hypostasim, merito compo- « sitionem pia fides profitetur. At compositam essentiam « nemo dicere est ausus, praeter Apollinarem. Porro Do- « minus ostendens, hypostasim suam esse compositam, non « autem naturam, etc. » [3].

Imo Consilia eadem formula esse usa, in articulo quarto huius Quaestionis videbimus; ubi valorem dogmaticum istius formulae iuxta S. Thomam perpendemus. Interim praesenti scopo sufficiat ostendere, Patres compositionem in Christi admisisse, non propter ipsam hypostasim in se formaliter consideratam, sed propter duplicem naturam quae materialiter, ut ita dicam, in ea subsistit. Hoc evidenter intendit, v. gr., Psellus quando brevissime asserit, esse « fidei defini-

[1] *In Ioann.* tract. XIX. — P. L. t. XXXV, col. 1553.

[2] Op. cit. l. III, c. 12. n. 4, etc.

[3] Apud Photium, ibidem.

« tionem, ut una dicatur ex duabus esse naturis hypostasis « composita » [1]. Et S. Nazianzenus idem his verbis significat: « Quis potest solvere et interpretari Verbi nobiscum copu- « lationem? et quomodo ille qui simplex est, compositus sit « assumptione carnis, et materiae expers particeps materiae « factus? » [2]. Et presse S. Augustinus ait: « Persona Christi « mistura est Dei et hominis » [3].

De controversia theologica circa legitimitatem formulae: « hypostasis composita Christi », vide dicenda in fine art. 4.

Et quod de hypostasi composita hic dicimus, valet etiam de formulis magis expressis in quibus dicitur *gemina,* vel *duplex*. Quae tamen ultima formula magis ansam praebebat Nestorianis, ut eam ad sua placita traherent. Quare S. Cyrillus Nestorianismi malleus, negat Christum esse duplicem, ne id concedendo ob duas in eo naturas, id affirmare videretur ob geminam in eo personam. Inde iam distinctio adhibita est, ut duplex Christus diceretur naturis, non autem persona. Ita Mopsuestus in defensione fidei ad Ioannem Cubicularium ait: « non esse duplicem *hypostasi*, sive persona » [4]. Et S. Cyrillus ait: « Voces autem Salvatoris nostri quae in « Evangelio leguntur nec in hypostases duas, nec in perso- « nas dividimus. Non enim duplex est *unus* ille ac *solus* « Christus, tametsi *duabus* et diversis ex *rebus* constare « intelligatur » [5].

Caeterum, si compositio quam patres in Christo agnoscebant, fuisset compositio duplicis hypostaseos, quomodo potuissent Eutychiani eisdem locutionibus abuti ad errorem suum de naturarum in Christo mixtura fulciendum?

4) Insistunt adversii urgentes comparationes quibus Patres Incarnationem illustrare solent, et quae inter utramque in Christo naturam nonnisi accidentalem unionem ponere videntur, ac proin geminae personae spatium relinquunt. Ita assumpta natura vocatur *vestis, templum, organum, sponsa* [6]. De quibus nominibus alibi ex professo disseremus. Interim satis

[1] *Polit. vers.* — P. G. t. CXXII, col. 813.
[2] *Caten. Nicet.* c. 3.
[3] *Ad Volus.* c. 3. n. 11. — *P. L.* t. XXXIII, col. 520.
[4] Cf. PETAV. loc. cit.
[5] Epis. ad Nestor. *de excommunicatione.* — *P, G.* t. LXXVII, col. 116.
[6] Cf. PETAVIUM (op. cit. l. VII, c. 10, sqq.).

sit animadvertere, has expressiones valde efficaces esse ad vindicandam distinctionem naturarum quod ex se patet propter distinctionem; nec offendere unitatem personalem, propter intimum connubium quod insinuant et etiam - dempta comparatione cum sponsa - propter inferioritatem adiecti, quod dignitatem personalem non comportat. Caeterum origo harum comparationum simplicissima est. Desumuntur enim ex Scripturis ipsis, in quibus humana Christi natura describitur uti domus a Sapientia sibi extructa, uti sponsa divinitati copulata, uti habitus quo Verbum induitur, uti organum per quod nos idem alloquitur. Imo nonne ipse Christus corpus suum templum appellavit? Nonne ipse Ioannes ait, Verbum in nobis habitasse?

De aliis quibusdam appellationibus infra dicemus in Quaestione XVI. Et haec satis sint ad concordiam traditionis catholicae circa unitatem personae in Christo exhibendam atque vindicandam.

Concludamus verbis ipsius S. Cyrilli Alexandrini: « Hoc « accurata fidei doctrina ubique praedicat: hoc sanctos Patres « sensisse reperiemus » [1].

COROLLARIA.

Ex dictis in hoc et in praecedenti articulo sequuntur quaedam corollaria magni momenti.

Corollarium I. - Licet loquendi modus stimulante errorum colluvie per controversias ipsas nitorem maiorem acquisierit, usque ad determinatas dogmaticas formulas ab omnibus deinceps receptas canoniceque sancitas; fides nihilominus in Christum, unam personam in gemina natura, ab exordiis Ecclesiae ita in confesso fuit, ut nulla legitima unquam de eadem fide dubitatio extare potuerit. Rectissime igitur Cardinalis Franzelin hanc constantem traditionem his verbis vindicat: « Fidem in unum Iesum Christum Deum et homi- « nem, quae V. saeculo adversus Nestorianos operosius vin- « dicata est, primis tribus saeculis eamdem communem apud

[1] Epist. 2. ad Nestor. (ed. Migne, ep. 4). — Ibid. col. 48.

« omnes fideles viguisse, demonstratur ex vetustissimorum « Patrum monumentis, qui " universalem credendi normam « et certam regulam " in catholica et apostolica Ecclesia « custoditam adversus haereticos declarandam tuendamque « susceperunt, eamdemque demonstrant tum martyrum con- « fessiones coram tyrannis editae tum ipsae infidelium ad- « versus doctrinam christianam calumniae » [1]. Quare caute legendi sunt quidam moderniores theologi e castris eorum qui methodo positivae quasi unice adhaerent, quin medullam veritatis sub verborum cortice latentem satis attendant atque penetrent. Dantur certe dogmata de quibus dubitatio per temporum stadia licuit, imo sat frequens extitit, uti de Immaculata Conceptione B. M. V., de infallibilitate Romani Pontificis, de regno millenario, etc. At de personali unitate hominis et Dei in Christo, deque gemina eius natura, vere Christianum dubitare nunquam licuit.

Corollarium II. - Formula maxime dogmatica ad exprimendam catolicam contra Eutychen fidem, est illa quae dicitur *unio secundum hypostasin*, ἕνωσις καθ' ὑπόστασιν, *unio hypostatica*, ἕνωσις ὑποστατική. Placet audire quomodo S. Cyrillus eam contra Nestorium describit ac vindicat: « Verbum, « unita sibi *secundum hypostasin* carne animata anima ratio- « nali (σάρκα ἐμψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ ἑνώσας ὁ Λόγος ἑαυτῷ « καθ' ὑπόστασιν), inexplicabili incomprehensibilique modo ho- « minem factum et hominis filium extitisse, non per solam « voluntatem aut beneplacitum, sive per solam personae « assumptionem. Et quamvis naturae sint differentes, vera « tamen unione coeuntes, *unum* nobis Christum et Filium « effecisse. Non quod naturarum differentia propter unionem « sublata sit, verum quod divinitas et humanitas secreta « quadam et ineffabili coniunctione *in unitatem unum* nobis « Iesum Christum et Filium constituerint » [2]. Quam unionem S. Cyrillus illustrat per exemplum ex hominis unitate desumptum. « Unitus secundum naturam et non in carnem

[1] Op. cit. Th. XVIII. Lege hanc totam tractationem perdocti Cardinalis, praesertim quoad veram indolem doctrinae Nestorii necnon Theodori Mopsuesteni (th. XXII, XXIV). — Cf. et eruditissimum opus P. STENTRUP. S. J. (*Praelationes dogmaticae de Verbo Incarnato*. Pars Prior. t. I, vol. I, p. 304, sqq.).

[2] Ibid. — *P. G.* t. LXXVII, col. 456.

« mutatus, talem effecit inhabitationem qualem hominis anima « erga sibi proprium corpus habere dici potest » [1]. Et: « Si « unum dicis Filium, et unam hypostasim Verbi incarnatam, « non ipse erit divinitatis organum, sed utetur potius proprio « corpore tamquam organo, ut nimirum hominis anima. Ergo « unum fatere, non dividens naturas (scilicet non illas seiun- « gens per duplex subsistentiae principium), simul intelligens « et sentiens, aliam esse carnis, aliam divinitatis rationem, « quae illi ac soli conveniat ». Neque enim illam Verbi « carnem dicimus factam esse divinitatem, sed potius *divi-* « *nam, ut illius propriam.* Nam si hominis caro humana « dicitur, quid prohibet etiam divinam dicere illam quae est « Dei Verbi caro? » [2].

Ex his verbis, et ex omnibus auctoritatibus supra allatis constat, unionem hypostaticam esse vere ac stricto sensu ontologicam et substantialem. De quo aspectu dogmatis mox dicemus in articulo 6° huius quaestionis; ubi ex professo confutabimus fraudes Nestorianas antiquas, et inter modernas, illam praecipuam quae Guntherianismus audit.

Quod autem abstracta formula dicit: « unio hypostatica, concrete dicit brevissima appellatio Θεάνθρωπος *Deus-Homo.* Quare huic tractatui titulum assignavimus *De Deo-Homine.*

Corollarium III. - Ad strictum sensum hypostaseos in quaestione Nestoriana determinandum, id est, pro substantia prima, parum refert utrum apud antiquos in hac significatione occurrat, necne. Vocabula mutare virtutem pro temporum adiunctis idiomatumque evolutione, iam vidimus ubi in tractatu de SS. Trinitate vocis *personae* genesim descripsimus.

Porro si philologice et genetice hypostasim consideramus, verum est, apud antiquos eam de substantia maxime prima nunquam occurrere. « Qui graecam, ait historicus Socrates, « apud Graecos philosophiam tradiderunt, substantiam (τὴν « μὲν οὐσίαν) pluribus modis definierunt; hypostaseos vero nul- « lam mentionem fecerunt (ὑποστάσεως δὲ οὐδ' ἡντινα οὖν

[1] Epist. 3. ad Nest. — *P. G.* t. LXXVII, col. 112.

[2] *Ctr. Nestor.* l. II, c. 8. — *P. G.* t. LXXVI, col. 96. — Lege de vi huius formulae dogmaticae laudatum STENTRUP (th. XIV, vol. I, p. 281, sqq.).

« μνήμην πεποίηνται) » [1]. Grammaticus Irenaeus in Lexico « Atticisti » hanc vocem barbaram appellat, saltem in sensu quo postea usurpata est. Apud Sophoclem in tragoedia Phenice occurrit ad significandas *insidias,* veluti sublatentes; in Menandro *condimentum* significat, quia perinde ac faex in dolis, subiacet in ima patina. Et re vera, iuxta etymon vocis, hypostasis in origine dicebat fulcimentum, fundamentum, substructionem; tum etiam logice principium, et figurative constantiam animi, intimum mentis consilium. A qua significatione ad substantiam designandam gressus erat valde facilis; satis enim erat considerare habitudinem substantiae ad accidentia quibus substat. A qua rursus acceptione ad significandam substantiam uti totam in se subsistentem, parum aberat [2].

Disputant inter se theologi, num S. Paulus ὑπόστατιν in sensu hypostaseos, sive substantiae *primae,* adhibuerit in sententia: « Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae « eius; Ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστά- « σεως αὐτοῦ » [3]. Alii affirmant. Alii cum Petavio negant; sed dicunt, ὑπόστασιν hic significare essentiam. Alii, cum Stentrup [4], sumentes αυτου non in sensu demonstrativo, sed reflexivo, putant hypostasin hic significare *principium*, ita ut sensus sit: Filium esse figuram sui principii, scilicet Patris. Et sane in quatuor aliis locis in quibus S. Paulus eamdem vocem adhibet, ὑπόστασις significat *fundamentum. a*) « Ne « cum venerint Macedones mecum, et invenerint vos impa- « ratos (ad Corinthios scribit), erubescamus nos, - ut non dica- « mus vos, - in hac substantia, ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ » [5]: scilicet in hoc fundamento gloriationis. - *b*) In epistola eadem: « Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in « insipientia, in hac substantia gloriae, ἐν ταύτῃ τῇ ὑποστάσει « τῆς καυχήσεως » [6]. Verte substantiam per fundamentum, et sensus patet. - *c*) In epistola ad Hebraeos: « Participes enim « Christi effecti sumus, si tamen initium substantiae eius

[1] *Hist. Eccl.* l. III, c. 7.
[2] Cf. STENTRUP (op. cit. th. XXI).
[3] HEBR. I, 3.
[4] Ibid.
[5] II. COR. IX, 4.
[6] Ibid. XI, 17.

« (τῆς ὑποστάσεως) usque ad finem firmum retineamus » [1]. Ubi rursus initium fundamenti intelligendum est. - *d*) Demum notissima definitio fidei, in eadem epistola tradita, exigit vocabulum ὑπόστασιν eodem modo illustrari: « Est autem fides « sperandarum substantia (ὑπόστασις, id est, fundamentum) « rerum, argumentum non apparentium » [2]. Ex his sane concludere licet, vocem ὑπόστασις in sermone Paulino nondum habere significationem substantiae.

Porro in primis saeculis christianis incoepit quidem adhiberi in sensu substantiae, sed passim *secundae,* ita ut usque ad Concilium Nicaenum ὑπόστασις esset veluti synonymum οὐσίας. Imo in ipsis huius synodi actis ita usurpatur: damnat enim eos, qui cum Arianis asserunt Verbum ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας. Attamen praevalebat iam tunc vox οὐσία prae ὑποστάσει ad substantiam secundam designandam, uti ostendit ipsa formula dogmatica ὁμοούσιος.

In stadio, per quod nondum clare apparebat discrimen in usu vocabulorum οὐσίας et ὑποστάσεως, confusiones illae ortae sunt, contra quas vidimus, agentes de SS. Trinitate, Hieronymum olim ad Papam Damasum tam vehementer esse conquestum [3]. At haec ipsa controversiarum necessitas compulit, ut iam pressius vocabula discernerentur et ὑπόστασις staret pro οὐσία πρώτη. Unde quo tempore Nestoriana procella suborta est, vix adhuc apud catholicos Patres de hac significatione dubium extabat [4]. Haeresiarcha utique, ex praeconcepto iudicio, dilemma quovis modo urgere conabatur: aut unum in sensu morali, iuridico; aut unum etiam secundum singularem naturam. Contra quem catholici dogmatis defensores utrumque negabant, medium ponentes, unam scilicet hypostasim, et tamen duas in ea naturas.

[1] Hebr. III, 14.

[2] Ibid. XI, 1.

[3] *De Deo Trino* pag. 284. — Haec confusio pro Latinis augebatur ex hoc quod vocabulum substantia esset translatio vocis ὑποστάσεως. Unde et Augustinus adhuc scribebat: « Nescio quid volunt interesse inter οὐσίαν et ὑπόστασιν ». (*De Trin.* l. v. c. 8, in fine. — Ibid. col. 917.

[4] Nec potuisset Nestorius tam constanter recusare unionem hypostaseos, nisi significatio huius vocis fuisset ab omnibus accepta. Versatilis fuit in pluribus aliis formulis; in hac autem non. Unde non possum subscribere P. Stentrup opinanti, vocem ὑπόστασιν in tertio anathematismo Cyrilli non usurpari in stricto sensu principii subsistentis Cf. dicenda in appendice articulo 6. adnexa. — Op. cit. pp. 302, 382.

Corollarium IV. - Pluries iam disputatio nos adduxit, ut ostenderemus utrimque errores processisse ex falso axiomate philosophico circa identitatem numericam personarum et substantiarum sive naturarum individuarum; quatenus philosophi antiqui de ista distinctione nunquam cogitaverant. Noli tamen hoc assertum ita intelligere, ac si Aristoteles, v. gr., nullo modo, ut quidam putant, inter essentiam et hypostasin distinxerit. Sed licet distinxerit, ac subtilissime discrimina posuerit inter substantiam primam et secundam; nunquam tamen possibilitatem investigavit, ut ex una parte plures hypostases in una essentia, ex altera vero plures naturae in una hypostasi subsisterent. Prius nos docet SS. Trinitas; alterum Incarnatio. Unde aliquid magni momenti acquiritur. Etenim, nedum dici possit philosophiam Aristotelis dogmati christiano opponi, ex opposito principia suppeditat efficacissima ad dogma idem aliqualiter illustrandum [1].

Corollarium V. - Futiles hinc, et aliunde sunt rationes quibus rationalista vir Bayle doctrinam catholicam de Christo impugnat [2], quas plures legesis apud Perrone [3]. Falsum omnino est, omnes huius dogmatis explicationes inniti notionibus ambiguis ac confusis; nam, licet mysterium semper mysterium remaneat, validissimae suggeruntur distinctiones, etiam a rerum natura petitae, quibus aliquatenus saltem explicatur. Caeterum, factum ex apertissima revelatione constat. Unde ad illud reiiciendum, deberent adesse ex eiusdem naturae principiis *evidentes* rationes in oppositum, quae certe desunt. - Nec quidquam contra Incarnationem movetur ex eius singularitate. Quin imo haec tanta celsitudine in Scripturis praedicatur, ut nonnisi quid singulare esse possit, et a priori reiicienda sint omnes unitatis rationes quae non aliquid undequaque singulare ponunt. Et sane, si singularia respuenda essent quia singularia, quid magis singulare ipsa Divinitate? Longe melius Augustinus, cuius brevis formula, supra iam partim adducta, altissimam simul ac piissimam in se philosophiam continet. Loquens de virginea Deiparae maternitate, ait: « Si ratio quaeritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur,

[1] Lege de hoc argumento thesim XX. cl. STENTRUP (op. cit. p. 362, sqq.).
[2] Dict. art. *Pyrron.* Rem. (B).
[3] Op. cit. pag. 219, sqq.

« non erit singulare : demus Deum aliquid posse, quod nos « fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio « facti est potentia facientis » [1]. - Ideone, ut irreverenter ac sane levissime improperat Bayle, unusquisque debebit de sua personalitate dubitare, si ad hanc non sufficit coniunctio vitalis inter corpus singulare et animam singularem? Absit: nam ex universali lege haec coniunctio sufficit [2], nisi constet de aliqua altiori virtute, ratione cuius, quod secus esset totum, iam fiat superioris totius pars, aut veluti pars. - Nec ullam vim habet obiectio quam isti movent, scilicet cur non dicamus, personam humanam Christi potius quam eius humanam naturam personae Verbi substantialiter uniri? Nam, praeterquam quod de mysteriis non a priori loquendum sit, sed secundum revelationem superne de eisdem acceptam, haec hypothesis intrinsece repugnat, quum contradicat ipsissimo formali principio constitutivo personalitatis. - Neque per absentiam humanae personalitatis dignitas Christi hominis ullum detrimentum passa est, quum e contra in infinite maiorem sublimitatem sit evecta. Quidquid enim per personalitatem individuae humanae naturae accedit, eminentissime continetur in illa subsistentia divina, quae, ineffabili utique ratione, facta est proprie ac vere ipsissima subsistentia humanitatis in Homine-Deo et Deo-Homine Christo Iesu. Unde huiusmodi obiectiones non solvuntur modo, sed et efficacissime retorquentur.

Corollarium VI. Demum ex expositis hucusque liquet, inanem esse ac prorsus ridiculam doctrinam Ioannis Huss asserentis: « Duae naturae, divinitas et humanitas sunt unus Christus ». Nam quomodo possunt duo esse ratio τοῦ unius? Aut igitur haec formula habet sensum Monophysitisticum, et affirmat duas naturas in Christo coaluisse in unam; aut omittit prorsus affirmare doctrinam unionis hypostaticae; aut non admittit in Christo nisi, ad modum Nestorii, unitatem moralem et iuridicam. Et sane ex duobus seiunctis, non potest, exclusa unione substantiali ratione altioris principii,

[1] *Epist. ad Volusianum* (137, n. 6). — *P. L.* t. XXXIII, col. 519.

[2] Abstrahimus a quaestione *quomodo* sufficiat: utrum per se, an per complementum quod nunquam, ex lege naturae, non adest. Quam investigationem remittimus usque ad Q. XVII.

oriri nisi unum morale, sicuti ex duabus nationibus signa conferentibus oritur unum bellum, et ex marito et uxore una unio coniugalis. Igitur formula Hussii vel nihil dicit, vel redundat in alterutram haeresim. Quare concilium Constantiense et Martinus V. optimo iure hanc formulam damnarunt [1].

II. APPENDIX.

De Doctrina S. Anselmi et S. Bonaventurae.

Antequam in evolutione huius Quaestionis progrediamur, iuvat doctrinam S. Anselmi et S. Bonaventurae de gemina natura in una Christi persona breviter perpendere.

I. S. **Anselmus** mentem suam de hoc dogmatis aspectu exponit praesertim in libro *De Fidei Trinitatis et de Incarnatione Verbi* et in tractatu *Cur Deus homo.*

1) Ut ab hoc altero sermo oriatur, ipsa inscriptio huius subtilissimi operis est veluti tessera catholici dogmatis contra Nestorium aeque ac contra Eutychen. Etenim titulus « *cur Deus homo* » nihil aliud significat nisi, cur *persona* Dei seu Verbi, manens utique Deus, id est, nihil de *divina natura* abdicans, facta sit *eadem ipsissima* homo, id est, *humanam naturam* assumens. Et sane tota argumentatio S. Anselmi, id tantopere exigit, ut omni prorsus nervo destituatur, nisi tum personae singularitas, tum naturarum geminatio pari rigore teneantur.

Una citatio sufficiat ad huius assertionis veritatem manifestandam. Exposita necessitate solutionis pretii infiniti ad delendum peccatum primi parentis, S. Anselmus ita dialogum stringit et quasi contrahit: « *Anselmus.* Hoc autem fieri « nequit, nisi sit qui solvat Deo pro peccato hominis aliquid « maius quam omne quod praeter Deum est. - *Boso.* Ita con- « stat. - *Ans.* Illum quoque, qui de suo poterit Deo dare « aliquid, quod superet omne quod sub Deo est, maiorem « esse necesse est quam omne quod non est Deus. - *Bos.* « Nequeo negare. - *Ans.* Nihil autem est supra omne quod « Deus non est, nisi Deus. - *Bos.* Verum est. - *Ans.* Non

[1] Art. 4, ex 30 articulis Ioannis Huss insimul proscriptis. — Cf. Denzinger (op. cit. n. 525).

« ergo potest hanc satisfactionem facere, nisi Deus. - *Bos.* « Sic sequitur. - *Ans.* Sed nec facere illam debet, nisi homo; « alioquin non satisfacit homo. - *Bos.* Non videtur aliquid « iustius. - *Ans.* Si ergo, sicut constat, necesse est ut de « hominibus perficiatur illa superna civitas; nec hoc esse « valet, nisi fiat praedicta satisfactio, quam nec potest facere « nisi Deus, nec debet nisi homo; necesse est ut eam faciat « *Deus homo* » [1], unus ac idem scilicet habens utramque Dei et hominis naturam.

2) Quod ita implicite, sed iam efficacissime, in tractatu *cur Deus homo* Anselmus propugnat, explicite ac magno acumine evolvit in altera disputatione in Roscellinum directa. Iste enim negabat identitatem realem singularum personarum SS. Trinitatis cum divina natura, ne, ut falso putabat, cogeretur Patrem simul et Spiritum Sanctum cum Filio incarnatos praedicare. Inde S. Anselmus subtiliter disserit de habitudine inter personam et naturam in utroque mysterio Trinitatis et Incarnationis [2]. Caput sextum exorditur sententia quae paucis verbis hoc alterum dogma complectitur: « Suscepit autem (Filius) in unitatem personae hominem, « ut sint duae naturae: divina scilicet et humana, una « persona ».

Quum sentiat se altissimae contemplationis argumentum tetigisse, voluptati parumper eidem immorandi cedit. « De « qua unitate personae, quam firmissime credimus esse non « ex duabus personis in Christo; tamen quia potest dici unde « parum caute intuentibus videri possit Christus ex duabus « et in duabus personis existere, non inutile mihi videtur « aliquid dicere ».

Et primo quidem nervose difficultatem exponit a qua totam Nestorianismus apparentem suam virtutem desumit: « Dicunt enim quidam: Quomodo dicimus in Christo non esse « duas personas sicut duas naturas? Nam Deus et ante « hominis assumptionem persona erat, nec postquam homi- « nem assumpsit persona destitit esse; et homo assumptus « persona est, quia omnis homo individuus esse persona « cognoscitur. Quare alia est persona Dei, quae fuit ante

[1] Cap. II. — *P. L.* t. CLVIII, col. 403.
[2] Ibid. col. 278, sqq.

« incarnationem, alia hominis assumpti. Sicut igitur Christus « est Deus et homo, ita duae in illo videntur esse personae. « Quae ratiocinatio per hoc videtur probare, duas esse per- « sonas in Christo, quia et Deus est persona, et homo « assumptus est persona ». Et reponit « Sed non ita est ».

Ut autem ad solutionem difficultatis obiectae viam sibi sternat, prius exponit qua ratione, ut ita dicam, opposita persona se habeat in utroque dogmate ad naturam. « Sicut « in Deo una natura est plures personae, et plures per- « sonae sunt una natura; ita in Christo una persona est « plures naturae, et plures naturae sunt una persona. Quem- « admodum enim Pater est Deus, et Filius est Deus, et « Spiritus Sanctus est Deus, et tamen non tres dii, sed unus « est Deus; ita in Christo Deus est persona, et homo est « persona, nec tamen duae sunt personae, sed una persona. « Non enim est alius Deus, alius homo in Christo, quamvis « aliud sit Deus, aliud homo; sed *idem ipse* est Deus, qui « et homo. Verbum enim caro factum assumpsit naturam « aliam, non aliam personam » [1].

Iam haec ultima assertio illustranda est. Verba autem quibus S. Anselmus hoc praestat caute legenda sunt, ne Nestorianum quemdam saporem habere videantur. Unde prae oculis maxime habenda est distinctio quam S. Doctor prae- mittit inter hominem et hominem, scilicet inter hominem communem in sensu naturae, et hominem individuum deter- minatum in sensu personae. Qua posita distinctione S. Ansel- mus ex communitate idiomatum ad unitatem personae in Christo strenue arguit: « Nam, cum profertur homo, natura « tantum, quae communis est omnibus hominibus, significa- « tur. Cum vero demonstrative dicimus istum, vel illum homi- « nem, vel proprio nomine Iesum, personam designamus, quae « cum natura collectionem habet proprietatum, quibus homo « communis sit singulus, et ab aliis singulis distinguitur. « Nam, cum ita designatur, non quilibet homo intelligitur; « sed qui ab angelo annuntiatus est, qui Deus et homo, « Filius Dei et Filius Virginis est; et quidquid de illo dici- « tur, aut secundum Deum, aut secundum hominem verum

[1] C. VI. — *P. L.*, t. CLVIII, col, 278.

« est dicere. Neque enim personaliter Filius Dei designari « potest vel nominari, sine filio hominis; nec filius hominis, « sine Filio Dei; quia idem ipse est Filius Dei, qui filius « hominis; et eadem est Verbi et assumpti hominis proprie- « tatum collectio. Diversarum vero personarum impossibile « est eamdem esse proprietatum collectionem, aut de invi- « cem eas praedicari. Nam et Petri et Pauli non est eadem « proprietatum collectio; et Petrus non dicitur Paulus, nec « Paulus Petrus. Cum ergo Verbum caro factum est, naturam « assumpsit, quae sola nomine hominis significatur, et sem- « per est alia a divina natura; non aliam assumpsit personam, « quoniam eamdem habet cum assumpto homine proprie- « tatum collectionem ».

Quae ultima verba sane aurea sunt. Pergit Anselmus haec principia applicando ad assumptum hominem, utique in sensu naturae, distinguendo in modo praedicandi inter hominem et hominem Iesum. « Non enim idem est homo et assum- « ptus a Verbo homo, id est Iesus; quoniam in nomine homi- « nis, sicut dictum est, sola intelligitur natura; in assumpto « vero homine, vel in homine Iesu, intelligitur cum natura, « id est cum homine, collectio proprietatum, quae est eadem « eidem assumpto homini et Verbo. Quapropter non dici- « mus Verbum, et simpliciter hominem, eamdem esse per- « sonam; ne non magis dicamus illum hominem eamdem « esse personam cum Verbo, quam quemlibet hominem; sed « Verbum, et *illum* assumptum *hominem,* id est *Iesum;* « sicut non credimus eumdem hominem eamdem simpliciter « esse personam cum Deo, sed cum illa persona, quae Ver- « bum Filius est, ne confiteri videamur, ipsum hominem « personam eamdem esse, quae Pater est, aut Spiritus « Sanctus ».

Quae certo, si Anselmi mentem attendis, rectissime, imo subtilissime dicuntur; si autem ad verba respicis, forte duo in hoc loco sunt minus probanda. Prius quidem, quod dicitur ille homo assumptus; dum assumptus homo non potest in rigore sermonis dici, nisi de homine in sensu naturae; non in sensu illius hominis, seu personae. Alterum est, quod videtur in Deo poni aliqua persona communis, distincta a persona Patris et Filii et Spiritus Sancti. Sed, ut dixi, haec non

sunt in verbis nisi apparenter; mens enim Anselmi ab utroque excessu procul est.

Concludit autem hanc subtilem discussionem contrahendo vocem « Deum » ad standum pro Patris Filio, et vocem « hominem » ad standum pro Filio Virginis: « Sed quoniam « et Verbum est Deus, et ille assumptus homo est homo; « verum est dicere quia Deus et homo eadem persona est: « sed in nomine Dei subaudiendum est Verbum, et in nomine « hominis subintelligendus est Filius Virginis ».

II. De **S. Bonaventura** heic pauca afferre sufficiat; pluries enim eius doctrinam inferius adducemus.

1) *Integritatem naturae humanae* ac proin *utramque naturam* in Christo passim vindicat; praesertim III. Sent. Dist. II. art. 2. q. 3. ubi ostendit quo sensu Christus cum aliis hominibus habuerit communem speciem. Praemissa distinctione inter identitatem specificam ratione *assumptae naturae* et ratione *utriusque* naturae (quae distinctio iam totum dogma continet, quum ex una parte ponat geminam naturam, et ex altera unam personam supponat), ita habet: « Si ratione « *humanae naturae*, sic est communem speciem accipere « Christi ad alios homines; quia, sicut in aliis hominibus ex « coniunctione animae ad carnem per modum perficientis « et informantis resultat forma humanitatis, sic in Christo. « Et ideo isto modo est accipere in eo communem speciem, « tam per praedicationem, quam etiam per constitutionem ». Verba autem sequentia Monophysitismum magis directe confutant: « Si autem loquamur a Christo ratione *divinae* « naturae et *humanae*, sic in Domino Iesu Christo non est « recipere communem speciem, quia divina natura non unitur « humanae ad unius essentiae constitutionem; ideo ex con- « iunctione divinitatis ad humanitatem in Christo nulla resul- « tat forma communis vel universalis, in qua possit aliis « assimilari ». Aliis verbis, sub hac ratione nego suppositum, quum duae Christi naturae non uniantur in alia natura composita, sed in persona singulari. Et in Dist. V. art. 1. q. I., inquirens de assumpta humana natura a Deo, scribit: « Di- « cendum, quod vere et proprie loquendo concedi potest et « debet, humanam naturam a Deo assumptam esse, pro eo « quod, sicut dicit Philosophus: " Natura accipitur et pro vera

« materia et pro vera forma », et de his dicitur secundum « quamdam analogiam. Quoniam igitur Deus assumpsit car- « nem et animam humanam, et caro est principium hominis « materiale, anima vero formale, hinc est quod vere non « solum humanam naturam, sed etiam totam humanam « naturam dicitur assumpsisse ».

2) *Singularitatem personae* haud minus strenue vindicat. Sciscitatus in quaestione sequenti, utrum Deus assumpserit humanam *personam,* ita respondet: « Omnino falsum est, « quod persona personam assumpserit ». Et hanc positionem abigit iuxta varios modos quibus posset intelligi: « Hoc enim « tripliciter potest intelligi: aut quod ipsum assumptum fuerit « persona *ante* assumptionem, aut quod fuerit persona *in* « assumptione, aut quod fuerit persona *post* assumptionem. « Quolibet autem trium modorum sumpta, sententia prae- « dicti sermonis est falsa. Nam primus repugnat veritati « *conceptionis,* secundus veritati *assumptionis,* tertius veri- « tati *unionis* ». Modum quo hanc triplicem assertionem evolvit, remittimus ad art. 2. Q. III.

Satis sit hic afferre verba quae addit: « In hunc autem « errorem pessimum decidit Nestorius, ut ait Boëthius, pro « eo quod nescivit distinguere inter personam et naturam. « Pro eo enim, quod vidit in Christo duplicem esse naturam, « intellexit duplicem esse personam. Eutyches vero ex eadem « causa erravit, sed non eodem modo. Quia enim nescivit « discernere inter personam et naturam, et vidit, quod in « Christo non poterat esse nisi una persona, ex hoc com- « pulsus est ponere quod in Christo non est nisi una na- « tura. Et ideo sicut duo fuerunt errores in divinis, sci- « licet Arii et Sabellii, pro eo quod nesciverunt distin- « guere inter naturam et personam; sic duo fuerunt circa « incarnationem Christi, videlicet Eutychis et Nestorii. — « Catholica vero Ecclesia per medium istorum errorum per- « transiit dicens, in deitate plures esse personas et unam « naturam, et in Christo plures esse naturas et unam per- « sonam. Et ideo simpliciter concedit personam assumpsisse « naturam, et negat personam assumpsisse personam ».

Haec a Seraphico afferre libuit, non quasi ab Angelici doctrina ulla ratione discrepent, sed quia de fundamentali

quovis dogmate iuvat utriusque magistri consonantia verba ob nitorem lucidum sapidamque medullam veluti certatim mirari atque regustare.

ARTICULUS III.

UTRUM UNIO VERBI INCARNATI FACTA SIT IN SUPPOSITO VEL HYPOSTASI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Reiectis Monophysitismo et Nestorianismo, utpote erroribus manifestioribus, S. Thomas transit ad tres opiniones expositas a Magistro, quas quidem Lombardus vocat opiniones, dum cum S. Thoma dicendum est, 1^{m} et 3^{m} esse haereticas; 2^{m} autem catholicam. Iam vero hoc ordine S. Doctor procedit: Primam opinionem refellit hoc art. 3°, 2^{m} confirmat art. 4°; tertiam confutat art 5° et 6°.

2) Quaeritur hic de relatione quam ad invicem habent vocabula *hypostasis* sive *suppositum* et *persona*. Si *a*) persona notionem hypostaseos complet, superaddendo aliquid quod pertinet ad subsistentiam, possibile est unionem fieri in persona, quin fiat in hypostasi; tunc enim in casu illud praecise quod per personam ratione subsistentiae superadditur, deerit in supposito humano Christi, et a persona divina recipietur. Si e contra *b*) persona super hypostasim nihil addit in gradu subsistentiae, sed solum in gradu quidditatis, nempe dignitatem rationalis naturae, tunc posito quod natura rationalis dicatur esse suppositum, erit ipso facto persona, et nullo modo concipi poterit, supposita esse in Christo duo, unam autem personam.

Atqui hic alter sensus verus est, ut in philosophia fuse probatur, et supra ostendimus in tractatu de SS. Trinitate. Superadditum *personae* super hypostasim se habet formaliter ad naturam, cuius dignitatem rationalem exprimit; materialiter vero ad subsistentiam, quae per hypostasim plene exprimitur; utrumque tamen in se continet.

Consequens est, actiones esse suppositorum aeque ac sunt personarum.

3) Hucusque locuti sumus, sumendo personam in sensu

stricto, entitativo seu ontologico; si autem sumatur in sensu latiori, morali, repraesentativo, tunc utique fingi potest aliqua coniunctio tam arcta inter duplex suppositum ut quasi una persona sit, et in uno supposito talis multiplicatio munerum, ut plures in eo personae distingui possint. Hoc sensu locutus est Nestorius quotiescumque in Christo unam personam confessus est. Unde iure catholici eum urgebant, ut vel unam quoque fateretur hypostasim, quod numquam fecit, vel duas simpliciter diceret esse personas sicuti hypostases. Unio proinde in Christo *hypostatica* potius quam personalis vocata est; non sane ad agnoscendum discrimen inter personam et hypostasim in ente rationali, sed ad omnem exceptionem haereticorum praecludendam.

4) *Adoptiani* autem, de quibus iam verbulum diximus et ex professo agetur in Q. XXIII, instaurarunt saltem implicite distinctionem inter personam et hypostasim, non in sensu repraesentativo Nestorii, sed entitativo. Quorum errorem rursus induxerunt media aetate *Adoptianistae,* de quibus dicetur in quaestiuncula huic articulo adnexa.

II. **Ad Textum.** - Difficultates quae hic moventur, aeque valent de persona. Quare solutiones petuntur ex principiis positis in articulo praecedenti.

Sed contra est. Falsa demonstratur sententia prima Lombardi ex Scriptura et ex traditione. - I. Argumenta ex *Scriptura* petita ad probandam unitatem personae in Christo, serviunt pariter ad ostendendam unitatem suppositi. Nam in opinione hic damnata identitas subiecti non verificatur nisi cum aliqua reduplicatione, uti optime exponit S. Thomas in *Summa ctr. Gentes* [1]. Et affert exempla: « Deus est « passus » significat: « Homo qui est Deus, propter unitatem « personae, est passus ». « Homo creavit stellas » significat: « Ille qui, propter unitatem personae, est homo, etc. ». Iam vero locutiones Scripturarum sunt tam directe affirmantes, ut hanc contorsionem sermonis non patiantur. Ita verba: « Si cognovissent, nunquam *Dominum gloriae crucifixis-* « *sent* » [2]; « Nemo ascendit in caelum, nisi *qui* descendit de

[1] L. IV. c. 38.
[2] I. COR. II, 8.

« caelo, *Filius hominis, qui est in caelo* » [1]; « Quorum patres « et ex quibus est *Christus secundum carnem, qui est Deus « benedictus in saecula* »; etc. [2]. Quae loca per reduplicationem violentiam nimiam subeunt.

II. Ex *traditione* pariter idem elucet, et quidem directe et indirecte. A) *directe:* Formulae enim quibus superius vidimus Nestorianismum ab Ecclesia damnari, diserte refellunt distinctionem inter hypostasim et personam proprie dictam; imo maxime praedicant unionem in hypostasi, quum haec directe ab haeresiarcha negaretur. Ita, v. gr., Concilium oecumenicum V. in quarto e quindecim canonibus de tribus capitulis expresse dicit: « Si quis non confitetur, sicut sancti « Patres docuerunt, unitatem Dei Verbi ad carnem anima- « tam anima rationali et intellectuali secundum compositio- « nem, id est secundum subsistentiam (κατὰ ὑπόστασιν) factam, « et propterea unam eius subsistentiam (καὶ διὰ τοῦτο μίαν « αὐτοῦ τὴν ὑπόστασιν) qui est Dominus noster Iesus Christus, « unus de Trinitate, talis anathema sit » [3].

Neque quis credat hanc distinctionem esse postea inductam ad vitandam damnationem Nestorianismi; ipse Damascenus nobis testatur, hanc fuisse ipsam Nestorii doctrinam, ubi ait: « Ex duabus naturis perfectis dicimus esse factam « unionem, non secundum prosopon, id est personam, *ut Dei « inimicus dicit Nestorius,* sed secundum hypostasim ».

Controversiae proin effecerunt ut dogma catholicum clarius et sine ambagibus exprimeretur per formulam: « duae naturae et una hypostasis » quam per formulam: « duae naturae et una persona »; licet obiective utraque idem significet.

B) *Indirecte* idem evincitur, idque praesertim tripliciter. 1) Si unio facta est in persona et non in hypostasi B. V. M. non est vera Mater Verbi, sed solum hypostaseos humana Iesu Christi.

2) Si re vera hypostasis Christi est differens ab hypostasi Verbi, Christus ut homo non est Filius Dei nisi per adoptionem.

3) Si unio non est in hypostasi, non est nisi accidentalis.

[1] Ioann. III, 13..

[2] Rom. IX, 5.

[3] Cf. et textus allatos in art. praecedenti.

Egregie prorsus S. Thomas: « Dato quod persona esset aliud « in hypostasi Verbi Dei vel hominis, non posset alia diffe- « rentia inveniri, nisi quod persona supra hypostasim addit « proprietatem aliquam: nihil enim ad genus substantiae « pertinens addere potest, quum hypostasis sit completissi- « mum in genere substantiae, quod dicitur substantia prima. « Si igitur unio facta est secundum personam, et non secun- « dum hypostasim, sequitur, quod non sit facta unio nisi « secundum aliquam proprietatem accidentalem; quod iterum « redit in errorem Nestorii » [1].

In Corpore. S. Thomas directe et indirecte ostendit fal- sitatem doctrinae de qua quaeritur. En schemate totum argumentum expressum.

Unio in persona et non supposito, probatur falsa:

1) *Directe,* ex *definitione:* — nomen persona, nomen dignitatis: omne suppositum rationale est persona;

2) *indirecte,* ex *consequentibus:* — *a*) unio non esset nisi *secundum dignitatem* (contra Syn. Ephes.); *b*) non daretur *communicatio* praedicationum (item).

Adde et hoc subtile argumentum S. Thomae « Etsi hypo- « stasis illius hominis non posset dici persona, tamen idem « est hypostasis Verbi Dei quod persona. Si igitur hypo- « stasis Verbi Dei non est illius hominis, neque etiam per- « sona Verbi Dei erit persona illius hominis; et sic erit fal- « sum quod dicunt, quod persona illius hominis est persona « Verbi Dei » [2].

Resp. ad 1m. Paucis doctrinam hoc schemate contrahe:

Differentia *accidentalis* facit *alterum;*
» *essentialis* vel *naturalis* » *aliud;*
» *subsistentialis* » *alium.*

Resp. ad 2m. Substantia particularis alia completa in se, et haec est hypostasis; alia unita subsistenti magis completo, et haec non est per se hypostasis.

[1] *Sma ctr. G.* l. IV, c. 38. Lege hoc totum caput, utpote summi momenti
[2] Ibid.

Resp. ad 3m. Christus in specie continetur, nullo modo quatenus est persona, nec quatenus est suppositum; sed solum quatenus habet naturam humanam, cuius est cadere sub speciem.

Nota. Remittimus ad absolutam Quaest. XVII. inquirere penitius in ipsam rationem constitutivam suppositi vel personae.

Quaeres I. - Suntne in Christo *duo individua* an solum unum? - *Resp.* cum S. Thoma. Vox *individuum,* sicut et singulare, aeque determinat naturam et suppositum; quare, in rigore termini, intelligendo praedicatum de naturis, potest dici de Christo esse duo individua; nihilominus, ad vitandam falsam intelligentiam de supposito, melius dicitur in ipso esse individuum unum.

Quaeres II. - Suntne in Christo duae *res naturae?* - *Resp.*: *Res naturae* est primae intentionis et cadit in totum; proin in conceptu involvit suppositum naturae. Quare in Christo « est res una duarum naturarum » [1].

Quaeres III, cur Lombardus uti non reiiciendam attulerit sententiam primam, quum tamen a catholico viro sustineri non possit? - *Resp.* Forsan ita Magister egit ob recentem controversiam ab *Adoptianistis* motam. Hi enim, ab instaurata Aristotelis dialectica veluti inebriati, ducibus Roscellino, Abaelardo et Gilberto, coeperunt curiosius de dogmate quovis investigare et audaciores emittere propositiones. Ita coram papa Honorio II. magister quidam Gallus Luitolphus sustinuit: « Christum, ut hominem, filium naturalem esse « hominis, adoptivum vero Dei ». Canonicus quidam Lateranensis Adamus nomine, Abaelardi discipulus, propugnavit: « Christum ex parte esse Deum, ex parte hominem ». Alii apud Gallos ventilabant propositionem: « Christum secun- « dum humanam naturam non esse aliquid; sive Christum « assumptione carnis nihil esse, vel nihil factum esse ».

Efferbuere istae controversiae in Franconia, Germania

[1] S. Th. III. Sent. Dist. VI. Q. 1, a. 1.

meridionali et Bavaria. Inter eos qui dialecticorum audaciis fortius restiterunt, eminent capita scholae Bambergensis et Friesingensis: Episcopi Eberhardus Bambergensis, Otto Friesengis, Hartmannus Brixiensis et Eberhardus Salisburgensis. Ex oppositis castris primas partes egerunt Folmarus Triefensteinensis, et Friesingensis quidam Magister Petrus. Nec colloquium Bambergense, nec synodus Friesacensis litem componere valuere; imo nec Pontifices Eugenius III, Hadrianus IV, et Alexander III, iudicio summo eam dirimere voluerunt. Negari non potest, sententiam Folmari nimis appropinquare ad iam olim damnatam haeresim Adoptianorum; quod inter eius adversarios maxima vi ostenderunt Praepositus Gerlochus et Arno Reichersbergenses.

In Galliis autem per synodos Suessione (ann. 1121 et 1164), Senone (ann. 1141) et Rhemis (ann. 1148) habitas, necnon per litteras ann. 1170. ab Alexandro III. ad Gulielmum Senonensem Episcopum missas, excrescens dialecticorum pruritus repressus est. Aliunde e scriptis chronicis Reichersbergensibus, ex epistola Cardinalis Centii ad Gerlochum, ex opere « *De verbis Athanasii* » anno circiter 1165. confecto, necnon ex « *Apologetico* » Arnonis, compertum habemus, Adoptianismum non solum indirecte, sed et directe reprobatum esse [1].

Credimus igitur, Lombardum sub influxu huius controversiae non satis aperte contra Adoptianismum sententiam tulisse, ac ita uti non damnabilem protulisse opinionem quae eiusdem partibus favebat.

APPENDIX.

de Terminologia theosophica circa Personam, etc.

Ex his quae in hoc articulo vidimus de habitudine individui hypostaseos et personae ad invicem, patet quomodo iudicanda sit theoria *theosophica* de personalitate et individuo. In personalitate quippe haec plures gradus ponit,

[1] Cf. Bach (*Kirchenlex.* Hergenr.-Kaulen., t. I, col. 242 sqq.).

et individualitati dat superexcellentiam prae personalitate inferiori [1].

Quo autem facilius iste peregrinus concipiendi modus percipi possit, oportet breviter prae oculis ponere compositionem hominis qualem sibi fingunt isti occidentales instauratores antiqui orientalis Buddhismi.

Septenario quippe homo componitur, scilicet quaternario inferiori et ternario superiori; prius complectitur elementa mortalia, alterum aeterna [2].

Prius autem non eodem semper modo exhibetur. Damus duplicem formam, quarum altera recentior a H. P. Blavatsky, anglica Theosophorum Prophetissa, hodiedum magis invalet. Incipiendo ab elemento inferiori habetur:

1. *Sthoûla Sharîra* (corpus physicum visibile).
2. *Linga Sharîra* (duplex ethereum).
3. *Prana* (vitae principium specificans).
4. *Kama* seu *Kama-Manas* (anima animalis, sedes concupiscentiae).

Vel 3. *Kama* (anima animalis).
4. *Manas inferior* (anima humana inferior).

Trilogia superior, quae a Theosophis impie confertur cum SS. Trinitatis mysterio, ita constituitur:

5. *Manas*, seu *Manas superior* (vita humana intellectualis).
6. *Buddhi* (anima spiritualis).
7. *Atmâ* (ipse Spiritus universalis divinus).

Porro elementum superius partis inferioris colligatur intime cum superiori, sicuti anima cum spiritu.

Officia autem harum quatuor partium superiorum septe-

[1] Haec distinctio in Theosophia fundamentalis est. « Toutes nos croyances sont « fondées sur cette *individualité immortelle*. Mais vous faites comme tant d'autres, « vous confondez la *personnalité* avec l'individualité; il paraît que les psychologues de l'Occident n'ont pas su établir clairement une distinction entre ces deux « termes. Et pourtant, la note fondamentale, indispensable, pour comprendre la philosophie orientale, se trouve dans cette différence même; - et c'est encore cette « différence qui est la base de toutes les divergences entre les enseignements théosophiques spirites ». Ita Blavatsky (*La Clef de la Théosophie* p. 48, 49).

[2] De hac compositione ex professo agetur in tractatu *De Deo Creante*.

narii H. P. Blavatsky hoc modo plenius describit, incipiendo ab elemento supremo:

Le Soi Supérieur est — *Atma*, le rayon inséparable du Soi Unique et Universel. C'est plutôt Dieu *au-dessus* de nous que Dieu en nous; heureux l'homme qui réussit à en saturer son *Ego intérieur*.

L'Ego Spirituel et **Divin** est — L'âme Spirituelle ou *Buddhi*, dans son étroite réunion avec *Manas*, le principe de l'intelligence, sans lequel ce n'est point du tout un Ego, mais simplement le *Véhicule* Atmique.

L'Ego Supérieur ou **Intérieur** est — *Manas*, appelé le cinquième " Principe ", indépendamment de Buddhi. Le Principe de l'Intelligence ne devient l'Ego Spirituel que lorsqu'il est complètement *uni* à Buddhi: il n'y a point de Matérialiste, qui ait en lui un Ego *de cette nature*, quelque grandes que puissent être ses capacités intellectuelles. C'est l'*Individualité* permanente, ou l'" Ego Réincarnant ".

L'Ego Inférieur ou **Personnel** est — L'homme physique uni avec son soi *inférieur*, c'est-à-dire les passions, les instincts et les désirs animaux. C'est ce que l'on appelle la " fausse personnalité " composée du *Manas Inférieur*, qui, conjointement avec Kama-rupa, agit au moyen du corps physique et de son fantôme, le " Double " [1].

Iam vero τὸ *Ego* inferius iam incipit a gradu quarto, id est a *Karma;* dum τὸ *Ego* superius sedem habet in *Mana* et *Buddhi,* in quibus evolvitur individuum, quod est supra personam τοῦ Ego inferioris. Quando autem, per evolutionem et separationem ab egoismo inferiori, individuatio assurgit ad culmen, τὸ *Ego* fit τὸ *Se* (Soi, Self): id est, tam perfecta communio cum Divinitate, ut sit ipsa divinitas per identitatem agnita. « Le " *Soi* " de l'homme essentiellement identique à " *Cela* " », quod " *Cela* " ipse Deus est, seu Absolutum: en ultimus terminus Theosophiae, iuxta verba Christi, quae non

[1] *La Clef de la Théosophie,* traduit de l'anglais par Mme H. de Neufville.

verentur ad hanc pantheisticam impietatem deturpare: « Ego « et Pater unum sumus » [1].

Audiatur Dr. Th. Pascal: « Les quatre " principes " périssables - c'est-à-dire ceux qui se dissocient plus ou moins « longtemps [2] après la mort, - forment ce que la Théosophie appelle la *Personalité,* tandis que les trois " principes " « éternels, - ceux qui survivent à la désagrégation de la « " personalité ", - forment l'*Individualité* » [3].

Parum aliter, at vix melius Chatterji, vir evolutionista usque ad insulsam cruditatem [4]: « A partir de ce point (ab « apparitione scilicet hominis) chaque être est constitué par « une âme propre, ou *individualité* humaine, qui poursuit « indépendamment son évolution en se manifestant à diver- « ses reprises sous une série de formes ou *personalités,* de « plus en plus parfaites, en rapport avec le progrès réalisé « par l'*individu.* C'est ici l'extrême limite de la subdivision: « on peut dire que *chaque homme est en lui-même une* « *espèce* » [5]. Et pergit denegando rationem individuationis omnibus entibus quae sunt infra hominem, utpote non habentibus hanc virtutem personalem, vi cuius sese ab aliis disiungunt et individuant. Quae tamen individuans operatio tendit ad summam communionem [6] cum summo Absoluto universali, in se et in aliis agnita, et ad aequationem perfectissimam τοῦ *Sui* cum *Ipso* beatifice agnitam. Verbo: *personae* humanae non sunt nisi mutabiles formae per quas in decursu suarum reincarnationum *individuum* aeter-

[1] Cf. Chatterji, *La Philosophie ésotérique de l'Inde,* p. 128, 131.

[2] Tenent quippe reincarnationem hominis per plura stadia, usquedum ad perfectam evolutionem τοῦ *Ego* in τὸ *Se* pervenerit, et apotheosi seu immersione Nirvanica dignus, emenso τοῦ *Karma* stadio, sit effectus.

[3] *A. B. C. de la Théosophie,* p. 15.

[4] Exemplo sint haec verba (op. cit. p. 81): « Nous spécialisons continuellement « des animaux, (les chiens par exemple), grâce aux conditions particulières aux- « quelles nous les soumettons. Ces animaux, après quelques réincarnations indépen- « dantes, sont prêts à se manifester sous forme humaine, s'ils trouvent des organis- « mes humains assez élémentaires pour les recevoir. Eh bien, vous serez sans doute « surpris de voir qu'un chien intelligent, passant au règne humain, sera plus brutal « qu'auparavant. Toutes les nobles qualités du chien disparaissent chez l'homme « primitif ». Risum teneatis amici: sunt verba Theosophi. Ipsene haec forsan stadia peregerit, quum tanta de his certitudine doceat?

[5] Op. cit., n. 80.

[6] Hanc rursus communionem dicunt per SS. Eucharistiam esoterice significari.

num apparet usquedum in Absolutum impersonale deifice immergatur [1].

Ex falsa opinione quam Theosophi habent de personalitate, Deum ipsum personalem esse negant. Audiatur Annie Besant: « Que signifie le Dieu personnel? Comment mettre « d'accord un Dieu personnel et une existence sans bornes, « c'est-à-dire deux propositions inconciliables?... L'existence « illimitée n'est pas personnelle, elle est infinie; mais la « religion a toujours déclaré que Dieu se manifeste en per- « sonne. Le mot latin *persona* signifie masque, limite (?); « le mot grec *hipostas* (!) a le même sens ». (Venia mulieri gallicae graece loquenti!)... « Créatures limitées par le temps « et l'espace, nous ne pouvons pas concevoir ce qui est sans « limites et cette existence infinie, impersonnelle, intangible, « inaccessible, domine le Dieu personnel, qui est toujours « triple en trois personnes et non unique » [2].

Et haec satis sint, ut pateat quam erronei conceptus de individuo, et de persona ab his scriptoribus habeantur. Individuum enim, suppositum, et persona, singularitatem significant, at cum gradu; quae gradatio, ab individuo ad alia duo, est in ipso ordine singularitatis, nisi in pleno sensu sumatur; inter suppositum vero et personam est mere in ordine dignitatis [3]. Unde maxime Deo convenit τοῦ personalis utpote maxime distincti et indivisi dignitas; est enim Absolutum summe in se unum, atque a creaturis ob infinitam distantiam summe distinctum.

Qualiter autem Christi eiusque Incarnationis conceptum Theosophi deturpent, in fine huius Quaestionis breviter dicemus.

[1] « C'est l'Ego qui se réincarne, le "Moi" *individuel* et immortel, pas *per- « sonnel;* en un mot le véhicule de la Monade Atma-Buddhi ». - *La clef de la Théosophie,* p. 182.

[2] *Conférences. — Le Christianisme au point de vue théosophique,* p. 42.

[3] Exaggerant insuper Theosophi in analysi individui elementum *conscientiae sui;* de quo elemento infra dicemus, ubi de systemate Güntheriano.

ARTICULUS IV.

UTRUM PERSONA VEL HYPOSTASIS CHRISTI POST INCARNATIONEM SIT COMPOSITA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Qui tenebant primam ex tribus sententiis Lombardi, dicebant hominem Christum assumptum; proin nequibant illum compositum post assumptionem affirmare: Audiatur ipse Magister: « Concedunt hominem illum « assumptum a Verbo, et unitum Verbo, et tamen esse « Verbum.... Cumque dicant illum hominem ex anima ratio- « nali et humana carne subsistere, non tamen fatentur ex « duabus naturis esse compositum, divina scilicet et humana; « nec illius partes esse duas naturas, sed animam tantum « et carnem ».

2) Pariter qui tertiae sententiae a Lombardo allatae nomen dabant, compositam Christi personam inficiabantur. Audi S. Thomam: « Similiter tertia opinio dicit, quod (homo) « est esse superadditum ad esse divinae personae acciden- « taliter; unde anima et corpus non dicuntur partes perso- « nae, sicut nec accidentia subiecti. Unde neutra ponit per- « sonam Verbi compositam » [1].

3) E contra qui catholice iudicabant de assumpta non hypostasi sed natura humana, et quidem in unionem non accidentalem, sed essentialem, hi teste Magistro, in hypostasi assumente, post assumptionem, compositionem praedicabant. Audi rursus Lombardum: « Facta est igitur illa persona « (ut quibusdam placet) [2], quidem subsistens ex anima et « carne; sed non est facta persona, vel substantia, vel natura: « et inquantum est illud subsistens, composita est; in quan- « tum autem Verbum est, simplex est ».

4) Fatendum tamen est, expressionem « *persona compo- « sita* » esse ambiguam. Usurpando illam sine distinctione,

[1] III. Sent. Dist. VI, Q. II, a. 3.

[2] Legens attentius expositionem huius secundae opinionis in ea multa laudanda reperit; quaedam autem emendanda, saltem uti confusius posita. Operae pretium esset inquirere, utrum in illa opinione, uti eam exponit Magister, non sit aliquis excessus, dum reliquae duae opiniones patenter per defectum peccant. Inde *forte* ratio modi dubitantis quo Lombardus hanc secundam sententiam exponit.

periculum incurritur incidendi, partialiter saltem, in Monophysitismum per aliquam mutuam compenetrationem personarum, sicuti et naturarum. Imo nec periculum latentis Nestorianismi abest, si compositio in ipsa formali ratione personae intelligatur. Quare nulli mirum sit, de hac quaestione acerrimam motam esse a theologis controversiam, utrum compositio in Christi persona praedicari debeat et quo sensu haec intelligenda sit. De qua controversia fusius dicemus in appendice, ubi de concordia inter S. Bonaventuram et S. Thomam inquiremus.

5) Notetur hic modus quo idem Doctor quaestionem sibi ponit in VI. Sent., Dist. III, Q. 1, a. 3: « Utrum *homo* dicat « ibi compositum ex duabus substantiis tantum » [1]. Et respondet negando, quum praeter duplicem substantiam partialem humanae naturae, sit ibi subsistentia, et proin substantia Verbi. Ex quo modo solvendi quaesitum apparet ratio comparationis quae habetur in Symbolo Athanasiano: « Sicut « anima rationalis et caro unus est homo (ex utraque com- « positus), ita Deus et homo (duplex natura) unus est Chri- « stus (una persona, ratione duplicis naturae composita) ».

6) Ex omnibus dictis liquet, doctrinam de compositione in Christo refellere simul ex una parte Apollinarem, Eutychen, omnesque illos qui geminae naturae distinctionem inficiunt; et ex altera parte Theodorum, Nestorium, ac omnes qui utriusque unionem in singulari hypostasi negant.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit compositionem ipsius personae in se, et compositionem ratione naturarum in quibus subsistit.

2. Obi. Confundit compositionem ratione partium et compositionem ratione numeri.

3. Obi. Confundit continuum et non continuum.

Sed contra est. Compositio in Christo 1) a pluribus Conciliis confirmata est. Ita Concil. Constantinop. II, oecumen. V, canone 4° ait: « Si quis dicit secundum gratiam vel opera- « tionem, etc., et non confitetur, sicut Sancti Patres docue- « runt, unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima

[1] Cf. dicenda de hoc modo loquendi in appendice ad art. sequentem.

« rationali et intellectuali *secundum compositionem*, id est « secundum subsistentiam, factam (κατὰ σύνθεσιν ἤγουν κατὰ « ὑπόστασιν γεγενῆσθαι); et propterea non confitetur unam « eius subsistentiam, qui est D. N. I. Chr. unus de Sancta « Trinitate: talis anathema sit... » [1]. Et eiusdem Synodi can. 7: « Si quis in duabus naturis...., unum D. N. I. Chr..... *ex quibus* « *et compositus est*...., talis a. s. ».

Pariter in can. 8° Concilii Lateranensis I. legitur « Si quis « non confitetur proprie et vere *secundum compositionem*, « id est secundum subsistentiam naturarum unionem, ex « quibus unus et solus exsistit Christus inconfuse et indivise « in eo cognitam, sit condemnatus ». Ex quibus declarationibus vides, eam tantum a Patribus in Christo compositionem proclamari, sine qua unitas personae in duplici natura salvari non possit.

2) Patres autem compositionem in Christo praedicasse constat. Praeter textum S. Damasceni in *Sed contra est* allatum, satis sit afferre unum ex Graecis, unumque ex Latinis. S. Gregorius Nazianzenus ait: « Procedit post assumptionem unum « ex contrariis duobus, carne et spiritu, ex quibus hic qui- « dem Deus erat, illa vero in Deitatis assumpta consortium. « O *mistura* nova! O temperamentum admirandum! » Et S. Augustinus adhuc pressius loquitur in epistola superius adducta ad Volusianum [2].

Ex tam multiplici testimonio concludit Card. Toletus: « Nulli ergo dubia conclusio debet esse, quae secundum « Conciliorum et Sanctorum doctrinam est ». Et sane omnino compositionem in Christo respicere, esset ad minus immodestum. Quousque autem quis possit respicere compositionem in ipsa Christi persona, penitius in appendice investigabimus.

Interim corroboratur huius articuli doctrina per illa loca Patrum quae in Christo mixturam praedicant. De quibus locis diximus in appendice ad art. primum huius Quaestionis.

In Corpore. Liquet, ipsam simplicitatem Verbi, - quod Verbum identificatur cum persona Christi, - esse rationem,

[1] DENZINGER (op. cit. n. 175.).

[2] Plura huiusmodi testimonia congesta reperies apud Vasquezium (In p. III, disp. 6, sect. 4); Thomassinum (*De Incarn.* l. III, c. 6); Petavium (op. cit. l. III, c. 12); Franzelin (op. cit. th. XXXVI), etc.

cur cautissime de compositione in Christo loquendum sit. Inde necessitas distinctionis quam affert S. Doctor, inter illud quod est in se, et illud quod subsistit in duplici natura. Neque illa distinctio ponit in ipso Deo compositum; sed maxime intime Deo coniungit naturam assumptam, quae suum in ipso subsistere habet [1].

Reliqua patent [2].

APPENDIX.

I. De Concordia inter S. Thomam et S. Bonaventuram de Compositione in Christo praedicanda.

Obiter legenti Angelicus et Seraphicus quoad praesens argumentum inter se prorsus discrepare videntur, quatenus longe magis S. Bonaventura hunc loquendi modum reiicit. Operae igitur pretium est in mentem utriusque Doctoris sedulius inquirere.

Commentans tres opiniones Lombardi, S. Bonaventura quaerit: « Utrum persona Christi sit una unitate simplici, « an composita ». Et responsio eius reducitur ad hoc: si compositio sumitur in sensu proprio, neganda est: si in sensu largo, potest admitti. Quum autem sensus proprius prior sit largo, satius est ut ab hac formula abstineatur. En ipsa verba S. Doctoris: « Compositio dupliciter potest dici. « Uno modo propria dicitur compositio *unio aliquorum duo-* « *rum habentium mutuam inclinationem* [3] *ad constitutionem* « *tertii*. Et hoc modo.... persona Christi non potest dici « composita. Multa enim sequerentur inconvenientia: vide- « licet quod persona illa esset mutata, et quod esset imper- « fecta, et quod esset temporaliter in esse producta [4], et « quod etiam non communicarentur idiomata. Et ideo hoc « modo dicere, personam Christi esse compositam, non tan- « tum esset falsum, verum etiam esset haereticum ». Imo et absurdum sonat haec positio: nam impossibile est plura

[1] Cf. de hoc argumento quae diximus in 1. app. ad articulum praecedentem.

[2] In Commentario Lombardi S. Thomas fusius hoc argumentum tractat, uti ex appendice mox constabit.

[3] Hanc inclinationem non requiri aequalem utrimque, patet.

[4] Saltem formaliter quoad id secundum quod compositio praedicatur.

coire in unum, praecise quatenus principia eorum subsistentia veluti conflantur. Possunt utique plures naturas in unam misceri, quo casu plures subsistentiae cedunt in unam. Plures autem subsistentias in unam communem coire, manentibus naturis distinctis, absonum est. Quare haec positio vel absurdum sonat nimis, vel in Monophysitismum redundat. Absurdum autem hoc redundat in Nestorianismum; unde eodem vitio quoad communicationem idiomatum laborat.

Sensum largum Seraphicus ita describit et argumento applicat: « Alio modo dicitur compositio large *simul-cum-alio-« positio;* et sic personalis unio potest dici compositio. Et per « hunc modum dicebat secunda opinio, personam Christi esse « compositam, non quia ipsa sit ex pluribus naturis consti-« tuta, sed quia persona illa ante incarnationem suppositum « erat in natura simplici; post incarnationem persona sup-« positum fuit divinae naturae et humanae, et hoc absque « ulla mutatione facta in ipsa, sed solum ex parte humanae « naturae.... Et ideo opinio ista, quae dicebat, personam Christi « fuisse compositam, vera fuit et sanum habuit intellectum ». Optime, nisi forte parumper debilis est compositio quae solum exhibetur uti simul-cum-alio-positio. De quo mox S. Thomam audiemus.

Conclusio ita sonat: « Quia tamen verbum calumniabile « est, pro eo quod compositionis vocabulum consuevit accipi « primo modo; ideo doctores praesentis temporis sensum « huius opinionis (secundae scilicet Lombardi) retinent, decli-« nantes compositionis vocabulum. In persona enim Chri-« sti non est compositio proprie dicta » [1].

Audiamus nunc S. Thomam in Commentario in eumdem locum Lombardi. Praemissa analysi *totius compositi,* Angelicus applicat eam ad tres Magistri sententias, ostendens neutrum ex duobus elementis convenire primae et secundae sententiae; tertiae vero convenire prius, non alterum. « Ad « rationem *totius* pertinent duo: Unum scilicet, quod esse « totius compositi pertinet ad omnes partes; quia partes « non habent proprium esse, sed sunt per esse totius, ut « dictum est. Aliud est, quod partes componentes causant

[1] III. Sent. Dist. VI, art. 1. q. 2.

« esse totius ». Et applicatione facta ad primam et tertiam opinionem Lombardi, transit ad secundam, quae catholica est: « Sed secunda ponit unum esse in Christo; unde esse « divinae personae pertinet ad utramque naturam. Non tamen « illud esse causatur ex coniunctione naturarum, sicut esse « compositi causatur ex coniunctione componentium ». Scilicet, primum elementum compositionis adest, abest vero alterum. Quare compositio non potest praedicari simpliciter: « Unde secundum hanc opinionem persona Christi post « incarnationem potest dici *aliquo modo* composita, in quan- « tum ibi salvatur *aliqua* conditio compositi; non tamen est « ibi *vera* ratio compositionis, quia deficit ibi *altera* condi- « tio ». Et conclusio practica sonat sicubi apud S. Bonaventuram: « Unde etiam non est in usu modernorum hanc opi- « nionem tenentium, quod dicant personam compositam » [1].

Ideone compositio ibi reducenda est mere ad eam quam etymon *cum-positio* insinuat? Negat Aquinas, et optima ratione negationem fulcit. « Nec dicendum quod dicatur « composita secundum expositionem nominis, quasi cum « alio posita: quia sic prima opinio et tertia ponerent per- « sonam compositam sicut et secunda ».

Quid ergo? Conveniuntne inter se S. Thomas et S. Bonaventura? Conveniunt sane in duobus extremis, scilicet personam Christi non posse dici quidem proprie, ex toto compositam; nihilominus aliqualiter compositionem in ea praedicari posse. At in modo istud aliqualiter exponendi, plus admittit de sensu proprio S. Thomas quam S. Bonaventura, idque dupliciter: tum *a*) quia in compositione quae in Christo adest, unum ex elementis propriae compositionis haberi demonstrat; tum *b*) quia uti insufficientem reiicit illam compositionem largam, qualem S. Bonaventura describit. Unde in Commentario Magistri S. Bonaventura magis opponitur compositioni in Christo praedicandae quam S. Thomas. Iam vero in *Summa theologica* S. Thomas propensior adhuc in hanc formulam videtur, quam in III. Sententiarum. Ergo inter duos Doctores in hac quaestione datur aliqualis discrepantia.

[1] In sensu S. Bonaventurae loquuntur inter alios Durandus (Dist. VI, q. 3); Marsilius (III, q. 6, art. dub. 6); Gabriel Biel (Dist. VI, q. 2, a. 3); Dionysius Carthusianus (Dist. VI, q. 8).

II. Penitior in hanc Compositionem Inquisitio.

Mens nostra heic non est discutere varias conclusiones a praecipuis theologicis de hoc argumento emissas. Labor prae fructu inde percipiendo esset nimius.

Ita, v. gr., Card. Toletus duabus sequentibus conclusionibus mentem suam exponit: « *1ª Concl.* Christus dicendus est « compositus ex duabus naturis perfectis divina et humana; - « *2ª Concl.* Ista compositio non est ad modum compositionis « in personis seu in suppositis creatis reperta ».

Tournely gemina pariter conclusione rem contrahit: « 1. Christus compositus non est ea compositione quae fit « ex partibus incompletis proprie dictis, quae mutuam ad « se invicem habitudinem dicant ad totum constituendum. - « 2. Christus non immerito compositus dici potest, ea com- « positionis specie quae fit per modum numeri et appellari « solet compositio cum his ».

Longiorem expositionem Tiphani septem thesibus expressam vide apud laudatum Stentrup, qui et ipse mentem suam hac thesi contrahit: « Sicut hypostasis Christi *mate- « rialiter* spectata nullo modo est composita *ex his,* et tan- « tum composita *ad hoc* dici potest, item eadem hypostasis « *formaliter* considerata affirmari composita *ex his* debet, « quia Christus licet non sit *totum ex partibus,* attamen est « *unum ex pluribus* » [1].

Ut via solutioni pateat, quaedam distinctiones praemittendae sunt, tum circa Christum, tum circa compositionem.

1. Quando Christum dico, intelligere possum vel *Christum* totaliter, vel magis praecise *personam Christi.* - Rursus personam Christi possum considerare vel materialiter, in quantum est subsistens; vel formaliter, in quantum est subsistens in hac vel illa natura. Imo hoc ipsum formaliter potest dupliciter sumi, vel formaliter entitative, vel formaliter terminative; formaliter entitative, si considero istud in hac vel illa natura subsistens uti subsistentiae principium; forma-

[1] Op. cit. th. XXXVI.

liter terminative, si simul apprehendo naturam ad quam ratione subsistentis virtutis terminatur.

2) Compositio autem gradus habet. Et quidem dupliciter. *a*) Ascendendo alia compositio *cum his,* alia *ad hoc,* alia *ex his.* Pariter alia compositio *numerica,* alia *accidentalis,* alia *essentialis.* - *b*) Compositio *cum his* habetur quando in unum convenientia servant nihilominus aliunde suam rationem totius. Quae compositio, passim cum numerica concordat; estque vel logica vel moralis, secundum quod numerata seu elementa conveniunt in unum logicum vel morale. - *c*) Compositio *ad hoc* convenit accidentibus relate ad subiectum inhaesionis. Unde passim accidentalis est. Si tamen sit aliqua unio quae non sit quidem accidentalis, quin possit tamen esse *ex his:* haec erit simul *ad hoc* et substantialis. - *d*) Compositio *ex his* habetur quando eam constituentia ita sunt partes totius, ut rationem totius praeter hanc communem non habeant. Quae unio rursus passim essentialis sive substantialis est.

His praemissis, sint breves conclusiones sequentes.

1ª. **Concl.** - *Non solum potest, sed et debet in Christo vera quaedam compositio praedicari, si Christus consideratur ex toto.* - Etenim in Christo veram aliquam compositionem negare, est negare vinculum unitatis quo duae in Christo naturae colligantur; unde esset incidere in Nestorianismum. Quare Patres maxime ad hanc haeresim abigendam ista expressione usi sunt.

2ª. **Concl.** - *Non sufficit praedicare in Christo compositionem mere numericam.* Haec enim non tangit satis fundamentum unitatis in Christo, nec huius unitatis indolem satis praedicat. Et sane, non solum in prima et tertia sententia Lombardi aliqua numerica compositio, seu simul-cum-alio-positio adest, uti optime advertit S. Thomas; sed et Nestorius aliquam unitatem numericam, at moralem, non entitativam admittebat. Quando ergo S. Thomas (hoc loco, ad. 1m) dicit: « Illa compositio personae ex naturis non dicitur esse « ratione partium, sed *potius ratione numeri* », non urgenda est vox *numeri*, sed vox *potius*. Scilicet appropinquat magis ad compositionem ratione numeri; sed aliquid ponit amplius.

3ª. **Concl.** - *Non potest praedicari in Christo compositio ex his.* Esset excessus oppositus. Qui excessus dupliciter concipi

potest. Si intelligis ex *his naturis,* habes Monophysitismum; si intelligis ex *his personis,* humana scilicet et divina, habes insuper aliquid intrinsece absurdum.

4ª. **Concl.** - *Si sumitur Christus ut persona materialiter, imo ut persona formaliter entitative, nulla in eo compositio admitti potest.* Etenim persona Christi est simplicissima, et non magis potest in se composita praedicari, quam persona Patris et Spiritus Sancti. Neque composita est in quantum est principium subsistendi in hac vel illa natura. Nam hoc principium ex hoc quod, v. gr., subsistit in humana natura, nihil de sua simplicitate amittit.

5ª. **Concl.** - *Sumpta autem formaliter terminative, persona Christi composita dici potest ad hoc.* Etenim in hoc consistit infinita assumptionis virtus, quod terminatur praedicatio τοῦ divini esse ad humanam naturam assumptam; quae rursus se habet ad subsistentiam divinam, uti ad centrum ad quod vehementissime attrahitur. Quare, licet non sit *ex his,* non est tamen mere accidentalis, sed est essentialis seu *subsistentialis.* De quo aspectu dogmatis mox dicetur.

6ª. **Concl.** - *Haec compositio habet simul de compositione ad extra et aliqualiter ad intra.* Quae conclusio caute exponenda est. Habet de compositione *ad extra,* quatenus si concipio motum a principio subsistente ad terminum naturae assumptae, haec natura per se considerata manet distincta a natura divina, et per consequens relate ad hanc est *ad extra* dicenda. Habet autem, saltem aliqualiter, de compositione *ad intra,* quatenus, si considero motum naturae ad principium in quo subsistit, hoc principium est ipsissima persona Verbi, ac per consequens *ad intra* SS. Trinitatis. Sed ubi *ad intra* pervenit, compositio vera desinit.

7ª. **Concl.** - *Ob fallacias hinc inde devitandas persona Christi potius praedicanda est simplex, Christus vero praedicandus compositus.* Etenim quando praedico personam Christi simplicem, depello efficacius Nestorium; quando praedico nihilominus ipsum Christum compositum, efficacius expugno Eutychen. Et sane licet et Christus possit dici simplex, et persona Christi composita, magis tamen obvie verum est, Christum esse compositum quam simplicem; et magis obvie verum est, personam Christi esse simplicem quam compositam.

Et haec impraesentiarum de hoc argumento satis. Reliqua magis illustrabuntur, ubi de ipsa formali unitate personali in Christo inquiremus, scilicet in Quaestione XVII. de unitate Christi quantum ad esse.

ARTICULUS V.

UTRUM SIT FACTA ALIQUA UNIO ANIMAE ET CORPORIS IN CHRISTO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Articulo gemino 5° et 6° S. Thomas refellit directe tertiam sententiam Lombardi, quae duo praesertim affirmat: *a*) Verbum assumpsisse corpus et animam, non inter se coniuncta, sed in Verbo ipso unita, de quo errore hic; *b*) hanc assumptionem factam esse per modum indumenti, quo quis se cooperit, proin accidentalem fuisse, de quo errore in articulo sequenti.

2) Quaestio de unione animae et corporis Christi inter se, recurret infra, ubi de assumptionis ordine. Hic autem tractanda est, quia negatio huius unionis pertinet tum ad Nestorianismum, tum ad Monophysitismum. Ad Nestorianismum, quia conducit ad assumptionem mere accidentalem; ad Monophysitismum, quia destruit integritatem naturae humanae Christi. Imo, uti S. Thomas alibi rectissime observat [1], habet commune cum Arianis et Apollinaristis quod negat Christi corpus anima rationali animatum; et cum Manichaeis et Doketis, quod negat humanitatem Christi habuisse illam veritatem, quam externe prae se ferebat.

3) Apparet ex his, quam gravis sit positio ex qua tam multiplices errores in omnes directiones effluant. Sors nimis frequens earum sententiarum quae, praeter principia firma, ad conciliandas opiniones imprudenti moderamine excogitantur!

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Maior argumenti gratis asseritur. Imo e converso dicendum est, ex ipso dogmate Incarnationis, sicuti ex revelatione non praeoccupatae menti sese offert, falsitatem eiusdem evinci.

[1] In *Summa ctr. G.*, l. IV, c. 37.

2. Obi. Vide resp. post expositionem *Corporis.*

3. Obi. Confundit principium *efficiens*, et principium *formale.*

Sed contra est. Huius articuli doctrina probatur ex Scripturis, ex Conciliis, ex Patribus. 1) Ex *Scripturis* maxime per ipsam mortem Christi, quae fuisset impossibilis, et solummodo fictitia dicenda esset, nisi anima ipsius vitali nexu corpori esset unita. Insuper sublato hoc nexu, iam falsa esset assertio Apostoli: « Unde per omnia debuit fratribus assimilari » [1]. Rectissime proin damnata est haec sententia in Concilio Ephesino sub Coelestino I [2].

2) Ex *Conciliorum* declarationibus habes testimonium Concil. Constantinop. II., c. 4.°: « Unitatem Dei Verbi ad « carnem animatam anima rationali et intellectuali.... fac« tam » [3]. Adde verba Leonis M. in epistola ad Flavianum: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis, h. e., in ea « carne quam assumpsit ex homine et quam spiritus vitae « rationalis animavit ». - Pariter Conc. Toletanum XI. proclamavit: « Idem Christus in his duabus naturis tribus exstat « substantiis: Verbi, quod ad solius Dei essentiam referen« dum est; corporis et animae, quod ad verum hominem « pertinet. Habet ergo in se *geminam substantiam*, divini« tatis suae et humanitatis nostrae » [4]. Quomodo ex *tribus* substantiis *gemina* substantia fieret, nisi coalescentibus in unam completam duobus elementis incompletis humanae naturae: corpore et anima?

3) Ex *Patribus* satis sit ex Graecis afferre S. Cyrillum Alex., qui ad Nestorium scribit: « Verbum unita sibi secun« dum hypostasim carne animata anima rationali (σάρκα « ἐμψυγωμένην ψυχῇ λογικῇ) », etc.[5]; necnon S. Damascenum, qui ait: « *Carnem animatam anima rationali* assumpsit, ut « et eadem esset carnis hypostasis, quae est Dei Verbi hypo« stasis » [6]. Caeterum quomodo fuisset Christus homo *per-*

[1] Hebr. II, 17. Cf. I. Tim. II, 5: « Mediator Dei et [hominum] *homo* Christus « Iesus », etc.

[2] Cf. S. Th. III, Sent. dist. VI, q. 3, a. 1.

[3] Vide supra. — Denzinger (op. cit. n. 175).

[4] Denzinger (op. cit. n. 232).

[5] *Ep. 2. ad Nest.* (loc. cit.). — *P. G.* t. LXXVII, col. 45.

[6] *De Fide* l. III, c. 7.

fectus, qualem Patres vindicant, nisi anima eius humana vitali vinculo fuisset humano eius corpori unita?

In Corpore. Urgendo argumentum apparet quod, sublata unione naturali inter corpus et animam, non solum Christus non esset verus homo; sed nec corpus eius esset corpus humanum, nec anima eius anima humana (Cf. *Summ. Ctr. G.*, l. IV, c. 37).

Optime advertit S. Thomas, hanc tertiam sententiam Lombardi, sicut et primam, fundamentum habere falsam opinionem iuxta quam omne compositum ex anima et corpore esset homo. Inde prior affirmabat, Verbum assumpsisse hominem; altera negabat compositum. Veritas distinguit axioma: Omne compositum ex anima et corpore est homo: quoad naturam, conc.; quoad suppositum vel personam, subdistinguo: si *per se* existit, conc.; si existit vel subsistit in supposito superiore, nego.

Resp. ad 1m. - Distinctio cum subdistinctione modo facta continet resp. ad 1m. Adverte assertum S. Thomae: ex unione superiore cum principio subistente unionem animam inter et corpus, nedum minuatur, augeri: etenim ratione nobilioris esse in quo natura assumpta subsistit, totum quod habet, perficitur et efficaciori modo sustentatur.

Resp. ad 2m. Solutio textus Damasceni sequenti schemate exprimitur:

Referendo *communem speciem:*

1) ad *naturam humanam:*
   - *a)* negatur assumpta natura humana *abstracta universalis* (non esset *res* naturae, nec haberet *carnem*);
   - *b)* negatur assumpta natura *in omnibus individuis* (essent homines *omnes* assumpti).

2) ad *unionem duarum naturarum:*
   - negatur compositio *tertiae* alicuius naturae ex divina et humana (esset *Monophysitismus*).

Resp. ad 3m. - Causalitas efficiens Creatoris servat in creatis causis causalitatem quae ipsis propria est. Nec quidquam ad hoc facit quod Deus alicui naturae modo perfectiori praesens fiat per unionem. Atqui causa formalis est propria animae vivificantis corpus et dantis ipsi esse corporis. Ergo.

Corollarium I. - Ex doctrina huius articuli vides, insufficientem esse doctrinam philosophicam quae ponit rationem personalitatis humanae in vitali coniunctione inter singularem animam et singulare corpus. Nam in Christo haec coniunctio fuit perfecta, quin tamen inde in Christo assumpta humana natura fuerit per se persona.

Corollarium II. - Pariter sequitur ex doctrina praesenti, inefficacem imo falsissimam esse opinionem quae rationem unitatis personalis in Christo Deo et homine in hoc reponit, quod vinculum vitale inter corpus et anima in Christo desit, sed haec uniantur in persona Verbi. Nam, praeter alias difficultates quibus haec positio implicatur, et quae melius in quaestionibus V. et VI. apparebunt, haec positio destruit in Christo veritatem naturae humanae, ac proin recedit in Monophysitismum ac Doketismum.

APPENDIX.

De Formula « duae Naturae et tres Substantiae ».

Hic proprius locus est disserendi de formula celebri quae asserit in Christo dari « duas naturas et tres sub- « stantias ».

Ratio huius quaesiti alia est intrinseca petita ex philosophico verborum sensu, alia extrinseca ex auctoritate Doctorum et Conciliorum.

1) *Philosophice* perpensis vocabulis, formula: « duae naturae, tres substantiae » ambigua est. Per se enim substantia potest sumi pro substantia completa et pro substantia incompleta.

Si priorem sensum intendis, homo non est nisi una substantia, utique composita ex anima et corpore; si intendis sensum alterum, natura humana constat substantia duplici, corpore scilicet et anima. Quare in priori sensu praedicare in Christo tres substantias, est ponere duas substantias completas in humana natura Christi, ac per consequens negare vitalem unionem inter corpus eius et informantem animam; qui gravissimus error in hoc ipso articulo depulsus est. In

altero autem sensu praedicare in Christo tres substantias, nihil aliud est, nisi integritatem naturae humanae contra Doketas et Apollinarem instantius proclamare. Iam vero hunc mere sensum esse genuinum, ex priori parte formulae patet; nam per hoc ipsum quod duae dicuntur naturae, non possunt praedicari tres substantiae completae, quum quaevis substantia completa suam naturam secum ferat.

Nihilominus nec in hoc sensu felix haec formula dicenda est: tum quia, utpote ambigua, erroribus aut calumniis viam praebet; tum quia in eadem enumeratione substantiarum ponit in eadem linea logica substantiam completam naturae divinae et substantias incompletas naturae humanae. Iam vero hoc est contra legem acuti sermonis. Ergo formula de qua agimus, in se considerata, potest quidem ad optimum sensum trahi; est tamen parum probanda, utpote ambigua et insolita.

2) *Usus* huius formulae sat diversus fuit. *a*) Si *Liturgiam* inspicio, habeo Praefationem in qua canitur: « Cum Unige-« nitus tuus in substantia nostrae mortalitatis apparuit, nova « nos immortalitatis suae luce reparavit ». Substantiam hic sumi, non pro tota nostra humana natura, sed pro parte corruptibili eiusdem, id est, pro corpore, ex verbis « nostrae « mortalitatis » suadetur. Hunc sensum manifestius exhibet oratio Missae in Octava Epiphaniae: « Deus, cuius Unigenitus « *in substantia nostrae carnis* apparuit, praesta quaesumus, « ut per eum quem similem nobis *foris* agnovimus, *intus* « reformari mereamur ».

Ergo in Liturgia substantia vocatur pars humanae nostrae naturae, non integra solum nostra natura. Idem habet hymnus quasi liturgicus « *Adoro te* », in quo legitur apertius: « Quibus « sub bina specie - carnem dedit et sanguinem, - ut *duplicis* « *substantiae* - totum cibaret hominem »; id est: animam per sanguinem, qui semper uti symbolum vitae habitus est; corpus per carnem.

b) Nec apud *Scholasticos* ille loquendi modus deest. Ita S. Bonaventura scribit: « Uno igitur modo est in Christo « speciem communem accipere, et alio modo non; quia cum « sit in eo *triplex substantia,* ex coniunctione duarum, vide-« licet animae et carnis, resultat una forma specifica, in qua

« cum aliis hominibus communicat » [1]. Pari terminologia S. Thomas utitur.

Iam vidimus ordinem quo Angelicus procedit in *Summa contra Gentiles*. En verba quibus hanc methodum contrahit: « His igitur *tribus substantiis* in Christo convenientibus, sci- « licet divinitate, anima humana et vero humano corpore, « circa horum unionem quid sentiendum sit, secundum Scri- « pturarum documenta inquirendum restat » [2]. Et in commentario Lombardi, quaerens utrum in Christo homo dicat tantum duas substantias, concludit: « Hoc nomen *homo* (in « Christo) comprehendit *tres substantias;* sed duas ex parte « significati, tertiam ex parte subiecti ». Et in *Sed contra est:* « Homo est habens humanitatem. Sed habens humanitatem « est divina persona. Ergo cum humanitate, quae continet « duas substantias, hoc nomen *homo*, dictum de Christo, dicit « etiam divinam personam; et sic dicit *tres substantias* » [3].

c) Quod iam ad *Conciliorum* declarationes de hac formula attinet, in utramque partem eunt; sed quo pressior sensus formulae per controversias determinatur, eo magis ab eius usu recedunt. Concilium quidem Toletanum XI, anno 675 habitum, formulam his verbis probat: « Item idem Christus in « duabus naturis, *tribus* extat *substantiis* ». Ast cum paucis verbis interiectis [4], concludit ad *geminam substantiam,* ostendit *tres* illas substantias non esse completas, sed duas earum coalescere in unam substantiam completam [5].

Paulo post oritur de legitimitate huius formulae controversia sat acuta. Patres quidem Concilii Toletani XIV. probaverant opus quoddam S. Iuliani, in quo occurrebat et ista propositio: tres esse in Christo substantias. Hanc quum sibi displicere Benedictus II. per nuntium monuisset, S. Iulianus per orthodoxam expositionem Sergium I. placavit. Inde Patres Conc. Toletani XV, de hac placatione discrete gloriantes, si tamen discrete, utramque formulam de duplici et de triplici in Christo substantia ita exponunt ac vindicant. « Ad secundum

[1] III. Sent. Dist. II, art. 2, q. 3.
[2] L. IV, c. 34.
[3] III. Sent. Dist. VI, q. 1, art. 2.
[4] Cf. textum integrum supra in *Sed contra est.*
[5] DENZINGER (op. cit. n. 232).

« quoque retractandum capitulum transeuntes, quo idem « Papa incaute nos dixisse putavit, tres substantias in Christo « Dei Filio profiteri: sicut nos non pudebit, quae sunt vera « defendere, ita forsitan quosdam pudebit, quae vera sunt « ignorare (!?). Quis enim nesciat, unumquemque hominem « duabus constare substantiis, animae scilicet et corporis?... « Quapropter natura divina humanae sociata naturae possunt « et tres propriae et duae propriae appellari substantiae » [1].

Sed ecce, anno 794, Concilium plenarium Francofordiense, - cui ex approbatione ab Hadriano eodem anno in Romana synodo data, vix aliquid de suprema auctoritate deest, - ad fraudes Adoptianorum facilius depellendas, formulam « duae « naturae et tres substantiae » proscribit. Rationes autem quas idem Concilium affert, ex optima sunt philosophia depromptae. « Quod etiam et in sequentibus adiunxistis, in profes- « sione Nicaeni Symboli non invenimus dictum, in Christo « duas naturas et tres substantias, et homo deificus et Deus « humanatus. Quid est natura hominis, nisi anima et corpus? « vel quid est inter naturam et substantiam, ut tres substan- « tias necesse sit nobis dicere et non magis simpliciter, sicut « sancti Patres dixerunt, confiteri Dominum nostrum Iesum « Christum Deum verum et verum hominem in una persona? « Mansit vero persona Filii in Trinitate, cui personae humanae « accessit natura, ut esset et una persona, Deus et homo, non « homo deificus et humanatus Deus, sed Deus homo et homo « Deus: propter unitatem personae unus Dei Filius, et idem « hominis Filius perfectus Deus, perfectus homo... Consuetudo « ecclesiastica solet in Christo duas substantias nominare, « Dei videlicet et hominis... » [2].

Mirum sane, post tam solemnem declarationem, formulam hanc apud scholasticos magistros adhuc tam frequentem apparere. An forte huius Concilii acta minus eis innotuerunt?

Et haec de ista quaestione satis.

[1] DENZINGER (op. cit. n. 247).
[2] Ibid. n. 255.

ARTICULUS VI.

UTRUM NATURA HUMANA FUERIT UNITA VERBO DEI ACCIDENTALITER.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ex supradictis de relatione naturae ad personam vel suppositum sequitur, tres gradus in subsistentia dari:

a) ἀνυπόστατον, id est, accidens; - *b*) ἐνυπόστατον, id est, naturam singularem, substantiam existentem; - *c*) ὑπόστασιν, seu suppositum, personam, substantiam existentem per se.

a) *Accidens* non potest existere nisi in alio subiecto, est enim τὸ *inesse* natura eius.

b) *Substantia* potest existere per se, vel subsistere in superiori principio; non utique tanquam in subiecto accidentis, sed tanquam in substantia, sua propria subsistentia subsistente;

c) *Suppositum* demum est haec substantia subsistens per se completa.

2) Secundum haec tria datur et triplex unio:

a) *Unio accidentalis,* quae est accidentis ad substantiam; - *b*) *unio substantialis* seu naturalis, quae est materiae ad formam, vel elementi ad mixtum; - *c*) *unio subsistentialis* seu personalis, quae est substantiae sive naturae assumptae ad principium assumens.

3) Iam vero, uti iam vidimus, errorum circa Incarnationem proprium fuit negare unionem hanc tertiam et ponere vel primam vel secundam pro indole sua propria.

a) Nestorius enim, tollens unitatem personalem, docuit unionem *accidentalem.* - *b*) Eutyches e contra, tollens distinctionem naturarum, docuit unionem substantialem seu *naturalem.* - *c*) Catholica autem doctrina, tenens simul unionem personalem et distinctionem naturarum, docet unionem *personalem* seu *subsistentialem.*

3) Adverte tamen, usu perinde invaluisse unionem *substantialem* ac *subsistentialem.* Ast, ne oriatur confusio, i. e., ne unio *substantialis* sensum monophysitisticum secum trahat efficacior inducta est a Latinis vox « *unio hypostatica* ». Sub-

stantia enim, licet quoad etymon ὑπόστασιν vertat, apud Latinos magis cum natura confunditur quam apud Graecos.

II. **Ad Textum.** - *Obi. 1.* Textus S. Pauli hic allegatus principaliter obiicitur ab illis qui tertiam sententiam Lombardi propugnant, Incarnationem concipientes ad modum duplicis vestimenti, corporis et animae, quo Verbum sese ad extra accidentaliter induit. Vide dicenda infra de modo loquendi S. Augustini.

Obi. 2. Aliquid adveniens alicui vel *a*) ipsi iam completo simpliciter adhaeret, et tunc oritur unio accidentalis: puta pallium quo quis vestitur; vel *b*) ita in communionem eius trahitur, ut pars ipsius evadat: puta corpus animae in fine temporum iterum coniungendum; vel *c*) ita ut trahatur ad unum esse, non quidem naturae ratione partis, sed hypostasis ratione subsistentiae in ipsa: et ita humanitas advenit Verbo.

Obi. 3. Procedit haec obiectio ac si non essent nisi duo ad invicem conferenda: accidens et substantia. Ostendimus dari tertium, scilicet, suppositum, personam.

Obi. 4. Iuxta gradationem in obi. 2.ª expositam, patet dari tria genera instrumentorum: *a*) accidentaliter unitorum; *b*) substantialiter unitorum; *c*) personaliter seu subsistentialiter unitorum. Obiectio nonnisi primum considerat.

Sed contra est. Summi momenti est doctrina hic ab Angelico tradita. Si humanitas Christi accidentaliter tantum ad Verbum pertinet, non potest proprie dici Christus esse homo, aut saltem *Verbum* factum esse *homo*. Homo quippe praedicat *quid*. Accidens autem *quale, quantum*. Etenim, pone Verbum humanitate solum indutum, non poterit de ipso dici *quid* sit post Incarnationem, sed *quale* sit.

Probatur autem praesens doctrina, - praeter argumenta iam superius, maxime in duobus primis articulis huius Quaestionis allata, - per apertas declarationes Conciliorum atque Patrum.

1) Ex *Conciliis* huc faciunt documenta quibus fallaces evasiones Nestorii eiusque asseclarum depelluntur. Ita in II. Concilio Constantinopolitano, oecum. V, can. 4, legitur: « Si quis « dicit secundum gratiam vel secundum operationem, vel « secundum dignitatem, vel secundum honoris aequalitatem,

« vel secundum auctoritatem aut relationem, aut effectum « aut virtutem, unitionem Dei Verbi ad hominem factam esse, « aut secundum bonam voluntatem, quasi quod homo placuit « Dei Verbo, eo quod bene visum est ei de ipso (sicut Theo- « dorus insaniens dicit), vel secundum solam nominis similitu- « dinem, quam Graeci homonymiam vocant, per quam Nesto- « riani Deum Verbum Iesum et Christum vocantes, et homi- « nem, separatim Christum et Filium nominantes, et duas « personas manifeste dicentes per solam nominationem, et « honorem et dignitatem, et adorationem, unam personam, et « unum filium et unum Christum confingunt dicere; sed « non confitetur (sicut sancti Patres docuerunt) *unitatem*.... « *secundum subsistentiam factam:* (κατὰ σύνϑεσιν ἤγουν κατὰ « ὑπόστασιν) et propterea *unam* eius *subsistentiam*, ... A. S. » [1]. Et paulo inferius, can. 8: « Si quis ex duabus naturis, deitate et « humanitate, confitens unitionem factam fuisse, vel unam « naturam Dei Verbi incarnatam dicens, et non sic has voces « intelligit, sicut SS. Patres docuerunt, quod ex divina natura « et humana, unitione *secundum subsistentiam* (καϑ' ὑπόστασιν) « facta, unus Christus factus est.... A. S. » [2]. Pariter Concil. Lateranense, anno 649, sub Martino habitum sancivit: « Si « quis secundum sanctos Patres non confitetur, proprie et « secundum veritatem naturarum *substantialem* unitionem « indivise et inconfuse in eo cognitam, condemnatus sit » [3]. Adde cap. *Cum Christus* in Decretalibus, ubi Alexander III. uti haereticam damnat opinionem, quae unionem in Incarnatione factam negat esse substantialem.

2) Quantopere autem *Patres* hanc doctrinam corroborent, ex superius iam expositis patet. Et sane Card. Franzelin, ad quem remittimus, egregia testimonia erudite congessit, quibus haec ontologica unitas vindicatur [4]. Perbelle S. Athanasius ait: « unum esse Christum, secundum *indeficientem* « *existentiam* (καϑ' ὕπαρξιν ἀνελιπῆ), ut unus sit utrumque, per- « fectus secundum omnia Deus et homo idem » [5]. Nec minus

[1] Denzinger (Op. cit. n. 175).
[2] Ibid. n. 179.
[3] Ibid. n. 209.
[4] Op. cit. th. xx.
[5] *Cfr. Apollin.* l. I, n. 16. — *P. G.* t. xxvi, col. 1124.

praeclare Epiphanius: « Verbum caro factum est; non dixit: « caro factum est Verbum, quo nimirum ostenderet imprimis « Verbum descendisse de caelo, et in se ipso subsistentiam « fecisse carnem (εἰς ἑαυτὸν δὲ ὑποστήσαντα τὴν σάρκα) ex « utero S. Virginis, integramque humanam naturam perfecte « *in se ipsum affinxisse* (τελείως εἰς ἑαυτὸν ἀναπλασάμενον) » [1].

In Corpore. Occasionem ex hoc articulo S. Thomas assumit, ut synthesim quamdam exhibeat principaliorum haereseon hanc partem dogmatis de Incarnato Verbo impugnantium.

Missa sit haeresis Eutychetis. En schema de reliquis:

Personas separant;
- I) *directe* et *aperte* *Theodorus* et *Nestorius* ponentes unionem:
  - *a*) per inhabitationem,
  - *b*) per unitatem affectus,
  - *c*) per operationem,
  - *d*) per dignitatem honoris,
  - *e*) per aequivocationem;
- II) minus directe et ex ignorantia:
  - 1) negantes duas personas, sed ponentes duo supposita seu hypostases: } idem est;
  - 2) negantes corpus et animam unita nisi in Verbo: } accidentaliter unita essent.

Adverte, S. Thomam in conclusione huius articuli severius corripere 1.m et 3.m sententiam Lombardi, quam in Sentent. Commentario.

Rationibus heic expositis adde ex *Summa ctr. Gentiles:* [2] *a*) Si Verbum non assumpsit humanam naturam nisi uti indumentum quo visibile appareret, frustra assumpsisset invisibilem animam. - *b*) Laesio indumenti non afficit indutum; laeso proin corpore humano, non passum fuisset ipsum Verbum. - *c*) Quid interfuisset inter assumptionem corporis et animae a Verbo, et assumptionem columbae a Spiritu Sancto?

Resp. ad 1.m Triplicem rationem comparationis Incarnationis cum vestitione hic habemus a S. Thoma suggestam: *a*) ratione *visibilitatis,* quia homo per vestimenta videtur; - *b*) ratione *immutabilitatis Verbi,* cui humana natura quasi coaptatur, immutato illo permanente, uti membra veste

[1] *Haeres.* LXXVII. — *P. G.* t. XLII, col. 685.
[2] L. IV, c. 38.

induta; - *c*) ratione *perfectionis* ab humana natura acquisitae per illam conformitatem, unionemque intimam cum induente eam. Rationes *a*) et *b*), uti mox apparebit, directe desumptae sunt ab Augustino.

Reliqua iam tetigimus.

De modo loquendi S. Augustini. - Quum opinio tertia Lombardi S. Augustini auctoritate fulciatur, iuvat paucis doctrinam tanti Doctoris de hoc argumento exponere.

In libro LXXXIII. Quaestionum, in Quaestione 73, explicans directe locum S. Pauli: « Et habitu inventus ut homo » [1], ita habet: « Habitus dicitur tum affectus cordis et animi, tum « habitudo corporis, tum indumentum. In omnibus significatur « aliquid additum, res " quae accedit alicui, ita ut etiam possit « eam non habere " ». Hoc posito, discurrit subtiliter de modo diverso quo habitus gignuntur vel efformantur. « Quaedam « eorum quae accidunt nobis, ut habitum faciant, non mutantur « a nobis, sed ipsa nos mutant in se, ipsa integra et inconcussa « manentia: sicut sapientia, cum accidit homini, non ipsa « mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem « facit. - Quaedam vero sic accidunt, ut et mutent et mutentur: « sicut cibus ipse amittens speciem suam, in corpus nostrum « vertitur; et nos refecti cibo, ab exilitate atque languore in « robur atque valentiam commutamur. - Tertium vero genus « est, cum ipsa quae accidunt, mutantur ut habitum faciant, « et quodammodo formantur ab iis quibus habitum faciunt, « sicut est vestis: nam cum reposita vel proiecta est, non habet « eam formam, quam sumit quum induitur atque inducitur « membris. Ergo induta accipit formam, quam non habet « exuta; cum ipsa membra, et cum exuuntur, et cum induun- « tur, in suo statu maneant. - Potest esse et quartum genus, « cum ea quae accidunt, ad faciendum habitum, non ea mutant « quibus accidunt, nec ab ipsis ea mutantur: sicut annulus « digito, si non nimis subtiliter attendatur. Verumtamen hoc « genus aut nullum est, si diligenter discutias, aut omnino « rarissimum » [2].

Iam haec verbis Apostoli applicans, S. Doctor ita pergit:

[1] Phil. II, 7.

[2] N. 1. — *P. L.* t. XL, col. 84.

« Iste autem habitus non est ex primo genere: non enim « manens in se natura hominis naturam Dei commutavit; - « neque ex secundo: non enim et mutavit homo Deum, et « mutatus est ab illo; - neque ex quarto: non enim sic assum- « ptus est homo, ut neque ipse mutaret Deum, nec ab illo « mutaretur; - sed *potius* ex tertio: sic enim assumptus est, ut « commutaretur in melius, et ab eo formaretur *ineffabiliter* « *excellentius atque coniunctius* quam vestis, cum ab homine « induitur »..... Et paulo infra rursus: « Quo nomine (habitu) « oportet intelligi non mutatum esse Verbum susceptione « hominis, sicuti nec membra veste induta mutantur: quan- « quam illa *susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti* copu- « laverit; sed *quantum verba humana rebus ineffabilibus* « *coaptari* possunt, ne mutatus intelligatur Deus humanae « fragilitatis assumptione, electum est ut graece σχῆμα et « latine diceretur *habitus* illa susceptio » [1].

Ex quibus apparet, Augustinum, post Paulum, Incarnationem conferre cum vestitione indumenti; sed eo scopo ut ostendat totam mutationem concipiendam esse a parte humanae naturae; non autem ut probet inter Verbum et hanc naturam esse unionem accidentalem. E contra, quotiescumque animadvertit comparationem suam adhuc deficere, hanc deficientiam compensat verbis tam efficacibus, ut ostendant S. Doctorem hoc loco, sicuti in tot aliis, vehementer adversari opinioni quae eius auctoritatem in sui favorem usurpat [2].

Quaeres I. - Quomodo potuit Lombardus hanc tertiam sententiam, - quae manifeste haeretica est, quatenus mere accidentalem unionem praedicat, - afferre uti probabilem, quin illam potius aperte damnaret? Haec quaestio commentatores Magistri non parum torquet. Scotus, hoc loco, putat hanc

[1] N. 2. - col. 85. — Cf. quae idem Augustinus habet *De Trin.* l. IV, c. 21. — *P. L.* t. XLII, col. 910.

[2] Porro ad mentem S. Augustini trahendus est S. Hilarius quando ait: « Quo- « modo Dei Filius ex Maria est, nisi quia Verbum caro factum est? Scilicet quod « Filius Dei cum in forma Dei esset, formam servi accepit. Unum tamen eumdemque, « non Dei defectione, sed hominis assumptione profitemur et in forma Dei per natu- « ram divinam, et in forma servi ex conceptione Spiritus Sancti, *secundum habitum* « repertum fuisse: non fuit habitus ille tantum hominis, sed est hominis; neque caro « illa caro peccati, sed in similitudinem carnis peccati » *.

* *De Trinit.* l. X.

sententiam tempore Lombardi nondum fuisse haereticam. Ast quandonam talis effecta praedicabitur, si ad hoc tot concilia non suffecerint? - Caietanus opinatur, istos Magistros non sat perspicace agnovisse, hanc tertiam sententiam per illa documenta esse proscriptam. - Toletus potius credit, Lombardum horum Conciliorum actus non legisse.

Caietani solutio forsan non est tam explodenda ac iste Cardinalis putat. Et sane omnia illa, vel quasi omnia Conciliorum effata respiciebant errorem geminum Nestorii et Eutychetis, non illas formas subtiliores quae in opinione prima et secunda occurrunt. Sunt nihilominus damnabiles; et erant iam Lombardi tempore tales, imo haereticae.

Quaeres II. - Quid censendum de ratione, quam in fine Lombardus in favorem tertiae sententiae allegat? Ita habet: « Si essentialiter, inquiunt illi, Deus esse homo, vel homo « esse Deus intelligeretur, tunc, si Deus hominem assumpsis- « set in sexu muliebri, et mulier esset essentialiter Deus, et « e converso. At potuit Deus assumpsisse hominem in sexu « muliebri; *potuit igitur mulier esse Deus,* et e converso ».

Eamdem obiectionem sibi ponit auctor *Apologiae de Verbo Incarnato* Q. VI: « Obiicitur: Si Deus potuit assumere mulie- « rem, ergo mulier potuit esse Deus - Solutio: Non sequitur. « Sicut non sequitur: Deus potest de homine facere lapidem: « ergo homo potest fieri lapis. Deus enim potest impossibilia, « nec tamen impossibilia sunt possibilia ».

Nil valere hoc responsum, vix opus est ostendere. Sumitur enim utrimque vox *posse, possibile,* in sensu diverso. Sumendo τὸ *possibile* eodem sensu, simpliciter concedendum est, quidquid possibile est Deo, fieri posse eo sensu quo possibile affirmatur. - Dato igitur et a Lombardo et ab obiectionem solvente, Deum potuisse humanam naturam assumere in sexu muliebri, concedendum est etiam, mulierem potuisse esse Deum. Neque enim in hoc absolute inconveniens est, quum Deus sit supra omnem rationem sexus, perfectiones utriusque eminentissime in se continens. Magis tamen conveniens fuit, uti videbimus, assumi sexum virilem, propter dignitatem et opus reparationis.

Corollarium I. - Ob cavendas fraudes eorum qui veram ontologicam personalem unionem in Homine-Deo inficiantur,

sed minus quoddam pomposis verbis extollunt, abstinendum est a vocabulis, quae possunt quidem dogma exprimere, si urgeantur, non tamen sat presse idem exhibent. Talia sunt vocabula: « *Theophorus* θεοφόρος et *deificus* ».

Theophora proprie fuit B. Virgo [1] Deum in utero gestans; Christus autem est plus quam deifer, utpote ipse Deus. Rectissime ergo Concilium Ephesinum contra Nestorium statuit: « Si quis audeat dicere, hominem Christum Theophorum, id « est Deum ferentem (θεοφόρον ἄνθρωπον τὸν Χριστὸν), ac non « potius Deum esse veraciter dixerit, tanquam filium per « naturam, secundum quod Verbum factum est caro, et com- « municavit similiter ut nos carni et sanguini, A. S. » [2].

Et sane ipse Nestorius, uti ex Cyrillo constat, opponebat haec ad invicem asserens: « Christum non revera Deum, sed « hominem deiferum » [3]. Unde Cyrillus ab hac appellatione maxime abhorret. « Sed nec illud dicimus, habitasse Verbum « quod a Deo processit in eo, qui a S. Virgine genitus est, « tanquam in vulgari homine; ne deifer homo intelligatur « esse Christus » [4]. Nec modo ille hanc appellationem respuebat. « Nestorius, ait S. Damascenus, Deo invisus, eum, « quem Virgo peperit, Deiferum appellare superbe est ausus. « Nos autem absit ut deiferum ipsum dicamus aut cogitemus, « quin potius incarnatum Deum » [5].

Ubi observa discrimen inter *hominem* deiferum et *carnem* deiferam; quod discrimen forte Petavius non satis agnovit [6]. Et sane textus Basilii Magni ab eruditissimo theologo allati nonnisi carnem praedicant deiferam. Ita commentans verba

[1] Inde origo celebratissimae tabulae, quae Antverpiae in maiori ecclesia Nostrae Dominae asservatur. Etenim P. P. Rubens, rogatus a sodalitate S. Christophori, ut sibi opus depingeret, symbolice argumentum tractavit, tres in tryptico Christophoros repraesentans: super ala sinistra B. Virgo Christum nondum natum ad Elisabeth defert; super ala dextra sacerdos Christum infantem in templo praesentatum ulnis gestat; in medio S. Ioannes emortui Christi corpus brachiis sustentat. Non autem nisi super alis externis S. Christophorus ipse, iuxta solitam iconographiam, exhibetur.

[2] Can. 5. DENZINGER (op. cit. n. 77).

[3] *Ctr. Nestor.* l. I. — *P. G.* t. LXXVI, col. 25.

[4] Ep. ad Nestor. in Syn. Ephes. recepta. — *P. G.* t. LXXVII, (ep. 17) col. 112. — Cf. *Comm. in Ioann.* l. XI; maxime *Libr. Schol.* c. 24.

[5] *De Fid. Orth.* l. III, c. 12. — *P. G.* t. XCIV, col. 1032.

[6] Op. cit. l. VII, c. 12, n. 3.

psalmi: « In Idumaeam extendam calceamentum meum » [1], ait: « Calceamentum deitatis est deifica caro, per quam in « homines venit » [2]. Et alia verba: « Sanctificavit taberna- « culum suum Altissimus » [3], interpretatur hoc modo: « Forte « de carne loquitur deifera, quae sanctificata est per coniunc- « tionem cum Deo » [4]. Et alibi: « Quid opus erat Sancta Vir- « gine, si non ex Adami massa deifera caro esset assu- « menda? » [5]. Et sane expressio *caro deifera* longe minus insinuat duplicem personam ferentis et lati, quam *homo* deifer.

Nec mirum esset, si S. Basilius ante Nestorianam litem voce esset usus, quae potest quidem in optimum trahi sensum ab eo intentum, sed quae ab haeresiarcha in sensum pessimum deflexa, iam exhinc facta est a catholico scriptore vitanda.

Melius igitur Christus dicitur Deus *Antropophorus* quam homo Theophorus; homo enim in eo non sustentat Deum, sed Deus sustentat humanam naturam. Sed et huic locutioni periculum inest, ne iste homo sustentatus concipiatur uti suppositum a persona sustentante distinctum.

Pariter melius quam caro deifera, Deus dicitur *carnifer*, sive Sarcophorus. Sed nec ipse Deus Sarcophorus impune praedicatur, si vox *caro* exclusive intelligitur, ad absentiam humanae mentis in Christo significandam. Hoc sensu Apollinaris respuebat: *hominem* deiferum, ut teneret *deiferam carnem*. Contra quem S. Greg. Nazianzenus: « adorare oportere « non hominem deiferum, sed Deum carniferum, quo quid « alienius a ratione fieri potest? tametsi huiusmodi vocabulo « multum sibi placeant novi praecones veritatis.... Quippe si « quis, mutato hoc vocabulo *homo*, et hoc item *caro* in Deum « (quorum alterum nobis, alterum illis placet), eadem utatur « postea mirifica et Deo cognita conversione, quod tandem « colligetur? Nimirum adorare oportere non carnem deife- « ram, sed Deum hominiferum. O ingentem absurditatem! » [6].

b) Nec sat presse dogma exhibet vocabulum *deificus*, quum hoc vocabulo appellari etiam soleant participationes divini-

[1] Ps. LIX, 10.
[2] In hunc psalmum. — *P. G.* t. XXIX, col. 468.
[3] Ps. XLV, 5.
[4] In hunc psalmum. — *P. G.* t. XXIX, col. 424.
[5] Epist. 261. — Cf. *De Spirit. S.* c. 5. — *P. G.* t. XXXII, col. 969.
[6] Epist. 2, ad Cled. (Orat. 52). — *P. G.* t. XXXVII, col. 200.

tatis, quae obtinentur per gratiam: ita claritatem, in quam sancti a Deo vocantur, S. Benedictus appellat « deificum « lumen » [1]. Recte igitur Concilium Francofordiense superius citatum dicit: « Non homo *deificus* et humanatus Deus, sed « Deus homo et homo Deus ». Melius tamen longe vox *deificus* quam theophorus. Nam si per Incarnationem Deus factus est homo, aliquo sensu etiam homo factus est Deus, uti loco suo videbimus [2].

c) Melior adhuc est vox *Deus humanatus*. Et sane Incarnatio optime vocari potest inhumanatio, et apud maxime orthodoxos Patres haec appellatio occurrit. Ita S. Cyrillus Alex. ait: « Πραγμάτων, ἤγουν ὑποστάσεων γέγονε σύνοδος, ἵνα καὶ ὁ « τῆς ἐνανθρωπήσεως λόγος ἀληθῶς γενέσθαι πιστεύηται » [3]. Nihilominus ad effugiendam interpretationem Nestorianam aut ad minus Adoptianam de connubio inter Deum et personam aut suppositum humanum, idem Concilium, utpote in media lite Adoptiana habitum, ab hac appellatione abstinendum duxit.

Depulso autem huiusmodi periculo, iam facilior ad hanc pervetustam formulam reditus patet; unde apud Italos valde catholica sonat praedicatio « *il Verbo umanato* ».

Corollarium II. - Porro si attente perpendis, quam arcta requiratur inter Deum et hominem coniunctio, ut haec nullo modo accidentalis praedicari possit, apparet, nonnisi unionem *ontologicam numericam* ad hoc esse sufficientem. Reliquae omnes, quantumcumque extollantur, aut ingeniose exhibeantur, non sunt nisi accidentales. Ita tertio S. Cyrilli anathematismo Nestorius opponit suum anathematismum hoc modo: « Si quis non *secundum coniunctionem* unum dixerit, Chri- « stum, qui est etiam Emmanuel, sed secundum naturam; « ex utraque enim substantia (ὑποστάσεως) tam Dei Verbi « quam etiam assumpti ab eo hominis unam Filii connexio- « nem, A. S. ». Et anathematismo quinto ita respondet: « Si « quis post assumptionem hominis naturaliter Dei Filium « *unum* esse dixerit, A. S. ». Cyrillus e contra semper insistit tali connexioni, ex qua sequatur non « par Filiorum », non unus collective, sed unus realissime ontologice ac numerice.

[1] Prolog. S. Reg.
Q. XVI, art. 7.
[3] *Apol. contr. Theodor.* anath. 1. — *P. G.* LXXVI, col. 396.

Iuxta Nestorium tria nomina *Filius, Dominus, Christus,* possunt tripliciter sumi secundum adiuncta, vel *a*) pro Deo Verbo, vel *b*) pro homine Iesu, vel *c*) pro Homine-Deo, ratione *collectivae* unionis [1]. Cyrillus unitatem numericam strenue propugnat: « Divinitas, ait, quantitatis et molis expers est, nec « ullis limitibus circumscribitur. Attamen fatentes Verbum « hypostatice carni unitum, unum adoramus Filium et Domi- « num Iesum Christum; neque Deum et hominem secamus.... « Unus est Christus et Filius et Dominus » [2].

Hanc collectivam coniunctionem Nestorius vocavit quidem personalem, hypostaticam vero nunquam; erat quippe iuxta ipsum iuridica, moralis, non autem ontologica, numerica. Unde S. Cyrillus hanc fraudulentam unionem depellens, ait: « Tertio, (iuxta Nestorianos) nomen Christi significat « *ambos* (Deum et hominem), quod, ut isti dicunt, ratio con- « iunctionis illos (duos utique) connectit in unam personam « (πρόσωπον). Nam unionis substantialis (id est subsistentialis, « seu hypostaticae) et verae nullam habent rationem, quae « eorum commentatio non est sincera, sed plena veneno et « fraude » [3].

Inde sane Nestorius in Deiparam blasphemavit, quia hanc veram unitatem non agnovit: « Sicut modo cognovi- « mus, a nobis frequenter sciscitantur, an θεοτόκος dicenda « sit Maria, non autem ἀνθρωποτόκος. Habet matrem Deus? « Ergo excusabilis gentilitas matres diis subintroducens. Non, « vir optime, Maria peperit Deum » [4]. Quatenus autem Christus potest poni pro Deo et pro homine, illa quae proprie est χριστοτόκος, poterit participative vocari θεοτόκος: « Sicut « qui dicit *Christus,* quia Deus et homo sit (collective sci- « licet), sic et θεοτόκος et ἀνθρωποτόκος si dicas, utrumque « confessus es » [5]. In quo sane non solum erat nova fraus, sed saltus logicus; ab eo enim quod Christus, propter ali-

[1] Cf. S. Cyrillum *De recta fide ad Theod. Imp. (P. G.* t. LXXVI, col. 1157, sqq.); *ad Regin.* 1. (Ibid. col. 1297, sqq.); *ad Regin.* 2. (Ibid. col. 1340).

[2] Epist. ad Nest. (ed. Migne 17). — *P. G.* t. LXXVII, col. 109, 122. — Displicet valde versio latina, quae ibi legitur: « *Quamvis* autem Verbum carni secundum « hypostasim unitum fateamur, unum tamen, etc. ». E contra: unus, *quia.*

[3] Ibid.

[4] Serm. 1. n. 6, sq. — *P. L.* t. XLVIII, col. 759, sq.

[5] Serm. 12, n. 32. — *P. L.* XLVIII, col. 862.

quam collectivam coniunctionem, dicitur Deus et homo, licet entitative in eo sint hypostases duae; non potest illa, quae mere hypostasim humanam genuit, eadem collectivitate veluti gaudere, ut ob eam Dei mater praedicetur. Sed huiusmodi mutationes Nestorius admisit, ut facilius incautos ad partes suas traheret, quin tamen mentem ullo modo emendaret.

Consequens immediatum huius corollarii est, gravissime in catholicam doctrinam offendere systema Güntherianum, quod non admittit in Christo nisi unitatem *dynamico-formalem*. De quo errore in sequenti appendice ex professo agemus.

Corollarium III. - Unio substantialis in hoc articulo vindicata totam Christi humanam naturam respicit. Unde nequit ea per merum connubium partis superioris explicari. Ex hac ergo, sicuti et aliunde, falsa est positio Rosminii, quam S. Sedes ita damnavit: « In humanitate Christi humana voluntas fuit « ita rapta a Spiritu Sancto ad adhaerendum Esse obiectivo, « id est Verbo, ut illa Ipsi integre tradiderit regimen hominis, « et Verbum illud personaliter assumpserit, ita sibi uniens « naturam humanam. Hinc voluntas humana desiit esse per- « sonalis in homine, et cum sit persona in aliis hominibus, « in Christo remansit natura » [1]. Ab hac Rosminii sententia non satis recedere Dieringer aliosque, qui personalitatem nimis in conscientiae sui evolutione reponunt, in Q. XVII ostendemus. Ita Dieringer scribit [2]: « Fieri potest, ut aliquis « spiritus, manente eius personalitate, nunquam tamen per- « sona sit. Imo re ipsa id contingit, quando altius aliquod Ego « in illo velut personat, tum enim ipsa non persona est, sed « naturae instar ad istud Ego refertur » [3].

Corollarium IV. - Haec numerica personae unitas nullatenus impedit, quominus in Christo personam tum a parte Dei, tum a parte hominis considerem, praedicando utrobique veram personam, sed numero eamdem ac vere unam. Hic est

[1] Prop. 27. — DENZINGER (op. cit. n. 1762).

[2] Versio est P. Stentrup (op. cit. th. XXVIII, p. 485).

[3] « So kann also wohl ein Geist, ohne jemals seine Persönlichkeit einzubüssen, « dennoch niemals Person werden und dieser Fall wird faktisch da zutreffen, wo eine « höhere actuale Ichheit in diesem Geiste selbst personirt, also auch die Ichheit « desselben bildet, wo er dann zu ihm (ih?) in das Verhältniss der Natur tritt » (*Dogmatik*, 2 Ausg. S. 109, sq.).

sensus verborum S. Anselmi dicentis: « In Christo Deus est « persona et homo est persona, nec tamen duae sunt per- « sonae, sed una persona ». Quare nonnisi per calumniam Baltzer, obstinatus Güntherianus, hanc sententiam ita interpretatur, ac si S. Anselmus nullam aliam in Christo unitatem personae admiserit, nisi collectivam quamdam, qualem ille contendit antiqua Concilia Ephesinum, Chalcedonense et Constantinopolitanum olim docuisse, non autem illam numericam, quam postea a theologis catholicis inductam autumat [1].

Corollarium V. - Quum Incarnationis unitio sit aliquid prorsus singulare, cuius nullum in rerum natura exemplum prostat, imo nihil quod eius prodigii imaginem fidelem exhibeat, cautissime procedendum est in comparationibus adducendis, ne falsus rei conceptus per eas in mentibus stimuletur, potius quam verus faveatur. Quare correctio sermonis auditoribus nunquam deficiat oportet. De praecipuis huiusmodi comparationibus in fine art. noni huius Quaestionis dicemus.

APPENDIX

de Errore Güntheriano.

In epistola ad Card. Archiepisc. Coloniensem de scriptis Güntheri, die 15. Iunii 1857, a Pio IX. ven. mem. missa, post censuram doctrinae de SS. Trinitate, haec leguntur: « In com- « pertis pariter habemus, neque meliora, neque accuratiora « esse, quae traduntur de Sacramento Verbi incarnati, deque « unitate divinae Verbi personae in duabus naturis divina et

[1] « Wer möchte es leugnen wollen, dass Anselm hier die in Christus vorhandene « Eine Person in dem altkirchlichen Sinne des Ephesinischen, Chalcedonensischen « und Constantinopolitanischen Concils als eine zusammengesetzte sich denkt, d. h. « als Synthese und deshalb als formale Einheit von zwei realen persönlichen Sub- « stanzen, aber nicht als eine numerisch reale Eins. Denn wenn in Christus Gott « Person, und der Mensch Person, und doch nicht zwei Personen sind, sondern Eine; « so ist Christus der Gottmensch keine einfache, sondern eine [in der unio naturalis « zusammengesetzte Person, in welcher die Persönlichkeit des menschlichen Geistes, « sofern sie als reale Hypostase, d. h. in ihrem realen persönlichen Wesen gedacht « wird, der Persönlichkeit des Logos nicht aufgeopfert ist » (*Neue theolog. Briefe an Dr. Ant. Günther*. Epist. 10).

« humana » [1]. Et in litteris ad episcopum Wratislaviensem, die 30. Martii 1857, idem Pontifex de eadem schola ait: « Et « re sane vera.... neque pauca neque levia in commemoratis « libris reperiuntur, quae tum verbis, tum rebus a catholica « veritate non minimum discedunt. Quo quidem numero ea « praesertim censentur, quae auctor tuetur et affirmat de « augustissima Trinitate, de sacramento Dominicae Incar- « nationis... » [2].

Operae igitur pretium est, ut de hoc errore tam severe a Romana Sede proscripto, fusior sermo habeatur, eo vel magis quod huius erroris, - quem ipse Günther pie abegit, - apud scriptores nonnullos hic illic adhuc vestigia reperiantur.

1) Vitium princeps Güntheri fuit, de rebus fidei nimis rationalistice sapere, iuxta placita philosophiae cuiusdam non fidei ancillantis, sed dominantis: « Neque enim satis intel- « lexit, ait de eo Pius IX, philosophiae esse, in iis, quae ad « religionem pertinent, non dominari, sed ancillari, non prae- « scribere quid credendum sit, sed rationabili obsequio « amplecti, neque altitudinem scrutari mysteriorum Dei, sed « illam pie humiliterque revereri » [3]. Quum ergo fides catho- lica aperte doceat, in SS. Trinitate haberi tres personas in una numerica natura, et in Incarnatione duas personas in una natura, Güntherus intelligere non valens quomodo numero stricto naturarum non respondeat numerus strictus personarum et e converso, in SS. Trinitate impugnavit unitatem numericam naturae [4], et in Christo unitatem numericam personae.

2) Porro viam sibi sterni putavit, ponendo formalem rationem personae in *conscientia sui* [5]. Quam notionem alii quoque theologi nimis facile amplexi sunt, sicuti Kuhn, Staudenmaier,

[1] Denzinger (op. cit. n. 1509).

[2] Ibid., n. 1513.

[3] Ibid.; cf. n. 1514.

[4] Cf. tractatum nostrum *De Deo Trino*, p. 387.

[5] « Ist Persönlichkeit etwas anderes als Sellbstbewusstsein? ist dieses etwas ande- « res als die wesentliche Form des Geistes? Und lässt sich von einer wahren « Menschheit sprechen mit Ausschluss jener wesentlichen Form, d. h. mit Einschluss « eines halben, weil formlosen Geistes in körperlicher Hülle? » (*Vorsch.* II, p. 260). — « In jeder Person ist Wesen und Form zu unterscheiden; jenes ist an sich das Sein « (Substanz-Princip), diese ist das Denken desselben, wenn es das Sein zum Inhalte

Dieringer, Berlage, de quibus optime disputat Stentrup [1]. Utique ratio ob quam homo prae bruto personalem dignitatem habet, est ipsa rationalitas, quae, sese evolvendo, conscientiam sui sicuti et aliarum rerum parit. At non haec ipsa conscientia sui personam facit. Unde, quum haec conscientia sui sit potius aliquod accidens rationalem naturam afficiens, quam principium subsistentiae eiusdem; tot utique erunt conscientiae sui, quot sunt naturae intellectuales recte evolutae; at non ideo erunt tot quot personae naturae. Insuper haec conscientia sui fluens ex natura, non potest per unionem cum superiori natura destrui, quin ipsa natura integra esse desinat. Affirmet utique id monothelita vel Apollinarista, Christum hominem non habuisse conscientiam sui, nihil consequentius; at qui integram in Christo humanam naturam tenet, humanam quoque conscientiam sui ei tribuat oportet.

Caeterum si penitius haec formula investigatur, reiicienda est uti ambigua. Quid enim intenditur per hoc *sui:* suae naturae, an suae hypostaseos? Si suae *naturae,* quomodo haec potest per se facere personam? Si suae hypostaseos, ergo haec supponitur et per hanc conscientiam nonnisi evocatur.

3) Porro si hanc theoriam Christo applicamus, manifesto in Christo persona oritur duplex. Christus enim, ut Deus, persona est, sui perfectissime conscia. (Omitto nunc errores Güntheri circa constitutionem SS. Trinitatis, ac proin circa Verbum). Pariter Christus, ut homo, habet conscientiam sui, secus nec homo perfectus esset. Quomodo igitur ex hac duplici conscientia sui non oritur duplex persona?

Solutio catholica in promptu est. Christus ut Deus novit semetipsum Patris Filium ac simul Filium Virginis, novit naturam humanam ex Maria desumptam subsistere in ipsa subsistentia secundae personae SS. Trinitatis. Christus ut homo, per lumen visionis beatificae cognoscit naturam et personam Verbi, videtque hanc personam sustentare suam naturam humanam, quae utique natura humana per naturale

« hat, und darum Wissen (Selbstbewusstsein) ist, aus welchem das Sein als Wesen « sich zurücknimmt, und dadurch zum geistigen Subjecte, zum Ich wird » (Ibid. p. 296).

[1] Op. cit., th. XXVIII.

lumen rationis perfecte novit insuper semetipsam. (De qua Christi scientia, iuxta varios suos ordines in Quaest. IX-XII ex professo dicemus). Quare haec duae conscientiae se compenetrant, quatenus in eadem hypostasi idem testantur; sunt tamen tam distinctae quam ipsae naturae; nec causant conscii unitatem, sed e contra hanc unitatem supponunt atque agnoscunt. Haec solutio catholica.

Solutio Güntheriana longe diversa. Sunt quidem in Christo, ait Günther, duae in se consistentes personae. Unde si *numericam unitatem* attendis, haec in incarnatione realis non datur; datur tamen quaedam *realis unio,* scilicet *dynamico-formalis* propter mutuam conscientiam sui; scilicet propter agnitam illam initialem coniunctionem et ordinationem, vi cuius Christus, ut homo Iesus, sciebat, se in Verbum destinari, et uti Deus, sciebat, se agere et influere in Iesum. Sed ista penitius inspecta, sunt inania verba. Et sane, haec conscientia sui mutua hanc coniunctionem, cui superstruitur, non reddit maiorem; neque per istam conscientiam sui haec potest produci. Ergo habemus vel circulationem, vel aliquam coniunctionem moralem qualis habetur inter Deum et alios magnos praedestinatos. Praecellens fuerit haec coniunctio in Christo; at non alterius ordinis. Ergo Güntherianismus redundat in antiquum Nestorianismum. Quemadmodum Nestorius unam personam praedicabat, duas tenens hypostases; ita Günther praedicat personas numerice duas, at dynamice unam.

4) Igiturne Güntherus sese Nestorianum fatebatur? Absit! non magis quam Tritheistam. Quin toto nisu veterem Ecclesiae doctrinam ad placita sua deflectere conabatur. Scilicet, si ipsi credas, separatismus vel dualismus, quem Nestorius in Christo tenebat, erat longe apertior; unde poterat Ecclesia illam doctrinam vehementer damnare, quin proscripserit hunc suum dualismum longe mitiorem, imo redundantem in unitatem. Insuper si Ecclesia fidem tunc temporis defendit utendo formulis, quae huic novae doctrinae videntur contrariae, hoc tribuendum est mediis philosophicis quibus erat instructa. Si adminicula habuisset, quae suppeditat philosophia saeculi XIX, (apprime *conscia sui,* in pravo sensu τοῦ Selbstbewusstsein!) aliter, id est, Güntheriane locuta

esset [1]. Addunt etiam nonnulli, errorem Nestorii non tam fuisse de unionis indole, quam de eius tempore.

Per partes igitur superest, ut hisce nugis fiat satis.

5) Et imprimis de ultimo asserto, praeter iam dicta verbulum addatur. Non hunc fuisse Nestorii errorem praecipuum, patet ex sequentibus rationibus. *a*) Ipse Nestorii pluries concessit, quam tenebat unionem, factam esse ab ipso tempore conceptionis Christi. *b*) Si de tempore solum fuisset error, rationem contra appellationem θεοτόκος inde desumpsisset, scilicet ex hoc, quod Iesus nonnisi postea factus esset Christus, Filius Dei. Iam vero nihil huiusmodi. Nec Patres contrarium urgebant. Ergo tum haeresiarcha, tum ipsi de tempore conveniebant. *c*) In actibus Concilii Ephesini, Chalcedonensis, Constantinopolitani I. vix occurrit mentio de controversia circa tempus huius unionis, sed circa unionem ipsam canones versantur.

Quaestio de tempore potius secundaria est. Unde Cyrillus in tertio anathematismo dicit: « Si quis in uno Christo « dividit hypostases *post unitionem,* » etc. Et sane, si princeps error fuisset de hac successione, potius « *ante* unitionem » dicere debuisset. Caeterum istud *post* in mente Cyrilli intelligendum est logice, non realiter.

Fatendum quidem, primo intuitu apparentem quamdam contradictionem haberi inter modum quo Nestorius disertis verbis protestatur, se unionem admittere ab ipso conceptio-

[1] « Du legst der lehrenden Kirche zur Last, dass sie von Christus Einheit der « Person und Zweiheit der Naturen praedicirte; und grade in diesem Vorwurfe musst « du dir nach den obigen Grundsätzen den doppelten Vorwurf machen; dass du « erstlich den Ausfall des Irrthums auf die Wahrheit, der hier die Gegenwehr der « Kirche bestimmen musste, übersehen hast; dann aber, dass du jener Zeit die Natur- « philosophie und die rationelle Psychologie des neunzehnten Jahrhunderts unter- « schiebst, und dann ihr wegen Nichtanwendung dieser Schätze den Stab brichst. « Wenn die Ketzerei fortwährend in dem Gottmenschen und Welterlöser einen « ursprünglichen Separatismus zweier Personen und zweier Naturen statuirte, welcher « erst durch die später eingetretene Vereinigung, bald die eine bald die andere der « zwei Naturen einbüsste oder die Naturen wie die Personen aneinander leimte; « was blieb der Kirche bei solchen Vorgängen anders übrig, als jenem ursprüngli- « chem Separatismus gegenüber eine ursprüngliche Vereinigung der zwei Naturen « zu behaupten? in welcher Behauptung dann, nach den damaligen Resultaten der « rationellen Psychologie, die Einheit der Person involviert war, gleichsam als der « Schlussstein, der jeder Trennung der Naturen so lange widerstand, als er nur ein « ganzer Schlussstein blieb » (*Vorsch. zur spec. Theol.* Abth. 2, S. 283).

nis instanti [1], ex quo nonnulli Patres [2] ipsi successivam huius unionis evolutionem improperant. Putamus, cum Cardinale Franzelin, utrumque verum esse: scilicet in unionem qualem fingebat Nestorius, haberi elementum radicale, quod ab initio conceptionis adfuit, et elementum quoddam aliud, quod decursu temporis in plenitudinem se evolvit. Et sane, deme ipsam unionem hypostaticam, quae non accipit plus vel minus, habes aliquid quod potest adesse ab initio et tamen semper excrescere magis [3].

6) Porro hos canones tantopere unionem hypostaticam urgere, ut nonnisi numerica unio sub his verbis intelligi possit, abundantissime ex praecedentibus disputationibus liquere putamus. - Nec minus liquet, dualismum Nestorii non talem fuisse, qui non conaretur inter hominem et Christum coniunctionem praedicare arctissimam, dempta tamen singularitate. Unde, si tollis explicationem petitam a conscientia sui, - quae est prorsus inefficax, - non minor unio habetur in Christo iuxta Nestorium quam iuxta Güntherum.

Mirum sane, infelicem Baltzer [4], ad tuenda Güntheriana placita, provocasse ad symbolum insertum actioni primae Concilii Chalcedonensis I [5], quasi hoc symbolum ab hac synodo uti catholicum esset allatum. Longe aliter res se habet. Est enim symbolum a Theodoro Mopsuesteno confectum, quod Charisius presbyter Concilio Ephesino (act. 6a) damnandum detulerat, et de quo ista synodus sequentem sententiam emiserat. « Si qui inventi fuerint vel Episcopi, vel Clerici, « vel (laici) sive sentire, sive docere ea, quae continentur in « expositione oblata a Charisio presbytero de unigeniti Filii « Dei incarnatione, sive scelerata et perversa dogmata quae « et subnexa sunt, subiaceant sententiae sanctae huius et « universalis synodi », etc. Porro quum hoc symbolum cum tota ista actione insertum fuisset actibus conciliabuli Dioscori, seu latrocinii Ephesini, et rursus acta huius conciliabuli in Concilio Chalcedonensi cum causa Dioscori assumpta

[1] Cf. Serm. III, n. 6; Serm. IV, n. 4; Serm. V, n. 5, 8; Serm. XIII, n. 5; Anathem. 9. ctr. Cyrillum.

[2] PETAVIUM (op. cit. l. IV, c. 11.).

[3] Lege hanc thesim Card. Franzelin (op. cit. th. XXV).

[4] Op. cit.

[5] In Collect. Manzi t. VI. p. 889.

essent, evenit, ut hoc symbolum in actibus huius Concilii reperiretur; at unice ratione documenti ad causam agendam pertinentis. Nec abest de eodem iudicium in Concilio V, Constantinopolitano II, ubi vocatur: « Sceleratum symbolum « Theodori »; et eo lecto Patres exclamarunt: « Hoc symbo- « lum Satanas composuit! anathema ei, qui hoc symbolum « composuit! hoc symbolum Ephesina synodus una cum « auctore eius anathematizavit » [1].

Iam vero, quum hoc ipsum Symbolum placeat Güntheriane sentientibus, quid inde sequitur, nisi Patres Ephesinos et Constantinopolitanos uno ore damnasse, quod isti tam leviter uti ad horum doctrinae normam extollunt? [2].

Et haec satis sint de ipso Güntherianismo. Expositiones quasdam alias ad hunc errorem appropinquantes tangemus infra, in Q. XVII, ubi de entitativa unitate Christi iterum ex professo agendum erit.

ARTICULUS VII.

UTRUM UNIO NATURAE DIVINAE ET HUMANAE SIT ALIQUID CREATUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Hucusque conceptum ipsum *unionis hypostaticae* investigavimus. Nunc investiganda sunt quidam respectus, vel quaedam consequentia ex hoc fun-

[1] Nec aliter hoc symbolum iudicavit S. Cyrillus, id appellans: « expositionem « perversis plenam intellectibus et Nestoriana impietate stillantem » (Epist. ad Procl.). Idem Marius Mercator confutavit sub nomine: « expositionis pravae fidei Theodori ». Quodsi apud nonnullos vocatur « Nestorianum », id non impedit quominus Nestoriane sapientem habuerit auctorem Theodorum. Cf. de hoc argumento card. Franzelin (op. cit. th. XXIV), necnon Stentrup (op. cit. th. XVIII, et th. XIX).

[2] Contra Güntherianismum inter Concilii Vaticani schemata sequentes canones reperiuntur: « Si quis negaverit, humanam Christi naturam ita Deo Verbo esse « unitam, ut Verbum in ea tamquam sibi propria facta subsistat, a. s. » (can. 2.); « Si quis unam personam Iesu Christi tanquam plus complectentem intelligat, duas- « que in mysterio Christi personas introducat, divinam et humanam, quae nexu indis- « solubili inde a conceptione coniunctae unam personam compositam efficiant, a. s. » (can. 3.); « Si quis dixerit, tot necessario esse personas, quot sunt intellectus et vo- « luntates, aut negata duplici in Christo persona negari humanae naturae perfectio- « nem, a. s. ». Et in capite Constitutionis dogmaticae de mysterio incarnationis, affirmabatur disertissime, tam strictam esse unitatem in persona Christi, quam unitatem naturae in SS. Trinitate (Cf. Martin. *Omn. Conc. Vatic. docum. collect.* p. 24. et 31.).

damentali conceptu effluentia. Scilicet *a*) quoad *productionem,* quo respectu prima pars huius Quaestionis absolvitur; *b*) quoad *meritum* vel *gratiam* quo altera pars continetur.

2) Quaestio utrum unio hypostatica sit *aliquid creatum*, haud aegre solvitur, dummodo doctrina de relatione quae existit inter Deum et opera sua ad extra, prae oculis nitide habeatur. Iam vero in tractatu *de Deo Uno* ostendimus [1], relationem quae per creationem inter Deum oritur et creaturas, incipere in tempore cum ipsa creatione, et esse quidem maxime realem a parte creaturae tota realitate sui esse participati; in Deo vero ipso eam nihil ponere nisi rationis, propter immutabilem perfectionem absolutam Dei.

3) Iam vero applicando haec principia Incarnationi sive unioni hypostaticae, habemus: *a*) Unio hypostatica, quum in tempore facta sit et insuper ponat quid ad extra, debet annumerari ordini creationis. - *b*) Ponit inter Deum et naturam assumptam relationem maxime sublimem quae excogitari possit, imo quam ipse Deus omnipotens possit operari, quum terminetur in una eademque Verbi subsistentia, quae simpliciter infinita est. - *c*) Haec tamen relatio, ob rationem supra allatam, scilicet ob perfectionem absolutissimam Dei, nequit ponere in Deo aliquid reale Ipsi accedens; est proin realissima, maxima realitate possibili, a parte naturae assumptae, sed nonnisi rationis a parte Dei.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Praetermittit distinctionem inter relationem realem et rationis.

2. Obi. Confundit in relatione *rationem* eius, et *esse* eius. *Ratio* pendet a fine vel termino; *esse* a subiecto. Atqui secundum *esse* habemus ex una parte subiectum infinite perfectum, quod nec augmentum, nec mutationem ullam patitur; ex altera parte naturam creatam, in qua haec duo non repugnant: Ergo secundum *esse* relatio eadem erit, ex una parte rationis tantum, ex altera parte realissima.

3. Obi. Axioma hic allatum veritatem habet, modo ratio causalis in primo membro posita, sit causa totius effectus uti in se contenti, et non merae coniunctionis cum alio, a quo habeat illud quod per effectum exprimitur. In casu,

[1] I, p. 345.

quando dico: « Homo dicitur esse creator propter unionem », non praedico quod unio, in quantum est quid productum, sit causans vim creatricem, sed sit coniungens cum principio creante. Insuper, quando dico: *Homo*, iam pono aliquid quod est effectus ipsius unionis, nimirum subsistentiam quam natura humana ab ipsa unione habet.

Sed contra est. Ratio creati ex effectione in tempore resultans, apparet, v. gr., in locutione Christi aeternitatem suam affirmantis: « Antequam Abraham *fieret,* ego sum » [1].

Plures auctoritates adducemus infra in articulis 6. 7. 8. 10. Quaestionis XVI.

In Corpore. Argumentum est limpidum. Observa, unionem hic intelligi formaliter. Secus, intelligendo ipsam cum adsignificatione ipsius termini unionis, increatum in se contineret.

Reliqua patent.

Corollarium magni momenti ex doctrina praesentis articuli fluit. Quum omnia opera ad extra operetur tota SS. Trinitas, ipsum hoc quod in Verbo incarnato creatum dicendum est, totam SS. Trinitatem habet auctorem. Praeclare S. Fulgentius: « Tota Trinitas nos reconciliavit per hoc, quod « solum Verbum carnem ipsa Trinitas fecit » [2]. Et Concilium Lateranense IV, anno 1215 sub Innocentio III habitum, ait: « Unigenitus Dei Filius Iesus Christus *a tota Tri-* « *nitate communiter incarnatus,* ex Maria semper Virgine « Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo fac- « tus, ex anima rationali et humana carne compositus, una « ex duabus naturis persona, viam vitae manifestius demon- « stravit » [3].

Si iam quaeris, quid SS. Trinitas ibi tota egerit, respondeo, SS. Trinitatem ibi, unico quidem instanti, creasse Christi animam, eamque univisse corpori miraculose de Virgine procreato, hanc naturam humanam Verbo substantialiter univisse, ac ei unitam gratiarum plenitudine cumulasse. Unum est quod solius Filii sit, et est quod subsistat in hac sibi unita natura; quod autem ipsi unita sit, totius Tri-

[1] Ioann. viii, 58.

[2] *De Fide ad Petr.* c. ii. n. 23. — *P. L,* t. lx. col. 760.

[3] Denzinger (op. cit. n. 356).

nitatis est. Utrumque ergo concinne expressit Fulgentius: « *Solum* Verbum carnem *ipsa Trinitas* fecit ». De his variis operationibus quae in Christo naturam et gratiam complectuntur, sermo mox fusior redibit [1].

ARTICULUS VIII.

UTRUM UNIO VERBI INCARNATI SIT IDEM QUOD ASSUMPTIO.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Non eodem sensu sumi vocabula « *unio, assumptio* », iam ex hoc solo patet, quod Pater et Spiritus Sanctus univerint naturam humanam personae Verbi, non autem illam assumpserint; – rursus, divina natura unita est humanae naturae in persona Verbi, non autem est assumpta; et tamen aeque dicuntur natura humana et natura divina unitae in persona Verbi. Oportet ergo ut in voce « *assumere* », vel « *assumptio* » aliquid significetur, ultra id quod in vocibus: « *unire* et *unio* » continetur. Quare de propria ratione huius discriminis hic investigandum.

2) Porro vocabula sumi possunt, vel substantive, vel verbaliter. Et primo quidem *verbaliter* ea consideremus.

a) *Assumere* dicit *sumere ad se*. Exprimit proin α) actionem cuius terminus est unio; β) ita ut unio fiat ab agente ad se.

b) *Unire* dicit separata in unum iungere. Exprimit proin α) actionem cuius terminus est unio, vel unum; sed β) non hoc esse, ita ut unio fiat ab agente ad se: potest quidem sed non debet.

Consequens patet: quivis assumens est uniens, sed non quivis uniens est assumens; pariter quodvis assumptum est unitum; sed non quodvis unitum est assumptum. *Unire* scilicet se habet uti genus, cuius *assumere* est species.

3) *Substantive* vero hoc interest inter *assumptionem* et *unionem*, quod a verbo *unire* potest derivari alia vox *unitio*, dum ab *assumere* non habetur nisi assumptio.

Inde significatio vocis *assumptio* est simul *activa* et *passiva*; dum *unio* habet potius sensum passivum, et *unitio* tenet sensum activum. Ex quo sequuntur tria.

[1] Plura de hoc argumento lege apud Hugonem Victorinum (*De Sacram.* l. III, p. 1. c. 3). — Cf. et Toletum ad art. sequentem.

a) *Assumptio* considerat potius unionem *in quantum fit,* cum respectu ad agentem ad se unientem vel trahentem obiectum; *unio* autem considerat illam *in facto esse,* quin attendat ad agentem potius quam ad patientem; eo vel magis quod potest uterque esse aeque agens. - *b*) Aequaliter *unio* se habet ad alterutrum terminorum; *assumptio* autem ponit unum fixum, ad quem alter ab eodem trahitur. - *c*) *Unio* proin dicit *relationem,* quae ex coniunctione oritur; *assumptio* dicit insuper *modum* quo producitur; *unitio* vero et *assumptio* eadem ratione distinguuntur, sicuti unire et assumere.

II. Ad Textum. - *1. Obi.* Supponit, unionem et assumptionem se habere eodem modo ad terminum, quod falsum est. Unio enim se habet indifferenter ad alterutrum extremorum; non ita assumptio, quae passive unum ponit, active alium.

2. Obi. Procedit secundum hoc schema.



Sed aequatio solummodo verificatur descendendo a conceptu assumentis ad conceptum unientis, quia conceptus *unientis* continet in se alterum, uti genus speciem; sed aliquid *assumens* superaddit: sumere *ad se.*

Insuper vocabulum *unio* non semper ponit actionem aut passionem; sed rem intuens in facto esse, ponit relationem.

3. Obi. Ex hac obiectione vides, quomodo se habeant ad invicem haec quatuor: unio, assumptio, incarnatio, humanatio.

a) *Unio* ponit simpliciter relationem, quin aliquid determinet in alterutro extremorum.

b) *Assumptio* determinat a parte *assumentis, ad se.*

c) *Incarnatio*, *d*) *Humanatio* } determinant a parte *assumpti:* *c*) nominans *partem* inferiorem naturae; *d*) nominans *totam* naturam.

Quum iam *humanatio,* - dicta de Deo, - magis contineat rationem determinantem a parte assumentis, quam *assumptio*

rationem ex parte assumpti: plenior terminus est ad exprimendam unionem naturae divinae in Verbo cum humana natura. Usitatior tamen *Incarnatio*, propter auctoritatem Ioannis.

Sed contra est. Discrimen inter unionem et assumptionem S. Th. demonstrat per hoc ipsum quod SS. Trinitas unioni hypostaticae cooperata sit, imo illam operata sit, quin tamen assumpserit humanam naturam nisi solus Filius. Habes ergo:

1) Patrem et Spiritum S. unientes, non assumentes;
2) naturam divinam unitam, non assumptam;
3) Filium unientem et assumentem;
4) naturam humanam unitam et assumptam.

In Corpore. En schemate totum hoc argumentum expressum.

Inter *unionem* et *assumptionem* triplex oritur discrimen:

	Unio	Assumptio
1) Discrimen:	Relatio.	Actio (assumens); Passio (assumptum).
2) »	In facto esse: uniens = unitum.	In fieri: assumens non assumptum.
3) »	Indifferens ad extremos: utraque natura unita.	Determinat terminum a quo et ad quem: una natura assumpta.

In III. Sent. Dist. V, Q. I, art. 1, q. 3. S. Thomas paulum aliter. Ibi enim quinque enumerat discrimina, iuxta hoc brevissimum schema:

	Unio	Assumptio
1) Discrimen:	Actio.	Actio et passio.
2) »	Esse unum.	Esse uniendum.
3) »	In facto esse.	In fieri.
4) »	Non determinat.	Determinat.
5) »	Est indifferens.	Ponit unum fixum.

Vides discrimina 1), 3), 5) eadem esse ac tria de quibus in *Corpore* praesentis articuli. Reliqua duo se habent uti media: 2) ad 3), et 4) ad 5).

Corollarium. Quod ex hoc articulo de sensu activo vocis *assumptionis* dictum est, valet quoque de voce *incarnationis*, sicuti de voce *incarnare*. Incarnatio enim active sumpta, est

actio qua humana individua Iesu natura substantialiter Verbo est unita. Quae actio est simul Patris et Filii et Spiritus Sancti. Unde Filius incarnatus est a Patre et a Spiritu et a semetipso. Verba proin Ioannis: « et Verbum caro factum « est », si latine sumantur, in hoc sensu de tota SS. Trinitate intelligi possunt. Textus autem graecus: « καὶ ὁ Λόγος σὰρξ « ἐγένετο, » non significat nisi Incarnationem in facto esse, quoad statum quem in Filio ponit. Iste sensus activus confirmatur per verba Concilii Lateranensis superius allata: « Filius « a tota Trinitate communiter est *incarnatus* ».

ARTICULUS IX.

UTRUM UNIO DUARUM NATURARUM IN CHRISTO SIT MAXIMA UNIONUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Dogma Incarnationis consistens in unitate duarum naturarum in una persona, simul ponit duo maxime distantia et unum maxime unum. Inde duplex aspectus extremus, isque sat subtilis, huius quaestionis. Si respicis ad unitatem personae in se consideratae, unio tam magna est, ut et maior sit eâ, quae inter personas SS. Trinitatis existit. Improprie enim unio vocatur, quum sit ipsissima identitas, cum respectu ad terminum. Si autem respicis naturas coniunctas in una Verbi persona, est quidem unio excellens, sed non omnium maxima: cedit nempe unioni divinarum personarum in una eademque natura; imo geminae naturae in se consideratae distinctissimae manent.

2) En igitur quo ordine cogites uniones, quae in SS. Trinitate et in Incarnatione considerandae occurrunt.

a) Primum gradum tenent unio, vel potius identitas naturae divinae et Verbi, et simul in Verbo Hominis et Dei quantum ad principium subsistens, quod absolute unum est, sine ulla mixtione, vel distinctione.

b) Dein venit unio divinarum personarum ad invicem in eadem divina natura, cum qua identificantur, ita tamen ut ad invicem realissime distinguantur.

c) Tertio loco venit unitas inter personam Verbi et naturam humanam assumptam.

d) Quarto loco venit unio naturae humanae et naturae divinae, non quidem ad invicem, quae nulla est, sed ratione communis subsistentiae [1].

e) Quinto loco unio corporis et animae in Christo.

3) Quid autem si confers unionem in Christo-Deo-Homine cum unione, quae habetur in singulis hominibus per unionem corporis ad animam? - Resp. Praestat unio Incarnationis, in quantum operatur unionem hypostaticam, quae in hoc mysterio caput est. Putamus autem praestare unionem inter corpus et animam, si respicitur unitas naturae, quae in homine directa est, in Christo nonnisi indirecta, scilicet ratione personae.

II. **Ad Textum.** - Obiectionem primam habes expositam ac simul solutam hoc schemate:

Unitas *divinae personae* = per se subsistens in se completa.
Unitas *principium numeri* = recepta, participata, pars numeri.

Sed contra est. Quo sensu intelligendus sit textus Augustini, (nam hoc *Sed contra est* in oppositum procedit, quum solutio sit media), habes in *Resp. ad 3^m*. Cf. dicta n. 2. et 3.

Distinctionem duarum naturarum atque earumdem maximam in unitate personae coniunctionem expresse declaravit papa Agatho in sua epist. ad Augustos [2]. Inter alia ibi habet: « Differentiam quippe adunatarum in eo naturarum sola con-« templatione discernimus, ex quibus inconfuse, insepara-« biliter et incommunabiliter est compositus. Unus est enim « in utrisque et per unum utraque » [3].

Reliqua patent.

Iuvat de hoc argumento exponere doctrinam **S. Bonaventurae.** Unitatem in Incarnatione Doctor Seraphicus dupliciter respicit: 1) quoad naturam vel naturas, 2) quoad convenientiam in persona.

[1] De habitudine inter hoc quartum et quintum potest aliter et aliter iudicari. Si attendis ad rationem directam, praestat unio inter corpus et animam; si attendis ad terminum communem et ad inseparabilitatem, praestat unio utriusque naturae in persona Verbi.

[2] Conc. oecum. VI, act. 4.

[3] Denziger (op. cit. n. 235).

1) Quoad prius quatuor gradus sternit.

a) Unitas *nulla* est naturarum ad invicem divinae ac humanae;

b) Unitas *parva* est membrorum corporis ad invicem;

c) Unitas *magna* est animae et corporis inter se;

d) Unitas *summa* est in ipsa simplicissima natura divina.

2) Quantum autem ad alterum, id est, ad unitatem respectu *convenientiae in persona*, sic unitas Christi est *omnium suprema* propter quatuor:

a) Propter *personae simplicitatem,* est quippe simplicissima persona Verbi.

b) Propter *unibilium dignitatem;* utraque natura excellentissima.

c) Propter *inseparabilitatem,* nunquam enim destruetur.

d) Propter *singularitatem*, nunquam enim sibi simile habuit.

Quare proponit S. Doctor ut vocetur *unitas dignativa* [1].

Et concludit: « Quoniam, cum de unitate Christi loquimur, « ad quam unio terminatur, est sermo de unitate personae, « non de unitate naturae: ideo simpliciter concedendum est, « unitatem, quae est in Christo, omnem unitatem creatam « superexcedere » [2].

De quibusdam Comparationibus afferri solitis.

Claudamus hanc partem Quaest. II. investigando valorem aliquarum comparationum, quibus theologi uti solent ad unionem hypostaticam illustrandam. Sunt autem praecipue tres: unio accidentis cum subiecto, unio animae separatae cum corpore redivivo, unio virgulti cum arbore cui inseritur.

1) Prima comparatione utuntur Scotus [3] et Biel [4]. Et sane unio hypostatica habet de hac unione, quatenus, sicut accidens supervenit subiecto iam existenti, ita natura humana subsistenti Verbo. Sed hic non est quaestio de tempore huius

[1] Hanc appellationem S. Bernardus primus suggessit.
[2] III. Sent. VI, art. II, q. 3.
[3] Dist. I, Q. I.
[4] Dist. I, Q. I, art. 1.

coniunctionis, sed de modo. Unde quum haec unio non sit accidentalis, magnum inconveniens est in hoc, ut per unionem accidentis cum subiecto illustretur. Et sane accidens non recipit in se subsistentiam subiecti, dum ipsa natura humana Christi verissime in subsistentia Verbi subsistit. - Rursus Christus non dicitur homo mere connotative, sed absolute, in sensu univoco nobiscum. Unde nequit humana natura in Christo se habere ad modum accidentis. Recte igitur card. Toletus post Caietanum hanc comparationem, uti nimis, imo radicitus deficientem respuit.

2) Secunda comparatio ab eodem Caietano praesertim illustratur atque probatur. Vis autem comparationis est in hoc. Anima separata habet subsistentiam suam. Iam vero quando accedit corpus rursus ab hac anima vivificandum, haec subsistentia fit subsistentia huius corporis. Eodem modo subsistentia Verbi fit subsistentia humanae naturae a Verbo assumptae.

Negari non potest, huic comparationi speciem, imo subtilitatem non deesse; et fateor, mihi videri Card. Toletum nimis acriter in eam invehere, et quidem talibus argumentis, quae dubium ingerunt, utrum Caietani mentem plene assecutus sit.

Ideone est ex toto haec comparatio probanda? Certe non. Et quidem fundamentum eius caret soliditate.

Sane ipse homo offert similitudinem cum Incarnationis mysterio, uti habetur in Symbolo Athanasiano et Augustino. Sicuti in homine una persona constat anima et corpore; ita in Christo una persona geminam habet naturam. Sicuti corpus est animae instrumentum coniunctum, ita in Christo humanitas est instrumentum coniunctum divinitatis.

Sed quid de illa subsistentia animae separata, quae fit subsistentia corporis redivivi? Estne omnino eadem subsistentia immutata in anima separata et in toto homine post resurrectionem? Id quidem comparatio supponit. Sed hoc putamus falsum. Subsistentia illa est totius, secus corpus et anima non coniungerentur in unam perfectam naturam.

Quare per id ipsum quod deficit in parte, quae princeps est, non solum comparatio subtilior est quam solidior; sed - et quoad hoc Toletus recte arguit, - ansam praebet peri-

culosae imaginationi, ac si per assumptam ad se humanam Iesu naturam subsistentia Verbi mutationem passa esset.

3) Tertia comparatio desumitur ex phaenomeno naturali, quod obtinetur per insertionem. Insertus enim surculus videtur, unum cum arbore cui inseritur, suppositum esse, ita tamen ut propriam naturam non amittat, fructusque faciat naturae suae respondentes. Eodem prope modo in Christo humana natura inseritur divinae, quin suam naturam amittat, humanosque actus agere desistat, qui tamen actus sunt Dei propter unam hypostasim, sicuti fructus huius surculi iam in ramos evoluti dicuntur esse arboris quae illos gestat, quia una est arbor. Hac comparatione, inter alios, utitur Durandus [1].

Sane ipse Christus ad hanc comparationem plus minusve recurrit ad explicandam relationem quae intervenit inter se et fideles suos: « Ego sum vitis, vos palmites ». Et vocationem gentilium S. Paulus confert insertioni oleastrae in bonam olivam [2].

Si tamen phaenomenon insertionis penitius investigatur, apparet, non ibi haberi nisi unitatem apparentem suppositi, aut saltem valde incompletam. Surculus utique quantitative et figurative ad magnam arborem pertinet; formalem tamen servat suam distinctionem, licet vitaliter cum arbore communicet, quatenus per truncum eius vitam sibi de tellure haurit: unde pereunte arbore, et inserti rami vitam amittunt.

Deficiunt ergo istae comparationes, aliter tamen et aliter. Prima salvat unitatem suppositi et productionem adiuncti non praeexistentis; sed deficit a parte accidentaliter adiuncti. Alterae servant magis substantialitatem a parte assumpta, sed deficiunt in singularitate et in immutabilitate suppositi, et etiam quoad praeexistentiam partis adiunctae.

Quare has comparationes componendo, corriguntur defectus unius per qualitates aliarum; singulae autem nonnisi cum moderamine adhibendae sunt. Ex tribus autem magis forsan tertia ad vulgi captum argumentum illustrat.

Caeterum in rerum natura nullum exemplum dari potest quod utrumque huius dogmatis latus explicet, scilicet geminam naturam et unum suppositum.

[1] Dist. I, Q. I, art. 3.
[2] Rom. XI, 17.

ARTICULUS X.

UTRUM UNIO DUARUM NATURARUM IN CHRISTO SIT FACTA PER GRATIAM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Restat quaerere de habitudine unionis illius ad *gratiam* (a. 10, 11) et ad *naturam* (a. 12).

Quum autem gratia duplicem, prae aliis, respectum habeat, scilicet ad operantem Deum et ad cooperantem creaturam, primo quaeritur, utrum unio facta sit per gratiam, secundo utrum praecedentibus meritis. Nexus infra melius patebit.

2) Porro gratia multipliciter intelligitur. Missis aliis distinctionibus de quibus infra ex professo agetur (in Q. VII. et in Q. VIII), ubi de gratia Christi personae et capitis, triplex sensus hic discernendus est.

a) Gratia primaria est ipsa gratuita voluntas Dei dona conferentis. Haec increata est. - *b*) Secundaria est ipsum donum gratuito collatum. Haec est creata. - Iam vero in Christo, in quo iam vidimus, unionem esse quid creatum, duplex donum principaliter considerari debet: α) ipsa unio personalis naturae humanae ad divinam; β) ipsa gratia formaliter informans naturam humanam.

3) Quaestio igitur hic solvenda est: utrum iuxta hunc triplicem sensum gratiae (*a*, α, β), *unio* hypostatica facta sit *per* gratiam. In qua quaestione duplex veluti respectus continetur: *a*) unus de gratia, *b*) alter de gratia uti medio ad unionem.

Praesupponitur autem hic ordo ipsius assumptionis, de quo infra sermo directe habebitur.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit gratiam in 2° et 3° sensu: Verum dicit de 3°, falsum de 2°. - *Obi. 2.* et *3.* eodem vitio laborant cum aliquo tamen discrimine. Vide infra.

Sed contra est. Gratiam unionis esse maiorem gratiam quam gratia habitualis in Christo, et per consequens in omnibus sanctis, ab omnibus catholicis scriptoribus proclamatur. Quare optimo iure gratiae unionis in Christo applicantur omnia loca Scripturae, quibus gratuitas gratiae demon-

stratur. Rectissimum proinde est illud argumentum ab Augustino desumptum.

In Corpore. Duplex quaestio est: de gratia et, de unione per gratiam. En de utraque solutionem schemate expressam:

- A) **Gratia**
  - 1) a parte *dantis* = gratuita Dei voluntas.
  - 2) a parte *doni* = unio ad Deum supra naturam:
    - *a) immediate*, unio personalis;
    - *b) mediate*, unio per operationem.
- B) **Unio**
  - 1) a parte *dantis* est ipsa per gratiam facta unio.
  - 2) a parte *doni*
    - *a)* unio hypostatica, *ex* gratia non *per* gratiam;
    - *b)* unio sanctificans per operationes: } est *per* gratiam.

Resp. ad 2m.

Corporaliter dicitur:
- 1) quia non tantum ad animam pertinet, sed et ad corpus;
- 2) ad exclusionem umbrae V. T.;
- 3) ad exprimendas, veluti per gradus, tres dimensiones corporum:
  - α) praesentiam, uti est Creatoris;
  - β) sanctificationem, uti in Sanctis;
  - γ) unionem personalem, quae est in solo Christo.

Reliqua patent.

ARTICULUS XI.

UTRUM UNIONEM VERBI INCARNATI ALIQUA MERITA PRAECESSERINT.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Iam ex responso praecedentis articuli acquisivimus, unionem hypostaticam nullis praecedentibus meritis esse effectam. Restat ut haec veritas plenius ostendatur. En scopus praesentis articuli.

2) Merita autem, quae hic inducuntur, non possunt excogitari, nisi vel ipsius Christi, vel Sanctorum, qui Christum in V. T. praecesserunt, et praesertim B. M. V., cuius intuitu

ascetici scriptores interdum dicunt, Deum Filium suum in terras misisse.

a) In Christo dupliciter meritum proclamari posset: vel α) relate ad gratiam unionis, de qua stricte hic agitur; vel β) relate ad gratiam habitualem, de qua suo loco sermo erit.

b) In Sanctis V. T. et in ipsa B. M. V. haec merita rursus dupliciter possunt considerari: vel α) tanquam effectus Redemptionis, vel β) independenter a Redemptione. Si merita fructus sunt Redemptionis per gratias inde effluentes, evidenter non ipsius unionis causa esse possunt, nisi ex ipsa praedestinatione dispositiva ex congruo; independenter autem ab ea nulla dantur.

Hisce praemissis, facile quaesitum solvitur.

II. **Ad Textum.** - De obiectionibus infra ad responsa.

Sed contra est. Hic confutatur haeresis Photini, aliorumque, scilicet primo Ebionis et Corinthi, postea Pauli Samosateni, qui contendebant, hominem Iesum per sua merita unionem cum Verbo obtinuisse.

Iam vero rectissime monet S. Thomas [1], quod, si hoc verum esset, homo factus fuisset Deus. Ioannes autem ex opposito dicit: *Verbum caro factum.*

Utique loquuntur Scripturae de exaltatione Filii hominis in mercedem obedientiae suae; sed exaltatio illa sequitur exinanitionem Incarnationis, qua Filius Dei factus est Filius hominis [2]. - Rursus Christus ascendit ad Patrem; sed postquam de coelo descendit [3]. - Quibus omnibus constat, Christum utique per passionem meruisse gloriam; sed nullo modo ipsam hypostaticam unionem. - Quare iure optimo haeresis Photiana in Concilio Ephesino, et in aliis Conciliis damnata est.

Neque ulla V. T. merita praecessisse, imo demerita, probatur ex celeberrima Isaiae prophetia: « Audite ergo domus « David: Numquid parum vobis est, molestos esse homini- « bus, quia molesti estis et Deo meo? ». En demerita V. T. recensentur. - Quid ergo? « Propter hoc dabit Dominus ipse

[1] *Summ. ctr. Gent.*, l. IV, c. 28.

[2] PHIL. II.

[3] IOANN. VI, 44, XX, 17; III, 13. — Cf. EPH. IV, 10. — IOANN. XVI, 5.

« vobis signum, etc. » [1]. En gratuitum beneficium Coeli in oppositionem ad demerita hominum.

Rectissime igitur Paulus ad Romanos scribens, ait de Christo: « Qui praedestinatus est Filius Dei ». Et recte Augustinus in illa primaria gratuita praedestinatione ad unionem hypostaticam exemplar invenit totius praedestinationis sanctorum [2].

E Protestantibus modernis, qui veram divinitatem Christi negant, nihilque amplius in illo ponunt nisi aliquam singularem ad Deum propinquitatem, multi hanc concipiunt uti per liberam ac meritoriam ipsius Christi operationem sese evolventem. Quare, secundum hoc, in Photianum errorem incidunt.

In Corpore. En argumentum schemate contractum:



Resp. ad 2m. Sub merito cadit illud quod sequitur, non quod praecedit, licet sine ipso praemium nequeat esse, quia neque ipsum meritum. En ordinem quo haec concipienda sunt:

1) Principium meriti totius: Incarnatio. - 2) Actus informati gratia ab Incarnatione derivata. - 3) Meritum ex istis actibus resultans, sive ad gratias ulteriores, sive ad finem sub ratione praemii. - 4) Ipsum praemium. Ex hoc ordine patet, primum non posse cadere sub tertium.

Quaeres: - Nonne saltem de B. M. V. teneri potest, eam de condigno meruisse, non quidem ut Verbum fieret homo, sed

[1] Is. VII. 13, 14.

[2] Cf. dicenda de hoc argumento in Quaest. XXIV.

ut huius incarnandi Verbi ipsa esset mater? Posito scilicet decreto Incarnationis, in quod, uti vidimus, Maria potuit agere de congruo, non de condigno, haec nova quaestio sane distincta oritur.

De qua quaestione S. Thomas ita alibi decernit: « Beata « Virgo non meruit Incarnationem; sed praesupposita Incar- « natione meruit quod per eam fieret, non quidem merito « condigni, sed merito congrui, in quantum decebat, quod « Mater Dei esset purissima et perfectissima Virgo » [1].

S. Bonaventura fusius argumentum tractat [2]. Praemissa distinctione inter meritum de *congruo,* de *digno* et de *condigno,* ita statuit: « Beata Virgo Maria concipere Filium Dei « *ante annuntiationem* meruit merito *congrui,* quoniam prae « sua nimia puritate et humilitate et benignitate idonea erat, « ut efficeretur Dei mater. - Post *annuntiationem* vero, post- « quam consensit, et Spiritus Sanctus in copiositate gratiae in « eam descendit, non solum habuit congruitatem, sed et *digni-* « *tatem;* et ex tunc meruit non solum merito congruitatis, « sed dignitatis obumbrari et impraegnari virtute Altissimi. « Sed merito *condigni* non potuit mereri concipere Filium « Dei, pro eo quod hoc *excedit* omne meritum, et etiam quia « erat ipsius meriti gloriosae Virginis *fundamentum* ».

Haec secunda ratio optima sane, et ita argumentum truncat, ut de merito totali nunquam quaestio moveri possit. Sed haec ratio valet de quocumque merito condigno, quum merita semper sint gratiae fructus. Quare prima ratio princeps habenda est. Eam autem S. Bonaventura ita illustrat: « Sive « enim dicamus Deum fieri hominem, sive dicamus mulie- « rem fieri matrem Dei, utrumque est supra statum, qui « debetur creaturae; et ideo tam hoc quam illud fuit beni- « gnitatis et gratiae ». Sed forte quis reponet, haec duo non esse idem: mulierem absolute fieri matrem Dei; et, posito gratuito decreto de quadam muliere matre Dei futura, B.m V.m meruisse, se prae alia quavis hanc esse matrem. Quare paritas non est rigorosa, si quaestio ad hoc alterum contrahitur.

Unde forte solvi potest quaestio distinguendo inter meri-

[1] III. Dist. IV, Q. III, art. 1.
[2] III. Dist. IV, art. 2, q. 2.

tum condignum absolutum, quod negari debet, et relativum, quod concedi potest, saltem in summo gradu meriti de digno.

Et sane Ecclesia in Liturgia utrumque proclamat: dignitatem Virginis, ut Christi mater fieret, ita tamen ut hanc dignitatem a gratia habuerit. « Regina caeli laetare, quia « quem *meruisti* portare, etc. ». - Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et animam, ut *dignum* Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante *praeparasti* ».

Haec ultima verba alludere videntur ad hanc partem sententiae, in qua Seraphicus in ipsa annuntiatione veluti ultimam praeparationem Mariae ad divinam maternitatem agnoscit.

Inter theologos qui in meritum de condigno inclinant, eminet Gabriel Biel [1].

Principium huius praeparationis fuit ipsa Immaculata Conceptio, de qua tempore Scholae, uti loco suo ostendemus, non clara etiam apud summos magistros habebatur intellectio. Unde quo magis quis hoc initiale privilegium urget, eo firmius sibi sternit fundamentum, ut in Maria meritum ad condignum accedens admittat.

Equidem credimus, hoc meritum stricte de condigno non fuisse, sed ad vere condignum, in quantum natura rei sinebat, appropinquasse.

ARTICULUS XII.

UTRUM GRATIA UNIONIS FUERIT HOMINI CHRISTO NATURALIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Si naturale non haberet nisi illum sensum sub quo gratiae contradicit, iam esset satis ostensum, unionem hypostaticam non fuisse Christo homini naturalem. Sed alios sensus habet haec vox; inde nova solvenda quaestio.

2) Iam supra quaerendo, utrum unio facta sit in natura, vidimus, naturam primo dici a nativitate. Ita naturale vocatur *a*) illud quod a *nativitate* alicui inest. Dein *b*) reflectendo in

[1] III. Dist. IV, Q. unic., dub. 3.

rationem facti, sicuti natura dicitur quidditas rei, ita naturale dicitur quodcumque ad *naturam* seu quidditatem pertinet.

Haec, si τὸ naturale refertur ad terminum; si autem consideratur in suo principio, *c*) naturale vocari potest id, quod fluit a natura *dantis*. Sed haec ratio est per se minus propria.

3) Dico *per se,* nam ubi ille dans idem est subiecto cum dono quod dat, haec ratio iam maxime propria fit. Atqui ita est in Christo, si considero in eo naturam divinam re unam cum Verbi persona.

4) Si autem in eo considero hanc divinam personam, oritur novus sensus τοῦ naturalis in gratia de qua quaeritur. Scilicet talis est unio hypostatica, ut communicet naturae humanae Christi, filiationem *naturalem* Verbi, non mere adoptivam.

5) Nec satis: in sensu *b*) duo distinguenda sunt. Aliud est α) considerare naturam aliquam nudam; aliud, β) talem hanc naturam. Ita in Christo, si considero meram naturam humanam, non est ei naturalis nec unio hypostatica, nec gratiarum plenitudo. Si autem considero hanc naturam Verbo personaliter unitam, iam haec plenitudo connaturalis dicenda erit ob exigentiam proportionis et finis. Sensus autem *b*) radicalis α) in casu secludendus est, utpote Monophysitismum inducens.

6) Sed et in sensu primo *a*) duplex respectus prae oculis habendus est. Quemadmodum enim quod ab ipsa nativitate habetur, sub hac ratione naturale dici potest; ita quoque id quod ita possidetur, ut sit prorsus inamissibile. Inde pro Christo nova acceptio τοῦ naturalis, tum pro ipsa unione, tum pro gratiarum plenitudine.

7) Nec omittenda sane heic animadversio S. Bonaventurae. Scilicet, ut ipsius utar verbis: « Proprietas naturalis « comparatur ad aliquid sicut *ad subiectum*, et sicut *ad* « *causam.* Secundum comparationem, quam habet ad subiec- « tum, naturaliter dicitur inesse, quod inest a primordio « ipsius rei et inseparabiliter et ab ea non recedit ». (Vides, Seraphicum haec duo ponere iuxta dicta n. 6.). « Secundum « comparationem quam habet ad causam, dicitur naturaliter

« inesse proprietas, quae causatur a principiis subiecti, et per « quam ipsum subiectum efficit operationem naturalem » [1].

8) Omnibus collectis, solve quaesitum tum de ipsa unione, tum de gratiarum plenitudine concedendo, vel negando, iuxta sequentes acceptiones vocis *naturalis:*

1) Factum secundum naturam, vel in natura: *neg.* (Eutyches);
2) Causatum a principiis naturae divinae: *conc.* (de utroque);
3) Causatum a principiis naturae humanae: *neg.* »
4) Habitum ab ipsa nativitate: *conc.* »
5) Habitum inamissibiliter: *conc.* »
6) Summe conveniens proprietati humanae naturae talis: *conc.* (de gratiarum plen.).
7) Consequens, ratione perfectionis, quasi alteram naturam: *conc.* (praesertim de gratia unionis).
8) Causans filiationem naturalem: *conc.* (de unione).

II. Ad Textum. - *Obi. 1.* Non considerat nec primum *a*), nec tertium *c*). Imo arguit ex sensu Eutychiano; unio quippe naturalis (cf. n. 5.) potest significare unionem in natura, contra quam in Christo unio hypostatica vocatur personalis (Cf. art. 6. huius Quaest.).

Obi. 2. Arguit contra ipsum titulum quaestionis ex sensu secundo *b*).

Obi. 3. Sumit sensum secundum *b*) minus stricte β). Inde distinctio a S. Thoma adducta: inter naturale, quatenus fluit ex principiis humanae naturae per se consideratae, et quatenus convenit cum proprietate illius determinatae naturae. Posset hoc naturale vocari consequens, vel summae convenientiae (Cf. n. 5).

Sed contra est. Hic habemus ex Sancto Augustino alium respectum τοῦ naturalis. Dicitur quippe naturale illud quod fluit ex quasi secunda natura per gratiam accepta. Quam quasi naturam Christum plenissime habuisse, cum absoluta impeccabilitate, dubium esse non potest. Sed hic sensus derivatur a primo. Unde dicit Augustinus: « In humanae « naturae susceptione », ut ostendat se agere de dono quod ab ipso initio Christo infuit.

[1] III. Sent. Dist. IV. art. 2, q. 3.

In Corpore. Accipe schemate argumentum expressum:

Gratia unionis naturalis:
- 1) quatenus *a* principio nativitatis humanae: *concedo;*
- 2) quatenus causata *ex* principiis naturae:
  - *a*) divinae, *concedo;*
  - *b*) humanae, *nego.*

Parumper aliter S. Thomas in Commentario Lombardi; procedit enim ibi iuxta duplicem gratiam unionis, et habitualem.

In Christo naturalis gratia
- 1) *unionis:* quia facit Filium Dei naturalem;
- 2) *habitualis:*
  - *a*) quia ad modum naturalium qualitatum inseparabiliter possidetur;
  - *b*) quia causatur a natura divina Christi.

Igitur in *Summa* S. Thomas ex n. 8. concedit sensus 1) et 2); negat sensum 3). - In Commentario concedit iuxta sensus 8), 5) et 3).

Placet et addere doctrinam **S. Bonaventurae.** Tria distinguit Seraphicus in gratia unionis: 1) gratiam *disponentem de congruo ad unionem,* 2) *ipsam unionem gratis factam,* 3) *gratiam facientem unionem* (S. Thomas haec tria poneret ordine inverso, uti mox patebit). Allata tum distinctione inter subiectum et causam, iuxta dicta n. 7, S. Bonaventura docet, in his tribus respectibus gratiae unionis reperiri aliquid naturale et aliquid non naturale. Accipe tabellam.

Gratia in Christo	**naturalis**	**non naturalis**
1) *Ad unionem disponens:*	ab ipso exordio inamissibiliter;	non tamen ex principiis naturae, sed ex divina voluntate.
2) Ipsa *unio gratis facta:*	ob eamdem rationem;	excedit omnes terminos naturae.
3) *Virtus gratis faciens unionem:*	quatenus substantialis, Filium faciens naturalem;	non tamen per principium naturae.

Affirmat ergo S. Bonaventura ex sensibus 4), 5) et 8) n. 8; negat constanter ex sensu 2).

APPENDIX.

De Conceptu Theosophico Incarnationis Christi.

Quemadmodum, uti iam diximus, Theosophi omnia christiana dogmata ad sua placita detorquere conantur, ita maxime doctrinam de Incarnatione Verbi et de Christo. At ab initio patet, conceptum theosophicum huius mysterii non posse a veritate fidei non esse remotissimum, quum ipsa SS. Trinitas a Theosophis violento modo deturpetur.

Iam in fine nostri tractatus *de Deo Trino* aliquid breviter de hac perversione diximus; placet fusiora quaedam hic afferre, utpote quae in praesens argumentum necessario inducant. En modum, quo Pythonissa apud Gallos praecipua, Annie Besant, mysterium fundamentale Christianismi ad suam pantheistico-spiritualisticam religionem dicam an impietatem deprimit. « Au point de vue mystique, la première per-« sonne de la Trinité est l'existence suprême, la cause de « tout. La théosophie emploie le mot Logos, pour désigner « le Dieu manifesté, Logos ou Dieu en manifestation. Nous « trouvons trois Logoï, c'est-à-dire, le premier Logos ou le « Père (de la religion chrétienne), l'existence, source de tout, « père de l'esprit et de l'âme; le second ou le Fils qui montre « la *dualité des natures, il est homme et il est Dieu;* enfin « le troisième, la sagesse, l'intelligence, l'esprit qui plane « dans l'espace pour que le monde apparaisse. En étudiant « cette Trinité selon la théosophie, nous observons l'évolu-« tion des mondes afin de discerner les relations de chaque « personne de la Trinité avec l'évolution de l'Univers d'abord, « puis avec l'évolution de l'individu ». Vides, impersonalem Deum, τὸ Absolutum, per tres manifestationes uti personas sese manifestantem, quin et evolventem.

Audi iam quomodo hanc evolutionem explicent, et quam vafre Filium Dei cum sua Sanctissima Matre in eam inducant. « Dans cette trinité de personnes, nous avons la vie « dans sa triple manifestation, et il nous faut quelque chose « de plus pour l'évolution, il nous faut la matière; mais où « la trouver dans l'idée de Dieu? ». Haec est evidenter obvia

difficultas quae sese pantheistico-spiritualistico [1] systemati offert. Accipe responsum ipsa difficultate obscurius. « La « théosophie nous dit: Dans le premier Logos, c'est-à-dire « dans le Père, on trouve l'unité; mais dans la seconde per- « sonne, le Fils ou le second Logos, l'unité fait place à la « dualité, il y a union de deux choses opposées l'une à l'autre, « les deux pôles de l'existence, la vie et la matière: la vie, « qu'on appelle Dieu, la matière qui est l'homme [2], et ces « deux natures de l'homme et de Dieu unies dans la seconde « personne de la Trinité, voilà la vie et la matière de « l'Univers ». Non sufficit hoc, de caetero gratis affirmatum, imo in ipsa affirmatione contradictionem involvens. « Pour « l'évolution il faut que la seconde personne de la Trinité « *soit occupée* ». Audi iam mirabilia quae sequuntur: « Mais « auprès de la seconde personne de la Trinité, dans toutes « les religions on trouve la femme. C'est-à-dire que la Tri- « nité se complète en quaternaire; dans la religion chré- « tienne, à côté du Fils on a la Mère, la Vierge Marie qui « est toujours avec le Fils; il en est de même dans les « autres religions.... En résumé les idées chrétiennes présen- « tent d'un côté la Trinité d'où viendra le Fils, et de l'autre « une femme suprême, la Vierge, symbole de la matière et « toujours en relation avec la seconde personne de la Tri- « nité en laquelle s'unissent deux natures opposées » [3].

Et pergit, paucis interiectis: « Dans le *Credo* chrétien

[1] Defendunt se utique isti scriptores a pantheismo, sed per verba non per argumenta; sicuti aliqui negant se esse magis Buddhistas quam Christianos. Sed haec cautum lectorem decipere non valent. Non rei confessio, sed res ipsa facit rem.

[2] Utique homo inferior, quatuor principiis superius allatis constans, materia est; at homo superior constans triade spirituali non solum est vita, sed est ipsissima participatio Trinitatis, ita ut homo sit simul microcosmus et, venia verbo, micratrinitas.

[3] Parumper aliter Chatterji, apostolicus vir Buddhista, ipse qui nuper, ni fallor, magno plausu est exceptus in Urbis olim pontificia Sapientiae Universitate, in qua paulo ante Vicarii Iesu Chr. veneranda effigies inter vituperia ac blasphemias discoli iuvenes percremarant. « O tempora, o mores! ». « La Trinité Egyptienne se compose « de Osiris, Isis et Horus. La Trinité Chrétienne primitive consistait en: Père, Mère « et Fils (!!). Dans la philosophie Indoue Brahmâ est le Père, Avidyâ (féminin) la « Mère, et Mahat le Fils. C'est le principe féminin qui est la base virtuelle de toute « manifestation ». Et paulo inferius, identificans principium hoc cum *Manas* buddhistico, id ipsum ait esse, — sed altiori sensu non depresso a « dogmatisme igno- « rant » — ac symbolum Virginis Immaculatae (Op. cit., p. 68, 72).

« sans cesse répeté, certaines paroles ont un sens mystique « se rapportant à l'évolution de l'Univers. L'Esprit a fécondé « la Vierge, et l'homme est né de la Vierge, c'est-à-dire la « Vierge, la matière vivifiée par l'esprit, a produit l'huma- « nité idéale ». Et addit: « Voilà comment les mystiques « entendent le *Credo*, symbole d'une vérité profonde » [1]. Similia apud theosophicos scriptores passim reperies; docili enim calamo a magnis Initiatis (les grandes Ames) proferunt sua placita, quin ullum demonstrent: sunt enim videntes ac vates [2].

His praelibatis, iam accedamus pressius ad theoriam Theosophorum de Verbi incarnatione, et de Christo.

Et primo quidem fatentur, se respuere Incarnationem Dei in corpore concreto singulari humano; imo in hanc Incarnationem tamquam in Antropomorphismum conviciis invehunt. Audiatur Pascal [3]. « Il est certains points de désaccord entre « la Théosophie et le Christianisme actuel. Le plus grand « est celui qui provient de la signification donnée par ces « deux doctrines au terme " Christ ".

« Les Théosophes disent que l'échelle des êtres est infi- « nie, que de l'homme à l'émanation première de l'Absolu, « de l'homme au Verbe (le Christ Universel) s'étend un « nombre formidable de degrés de développement, et que « cette distance ne peut être arbitrairement franchie.

« Un véhicule matériel, - le corps humain physique, par « exemple, - ne peut exprimer qu'un nombre très limité « de facultés, car quelle que soit sa perfection, il n'est qu'un « fragment sans importance de l'Univers. Jamais les puis- « sances infinies du Verbe, - qui est l'âme de l'Univers et

[1] Op. cit., p. 43, sqq.

[2] Non inde minus suam theosophiam uti veram scientiam buccinant: « La science « occulte n'est mystérieuse que parce que ses méthodes nous sont peu familières et « ses résultats étranges pour notre ignorance ». Habes absurda confitentem. « Mais « c'est en réalité une vraie science, une science basée sur des recherches beaucoup « plus étendues et sur des méthodes bien plus sûres que celles des écoles d'Occident ». Ita Dr. Pascal (op. cit., p. 7 sq.). Et discrimen inter utrasque scholas ait esse: « en « ce que les Occidentaux raisonnent toujours de l'effet à la cause, tandis que les « Orientaux procèdent de la cause à l'effet ». Sed nonne sapientius ab effectibus certis ad causam eiusque naturam assurgitur, quam ignotas divinando causas per fabulas ad effectus, eosque ad fabularum normam gratuito redactos, descenditur?

[3] Op. cit., p. 41.

« la somme de ses potentialités, - ne pourront être mani-
« festées par un corps humain. Le corps du Verbe, - du
« Christ [1] - c'est l'Univers entier, et toutes les qualités de
« cet Univers toutes les facultés des agrégats de matière
« (visibles et invisibles) que nous appelons des Etres, ont pour
« cause cet Esprit universel dans lequel nous vivons et nous
« nous mouvons ».

Et Blavatsky, reiecta fide nostra in Deum et Christum, scribit: « Nous rejetons l'idée d'un Dieu personnel, ou extra-
« cosmique et anthropomorphe, qui n'est que l'ombre gigan-
« tesque de l'homme, sans même (venia sit blasphemiae!)
« reproduire ce qu'il y a de meilleur dans l'homme » [2].

Porro ad facilius intelligendum multiplicem sensum Christi apud Theosophos adhibitum, oportet distinguere tum inter Christum universalem et singularem; tum inter involutionem et evolutionem.

1) Sumendo Christum *universalem*, *a*) *involutio* est Verbum incarnatum in universo per latentem sui veluti immolationem; *b*) *evolutio* est eductio Christi per varia rerum stadia usque ad connubium perfectum spiritus cum Absoluto; τοῦ *Buddhi* (propriissime Christi) cum τῷ *Atma* seu Patre; sive τοῦ *Ego* spiritualis cum τῷ *Se*, iuxta verba Domini: « Ego
« et Pater unum sumus ». En quomodo praecitatus Chatterji hunc motum duplicem exponit: « La Divinité, identique à
« Elle-même, dort, cachée au sein de la froide pierre. Eveil-
« lez-là pas à pas, et à mesure qu'elle " évoluera ", immua-
« ble en son essence, mais *se manifestant* de plus en plus
« à travers des *véhicules* de plus en plus parfaits, vous
« verrez la pierre se transformer en plante, la plante en
« animal, l'animal en homme, l'homme, enfin, en ange, en
« Maître, en Christ. Et la sublime hiérarchie se continue,

[1] Ici le mot Christ est pris pour l'Esprit universel: l'Ame du monde.

[2] *La Clef de la Théosophie*, p. 88. Et Arthur Arnould in praefatione ad hunc « librum ait: « Les Spiritualistes ou Déistes chrétiens ont raison dans leur critique « et leur horreur de l'athéisme matérialiste scientifique; et ce dernier a raison contre « le *Bon Dieu personnel* et *anthropomorphe*, qui, à tous ses autres torts, joint celui « d'être impossible ». (Pag. X.): O impiam levitatem, quae tamen confirmat, quae in tractatu *De Deo uno*, agentes de argumento Anselmiano dicebamus, acutum scilicet atheum negare non solum Dei existentiam, sed et possibilitatem; imo existentiam, quia possibilitatem.

« par delà toute conception abordable à nos mesquines « intelligences, jusqu'au trône de l'ineffable Divinité totale- « ment *manifestée*. Ainsi d'un bout à l'autre, la croissance « n'est que la libération graduelle, le développement de la « Puissance Divine, intégralement latente sous toute forme « créée. C'est là ce que signifie le terme: " évolution ". Et « cette *évolution* n'est que la continuation logique, le deu- « xième acte de la Création Divine, le résultat nécessaire « de l'*involution* par laquelle le " Verbe s'est fait chair ", « par laquelle l'Etre Unique et universel s'est mystérieuse- « ment enveloppé jusqu'à produire cette suprême illusion: « le plan physique » [1].

Et Dr. Pascal ait: « Tel est le dessein du Logos quand il « émane de lui-même, par lui-même et en lui-même, la Tri- « nité qui crée les mondes, et se reflète en elle sous les « innombrables aspects de la matière, de la force et de la « conscience; telle est la haute et véritable signification de « ce que toutes les religions ont nommé le *Sacrifice divin* « *primordial*, - ce que le Christianisme enseigne comme le « Sacrifice de l' Agneau " immolé dès la fondation des « mondes » [2].

Porro Christus universalis, in homine evolvendus, specialem habet relationem cum sexto elemento Buddhi [3], at complectitur simul Manas, uti inchoationem, et Atma [4], uti illud complementum, quod S. Paulus vocat « aetatem plenitudinis « Christi » [5], et ad quod Christus ipse alludit, ubi ait: « Estote « perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est ». Haec, aiunt, est altissima significatio Communionis christianae mystice, id est, esoterice intellectae.

2) Iam de Christo individuo, singulari, historico [6]. Filium quidem Dei eum agnoscunt, sed in lato sensu quo Sanctos

[1] Op. cit., p. 132.

[2] Op. cit., p. 53.

[3] Ita in parabola agricolae, agricola est Atma, vitis Buddhi, palmes Manas! (Blavatsky, op. cit., p. 261).

[4] Cf. Blavatsky, ibid., p. 96 sq.

[5] Ephes. iv, 13.

[6] Putant Theosophi figuram Christi fuisse alteratam. Ita Blavatsky loquens de lege abnegationis sui, ait: « Voilà ce qui a caractérisé d'une manière si frappante « les plus grands Maîtres de l'Humanité, tels que le Gautama Bouddha historique, et « le Jésus de Nazareth de l'Evangile » (Ib., p. 334).

hoc nomine nos, docente Scriptura, vocamus; non autem proprio sensu, quum abhorreant a Deo personali, praesertim anthropomorphico, uti blasphemant.

Christum igitur, sive Iesum a Nazareth, venerantur uti unum ex istis summis Magistris qui illuminandae humanitati sese devoverunt; at in eadem linea eum ponunt cum aliis, maxime cum orientali illo Buddha.

Audiatur rursus Dr. Pascal de hoc argumento ab ovo vaticinans: « La foi en les vérités proclamées par la Révé-« lation et transmises par les corps d'Initiés est, d'abord, « la foi aveugle, l'assentiment donné sans examen à la parole « des prophètes et des rois initiés, la confiance instinctive [1] « en une grande Ame, à un Etre dont la divinité se mani-« feste par la perfection et la puissance. Tels étaient les « Hiérophantes et les Chefs des dynasties divines sur l'Atlan-« tide et en Egypte; tels étaient, les Manou, les Zoroastre, « tel était le grand Maître de compassion, - le Buddha; tel « était le Christ; tels seront tous les divins Messagers du « futur » [2].

Et Chatterji, loquens de cultu theosophico per devotionem magis ad captum vulgi reddito, ait: « Le sentier de « l'abstraction est destiné au petit nombre. Que la plus « grande partie de l'Humanité se consacre à un Maître Par-

[1] Mirare verba: « sans examen », « la confiance instinctive ». Theosophia quippe affirmat, non demonstrat. Imo quoad princeps dogma, legem scilicet τοῦ *Karma* a quo tota ordinatio mundi ac reincarnationum series atque conditio pendet, ignorantiam plenam proclamat; de ipsa insuper essentia τοῦ Absoluti sese involventis et evolventis, nihil se scire fatetur (Cf. Blavatsky, op. cit., p. 181, 311).

« A nos yeux, ce qui est impersonnel, ce qui n'est pas une entité, mais une loi « active et universelle, ne peut être décrit par aucune qualification; si vous me « demandez de vous parler de l'intelligence causative qui s'y trouve, je serai forcé « de vous répondre, que je n'en sais rien » (Ibid., p. 278, cf. 302). Imo ab Absoluto activitatem intellectualem absurdissime excludent:

« *Question.* — Arrêtez! L'omniscience est la prérogative de ce qui pense, et « vous refusez à votre Absolu le pouvoir de la pensée.

« *Réponse.* — Nous le refusons à l'Absolu parce que la pensée est une chose « limitée et conditionnée. Mais vous oubliez évidemment que, d'après la philosophie, « *l'inconscience absolue* est aussi la *conscience absolue*, sans cela, ce ne serait pas « *absolu.*

« *Question.* — Alors votre Absolu pense?

« *Réponse.* — Non, *Cela* ne pense pas; tout simplement parce que c'est la « *pensée Absolue* elle-même » (Ibid. p. 93).

[2] Op. cit., p. 21.

« fait. Que ce soit Christ, Buddha, Krishna, il n'importe; car « tous les Maîtres sont Un sur le plan où la diversité dispa- « raît. Ceux qui se disent Leurs disciples sur terre peuvent « porter à la main le fer et le feu, et s'exterminer mutuel- « lement; encore une fois, il n'importe: la paix des mondes « spirituels ne saurait être troublée par leur fanatisme et « leurs discordes » [1].

Si iam pressius a Theosopho quaeris, in quamnam classem entium Iesus historicus, seu Christus singularis collocandus sit, habent theoriam sat miram, aprioristicam, sicut tota haec doctrina, quae difficultates solvit accumulando mirabilia.

Quando scilicet homines, peractis variarum reincarnationum stadiis - quae singulae decem aut quindecim circiter saeculis distant - maturi per evolutionis laborem evadunt, qui individualitatem suam in τοῦ Nirvana beatitudinem, id est, in τὸ Absolutum immergant [2], possunt huic beatitudini ex admirabili quadam magnanimitate et sublimi « altruismo » renuntiare. Talis est Christus, nimirum, in sermone theosophico, *Nirmanakaya*, factus ex humani generis amore *Mahatma,* seu magna Anima.

« Quand ce moment sublime est atteint », scilicet ut evo-

[1] Op. cit., p. 147.

[2] Si vis videre quam leviter Theosophi illi se a maximis difficultatibus per verbositatem falsasque comparationes expedire soleant, lege apud Pythonissam Blavatsky qua ratione haec absorptio in τὸ Nirvana non sit annihilatio; habebis mensuram ingenii philosophici (Op. cit., p. 309). Mensuram quoque stultorum praeiudiciorum quibus contra Catholicos agitur, — quippe in anglicano protestantismo, nescio in quanam ex trecentis sectis patriae suae educta, — habebis ex sequentibus verbis: « Les Jésuites nous disent que deux et deux ne font pas toujours quatre, puisque, « si telle est la volonté de Dieu, $2 \times 2 = 5$. Faut-il pour cela accepter leurs « sophismes? » (p. 90). Caeterum Christianismum iudicat iuxta falsas doctrinas; ita de praedestinationis mysterio loquitur iuxta Calvinum, cuius monstruosam theoriam Ecclesia catholica damnat et abhorret. Confundit insuper religionem ipsam cum moribus sive privatis sive publicis eorum qui ei nomen dant. Et sane quae ibi leguntur non altam ideam suggerunt perfectionis moralis protestantium populorum, quorum turpitudinem libero sermone revelat. Ita iudicium quod fert in patriam suam, « le plus grand pays protestant du siècle », hic esset offerendum, nisi timor benevolum huius nationis lectorem offendendi nos detineret (p. 326). Caeterum, quantumque huius feminae scripta in mysteria Christianismi blasphement, praesertim in dogma Redemptionis per sanguinem Filii Dei incarnati; hoc saltem boni in se habent, quod in atheismum materialisticum, in egoismum atque morum depravationem non minori ardore invehant. Utinam haec bona pars in oculis optimi Iudicis alteram excuset!

lutionem suam peregerit, « l'Ego a le choix: Il peut entrer « en Nirvana, c'est-à-dire, fusionner avec la Divinité univer- « selle sans perdre son " Individualité " consciente (ce qui « peut sembler paradoxal aux débutants) [1], ou devenir un « *Nirmanakaya*. Les Nirmanakayas sont des Egos pleine- « ment évolués, n'ayant plus à renaître sur la terre, et qui, « au lieu d'accepter la glorieuse béatitude du Nirvana, pré- « fèrent se consacrer à l'aide de l'humanité. Ils demeurent « sur le plan dévachanique et, de là, agissent sur les Egos, « les conseillant et infusant en eux, - alors même que la « conscience physique de leurs " personnalités " ignore ces « rapports transcendants [2], - le désir de la vie supérieure.

« L'Ego libéré qui choisit l'état de Nirmanakaya fait ce « qu'on appelle la grande Renonciation et s'oblige volontai- « rement à travailler pour la régénération de la race humaine « aussi longtemps qu'il se trouvera une seule âme trop « imparfaite pour entrer en Nirvana.

« L'immensité de ce sacrifice ne peut être conçue par « notre esprit borné, mais ceux qui le comprennent tant « soit peu peuvent apprécier la nature réelle de ces grandes « Ames.

« Elles surveillent les ondulations ascendentes de l'huma- « nité et, aux moments où le monde est prêt à recevoir un « complément particulièrement important d'instruction spi- « rituelle, l'une d'elles s'incarne dans une forme humaine « ordinaire et passe à travers les hommes, comme un Guide « et Maître, un Christ ou un Bouddha » [3].

Et haec de ista doctrina, fabulis impietateque permixta, satis, imo forsan nimis. Si Theosophi nihil aliud agerent quam hanc antiquam Orientalium pseudo-sapientiam per Occidens calamo oreve diffundere, pessimum sane opus agerent;

[1] Nec illis modo, sed cunctis qui sanum de rebus iudicium servant.

[2] « Persona » enim passim ignorat praecedentia stadia « individui », quia memoria pertinet ad illa attributa seu *Shandhas* personalia, quae in variis stadiis mutantur.

[3] Op. cit., p. 25. Et pergit: « De temps en temps, aussi, des hommes dont la « spiritualité est élevée, mais qui n'ont pas atteint la perfection nirvanique, sont « choisis par ces grandes Ames, initiés dans quelques portions de la pure Doctrine « et chargés de la porter à la connaissance de leurs semblables. C'est dans cette « classe qu'il faut placer H. P. Blavatsky ». Et inter Gallos eodem honore habetur « la grande Ame » Annie Besant!

at omnis christiane sentiens ab ipsis, haud secus ac a Mahumedi asseclis, caveret. Quum autem ad suam esotericam doctrinam mysteria nostra altius intellecta trahere, ipsumque Christum uti Theosophum, et inter eius praecones praecipue S. Ioannem et S. Paulum uti magnos initiatos exhibere non verentur, detegenda ac depellenda est haec execrabilis fraus, quam apud incautos ac in fide debiles nonnullas iam victimas fecisse, pluresque in dies facere, dolenda nimis experientia docet.

De seductoribus illis, blando sermone pusillos attrahentibus, ait ipse Dominus: « Attendite a falsis prophetis, qui « veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem « sunt lupi rapaces » [1]. De his blasphemis in Christum ait Ioannes: « Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Iesus « est Christus? Hic est antichristus qui negat Patrem et « Filium ». « Et nos vidimus et testificamur, quoniam Pater « misit Filium suum Salvatorem mundi ». « Et scimus quo- « niam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cogno- « scamus verum Deum et simus in vero Filio eius. Hic est « verus Deus et vita aeterna » [2]. Et Paulus, de Gnosticis hisce redivivis: « Rogavi.... ut denunciares quibusdam, ne « aliter docerent, neque intenderent fabulis et genealogiis « interminatis? » [3]. Haeccine sunt verba Theosophorum?

Caeterum absit ut omnia in his doctrinis aspernemur; servant enim in pluribus scintillam primaevae illius veritatis, quam Christus prope emorientem excitavit et novo splendore ditavit. Ita verissimum est, laborem nostrum in hoc consistere ut veterem hominem cum desideriis suis *(Manas inferius sive Kama Rupa Theosophorum)* debellemus, et in homine spirituali imaginem Trinitatis per triplicem viam purgativam, illuminativam et unitivam magis magisque evolvamus. In qua ascensione Christus est Veritas per Spiritum illuminans *(Manas)*, Via per seipsum ad Patrem ducens *(Buddha)*, Vita ipsi Patri coniungens *(Atma)*. Sed haec, pulcherrima quidem in sensu christiano, non sunt amplius in systemate Theosophorum nisi res vacuae conducentes in nihilum.

[1] MATTH. VII, 15.
[2] I. IOANN. II, 22; IV, 14; V, 20.
[3] I. TIM. I, 3, sq.

Et haec satis sit de fabulosa ista doctrina. Quid autem cum systemate sive antiquo Indorum sive moderno Theosophorum errores Origenis commune habeant, data opportunitate in sequentibus apparebit [1]. Hic unum monitum velim: licet in quibusdam aspectibus conveniant, quoad animam systematis, id est, quoad impersonalem Deum et pantheisticam eiusdem veluti inconsciam evolutionem, necnon quoad divinitatem veram hominis eiusque in Deum immersionem finalem, Theosophi et magnus Alexandrinus toto quasi caelo distant [2].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Unus Christus simul Deus et Homo perfectus ex Scripturis apparet. Iam vero quum unio naturae repugnet, sive mixti, sive partis ad partem ut in composito (a. 1.), oportet ut unio utriusque naturae distinctae fiat in persona (a. 2.), et proin in hypostasi vel supposito, quum persona sit suppositum rationale (a. 3.). Proin, post Incarnationem, ratione assumptae naturae, persona Christi composita dicenda est (a. 4.); ita tamen, ut et anima et corpus vitali unione, ad humanam naturam requisita, inter se immediate coniuncta fuerint, et non solum in Verbo (a. 5.). Haec hypostatica unio nullatenus accidentalis, sed personalis est (a. 6.).

2) Quum in tempore inceperit, haec unio a parte assumptae naturae est quid creatum (a. 7). Assumptio autem praeter unionem exprimit respectum ad terminum qui assumit, convenit proin soli personae Verbi in sensu activo, et soli naturae humanae in sensu passivo (a. 8).

Haec unio, quantum ad eum, in quo coniunctio fit, maxima omnium est; non autem quantum ad ea quae coniunguntur (a. 9).

3) Facta est autem unio haec per gratiam increatam, nulla tamen mediante gratia creata (a. 10); nullisque praeceden-

[1] Cf. praesertim Quaest. IV, et V.

[2] De systemate Origenis alibi sermo recurret, scilicet in tractatibus de *Deo Creante* et *de Novissimis*.

tibus meritis nec ex parte ipsius Christi, neque, nisi de congruo, ex parte hominum (a. 11).

Nihilominus, quatenus Christus hanc unionis gratiam ab ipsa nativitate habuit, et quidem a principiis suae naturae divinae, etsi gratia est, tamen naturalis vocari potest (a. 12).

II. MEMBRUM.

DE MODO UNIONIS EX PARTE PERSONAE ASSUMENTIS.

QUAESTIO III.

(UNICA HUIUS MEMBRI.)

Ordo Quaestionis. - Tripartito haec quaestio ita dividi potest: 1) Primo quaeritur de relatione naturae et personae ad unionem; 2) de distinctione et numero personarum et naturarum assumptarum; 3) de convenientia assumptionis a parte Verbi prae aliis personis SS. Trinitatis.

Prima pars absolvitur tribus articulis hoc nexu inter se unitis: *a*) Probato quod assumptio conveniat personae, quaeritur, *b*) utrum hoc exclusive intelligendum sit, scilicet ad exclusionem naturae; et si negetur formaliter convenire naturae, utrum saltem, *c*) abstracta personalitate, naturae convenire dicenda sit. In duobus prioribus articulis vix ulla occurrit difficultas. Tertius paulo subtilior est.

Ordinem secundae partis loco suo assignabimus.

A) De Relatione Naturae et Personae ad Unionem.

ARTICULUS I.

UTRUM PERSONAE DIVINAE CONVENIAT ASSUMERE NATURAM CREATAM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quum in hac tota quaestione agatur de unione a parte assumentis, accentus quaesiti cadit in verba « personae divinae ». Et sane dubium moveri potest, tum a parte personae *in se* formaliter consideratae, tum a parte personae *divinae*.

2) A parte *personae* dupliciter: *a*) quia persona est incommunicabilis, et assumptio videtur esse communicatio; *b*) quia persona constituitur per naturam.

Sed *a*) prima ratio valet quidem contra illos, qui concipiunt personam Christi conflari ex persona Verbi et hominis Iesu. Nihil autem contra doctrinam catholicam, quae praecise ponit ipsissimam Verbi personam subsistere in natura humana.

Nec *b*) valet altera ratio. Aliud enim est dicere, personam habere ab hac vel illa natura ut sit individua huius vel illius naturae; aliud, personam formaliter per naturam constitui, quod falsum est.

3) A parte personae *divinae* argui potest, ex ipsa divinae personae immutabilitate. Sed haec ratio falso supponit, per assumptionem humanae naturae ipsam personam divinam mutari, quod erroneum est. Unde haec ratio, si quid valeret, repugnantiam Incarnationis ostenderet; nam aeque valeret de natura ac de persona divina. Haec indirecte.

4) Iam directe absque labore probatur, assumptionem personae convenire.

Et sane, assumere est *sumere ad se*. Iam vero quodnam est subiectum huius actionis, quisnam est terminus huius unionis? Quum actiones sint personarum, agens formaliter est persona divina; quumque vidimus, unionem esse non in natura, sed in persona, terminus actionis est rursus persona. Igitur assumptio convenit formaliter personae et ut agenti et ut termino. Quod dicimus agens, idem est ac principium, quo vocabulo Angelicus utitur [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Falso procedit, ac si per assumptionem additio in Deo poneretur. Soluta iam est haec difficultas in art. 7, Q. II. Observa, iuxta dicta n. 3, hanc obiectionem tendere in negationem assumptionis omnimodae.

2. Obi. Distinguendum, iuxta n. 2, *a*), in incommunicabilitate: cum altero supposito, conc.; cum natura inferiore, ratione eiusdem subsistentiae, servato uno incommutabili supposito, repugnat, nego.

[1] Cf. art. 4.

3. Obi. Haec obiectio, praeter dicta n. 2, supponit, personam Christi constitui per naturam humanam, quod est ita distinguendum: Constituitur simpliciter ut est persona, nego; constituitur secundum quid, uti subsistens in hac natura, conc.; vel subdit.: et hoc repugnat actioni assumenti, nego; et hoc est effectus ipsius actionis assumentis, conc.

Sed contra est. Doctrina huius articuli corroboratur, imo demonstratur per omnes auctoritates Scripturae, in quibus Verbum, id est *persona* Verbi, dicitur caro factum; et in quibus omnia, quae assumptionis sunt, personae attribuuntur.

Hoc est tantopere verum, ut Scriptura assumptionem humanae naturae tribuat ipsi Christo, hoc est personae illi, quae per Incarnationem facta est Christus: « Hoc sentite « in vobis quod et in Christo Iesu, qui.... semetipsum exina- « nivit, formam servi accipiens » [1].

Ex Patribus et Conciliis idem eruere, facile negotium; sed sufficit lectorem remittere ad auctoritates iam allatas.

In Corpore. Adverte, non eadem vi principium et terminum respicere personam. Terminum enim respicit exclusive, quatenus natura excluditur (nisi modo infra explicando); principium, non exclusive, quatenus ipsa natura divina Verbi fuit agens in assumptione, quippe idem re cum persona Verbi.

Resp. ad 2m. Adverte modum quo S. Th. in fine excludit falsam interpretationem, qua quis comparatione allata abuti posset. Natura assumpta confertur accidenti, quatenus accedit, et quatenus multiplicari potest; non autem quatenus ipsa subsistit, non utique per se, sed subsistentia principii assumentis.

Quaestio connexa. Hic moveri potest quaestio, utrum suppositum creatum possit assumere aliam naturam substantialem; ita scilicet ut natura haec servetur natura distincta, et fiat unum suppositum in pluribus naturis.

Duplex gradus imprimis in hac quaestione distinguendus est: *a*) utrum suppositum creatum hoc possit per virtutem suam naturalem; *b*) utrum hoc possit per communicatam virtutem a Deo.

[1] Phil. II, 5, sqq. — Quantum inde argumentum exsurgat ad divinitatem Christi adstruendam, in promptu est.

a) Conveniunt theologi in negando, id fieri posse per virtutem naturalem. Sed in afferendo rationes non ita concordant. Aliam, v. gr., rationem affert Durandus [1], aliam Scotus [2], aliam Toletus [3], qui priorum rationes uti infirmas reiicit. Putamus, rem non ita difficulter obtineri, si ex una parte consideratur, virtutem subsistentem mensurari ad ipsam substantiam quae in ea subsistit, et ex altera parte, nullam substantiam posse nisi per actionem divinam propria sua subsistentia destitui, ob vinculum maxime intimum quo substantia et subsistentia ad invicem colligantur.

b) De altera parte quaesiti non tam conveniunt theologi. Ockam [4] putat per divinam potentiam id fieri posse; et Card. Toletus in eius sententiam inclinat; ac pariter, licet timidius, Scotus et Biel [5]. Sed Durandus et Caietanus strenue oppositum tenent; et arguunt ex S. Thoma, qui hoc loco possibilitatem huiusmodi assumptionis ab infinitate divinae potentiae repetit. Et sane actio attractiva, quae ad assumptionem requiritur, aliquid de infinito habere videtur, quum tam intime ipsum *esse* rei attingat; quod *esse,* sicuti non est nisi a Deo, nonnisi a Deo ita potest agi. A fusiori disputatione circa hoc quaesitum abstinemus. Dubitamus tamen, utrum verba S. Thomae in resp. ad 2.[m] per se sufficiant ad obtinendum intentum, quod ex eis Caietanus et Durandus eruunt. Aliud enim est dicere, Deum hoc posse propter virtutem suam infinitam; aliud, nonnisi per infinitam virtutem hoc effici posse. Videtur utique assumptio habere aliquid de creationis potentia; sed non totam illam exprimit. Unde, etiamsi impossibile sit, Deum posse potentiam creatricem plenam communicare creaturae, nondum sequeretur, Deum non posse subsistenti principio communicare minorem hanc virtutem, ut in se aliam substantiam subsistere faciat [6].

[1] Dist. 1, q. 5.
[2] Dist. 1, q. 4.
[3] Hoc loco.
[4] III. Sent. q. 1.
[5] Dist. 1, q. 2, dub. 5.
[6] Quidquid sit, exempla contrahenda videntur ad suppositum spirituale uniens sibi aliam substantiam spiritualem vel corporalem, puta angelum sive aliam naturam angelicam vel humanam. Unde minus placent exempla a Toleto allata.

ARTICULUS II.

UTRUM DIVINAE NATURAE CONVENIAT ASSUMERE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Scopus huius quaesiti et eius nexus cum praecedenti patet. Evolvitur enim hic, quod iam de *Corpore* praecedentis articuli animadvertimus.

2) Ad solvendum quaesitum recolenda est analysis conceptus τοῦ assumere - *sumere ad se.* Quaeritur enim *a*) utrum *sumere* conveniat naturae divinae, et *b*) utrum sumere *ad se* conveniat ipsi.

3) Iam vero haec quaestio mota de natura divina potest dupliciter intelligi: vel *a*) de natura divina uti est eadem in Patre, Filio et Spiritu Sancto; vel *b*) de natura divina, uti est unum cum Filio.

4) Quibus praemissis, solutio his tribus conclusionibus continetur: *a*) *Sumere* convenit toti Trinitati, ratione unius potentiae. *b*) Sumere *ad se,* lato sensu, *ad sui personam,* convenit naturae divinae, prouti est unum cum Filio. *c*) Sumere *ad se, simpliciter, ratione sui,* non convenit nisi personae Verbi, quum unio facta sit in persona. Primum sequitur ex ratione principii; secundum ex identitate principii naturae et personae, in Verbo; tertium ex ratione termini.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat 2.m ex his tribus (*b*).

2. Obi. Praetermittit discrimen inter 1.m et 2.m (*a* et *b*).

3. Obi. Non attendit ad rationem, cui secundum innititur (*b*).

Sed contra est. Ad rem can. 1. Concil. Toletani VI: « Cum « tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis « (quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis), solus tamen « Filius suscepit humanitatem in singularitate personae, non « in unitate divinae naturae, id est, in eo quod est proprium « Filii, non quod est commune Trinitati: quoniam constat « naturam Trinitatis esse, non tamen personam ». Corroboratur haec doctrina per loca Scripturae in quibus omnia

opera tribuuntur attributis divinis communibus, uti Sapientiae [1].

In Corpore. Argumentum patet. Distinctis principio et termino, S. Thomas quoad principium respondet affirmando; quoad terminum proprie negando. Non ideo tamen quoad principium tam bene tribuitur assumptio naturae quam personae; nam in articulo praecedenti ostenderat, propriissime quoad principium assumptionem esse personae. Adverte, quam acute S. Th. explicatione tradita utatur ad explicanda illa loca Patrum, quae incarnationem naturae divinae tribuunt; scilicet quatenus natura divina idem re est cum Filio incarnato [2]. De quo loquendi modo in appendice plura dicemus.

Resp. ad 3m. Adverte sedulo, quomodo S. Thomas relationem personae ad naturam conferat cum relatione *quod quid est* ad *quo quid est.* Fusius de hoc, ubi de propria ratione personalitatis, absoluta Quaestione XVII.

APPENDIX

de Formula " Natura divina incarnata ".

Inter argumenta, quibus uti solebant Eutychiani, princeps sane est formula a Cyrillo Alex. adhibita de « natura Dei « Verbi incarnata ». Formulam revera Cyrillo fuisse familiarem, extra dubium versatur. Ita in priori epistola ad Successum scribit: « naturas duas inter se convenisse dicat, indi- « visa unitione citra confusionem et conversionem.... Verum « post unitionem non dividimus naturas a se mutuo, neque « in duos secamus filios illum qui unus est et indivisus. Sed « unum dicimus filium, et quemadmodum locuti sunt Patres, « *unam naturam Dei Verbi incarnatam* » [3]. Et exemplum adducit coniunctionem corporis et animae in homine.

A Cyrillo haec formula in alios scriptores veluti catholicae fidei tessera transiit. Concilium Chalcedonense, licet in

[1] Prov. IX, Sap. VII, VIII, etc.

[2] Cf. obiectiones Q. II, art. 1.

[3] Similem modum loquendi habes in epist. 2. ad eumdem; in epist. 2. ad Nestorium; in Commonit. 5. ad Eulogium; in epist. ad Acacium Melitenensem.

fidei decretis ab ea abstinuerit, ne offenderet illos Orientales, qui haeresim Dioscori in ea reperiri querebantur, implicite tamen eam sancivit, approbando libellum Imperatori Theodosio a Flaviano oblatum, in quo libello continebatur. Concilium vero quintum, tum Professionem Iustiniani approbavit, quae hanc formulam continebat, tum eam expresse in octavo anathematismo suam fecit [1]. Synodus insuper Romana sub Martino I. congregata, can. 5. decrevit: « Si quis, « secundum sanctos Patres, non confitetur proprie et secun- « dum veritatem unam naturam Dei Verbi incarnatam,... con- « demnatus sit » [2].

Hic autem duplex quaestio moveri potest: altera positiva de Patribus illis, quos Cyrillus allegat; altera dogmatica de sensu formulae a Cyrillo adhibitae.

1) Plures Patres post Alexandrinum hac formula usos esse, extra controversiam est [3]. At de anterioribus scriptoribus sacris sat difficilis investigatio. Citari solet S. Athanasius [4]. Sed tractatum de Incarnatione, e quo Cyrillus id assertum desumpserat, Leontius Byzantinus, vir eruditione praecipuus, non esse Athanasii, sed potius haeretici Apollinaris declaravit. En Leontii verba: « Sciendum est vero, primum ex ortho- « doxis sanctum Cyrillum usurpasse vocem istam, unam natu- « ram Dei Verbi incarnatam. Diximus ex orthodoxis, quo- « niam Apollinaris saepe illa est usus. Unde et B. Cyrillus « ab Orientalibus Apollinarista est habitus. Non erat tamen. « Neque enim par est omnia, quaecumque dicuntur ab hae- « reticis, funditus repudiare: sed ea solum, quae mala sunt, « reiicere » [5]. Nec mirum cuidam videatur, scriptum Apollinaris a Cyrillo tanquam Athanasii habitum esse. Leontius enim testatur, « quosdam ex haeresi Apollinaris vel Eutychis, « vel Dioscori, cum vellent suam haeresim confirmare, quas- « dam orationes Apollinaris Gregorio Thaumaturgo, aut Atha- « nasio, aut Iulio inscripsisse, ut simpliciores fallerent: quod

[1] « Si quis... unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, etc. etc. » DENZINGER (op. cit. n. 179).

[2] Ibid. n. 206.

[3] Cf. de eis PETAVIUM (op. cit. l. IV, c. 6, sqq.).

[4] Eum allegant inter alios Basilius episc. Seleuciensis (in Conc. Constantinop. I.), et S. Damascenus (*De fide*, l. III, c. 6).

[5] *De Sectis*. Act. 8.

« quidem perfecerunt » [1]. Caeterum, uti egregie notat Petavius [2], vix probabile est, virum in disputandi arte versatissimum, quique contra Apollinarem ex professo plura scripsit, formulam induxisse ipsi Apollinari tantopere faventem.

Quod de S. Athanasio dictum est, valet et de S. Gregorio Thaumaturgo. Huic quidem a Monophysitis tribuitur sententia sequens: « Et est Deus verus, carnis expers, qui in carne appa-« ruit, perfectus vera et divina perfectione. Non duae per-« sonae, *neque duae naturae*. Non enim quatuor adorare nos « dicimus, Deum, et Filium Dei, et hominem, et Spiritum Sanc-« tum » [3]. Sed Eulogius et Leontius [4] hoc testimonium uti spurium habent; ille, quia habet saporem Apollinaristicum; iste, quia de Gregorio scitur, nihil eum scripti reliquisse praeter symbolum. Caeterum haec sententia non continet ipsam formulam, de qua agimus.

Nec aliud iudicium profert idem Leontius de quadam epistola Iulii Papae, in qua haec sententia legebatur: « Necesse « est enim ipsos, qui naturas asserunt duas, alteram earum « adorare, alteram non adorare; ac baptizari in divinae « nomen, in humanae vero non baptizari ». Et, teste Euphraemio Antiocheno: « naturam esse unam incarnatam Dei « Verbi ». Quae, iuxta hunc, contra Paulum Samosatenum essent scripta, ad divinitatem Christi adstruendam. Unde Gennadius de hac epistola ait: « Quae illa quidem tempore « utilis visa est adversus eos, qui ita duas per Incarnationem « afferebant in Christo personas, sicut et naturas. Nunc autem « perniciosa probatur, fomentum enim est Eutychianae et « Timotheanae impietatis » [5].

2) Sane haec ultima Gennadii verba, licet ad rem non sint, quum haec epistola iuxta Leontium non debeat Iulio tribui, valent de ipsa Cyrilli sententia. Agebat scilicet Alexandrinus optimo zelo optimaque fide contra separatismum Nestorianum; unde quavis eloquentissima formula ad unitatem veram Christi Dei adstruendam utebatur. At, si proxi-

[1] Libr. adv. eos qui Apollinarii nonnulla proferunt falso inscripta nomine Sanctorum Patrum.

[2] Ibid. n. 7.

[3] Cf. Eulogium apud Photium.

[4] Loc. cit.

[5] Cf. Petavium (loc. cit. n. 9).

mum Eutychetis errorem praevidisset, catholicam veritatem aliis verbis exposuisset, talibus scilicet, quae non tam facile Monophysitarum calumniis ansam praebuissent.

In mente autem Cyrilli formulam « unam naturam Verbi « Dei incarnatam » plene orthodoxam fuisse, citra dubium omne tenendum est. Id enim ostendit tota Cyrilli disputatio, necnon doctrina in Concilio Ephesino, et postea in Chalcedonensi ac Constantinopolitano exposita. Ad mentem Cyrilli manifestandam sufficit considerare, quomodo in epist. 2. ad Successum formulam a se adhibitam a calumniis contra eam motis vindicet. De quo lege Card. Franzelin fusius disputantem, textumque Cyrilli ex integro adducentem [1]. Totus enim in hoc Cyrillus est, ut formulam suam componat cum distinctione inter geminas Christi naturas in unitate suppositi.

Caeterum adverte discrimen inter haec duo: « naturam « Dei incarnatam », et « unam Dei Verbi naturam incarna- « tam ». Praeterquam quod φύσις potest ita stare pro natura prima, ut significet suppositum, haec φύσις, quando in divinis determinatur per vocabulum personale, ad sensum personalem trahitur. Inde in mente Cyrilli « natura Verbi » idem sonat ac Verbum; eo vel magis quod particula « una » eam discernit ab eadem natura uti est Patris et Spiritus Sancti. Et sane, quaeso, nisi iste sensus teneatur, quidnam significat haec additio « una »? Num forte adeo iniuste in Cyrillum agemus, ut ipsum plures naturas divinas admisisse dicamus? Quod saltem valet, si verba « una Dei Verbi natura », in se considerantur; in contextu autem vox « una » potest quidem ad totum Christum referri ad excludendam talem coniunctionem, quae in Christo duo supposita relinqueret. Hoc modo certissime procedit canon. 8. Concilii Constantinopolitani. In quo canone aliud corroboratur, quod modo diximus, scilicet: φύσιν in hac nostra formula sumi in sensu suppositi. Nam paucis interiectis, Concilium directe excludit interpretationem Monophysitarum nonnisi unam in Christo οὐσίαν confitentium: μίαν φύσιν, ἤτοι οὐσίαν θεότητος καὶ σαρκὸς τοῦ Χριστοῦ εἰσάγειν ἐπιχειρεῖ..... [2].

Igitur ipsa formula Cyrilli attentius considerata demon-

[1] Op. cit. th. xxxv.

[2] DENZINGER, (op. cit. n. 179).

strat, sensum eius esse: « Deum Verbum incarnatum ». Quo sensu admisso, superfluae fiunt distinctiones scholasticorum ad formulam illam antiquam orthodoxe explicandam. Est per se simplex et sana; licet ob instantem Monophysitismum parum fuerit opportuna, quin et ambiguitatis ratione potius infelix.

Corollarium. - Formulae « natura divina incarnata » ex opposito respondet formula « caro deificata », qua pariter abutebantur Monophysitae. Sed de hac formula dicemus in art. 7. Quaest. XVI. Interim observa, utramque formulam probari posse quousque servat principia ibidem de communicatione idiomatum stabilienda; improbari autem debere, si ambo ita intelligantur ut ultra has leges excedant: tunc enim Eutychetis errorem exprimunt.

ARTICULUS III.

UTRUM, ABSTRACTA PERSONALITATE PER INTELLECTUM, NATURA POSSIT ASSUMERE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ut quaestio haec nitide solvatur, oportet determinare *quaenam abstractio* heic intendatur, et quidnam, facta abstractione, remaneat.

Doctrina S. Th., ad quam alluditur (obi. 3), potest ita breviter comprehendi. Duplex datur abstractio:

1) Abstractio universalis a particulari: (non remanet id, a quo abstrahitur) — in divinis, abstracta omni personalitate, remanet in intellectu nostro essentia communis.

2) Abstractio formae a materia: (non perit id, a quo abstrahitur) — *a*) remotis proprietatibus non personalibus, remanet hypostasis; *b*) remota proprietate personali, tollitur hypostasis [1].

2) Audiatur et S. Th. III. Sent. Dist. V, q. 2, a. 3. Solutionem his verbis exorditur: « Circumscriptio personae a natura di« vina potest dupliciter intelligi. Uno modo quod circumscri-

[1] Cf. *De Deo Trino*, p. 704.

« batur *omnis ratio* personalitatis; et sic ipsa natura neque « erit subsistens in se, neque erit in aliquo subsistente; et sic « non habebit esse in re, sed in intellectu. (Est modus 1. sche- « matis). Alio modo potest intelligi, quod circumscribantur « personae distinctae, quas fides ponit. *Eis autem circum-* « *scriptis, adhuc remaneret divina natura subsistens,* etc. ». (Est modus medius inter *a*) et *b*) 2. schematis).

Idem habet S. Bonaventura in conclusione de eodem argumento [1]: « Concedendum est quod circumscripta personali- « tate *a fide determinata,* etsi possit intelligi assumptio, non « tamen ita congrue. *Omni* vero personalitate circumscripta, « non contigit a natura divina assumi humanam naturam ».

II. **Ad Textum.** - *1. et 2. Obi.* Procedunt contra praemissam distinctionem S. Bonaventurae et S. Thomae. Concedendae essent, si totaliter abstraheretur quaevis personalitas. Tunc enim principium et terminus assumptionis, qui concipiuntur necessario ut subsistentes, fierent impossibiles, quum non remaneret nisi nuda natura.

3. Obi. Confundit duos modos, de quibus in schemate. Abstractio per resolutionem est prima, non autem secunda.

Sed contra est. Adverte sedulo, hanc rationem ex S. Luca adductam, non valere nisi de *principio* assumptionis. *Terminus* autem non salvatur, nisi distinguendo inter abstractionem personalitatis revelatae et abstractionem cuiusvis subsistentiae.

In Corpore. Paucis: *a*) *secundum rem,* abstracta personalitate quavis in divinis totum perit; nam personalitas quae abstrahitur, est re unum quid cum persona; et una persona, propter relationes, nequit tolli nisi sublatis aliis. Ergo perit totum. - Nihilominus *b*) *secundum intellectum* possunt abstrahi proprietates personales, quin essentialia pereant. - Comple nunc ad argumenti vim: Haec autem essentialia secundum nostrum modum intelligendi essent *subsistentia:* ergo ad salvandum conceptum assumptionis sufficerent.

[1] S. Bonaventura, art. 1, q. iv.

B) De Personis ad invicem et ad Naturam assumptam.

ARTICULUS IV.

UTRUM UNA PERSONA POSSIT SINE ALIA NATURAM CREATAM ASSUMERE.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Hucusque de natura et persona a parte assumentis. Nunc de personis ad invicem et ad naturam assumptam. Quatuor possibiles casus excogitari possunt: *a*) una persona assumens unam naturam (a. 4, 5); *b*) plures personae assumentes totidem naturas (a. 5, coroll.); *c*) plures personae assumentes unam eamdemque naturam (a. 6); *d*) una persona assumens plures naturas (a. 7). De quibus singillatim ordine suo. Prima et secunda positio vix difficultatem pariunt; subtiliores vero duae reliquae.

2) Ratio praesentis articuli his continetur. Vidimus supra, a parte principii tres personas ita ad unionem Incarnationis cooperari, ut impossibile sit, unam operari sine alia. Iam vero, si tres sunt inseparabiles a parte principii, nonne pariter erunt inseparabiles a parte termini?

3) Responsio in promptu est. Paritas negatur, quia terminus est unio in persona et non in natura. Atqui ratione personae, propter relationis oppositionem, tres in Deo distinguuntur; ergo unus potest assumere ad se, quin alter ad se idem sumat.

4) Sed et etiam a parte principii paritas perfecta negatur, non quidem ob distinctam virtutem qua agit, sed ob identitatem formalem cum termino, et instantaneitatem actionis.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit a parte operantis, seu principii. *2. Obi.* Non considerat doctrinam art. 2: natura Filii dicitur incarnata non simpliciter, sed ratione personae, quae cum ea identificatur. Hoc autem, propter oppositionem, ad alias personas extendi nequit.

3. Obi. Confundit gratiam unionis et gratiam adoptionis. Prima communis est solum ex parte principii operantis; altera insuper ex parte termini.

Sed contra est. Huc faciunt omnia loca Scripturae, in quibus Incarnatio singulariter de Filio Dei praedicatur. Facit et Symbolum Nicaenum, in quo nonnisi de D. N. I. Chr. Incarnatio praedicatur. Adverte iam quomodo in missione Gabrielis tota SS. Trinitas occurrat, ut tamen solus Filius naturam humanam sumat. « Missus est Angelus Gabriël » a *Deo;* - en totam SS. Trinitatem. Ecce nunc personas: « *Spiritus* S. « superveniet in te; et virtus *Altissimi* (Patris) obumbrabit tibi. « Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur *Filius Dei* ». Tres cooperantur; unus tamen de Virgine nascitur: *Filius* Dei [1].

Huc spectet tota disputatio S. Anselmi cum Roscelino. Nam tum iste tum ille supponebant uti extra omne dubium, nonnisi Filium esse incarnatum. Inde antiqui illi Sabelliane de Trinitate sentientes, novitatis causa vocati sunt Patripassiani; quod nomen non fuisset tam mirum, nisi veritas tam fuisset in confesso, solum Filium et incarnatum esse et passum. Sed de hac fundamentali veritate plura dicemus in appendice ad ultimum huius Quaestionis articulum [2].

In Corpore. Adverte: quod hic S. Th. vocat *actum* in oppositione ad *terminum*, idem est ac illud, quod in praecedentibus articulis vocavit *principium*. - Quoad actum, Incarnatio est quidem personae, sed ex virtute divina; quare, si haec virtus sit communis, actus erit trium personarum. Nihilominus, uti iam animadvertimus, in hoc actu virtus erit magis personalis in illo, qui assumit naturam ad se, prae illis, qui faciunt eam assumi ab alio.

ARTICULUS V.

UTRUM QUAELIBET PERSONA DIVINA POTUERIT HUMANAM NATURAM ASSUMERE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Probatum est praecedenti articulo, principium seu actum assumptionis esse commune, terminum vero personalem. Quaestio igitur movetur utrum haec ratio ita sit personalis, ut uni tantum personae exclusis aliis conveniat, an possit esse communis tribus personis.

[1] Luc. I, 26, 35.
[2] Cf. Card. Franzelin (op. cit. t. XXXII).

2) Solutio est obvia nimis. Quum personalis ratio in termino assumptionis sit ipsa personalitas *in se* considerata et non in hac vel illa persona; sequitur, eam cuilibet personae convenire debere. Sola dubitandi ratio inde desumi posset, quod virtus, quae principium actionis est, potius ad hunc quam ad illum terminum inclinaretur. Sed huic inclinationi deberet assignari fundamentum vel a parte virtutis vel a parte termini. Atqui neutrum in casu datur. Ergo virtus aeque potens est ad hunc vel illum terminum personalem. Aliis verbis: Sancta Trinitas vel divina virtus, uti habet S. Thomas in fine *Corporis,* potuit unire naturam humanam personae Patris et Spiritus Sancti, sicuti eam univit personae Filii.

3) Et re quidem vera omnes difficultates, quae a S. Thoma contra praesentem thesim moventur, ostendunt quidem convenientiam, ut Filius incarnatus sit prae Patre et Spiritu Sancto: non autem necessitatem, quasi aliae duae incarnari non potuissent. Unde huiusmodi difficultates potius ad ultimum articulum huius Quaestionis pertinent.

II. **Ad Textum.** - Rationes, quae in obiectionibus afferuntur, corroborant quidem, uti diximus, articulum octavum huius Quaestionis; sed non infirmant doctrinam praesentem.

1. Obi. De hac confusione infra, ubi de rationibus a S. Anselmo allatis.

2. Obi. Procedit ac si filiatio adoptiva nullam relationem haberet ad Patrem nec ad Spiritum Sanctum. Quod falsum omnino ostenditur. Pater enim est principium naturalis filiationis, cuius adoptiva est imago; Spiritus S. est Patris et Filii nexus.

3. Obi. Falso supponit, Incarnationem esse *per se* fundamentum missionis; quod negatur. Mittitur quidem Filius per Incarnationem, non formaliter quia incarnatus, sed quia, uti Filius, habet esse a principio, a quo mitti possit. Unio proin naturae humanae cum Filio vel Filii cum natura humana relate ad Patrem missio dicitur, non vero relate ad Spiritum Sanctum. Incarnatum tamen Verbum, quatenus homo est, convenit et a Spiritu Sancto mitti [1].

[1] Subtiliores quaestiones de missione divinarum personarum vide iuxta S. Thomam evolutas in nostro tractatu *de Deo Trino,* p. 811, sqq.

Sed contra est. Parumper aliter argumentum ponitur in *Corpore* et in *Sed contra est.* Hic arguitur ex aequali potentia trium personarum divinarum, iuxta illud Symboli Athanasiani: « Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omni- « potens Spiritus Sanctus ». - In *Corpore* vero arguitur ex aequali respectu unius eiusdemque virtutis divinae ad unamquamquae personarum, uti ad actionis terminum; et potius assumitur locus S. Lucae. « Non est impossibile apud Deum « omne verbum » [1]. Sane res magis intime tangitur per argumentum uti in *Corpore* exhibetur. Ratio in *Sed contra est* directius conducit ad positionem secundam, de qua in sequenti corollario.

Veritas doctrinae in hoc articulo expositae corroboratur per ultimum articulum huius quaestionis. Si enim incarnatio aliarum personarum esset impossibilis, quomodo posset de maiori convenientia incarnationis Filii moveri quaestio?

Adverte insuper, praesentem doctrinam ex theophaniis V. T. corroborari. Abrahamo tres apparuerunt SS. Trinitatis personae, aliisque in locis modo una, modo alia persona, iuxta naturam theophaniae manifestabatur [2]. Haec autem omnia praeludebant Incarnationi. Suadent proin, unamquamque personarum incarnari potuisse [3].

Corollarium huius doctrinae est, Patrem, Filium et Spiritum S. potuisse *unumquemque* assumere *naturam singularem humanam.* Qui est secundus casus ex quatuor possibilitatibus superius adductis. Nam, sicuti eadem virtus potest aeque uni vel alteri personae naturam coniungere, ita potest unam uni, alteri aliam, tertiae tertiam unire. Si non posset, ratio unica esset, quia assumptione unius naturae humanae ipsa virtus exhauriretur, quod repugnat, quum sit infinita [4].

[1] C. 1, 37.
[2] Cf. *De Deo Trino,* p. 115, sqq.
[3] Nolumus tamen hanc rationem urgeri, quum sit mere suasiva.
[4] Cf. infra art. 7.

ARTICULUS VI.

UTRUM PLURES PERSONAE DIVINAE POSSINT ASSUMERE UNAM NUMERO NATURAM HUMANAM.

I. **De ipsa Quaestione.** - Titulus huius quaestionis potest non uno modo intelligi. *a*) Verba enim *assumere unam naturam humanam* vel ita sumenda sunt, ut terminus assumptionis sit una persona; vel ita, ut sint tot personae quot assumentes.

b) Rursus, in hac altera significatione, talis assumptio considerari potest vel ut unica vel ut multiplex.

2) Et primo quidem certo constat quod, si tres personae divinae non essent idem re cum una essentia divina, repugnaret prorsus, unam naturam a tribus personis assumi. Fieret enim una natura humana triplex esse: esse Patris, esse Filii, esse Spiritus Sancti, quod absurdum sonat.

3) Sed, sufficiuntne haec unitas naturae et haec identitas uniuscuiusque personae cum eadem natura, ut possibilis ostendatur talis assumptio? Hic oritur quaestio sane subtilior. Etenim personae, quatenus relativum dicunt, ad invicem opponuntur. Quomodo proin possunt convenire in eadem natura sub ratione huius oppositionis, sive personalitatis?

Respondetur passim, in hoc nihil repugnantiae occurrere, quum in SS. Trinitate tres personae sint in una natura. Unde, si possunt esse in natura divina, cur non et in natura humana assumpta?

4) Valorem comparationi ex toto demere, foret temerarium; insuper vix posset solidis rationibus haec absoluta recusatio fulciri. Ut nihilominus appareat, nonnihil paritati deesse, sequentes saltem sint animadversiones.

a) In mysterio SS. Trinitatis unaquaeque personarum identificatur re cum natura divina, in qua copulantur arctissime inter se. In hypothesi vero talis incarnationis, natura humana re distingueretur ab unaquaque personarum, quae cum ipsa nonnisi personali vinculo unirentur. Proin ex una parte habemus unionem in natura; ex altera unionem in persona, uti iam optime animadvertit S. Bonaventura.

b) Nec satis. In mysterio SS. Trinitatis ipsae personae ab

invicem procedunt communicatione unius eiusdem naturae. Principium sumitur a singularitate sese in Trinitatem, ut ita dicam, evolvente. - In tali incarnatione e contra haberemus ex una parte tres personas in tota sua distinctione positas, et ex alia parte naturam humanam, infinite distantem, unicuique earum uniendam.

c) Insuper, quum in SS. Trinitate personae ut tales propter relationum oppositionem sibi invicem opponantur, quomodo in unienda sibi una eademque natura humana formaliter convenire possunt, in hoc ipso praecise in quo sibi opponuntur, scilicet in subsistentia distincta?

Hae rationes nos movent, non quidem ad comparationem cum mysterio SS. Trinitatis reiiciendam, sed ad eam cum maiori cautela et discretione adhibendam.

5) Num ideo possibilitatem incarnationis plurium personarum in una eademque natura negare intendimus? Nequaquam. Sed, re aliquantulum in obscuro relicta, inde occasionem sumimus ut illam tamquam unicam assumptionem potius quam triplicem concipiamus.

Etenim in ipso SS. Trinitatis mysterio momentum praesto esse credimus, quod ad rei intellectionem haud parum iuvat: modum, inquam, quo Pater et Filius, tanquam principium unicum spirant Spiritum Sanctum. Hoc prae mente habito, incarnatio de qua quaestio movetur, ita nobis concipi posse videtur, quasi Deus, consideratus uti principium unicum, assumeret unam naturam humanam, in subsistentia sibi uniendam. Sed quum haec subsistentia sit Pater et Filius et Spiritus Sanctus, terminus huius assumptionis, esset Pater incarnatus, Filius incarnatus et Spiritus S. incarnatus. Aliis verbis: conceptum trium personarum non inducimus formaliter in principio assumptionis, sed solum in termino. Assumptionem proin huiusmodi concipimus non uti formaliter triplicem, sed potius uti unicam [1].

Iste Homo-Deus esset unus homo et tamen tres personae. Proin in ipso appellatio *homo* poneret praeter naturam, nonnisi subsistentiam in confuso; sicuti vox *Deus* ponit in con-

[1] Hanc praesentem doctrinam non esse oppositam doctrinae superius in art. 8. expositae, argumentum attente perpendenti patebit.

fuso subsistentem in natura divina. Inde unus homo esse posset tres personae.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Ex dictis patet vitium. Caeterum haec obiectio non est sibi constans. Prior pars dilemmatis procedit ex comparatione cum mysterio SS. Trinitatis; quae comparatio non applicatur in altero membro.

2. Obi. Est mera cavillatio. Distinguo hoc modo: ad unitatem personae, id est, ad excludendam unitatem naturae, concedo; ad excludendam unitatem in alia persona, nego. Est enim ipsissima quaestio.

3. Obi. Non considerat quod in quavis persona incarnata haberetur communicatio idiomatum, secundum duas naturas de quibus fit communicatio, sicuti nunc in communicatione idiomatum in Christo. Non ideo tamen communicarentur, propter unam eamdemque naturam assumptam, ea quae sunt assumentibus personalia. Habetur proin in hac obiectione perversio legis communicationis idiomatum.

Sed contra est. De vi huius comparationis abunde superius diximus. Concedendum tamen omnino videtur, quod, nisi similitudo haec in divinis praesto esset, nunquam humana mens de tali hypothesi cogitasset.

In Corpore. Adverte sedulo modum procedendi S. Thomae. Prae oculis habens modum quo, iuxta ipsum, Anselmus de hac quaestione iudicavit, nimirum de assumendo *homine* per plures personas divinas, incipit ostendere hanc conceptionem carere fundamento. Est quidem in Christo anima corpori unita; non inde tamen oritur in ipso homo; sed hominem esse completum, seu hypostasim habet ab ipsa assumptione per subsistentiam Verbi. Quaestio proin non est de assumendo *homine* a tribus personis, sed de assumenda *natura humana* ab illis. - Hoc posito, ita procedit: Haec assumptio nequit produci nisi virtute divina. Haec autem virtus est communis tribus personis. Proin a parte principii nihil obstare potest. Sed a parte termini? Fatemur argumentum verum non aperte in *Corpore* contineri. S. Thomas sistit in hoc: a parte termini tres personae simul participant unam eamdemque naturam divinam; proin unita hac natura cum natura humana in una personarum, cur non possunt aliae personae communicare in unienda sibi hac natura, quin propter hoc ratio-

nem personalem inter se communicent, quod impossibile est? - Textus allatus Augustini tendit in hoc, ut ostendatur, potentiam de qua hic agitur, esse a parte naturae divinae, non a parte naturae humanae. - In fine articuli S. Thomas redit ad excludendum assumptionem hominis, ad modum quo S. Anselmus, saltem uti ipse putabat, illam intellexerat.

In III. Sent. Dist. I, Q. II, a. 4. Doctor Angelicus, affirmata potius quam probata possibilitate assumptionis unius naturae humanae a tribus personis divinis, addit: « loquendo de poten-« tia absoluta, quamvis non sit congruum secundum ordinem « divinae sapientiae: cum unius personae incarnatio ad repa-« rationem mille mundorum sufficiat ».

Notanda valde responsio ad quintum, in qua S. Doctor negat ex tali assumptione multiplicandum fuisse unius naturae *esse:* « quod tres personae non distinguuntur secundum « esse ».

Resp. ad Obi. ex dictis patent.

APPENDIX

de Mente S. Anselmi et S. Bonaventurae.

Quum apud nonnullos, inter quos cl. P. Billot, hac in quaestione S. Bonaventura S. Thomae opponatur, operae pretium est penitius inquirere de mente S. Doctoris Seraphici, sicuti de mente S. Anselmi, quem iste aperte secutus est.

I. **De Mente S. Anselmi.** - Quaestionem praesentem S. Anselmus duplici in loco agitat: contracte in opere dogmatico *Cur Deus homo;* fusius in scripto polemico *De fide Trinitatis et de Incarnatione Verbi.*

A. - In priori opere ita habet: « Nunc quoque quaeren-« dum est in qua persona Deus, qui est tres personae, homi-« nem assumat. *Plures enim personae nequeunt unum eum-« demque hominem assumere in unitatem personae* » [1].

Per se quidem haec sententia duplicem interpretationem patitur: in unitatem *singularis* personae, vel in unitatem *uniuscuiusque personae assumentis.* Probabilius tamen

[1] L. II, c. 9. — *P. L.* t. CLVIII, col. 407.

S. Doctor prius intendit. Sententia enim immediate praecedens ostendit, ipsum arguere in hypothesi historica unius personae incarnatae. Insuper sensus iste magis obvius est.

Ita quoque hunc locum S. Thomas intellexisse videtur in fine *Corporis* huius articuli. Notandum tamen: consideratio quam Angelicus ibi circa Anselmianam citationem exponit, non undequaque convincens apparet. Nam, etiamsi tres personae incarnatae essent, non inde sequeretur nisi unus homo, ratione unius naturae humanae, uti declaratur in responsione ad 1^m^. Quare vis sententiae S. Anselmi potius in verbis: « *in unitate personae* », quam in praecedentibus ponenda videtur.

In Commentariis vero Lombardi [1] S. Thomas magis dubium relinquit qua mente S. Anselmus hoc loco locutus sit. Etenim, postquam in initio *Corporis* reiecit possibilitatem plurium assumentium unam naturam « in unitate unius personae » (quae esset positio S. Anselmi), S. Doctorem sibi opponit in 1^a^ obi., quin ipsius doctrinam in sensu primae partis *Corporis* interpretetur. En verba Angelici: « Anselmus ibi acci-« pit unum hominem, unam personam humanam: hoc enim « est incompossibile ei quod ponitur tres personas assumentes « esse ». Concordat explicatio heic data cum explicatione *Corporis* praesentis articuli.

B. - Quum igitur dubius remaneat sensus doctrinae S. Anselmi in l. II. *Cur Deus homo,* inspiciamus penitius mentem eius in altero opere supra allato.

Discurrit ibi S. Doctor contra Roscelinum, qui dogma Incarnationis simul ac SS. Trinitatis sequenti dilemmate procaciter oppugnabat: Aut, aiebat, incarnato Filio Pater simul et Spiritus incarnati sunt; aut Pater, Filius et Spiritus Sanctus non sunt una res.

Iamvero quid S. Anselmus? Nedum contradictori alterutrum membrum dilemmatis concedat, ultra progressus, proclamat impossibilitatem prioris. Accipe ipsius verba: « Postea « patefaciam, quamvis sit unus Deus tres personae, non tamen « unaqualibet incarnata, alias quoque incarnari necesse esse, « *sed potius esse impossibile* » [2]. Et paulo infra: « Qui unus

[1] III. Dist. 1, Q. II, a. 4.

[2] *De Fide Trinitatis,* c. IV. — *P. L.* t. CLVIII, col. 273, sqq.

« solus Deus, quum sit tres personae Pater et Filius et Spi-
« ritus Sanctus, non tamen Filio incarnato, necesse est alias
« quoque personas, (sicut ille disputator putat) incarnari; *sed*
« *impossibile* ».

Porro ratio quam affert ad hanc impossibilitatem ostendendam, sequenti sententia continetur: « Qui recte suscipit
« eius (Filii Dei) Incarnationem, credit eum non assumpsisse
« hominem in unitatem naturae, *sed in unitatem personae* ».

Oritur iam quaestio: Haec unitas personae, estne intelligenda ita ut, secundum Anselmum, unitas assumptae naturae exigat absolute singularitatem a parte assumentis? Si ita, doctrina eius contradicet doctrinae S. Thomae. Si vero auctor non intendit loqui, nisi in hypothesi historica *unius personae Hominis-Dei,* incompossibili sane cum hypothesi plurium assumentium eamdem humanam naturam, nulla erit inter S. Anselmi et S. Thomae doctrinam oppositio vera. Unum interereit: nempe Angelicus tantum undequaque problema perscrutatus sit, dum Beccensis Abbas extra limites hypothesis historicae unius personae Hominis-Dei non sit egressus.

Audiamus ergo quomodo S. Anselmus incompossibilitatem supra affirmatam demonstrare conetur. Ita scribit: « Utro-
« que pede, idest utraque parte claudicat in Incarnatione
« Filii Dei, qui una natura est cum Patre, et alia persona a
« Patre, quicumque existimat hanc Incarnationem sic esse
« secundum naturae unitatem, ut Filius non possit incarnari
« sine Patre, nec intelligit eam sic secundum unitatem esse
« personae, ut Pater non possit incarnari cum Filio. Quippe
« Deus non sic assumpsit hominem, ut natura Dei et hominis
« sit una et eadem; sed ut persona Dei et hominis una eadem-
« que sit; quod nonnisi in una persona Dei esse potest ».

Sistamus paulisper.

Verba: « *ut persona Dei et hominis una eademque sit* », dupliciter possunt intelligi: vel ita ut vox *una* excludat solummodo duplex principium subsistens a parte assumptae naturae, non a parte assumentis; vel ut excludat insuper pluralitatem a parte principii assumentis. Et hoc rursus concipi potest dupliciter: vel de possibili hypothetico, vel de possibili absoluto. Patet nonnisi hunc ultimum sensum praedicare

impossibile simpliciter, id quod S. Thomas possibile esse vindicat. Quaestio proin ad hoc reducitur: utrum verba S. Anselmi hunc tertium sensum exigant.

Iam vero verba, quae immediate sequuntur: « *quod non nisi in una persona Dei esse potest* », ponunt quidem plus quam in primo sensu continetur; ea nihilominus non de possibili absoluto, sed mere hypothetico intelligenda esse, sequentia iam ostendunt: « Diversas enim personas, ait, *unam eam-* « *demque personam* esse cum uno eodemque homine nequit « intelligi. Nam si unus homo cum singulis pluribus personis « una persona est, necesse est *plures personas,* quae aliae « sunt a se invicem, esse *unam eamdemque personam,* quod « non est possibile. Quapropter impossibile est, Deo incar- « nato secundum unam quamlibet personam, illum secundum « aliam quoque personam incarnari ».

Haec omnia certissime ac victoriosissime dicuntur in hypothesi historica *unius personae Dei-Hominis;* gratuito vero sunt et extra rem, si sermo fiat de possibilitate absoluta ut tres personae assumant unam naturam humanam in unitatem personae non *singularis*, sed *uniuscuiusque* assumentis distinctae.

Neque tenebatur Anselmus polemice hanc absolutam hypothesim tangere; quum convenirent uterque, ipse nimirum et Roscelinus, de historica singularitate personae Hominis-Dei. Error enim Roscelini dogma SS. Trinitatis, non Incarnationis directe impetebat; quem quidem errorem fulcire conabatur per assertum ab adversario concedendum; nempe, solum Filium non vero Patrem et Spiritum cum Filio assumpsisse humanam naturam.

Haec satis sint de mente S. Anselmi. Non negare intendimus dubium de ipsa existere posse; nihilominus rationes quasdam depromere sategimus, nec vanas, quibus doctrinae concordia inter S. Anselmum et Angelicum salvetur.

II. **De Mente S. Bonaventurae.** - Quid iam de Seraphico Doctore? Estne concedendum, ipsum negasse quod S. Thomas affirmavit? An potius tenendum, S. Bonaventuram iuxta mentem simul et Anselmi ac Thomae esse locutum? Hoc alterum saltem probabilius, imo probabilissimum esse, analysis

Quaest. 3, art. I, Dist. I, in III. Sentent., nisi fallimur, vindicabit.

Fatendum quidem, *Corporis* conclusionem obiter legenti: « Plures personas assumere unam eamdemque naturam nec « est possibile, nec est intelligibile », rem videri in contrarium quasi confectam, et contradictionem inter S. Thomam et S. Bonaventuram apertam nimis apparere. Attamen, si hanc ipsam conclusionem, uti oportet, ad sensum totius disputationis traxeris, lucida e contra inter utriusque Magistri doctrinam orietur concordantia.

1) Ab initio status quaestionis ponitur in sensu S. Anselmi: « Utrum persona una possit *simul uniri cum alia* assumendo « unam et eamdem naturam numero ». Ex quibus verbis iam patet, quaeri non tantum de unione personarum *cum* natura assumpta, sed et *intra se,* ita ut assumptionis terminus sit *una persona incarnata.*

2) Haec porro unitas personae indicatur vel saltem subintelligitur, quotiescumque assumi dicitur *unus idem homo.*

3) Argumentum *Corporis* non obtinet suam vim plenam, nisi in hypothesi quam defendimus. Etenim ostensurus talem assumptionem repugnare, S. Doctor probat, unitatem, quae inde resultaret, impossibilem esse, tum ex parte assumentis, tum ex parte assumpti. Ex parte enim assumentis non datur nisi unitas essentiae et unitas personae. Quare hanc priorem unitatem repugnare patet nimis. Alteram autem repugnare his verbis demonstrat: « Plures personae divinae non possunt « convenire *in una persona* ». En manifeste hypothesim quam et S. Anselmi fuisse, supra ostendere conati sumus.

4) Reiectis iam argumentis in oppositum congestis, S. Bonaventura viam hypothesi S. Thomae aperit, atque ultro concedit, iuxtam hanc hypothesim possibilitatem non irrationabiliter admitti. Modum hunc novum quo quaestionem considerat, eumdem esse quo eam tractavit Aquinas, sequentibus verbis sat clare apparet. « Nihil videtur impedire, quin tres « personae possint per gratiam illud efficere, ut sint personae « unius singularis naturae in tempore, cum illa natura sit pos« sibilis et omnino obediens respectu cuiuslibet personae in « Trinitate. Et pro tanto voluerunt aliqui dicere non irrationa« biliter, quod poterant tres personae assumere unum homi-

« nem in unitate individui; quod si rationabiliter intelligatur, « satis rationabiliter potest sustineri. Nec repugnat verbum « Anselmi, nec ea quae praedeterminata sunt. Non enim « volunt dicere, quod illa assumptio terminaretur ad unitatem « individualem ex parte assumentis, sed quod tres personae, « si unum hominem assumerent, essent unus homo; ita quod « in illis tribus personis esset communis unitas singularis « naturae assumptae, non unitas personae ». Quibus ultimis verbis exponitur clare sententia S. Thomae.

5) Concludit S. Bonaventura iterum reiiciendo alterum modum, quia, iuxta eum, « sequeretur quod Filius esset Pater ». Atqui hoc non sequitur nisi in hypothesi quam defendimus. Ergo.

At duo huic nostrae interpretationi obiici possunt.

Obi. 1. - S. Bonaventura loqui videtur de pluribus personis humanae naturae per assumptionem unitis. Etenim in fine responsionis ad 1um haec habet: « Non sequitur quod, si una « anima potest esse imago trium, quod simul et semel possit « uniri *tribus personis* ». Et in fine responsionis ad 2um scribit: « Pluralitas naturarum non sic repugnat unioni Incarna- « tionis, sicut *pluralitas personarum* ».

Resp. Concédimus haec verba per se sola non exprimere hypothesim quam vindicamus. Sed neque eam excludunt, quod nobis sufficit. Paulo superius, in resp. ad 1um, S. Doctor dixerat: « Inconveniens est quod unum et idem uniatur plu- « ribus personis in personae unitatem ». Sequentia proin trahenda sunt ad sensum huius sententiae, quae hypothesim unius personae incarnatae sat clare manifestat.

Obi. 2. - S. Bonaventura reiicit possibilitatem plurium personarum assumentium unam naturam, eo modo qui communicationem idiomatum secum fert. Atqui talis est modus de quo S. Thomas. Ergo, quod alter concedit, negat alter.

Resp. Non diffitemur, hanc partem discussionis apud Seraphicum Doctorem difficultatem parere. Responsum tamen non deest. Communicatio idiomatum alia est in hypothesi unius personae incarnatae, quam esset in hypothesi trium personarum incarnatarum. Eam proin negat S. Bonaventura, cuius consequens esset ut posset dici: « Pater est Filius ». Atqui talis communicatio solum tunc adesset, si tres per-

sonae communicarent in *singulari* persona incarnata. Ergo talem prae oculis habet, et non eam de qua S. Thomas.

ARTICULUS VII.

UTRUM UNA PERSONA DIVINA POSSIT ASSUMERE DUAS NATURAS HUMANAS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Invertitur in hoc articulo hypostasis de qua in articulo praecedenti. Quod autem titulus *duas* naturas dicat, intellige de quacumque pluralitate.

2) Iam vero impossibilitas assumptionis pluralis a parte assumptarum naturarum inde proveniret, vel quia assumens principium seu virtus assumptione unica exhauritur; quod repugnat, quum sit infinita; vel quia terminus, seu personalitas divina nequit se extendere ad plus quam unam naturam humanam, quasi per unam comprehendatur: quod rursus liquet esse falsum.

3) Possibilis ergo dicenda est talis assumptio. Iam vero si possibilis pro duabus naturis, possibilis pro pluribus, quin possit ei finis assignari. Imo, absolute loquendo, posset ita ad universum extendi, ut nihil creatum in semetipso existeret. Esset quidam pantheismus, at non ille stultus, quem alibi confutavimus; sed super universalem assumptionem fundatus.

4) In praesenti hypothesi duplicis naturae humanae assumptae, non repugnaret assumptio utriusque sexus, ut uterque aequali gloria honestaretur. Insuper, propter distinctas quoad unamquamque naturam assumptam proprietates et operationes, non repugnaret, ut secundum unam naturam Deus-homo pateretur, quin passibilis esset secundum aliam. Potuisset proin quoad unam constitui in statu illo mere glorioso in quo, secundum opinionem Scoti, apparuisset, nisi homo peccasset; quoad alteram vero in statu passibili ac mortali debitum reparationis solvere. Mors quippe secundum hanc naturam non obfuisset gloriae immortali quoad alteram. Haec saltem, ad huius hypothesis illustrationem dicta sint.

5) **Quaeres.** In hypothesi duarum assumptarum naturarum, nonne essent *duo* homines, sicuti e converso, in praecedenti

articulo, propter unitatem naturae assumptae, erant tres personae incarnatae *unus* homo? *Resp.*: Homo continet in se duplicem conceptum: et naturae singularis, et principii subsistentis; quare, ut homo multiplicetur, pluralitas quoad utrumque debet adesse. In hypothesi praecedenti deerat pluralitas a parte naturae; hic deest a parte principii subsistentis; ergo utrimque non habetur nisi *homo unus*.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Vitium huius obiectionis est in ultima sententia. Quare heic distingue: Secundum distinctionem suppositorum, si compositio materiae et formae constituat novum suppositum, concedo; si non constituat novum suppositum, sed hypostatice uniatur supposito altiori, nego.

2. Obi. - Dilemma quidem bonum est. Probatio autem primi membri falsa. Etsi plures sint naturae, si una sit hypostasis, unus erit homo, quia *homo* utrumque in ratione sui continet.

3. Obi. - Vitium est in minori. Supponit enim futurum in hac hypothesi, ut eodem modo unirentur naturae assumptae ad invicem, quo unirentur personae. Quod falsissimum est. Unaquaeque natura uniretur immediate principio subsistenti, et solummodo per hoc inter se unirentur, servata distinctione uniuscuiusque naturae ad invicem. Quod graphice hoc modo ostendi potest:



Sed contra est. Argumentum heic adductum supponit, eiusdem rationis esse, assumere naturam pro illa persona quae nondum aliquam assumpsit, ac pro illa quae iam sibi aliquam copulavit. Iam vero de hoc ipso quaeritur. Ut ergo haec ratio valeat plene, indiget per argumentum *Corporis* compleri. - Adverte modum modestum quo concludit S. Doctor: « Ergo *videtur* ».

In Corpore. Dilemmate S. Thomas argumentum solvit.

Si hypothesis praedicta esset impossibilis, vel a parte virtutis principii, vel a parte termini repugnaret. Atqui neutrum stare potest. Ergo. Cf. dicta superius.

Resp. ad 2m. Primo ostenditur difficultas per comparationem ad solutionem praecedentis articuli. - Tunc ex analysi significationis vocabuli *hominis,* iuxta leges sermonis, concluditur ad multiplicationem praedicationis in casu. - Vim huius expositionis superius paucis comprehensam habes. - Adverte adhuc. Homo per prius dicit *hypostasim;* ac ideo plures assumptae naturae aliquo modo se habent ad unitatem hypostaticam, sicuti plura vestimenta ad unum hominem. - Sed insuper dicit *naturam,* ac proin, convenientibus secundum illam pluribus hypostasibus, non erunt nisi unus homo. Exemplum utrimque adductum aliquantulum deficit. Assumptio enim plus dicit quam vestitio; et unio plurium suppositorum in una natura assumpta, plus ponit quam unio hominum in populum. Exempla non continent nisi unionem accidentalem; unio de qua in utroque casu quaeritur, intelligenda est personalis.

ARTICULUS VIII.

DE MAIORI CONVENIENTIA INCARNATIONIS FILII, SEU VERBI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ex hucusque expositis sequitur: 1) potuisse tres personas SS. Trinitatis vel simul, vel in eadem natura, vel in totidem assumptis naturis incarnari; - 2) singulariter tum Patrem, tum Spiritum Sanctum potuisse fieri hominem. Ratio igitur reddenda est cur potius *Verbum caro factum sit.*

2) Ad primum iam supra audivimus rationem a S. Thoma adductam: esse scilicet sapientiae Dei, ut non operetur per plura, ubi unum sufficit. Restat igitur explicanda congruentia incarnationis Filii prae incarnatione Patris vel Spiritus Sancti.

3) Iam vero haec convenientia desumi potest ex harmonia quae existit inter habitudinem Filii ad Patrem et Spiritum Sanctum ad intra, et indolem Incarnationis ex altera. Quae rursus indoles attendi debet iuxta duplicem respectum Incarnationis et Redemptionis.

4) Porro tria sunt praecipua nomina quibus revelatio

secundam personam SS. Trinitatis nobis manifestat: Verbum, Filius, Imago. Videamus ergo, utrum ex his nominibus ratio quaedam specialis eluceat, cur haec persona prae aliis duabus incarnata sit, hominemque lapsum redemerit.

a) *Verbo* melius hoc duplex opus convenisse apparet. Nam α) si per Verbum omnia facta sunt, et si ipsa Dei opera ad extra sunt totidem verba: summum opus Verbum idem personaliter maxime decet. β) Insuper per ipsum Verbum personaliter sibi unitum opportunissime docetur et ad Patrem reducitur homo, quem verba mendacii a Creatore abduxerant.

b) *Filio* pariter liquet Incarnationem et Redemptionem peculiari titulo convenire. α) Etenim Incarnatio est apex supernaturalis elevationis generis nostri, quae elevatio in adoptione filiali consistit. β) Filium prodigum, dissipato patrimonio, in miseria gementem, nemo melius quam verus Filius ad Patrem in iura redintegrandum reducere potest.

c) Tandem *Imaginis* aeternae, substantialis est, α) tum creatam participatamque imaginem summo splendore coronare, β) tum per lapsum deturpatam proprio sanguine abstergere, atque in novum maioremque nitorem instaurare.

5) Item dicatur de aliis Verbi Christique nominibus. Nonne *Via* Patris ad Spiritum, per Spiritum optime fit nobis via ad Patrem? - Nonne *Veritas* aeterna congruentissime nos proprio ore docet divina? - Nonne *Vita* sese nobis per semetipsam maxime communicat, ut eam habeamus et abundantius habeamus?

II. - **Ad Textum.** - Difficultates procedunt 1.ª et 2.ª de maiori convenientia incarnationis Patris, et 3.ª Spiritus Sancti. Adde difficultates supra in articulo allatas.

Prima facile retorquetur. Etenim ipsa ratio τοῦ minoris qua Filius ut homo, se habet, ad Patrem, suadet ut ille carnem assumat, qui, ut Deus, a Patre est.

Secundam rationem ex recreatione desumptam paulo aliter S. Thomas in III. Sent. dist. I, Q. II, a. 2. solvit. Distinguit ibi tria: creationem, quae maxime convenit Patri; glorificationem, quae tribuitur Spiritui Sancto; et, mediam inter utramque, *recreationem*, quae maxime congruit personae Filii, uti mediae in SS. Trinitate.

Sed contra est. Ratio petita ex virtute seu potentia potest afferri in favorem incarnationis Patris. Nam ideo creatio tribuitur Patri, quia potentiam exprimit. Unde S. Thomas [1] distinguit inter victoriam de hoste reportatam per potentiam, et per iustitiam et sapientiam. - Sed et ibidem suggerit responsum, quod hic dat ad 2m, quatenus decet ut Pater creans per Verbum, per Verbum quoque recreet; utrimque Verbum est *virtus* Dei. - Inde comparatio *brachii,* quae Filio applicatur, iuxta illud Iob: « Si habes brachium sicut Deus » [2].

In Corpore. En schema huius argumenti:

Filium incarnari, convenientissimum erat:

- 1) ex parte *unionis:*
  - *a*) in communi: Verbum exemplar divinum;
  - *b*) in specie: Verbum aeterna sapientia.
- 2) ex *fine* unionis: filiatio adoptiva per Filium naturalem.
- 3) ex *causa separationis:* peccatum ex apprehensione falsae scientiae; remedium per sapientiam Verbi.

Resp. ad 1m. Adverte, quam egregie argumentum retorqueatur. Remissio peccatorum est fructus redemptionis. Atqui remissio peccatorum fit per missionem Spiritus Sancti; ergo decet eum redimere, qui Spiritum Sanctum mittere possit.

Accipe quoque tabellam modi, quo S. Th. procedit in commentario Lombardi [3].

Decentia Incarnationis Filii attenditur:

- 1) ex *propriis* Filii:
  - *a*) *Imago* reparat destructam imaginem;
  - *b*) *Filius*
    - α) ex alio, — deprecatur Patrem;
    - β) natus, — ex virgine;
    - γ) naturalis, — facit adoptivos;
  - *c*) *Verbum* — manifestat Patrem;
  - *d*) *Medius* — agit mediatorem.
- 2) ex *appropriatis* Filio:
  - *a*) *Sapientia* in sapientia conditus homo per sapientiam liberandus;
  - *b*) *Virtus* — de hoste victoriam refert;
  - *c*) *Species* — imaginem speciei reddit;
  - *d*) *Aequalitas* reparat culpam ex falsae aequalitatis appetitu ortam.

[1] Loc. cit.
[2] Iob. xl, v. 4. — Cf. S. Gregorium M. l. 32 *Moral.*, c. 5.
[3] Loc. cit.

Confer cum hac doctrina, doctrinam pulcherrimam aeque ac piam **S. Bonaventurae** hoc schemate expressam:



De Doctrina S. Anselmi.

Nec omittendae sunt rationes quas S. Anselmus affert ad convenientiam Incarnationis Filii adstruendam. Est autem ratio triplex.

1) Prima desumitur ex hoc ipso, quod est Filius ad intra, et quod, si esset alia Persona filius ad extra propter nativitatem humanam in tempore, confusio inde oriri posset. Hanc autem rationem specialiter evolvit de Patre et de Spiritu Sancto.

a) De Spiritu Sancto haec scribit: « Si Spiritus incarnatus « esset, sicut Filius est incarnatus, esset Spiritus Sanctus « filius hominis ». Iam vero dupliciter ostendit hoc esse inconveniens: α) « Essent igitur duo Filii in Trinitate Dei, scilicet « Filius Dei, et Filius hominis. Unde quaedam nasceretur « dubietatis confusio, cum de Deo Filio loqueremur; uterque « enim esset Deus et Filius, quamvis alter Dei, alter homi- « nis ». Haec ratio sane prudens et probanda. β) « Fieret « quoque quasi quaedam inaequalitas diversarum personarum « secundum hoc quod filii essent, quae omnino aequales esse « debent: quum alter filius maioris parentis dignitate excel- « leret, alter minoris parentis humilitate subesset. Quanto « enim maior est natura Dei quam hominis, tanto dignius est « esse Filium Dei quam esse filium hominis. Si ergo Spiri- « tus Sanctus natus esset ex Virgine, cum Filius Dei haberet « excellentiorem nativitatem solam, quae ex Deo est, et Spi-

« ritus Sanctus minorem tantum quae esset ex homine; alia « persona esset maior, et alia minor secundum dignitatem « nativitatis, quod non convenit ». Subtilis expositio; sed ratio sane non urgenda: nam confundit ordinem ad extra cum ordine ad intra.

b) De Patre, praeter duas allatas rationes, sic arguit insuper Anselmus: « Quod si Pater in unitatem suae personae « hominem assumpsisset, easdem faceret in Deo pluralitas « filiorum inconvenientias, et adhuc aliam. Nam si esset filius « Virginis, duae personae in Trinitate nomen nepotis assume- « rent; quia et Pater nepos esset parentum Virginis; et Filius « eius Virginis esset nepos; cum ipse tamen nihil haberet « ex Virgine ». Hanc rationem, pace tanti Magistri dictum sit, probare vix possum. Nam etsi Iesus possit dici nepos S. Ioachim et Sanctae Annae, non tamen isti solent avi Dei nuncupari. Quanto minus, ob duplicem ordinem ad intra et ad extra, Filius esset nepos Virginis. Eodem iure nunc dici posset, Spiritum Sanctum procedere et de Virgine, quia Filius de ea natus est. Itaque huiusmodi considerationes subtiliores puto quam solidiores.

Verissimum tamen quid habetur in modo, quo S. Anselmus hanc primam rationem concludit: « Quoniam ergo quam- « libet parvum inconveniens in Deo est impossibile, non debuit « alia Dei persona incarnari quam Filius. Illo enim incarnato, « nullum sequitur inconveniens. Quod enim Patre et Spiritu « Sancto minor dicitur Filius secundum humanitatem, non « tamen illae duae personae ideo excellunt Filio, quia eamdem « maiestatem, quae maiores sunt humanitate Filii, habet « et Filius qua et ipse praeest cum illis suae humanitati ». Optime.

2) Aliam rationem S. Anselmus ita exponit: « Est et aliud, « cur magis conveniat Filio incarnatio quam alii. Qui enim « erat incarnandus, oraturus erat pro humano genere; et con- « venientius satis suscipit mens humana Filium Patri, quam « alium aliis supplicare, quamvis haec supplicatio non fiat a « divinitate, sed ab humanitate ad divinitatem, quam idcirco « Filius Dei facit, quia homo, per unitatem personae Filius « Dei est ». Haec ratio placet valde, et apud S. Thomam et S. Bonaventuram, uti vidimus, occurrit.

3) Tertiam rationem iam penitius desumit ex indole operis salvifici. « Amplius: Qui hominem erat assumpturus, venturus « erat ad pugnandum contra diabolum, et ad intercedendum, « sicut dixi pro hominibus: qui ambo, diabolus scilicet et « homo, per rapinam se voluerunt facere similes Deo, cum « propria sint usi voluntate.... Nulla igitur trium personarum « Dei congruentius [1], semetipsam " exinanivit, formam servi « accipiens ", ad debellandum diabolum et intercedendum pro « homine, qui per rapinam falsam similitudinem Dei prae- « sumpserant, quam Filii, qui splendor lucis aeternae, et vera « Patris imago " non rapinam arbitratus est, esse se aequa- « lem Deo " [2], verum per veram aequalitatem et similitudi- « nem dixit: " Ego et Pater unum sumus " [3], et: " Qui videt « me, videt et Patrem " [4]. Nullus namque iustius expugnat « reum, vel punit, aut illi misericordius parcit, vel pro eo « intercedit, quam cui specialius iniuria fieri probatur; nec « aliquid convenientius opponitur falsitati ad expugnandum, « aut apponitur ad sanandum, quam veritas. In illum enim « falsam Dei praesumentes similitudinem specialius peccasse « videntur, qui vera Dei Patris similitudo creditur » [5]. Quae rursus ratio optima, nec ab aliis Scholasticis omissa.

APPENDIX.

De Solo Filio incarnato.

In praecedenti articulo supponitur, tanquam dogma inconcussum, unam tantum personam SS. Trinitatis carnem assumpsisse: non Patrem, nec Spiritum Sanctum, sed Filium. Oportet autem ut haec veritas breviter illustretur.

Tempore quo Antitrinitariorum errores grassabantur, nonnulli quidem, *Monarchiani* specialiter nuncupati, duce Theodoro Byzantino, cognomine Coriario, contra quem maxime

[1] PHIL. II, 7.
[2] Ibid. 6.
[3] IOANN. X, 30.
[4] Ibid. XIV, 9.
[5] *De fide Trinitatis*, c. 5. — *P. L.* t. CLVIII, col. 276, sqq. — Idem prorsus, sed brevius, S. Anselmus docet in *Cur Deus homo*, l. II, c. 9. — Ibid. coll. 407, sq.

pugnavit S. Victor papa, denegabant Christo dignitatem divinam, sed ei praecipuum inter Prophetas locum assignabant [1]. Alii vero Christum, modo utique plus minusve pantheistico, uti manifestationem Dei veram habebant, sed Dei solius, scilicet Patris. Capita huius scholae fuerunt Noëtus, Cleomenus, Sabellius et Praxeas. Porro *Patripassiani* nuncupati sunt, ex eo quod Patri omnes Christi actiones passionemque tribuebant [2].

Iam vero falsitas conceptus *Patripassianorum* apparet 1) ex *Scripturis*, in quibus Incarnatio constantissime secundae personae SS. Trinitatis, Verbo scilicet sive Filio tribuitur. Missis testimoniis Vet. Test., praesertim psalmo II, de Nov. Testamento sint sequentia. *a*) *Ante conceptionem,* Christus uti Filius Dei ab Angelo annuntiatur: « Quod nascetur ex te « Sanctum, vocabitur Filius Dei » [3]. - *b*) *In conceptione* Verbum appellatur: « Et Verbum caro factum est » [4]. - *c*) *In nativitate* Deum Patrem alloquitur: « Ecce venio, in capite libri « scriptum est de me; ut faciam Deus, voluntatem tuam » [5]. *d*) In *pueritia* ad Patrem appellat: « Nesciebatis, quia in his « quae Patris mei sunt, oportet me esse? » [6]. - *e*) In exordio et in fine *vitae publicae* Patris testimonio clarescit: « Hic « est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum « audite » [7]. - *f*) In exordio et per decursum *apostolatus,* se Filium et Patrem suum constanter Deum testatur: « Sic Deus « dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret » [8]; « Haec « est voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis qui videt « Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam » [9]. - *g*) In *coena*, passionem mox inchoaturus, in pontificali oratione Patrem invocat: « Nunc clarifica me tu Pater, apud temet-

[1] De his redibit sermo, ubi de Christi adoratione erit agendum. Infelix iste Theodorus saeviente persecutione Christum negavit, asserens, se non teneri ad vitam pro simplice homine fundendam.

[2] Non sunt Patripassiani confundendi cum *Theopaschitis,* quae secta est Monophysitista; de qua mox sermo recurret.

[3] Luc. I, 35.

[4] Ioann. I, 14.

[5] Hebr. X, 7; Cf. « Pater noster... fiat voluntas tua ».

[6] Luc. II, 49.

[7] Matth. XVII, 5.

[8] Ioann. III, 16.

[9] Ioann. VI, 40.

« ipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud « te » [1]. - *h*) In *passione* Patris voluntatem complens, martyr agnitae propriae dignitatis occumbit: « Pater mi, si non « potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas « tua! » [2]. - « Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si « tu es Christus, Filius Dei. - Dicit illi Iesus: Tu dixisti » [3]. « Confidit in Deo; liberet nunc, si vult, eum; dixit enim: Quia « Filius Dei sum » [4]. - « Pater, in manus tuas commendo spi- « ritum meum » [5]. - *i*) Post *mortem* a mortis testibus agnoscitur: « Vere Filius Dei erat iste » [6]. - *j*) Post *resurrectionem* gloriosus se Patris Filium testatur: « Nondum ascendi ad « Patrem meum » [7]. « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » [8]. - *k*) Post *ascensionem* mittit Spiritum a se promissum: « Cum « autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, « Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium per- « hibebit de me » [9]. - *l*) *Discipuli* constanti zelo Christum Dei Filium annuntiant: « Dextera Dei exaltatus, et promis- « sione Spiritus S. accepta a Patre effudit hunc, quem vos « videtis et auditis » [10]: ita Petrus. « Multifariam multisque « modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime « diebus istis locutus est nobis in Filio » [11]: ita Paulus. « Quod « vidimus, et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos socie- « tatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre « et cum Filio eius Iesu Christo »: ita Ioannes [12].

Et haec sufficiant ad ostendendum, quam manifesto ex Scripturis eluceat, Deum incarnatum esse secundam personam SS. Trinitatis. Unde nihil antiquius in praedicatione catholica, in Liturgia, et in ipsa haeresum historia. Ita Symbola Incarnationem et passionem nonnisi Filio tribuunt; pro

[1] Ioann. xvii, 5.
[2] Matth. xxvi, 42.
[3] Matth. xxvi, 63, sq.
[4] Matth. xxvii, 43.
[5] Luc xxiii, 46.
[6] Matth. xxvii, 54.
[7] Ioann. xx, 17.
[8] Ioann. xx, 21.
[9] Ioann. xv, 26.
[10] Act. ii, 33.
[11] Hebr. i, 1, 2.
[12] I. epist. i, 3.

fide in Dei Filium crucifixum martyres occumbunt; ex ipsa humana Filii natura Ariani contra eius aequalitatem cum Patre arguunt.

2) Inter *Ecclesiae declarationes*, quae specialius hoc dogma proclamant, satis sit sequentes afferre, *a*) Concilium oecum. V. can. 4. haec habet: « Si quis.... non confitetur unam eius hypo« stasin, qui est Dominus Iesus Christus, *unus* de Sancta Tri« nitate, talis anathema sit » [1]. Et in can. 5: « Neque enim « adiectionem personae, vel subsistentiae sancta Trinitas « suscepit ex incarnato *uno* de eadem Trinitate *Deo Verbo* » [2]. Quibus declarationibus sacrata est formula: « unus de SS. Tri« nitate passus est » [3]. - *b*) Concilium Toletanum XI. expressius habet: « Ita cum unius substantiae credamus esse « Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, non tamen dicimus, « ut huius Trinitatis unitatem Maria Virgo genuerit, sed tan« tummodo Filium, qui *solus* naturam nostram in unitate

[1] Denzinger, n. 175.

[2] Ibid. n. 176. — Cf. eiusdem Concilii can. 10, et can. 8. ctr. Origenem .(Ibid. n. 181, 194); Can. 2. Conc. Lateran. sub Martino I. (Ibid. n. 203).

[3] Haec formula inducta a Monachis Scythis, quum suscepta prius fuisset, quasi diceret Verbum in natura divina passum, postea recto sensu distincta ab Hormisda et Ioanne II. his verbis probata est.

« Iustinianus imperator filius noster, ut eius epistolae tenore cognovistis, de his « tribus quaestionibus orta certamina fuisse signavit, utrum unus ex Trinitate Chri« stus et Deus noster dici possit: hoc est una de tribus personis Sanctae Trinitatis « sancta persona... Probavimus in his catholicam imperatoris fidem et ita esse pro« pheticis et apostolicis vel Patrum exemplis evidenter ostendimus. Unum enim ex « Sancta Trinitate Christum esse, hoc est unam de tribus Sanctae Trinitatis personis « sanctam esse personam sive subsistentiam, quam graeci ὑπόστασιν dicunt, in his « exemplis evidenter ostendimus » *.

Huc spectant quoque verba professionis fidei Orientalibus praescripta ab Urbano VIII. et Benedicto XIV, per quae proscribitur additio « qui crucifixus es pro « nobis » facta Trisagio angelico. Nam haec additio falso interpretans formulam: « unus de SS. Trinitate passus est », passionem tribuebat ipsi divinae naturae.

« Item eiusdem Domini nostri Iesu Christi divinitatem secundum quam consub« stantialis est Patri et Spiritui Sancto, impassibilem esse et immortalem, eumdem « autem crucifixum et mortuum tantummodo secundum carnem, ut pariter definitum « est in dicta Synodo et in epistola S. Leonis Romani Pontificis, cuius ore B. Pe« trum Apostolum locutum esse, Patres in eadem Synodo acclamaverunt, per quam « definitionem damnatur impia haeresis illorum, qui Trisagio ab angelis tradito et « in praefata Chalcedonensi synodo decantato: "Sanctus Deus, sanctus fortis, sanc« tus immortalis, miserere nobis", addebant: "qui crucifixus es pro nobis", atque « adeo divinam naturam trium personarum passibilem asserebant et mortalem » **.

* Ibid. n. 142.

** Ibid. n. 873.

« personae suae assumpsit. Incarnationem quoque huius Filii « Dei tota Trinitas operasse credenda est, quia inseparabilia « sunt opera Trinitatis. Solus tamen Filius formam servi « accepit in *singularitate* personae, non in unitate divinae « naturae; in id quod est *proprium* Filii, non quod est com- « mune Trinitati: quae forma illi ad *unitatem* personae « coaptata est, id est, ut Filius Dei et Filius hominis unus « sit Christus » [1]. *c*) In professione fidei praescripta Waldensibus legitur: « Incarnationem Divinitatis non in Patre, neque « in Spiritu S. factam, sed in Filio *tantum*, corde credi- « mus, et ore confitemur; ut qui erat in Divinitate Dei Patris « Filius, Deus verus ex Patre, esset in humanitate hominis « filius, homo verus ex matre, etc. » [2]. Quae ultima verba non solum doctrinam de uno Verbo incarnato exhibent, sed et rationem suggerunt magis obviam, ob quam Filius prae aliis personis SS. Trinitatis de Virgine Maria carnem assumpserit.

3) Porro inter innumera *Patrum scripta* [3], quae hoc fundamentale dogma vel supponunt, vel vindicant, placet locum adducere in quo S. Fulgentius, post brevissime contractam SS. Trinitatis doctrinam, diserte exponit mysterium solius Filii Dei pro nobis incarnati.

a) Et primo quidem factum affirmat, scilicet nonnisi unam personam SS. Trinitatis, scilicet Verbum Patris, carnem assumpsisse. « Sicut ergo secundum illam divinitatem, qua « unum sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus, neque Patrem « natum credimus, neque Spiritum Sanctum, sed solum Fi- « lium; sic etiam secundum carnem solum Filium natum « catholica fides et credit et praedicat ».

b) Dein per rationes a priori convenientiam huius dogmatis ostendit, ubi adducit rationes, quae postea apud S. Anselmum, sed evolutae usque ad quemdam excessum, occurrunt.

[1] Denzinger n. 231. — Idem habetur in definitione Conc. oecum. VI, Constantinop. III: « Undique igitur inconfusum atque indivisum conservantes, brevi voce « cuncta proferimus: unum sanctae Trinitatis et post Incarnationem Dominum nostrum « Iesum Christum verum Deum nostrum esse credentes, asserimus, duas eius esse « naturas in una eius radiantes subsistentia... » *.

[2] Ibid. n. 368. — Cf. Conc. Florent. decretum pro Iacobitis (Idid. n. 601).

[3] Lege de hoc argumento Card. Franzelin (op. cit. th. xxxii), auctoritatesque Patrum, praesertim S. Cyrilli Alexandrini, ibi adductas.

* Ibid. n. 238.

« Neque enim in illa Trinitate proprium esset solius Patris « quod non est natus ipse, sed unum Filium genuit; neque « proprium solius Filii quod non genuit ipse, sed solus de « Patris essentia natus est; neque proprium Spiritus sancti, « quod nec natus est ipse, nec genuit, sed solus de Patre « Filioque procedit; si secundum divinam quidem naturam « Deus Pater de nullo nasceretur Deo, secundum carnem « tamen ipse nasceretur de virgine. Si enim Pater de virgine « nasceretur, una persona esset Pater et Filius: ipsa autem « una persona, pro eo quod non de Deo, sed tantum de « virgine nasceretur, non Dei Filius, sed tantum hominis « filius veraciter diceretur ».

c) Sed et a posteriori, scilicet ex inspectis Scripturis demonstrat, non Patrem humanam assumpsisse naturam.

« Nec ipse Dei Filius diceret: " Sic Deus dilexit mundum, « ut Filium suum unigenitum daret ". Et iterum: " Non enim « misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum, « sed ut salvetur mundus per ipsum " [1]. Nec beatus dixisset « Ioannes: " Qui diligit eum, qui genuit, diligit et eum qui « natus est ex eo " [2]. Nec ipse Filius dixisset: " Pater meus « usque modo operatur, et ego operor " [3]. Ipse enim qui Filius « dicitur, si idem esset et Pater, non veraciter Dei Filius « diceretur, quia non de Deo, sed de sola virgine nasceretur. « Ad extremum vero nec ipse Pater de coelo testaretur, et « suum corporali voce Filium demonstraret, dicens: " Hic est « Filius meus dilectus, in quo mihi complacui " [4]. Apostolus « quoque Paulus non dixisset de Deo Patre: " Qui proprio « Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum " » [5].

d) Quo exposito, ostendit concordiam et nexum inter utrumque dogma SS. Trinitatatis et Incarnationis.

« Sed quoniam ista omnia et divinitus ad nostram doctri- « nam dicta sunt, et quia divina dicta sunt, utique vera sunt; « verum est quod fides catholica praedicat, et secundum divi- « nitatem de Patre natum esse solum Filium, aeternum cum

[1] Ioann. III, 16, 17.
[2] I. Ioann. V, 1.
[3] Ioann., V, 17.
[4] Matth. III, 17.
[5] Rom. VIII, 32.

« Patre, immortalem, impassibilem, atque incommutabilem « Deum; et secundum carnem non Patrem, sed unigenitum « eius Filium, salva aeternitate sua temporaliter natum, salva « impassibilitate sua passum, salva immortalitate sua mor- « tuum, salva incommutabilitate sua, qua Deus verus et vita « aeterna est, veraciter suscitatum. Qui totum habet com- « mune cum Patre quod aeternus naturaliter sine initio « habuit; et nihil habet commune cum Patre eorum quae in « suam personam temporaliter atque humiliter ille aeternus « atque excelsus accepit ».

e) Eodem modo pariter arguit ad probandum, neque Spiritum Sanctum esse incarnatum.

« Rursus si non ille qui proprius atque unigenitus Dei « Patris Filius est, sed Spiritus Sanctus nasceretur ex virgine, « non ipsum Filium qui factus est ex muliere, factus sub « Lege, natum de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, in Sym- « bolo acceptum, et corde ad iustitiam crederet, et ore ad « salutem sancta confiteretur Ecclesia. Sed et si ipse Spiritus « Sanctus, qui Patris et Filii Spiritus est, formam servi acci- « peret, non ipse Spiritus Sanctus super seipsum hominem « factum in columbae specie coelitus adveniret ».

f) Demum utramque Verbi nativitatem eloquenter describit.

« Pater igitur Deus de nullo genitus Deo, semel de sua « natura sine initio genuit Filium Deum sibi aequalem, et « eadem qua ipse naturaliter aeternus est divinitate coae- « ternum. Sed idem Dei Filius cum sit Deus aeternus et « verus, et cum Patre secundum divinitatem naturaliter « unus Deus, secundum hoc quod dicit, " Ego et Pater unum « sumus " [1]; idem pro nobis est homo factus verus et plenus: « in eo verus, quia veram habet Deus ille humanam natu- « ram; in eo vero plenus, quia et carnem humanam suscepit, « et animam rationalem. Idem tamen Unigenitus Deus se- « cundo natus est; semel ex Patre, semel ex matre: natus « est enim de Patre Deus Verbum, natus est de matre « Verbum caro factum » [2].

[1] Ioann. x, 30.

[2] *De Fide ad Petrum*, c. II, n. 7-10. — *P. L.* t. LXV, col. 675, sqq.

Corollarium. Haec Incarnatio Verbi intelligenda est *immediata,* hoc est, per ipsam Verbi subsistentiam humanae naturae assumptae ineffabiliter communicatam. Hoc fluit ex tota dogmatis virtute, quemadmodum ex superius demonstratis abunde constat et ex dicendis in posterum adhuc plenius apparebit, praesertim ubi agendum erit de adoratione et de unitate Christi. Quare optimo iure Concilium oecum. V. contra oppositum Origenis errorem ita declaravit: « Si quis non « dixerit, Deum Verbum consubstantialem Deo et Patri ac « Sancto Spiritui, incarnatum et hominem factum, unum ex « Sancta Trinitate » (en rursus formulam, de qua quaerebamus) « proprie Christum esse, sed abusive: propter Mentem, « qua, ut aiunt, exinanivit semetipsum, tanquam coniunctum « ipsi Deo Verbo, et quae proprie Christus dicitur; sed illum « propter hunc (vel hanc Mentem) Christum esse, et hunc « (Deum Verbum scilicet) propter illum (Λόγον) esse Deum; « A. S. » [1].

Igitur non per *Mentem* illam, veluti per medium Verbum est Christus, sed immediate per subsistentiam suam. Quomodo haec positio effluxerit ex toto Origenis systemate, mox dicemus.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum *assumere* dicat *sumere ad se,* duplicem respectum continet: *a*) *principium,* seu virtutem actionis, *b*) *terminum* eiusdem. Secundum utrumque proprie convenit *personae* (a. 1).

Secundum primum convenit quoque *naturae,* non autem secundum alterum, scilicet terminum, nisi quatenus natura in divinis cum persona convenit (a. 2). - Si tamen a natura solummodo eae abstrahantur personae, quae per revelationem in divinis cognoscuntur, tunc, utique secundum intellectum, remanet natura subsistens in confuso, cui assumere convenire potest (a. 3).

2) Porro etiamsi ratione principii, seu virtutis, personae divinae in assumptione operentur; ratione termini tamen una

[1] Denzinger (op. cit., n. 194). Sententia parumper ambigua, quia in graeco verba νοῦς, Λόγος et Χριστός eiusdem generis sunt.

assumere sine alia potest (a. 4). - Hoc autem potuit, de potentia Dei absoluta, aeque una esse vel alia persona Trinitatis, quum per se ratione principii vel termini eodem modo sese in assumptione habeant (a. 5). - Imo non impossibile videtur, ut plures personae unam eamdemque naturam assumant, quum utrimque nihil in hoc repugnet, et in SS. Trinitate tres personae in una natura subsistant; ita quoque in hac hypothesi tres personae in una natura humana essent unus homo (a. 6). - Unus homo, e converso, posset esse Deus incarnatus secundum unam personam in pluribus humanis naturis, quum infinitas tum virtutis divinae, tum subsistentiae personalis nullam a parte naturae assumptae limitationem patiatur (a. 7).

3) Nihilominus, attenta *ratione* unionis, in genere vel in specie, insuper attentis *fine* unionis et *causa* reparationis, abunde apparet, convenientissime Filium prae Patre vel Spiritu Sancto carnem nostram assumpsisse (a. 8).

III. MEMBRUM.

DE MODO UNIONIS EX PARTE ASSUMPTI.

(Q. IV. - Q. XV).

De **Ordine Membri** vide tabellam p. 19.

I. CAPUT.

(Q. IV-VI).

DE HIS QUAE SUNT A VERBO DEI ASSUMPTA.

§. I. — De ipsa humana Natura assumpta.

QUAESTIO IV.

Ordo Quaestionis liquet. - Primo quaeritur de ipsa assumptibilitate humanae naturae *in se* consideratae (art. 1). Tum de relatione istius humanae naturae assumptae ad personam, et quidem tum *quoad rem* sive factum (art. 2), tum quoad *modum* praedicandi (art. 3). Demum quaeritur de concreta *determinatione* huius humanae naturae et quidem dupliciter: quoad singularitatem, uti opponitur tum universali (art. 4), tum pluralitati (art. 5); et uti a determinata stirpe oriunda (art. 6).

Accipe tabellam:

Quaeritur de humana natura assumpta:
- 1) quoad ipsam *assumptibilitatem* (a. 1);
- 2) quoad suam relationem ad *personam*:
  - *a*) quoad factum (a. 2);
  - *b*) quoad modum praedicandi (a. 3);
- 3) quoad eius determinationem:
  - *a*) quoad singularitatem:
    - α) oppositam universali (a. 4);
    - β) oppositam pluralitati (a. 5);
  - *b*) quoad stirpem (a. 6).

ARTICULUS I.

UTRUM NATURA HUMANA FUERIT MAGIS ASSUMPTIBILIS A FILIO DEI QUAM ALIQUA ALIA NATURA.

I. **De ipsa Quaestione.** - *Assumptibilitas* aliquid ponit in utroque assumente et in assumendo: potentiam nimirum hinc ut assumat, hinc ut assumatur. Rursus assumptibilitas *maior* supponit comparationis viam. Quaestio igitur triplex solvenda est, ut status quaestionis rite circumscribatur: 1) quaenam potentia hic intelligatur in Deo; 2) quaenam in natura humana; 3) cum quanam creatura comparatio instituatur.

1) *Potentia Dei,* iuxta Angelicum [1], duplex est: alia *absoluta,* quae respicit non repugnantiam intrinsecam obiecti; alia *ordinata,* quae respicit ordinem obiecti ad divinam sapientiam. Absoluta rursus potest subdividi in *simpliciter* et *secundum quid,* secundum quod antecedens ordinatio divinae voluntatis nihil statuerit de obiecto, vel secus [2]. Quaeritur hic de potentia Dei *ordinata.*

2) *Potentia creaturae* triplicem gradum patitur: est enim vel *activa,* vel *passiva,* vel mere *obedientialis* [3]. *a*) *Activa* supponit in agente facultatem proportionatam termino actionis; *b*) *passiva* supponit in alio agente naturali potentiam activam passivae respondentem; *c*) *obedientialis* respicit activitatem ipsius Dei, cui creatura pareat. Ex hisce iam satis apparet, in casu, quum agatur de actione vim infinitam exigente, sermonem esse de potentia ultima.

3) *Comparatio* in articuli titulo indicata quatuor terminos habet: creaturam irrationalem, naturam humanam, naturam angelicam, universum; praecipue autem intenditur inter secundum et tertium.

4) Porro comparatio inter naturam angelicam et huma-

[1] Cf. III. Sent. Dist. I, Q. II, a. 3; et Dist. II, Q. I, a. 1.

[2] Posset ista subdivisio in altero membro fieri, ita ut ordinatio ad Dei sapientiam diceretur simpliciter, vel secundum quid, iuxta quod respiceret ad Dei sapientiam antecedentem vel consequentem. Imo fatemur isto modo rem nobis magis arridere, utpote clariorem.

[3] Cf. S. Thom. loc. cit.

nam quoad convenientiam Incarnationis potest aliter et aliter considerari, secundum quod in utraque natura aliud et aliud intueris. Haec autem praecipue sunt quatuor: dignitas essentialis in se, constitutio relativa, origo, et Incarnationis finis; ex quibus quatuor primum est maxime absolutum, constituens convenientiam per se.

5) Rursus quoad Incarnationis finem aliter et aliter sese problema offert, quoad maiorem assumptibilitatem naturae humanae prae natura angelica, secundum quod quis tenet antecedentem praedestinationem Incarnationis ad praevisum humani generis lapsum, vel consequentem [1]. De his omnibus vide schema doctrinae nostrae post expositam doctrinam S. Thomae et S. Bonaventurae.

II. **Ad Textum.** - *Obi. 1. et 2.* procedunt de assumptibilitate creaturae cuiusvis. Secunda se habet ad modum instantiae, quatenus, prima obiectione depulsa ope distinctionis inter potentiam Dei absolutam et ordinatam, instatur: atqui de ipsa potentia ordinata, etc. Ratio tunc speciem habet, quum vestigium non videatur tantopere a similitudine distare ut negetur de uno, quod de altero affirmatur. Vis responsionis est in hoc: vestigium et similitudo, etsi quoad obiecti repraesentationem eiusdem generis dici possint: nihilominus in casu, quoad capacitatem operationis in ordinem ad Deum attingendum, diversi prorsus generis sunt.

3. Obi. Instat rursus. Atqui si similitudo, ut dicens capacitatem attingendi Dei, ratio assumptibilitatis est, haec ratio magis valet de natura angelica. Insuper obiectio procedit iuxta utramque partem *Corporis.*

Sed contra est. Quoad interpretationem huius loci *Proverbiorum* adverte, delicias quas *Sapientia* genita declarat sibi esse in societate hominum, posse rationem habere *antecedentem* et *consequentem: a)* antecedentem, si decretum futurae Incarnationis non praesupponitur; *b)* consequentem, secus. Argumentum iuxta priorem rationem procedit.

Praeter hunc Scripturae locum ad rem faciunt verba S. Pauli ex quibus assumptibilitas naturae angelicae sat directe eruitur: « Nusquam enim angelos apprehendit; sed

[1] Recole dicta superius Q. I, a. 3, p. 44, sqq.

« semen Abrahae apprehendit » [1]. Argumentatio enim Apostoli inanis prorsus esset, si talis apprehensio angeli repugnaret.

In Corpore. S. Thomas duo agit: 1) excludit a parte assumpti potentiam activam et passivam naturalem; 2) exponit duplicem congruentiam dignitatis et necessitatis.

Circa *primum* adverte expressionem: « *passivam naturalem* ». Potentia nimirum passiva supernaturalis identificatur cum illa, quam alibi vocat S. Doctor *obedientialem.*

Circa *secundum* nonnulla notanda occurrunt. *a*) *Congruentia,* iuxta quam assumptibilitas consideratur, ostendit agi hic de potentia *ordinata. b*) Quando S. Thomas in fine concludit, creaturae irrationali deesse rationem dignitatis, angelicae autem rationem necessitatis, non intendit concedere, alteram rationem utrique convenire. Etenim irrationali creaturae utraque deest; angelicae altera convenit. *c*) Neque contendit S. Doctor, rationem dignitatis aequaliter rationali et angelicae creaturae competere. Nam in commentario Lombardi aliter opinatus est. En quomodo hoc loco congruentiam maiorem, etiam ratione dignitatis, pro natura humana vindicat. Tabella sequenti potest haec doctrina nitide ac breviter comprehendi.

Congruitas in assumenda humana natura invenitur:

1) ratione *similitudinis* (ad excludendum irrationalia).

2) ratione *termini* assumptionis, scil. *personae:*
- assumptio terminatur ad unitatem *personae;*
- iam vero in humana natura personalitas distinguitur secundum originem; in angelis vero persona non est secundum originem.

3) ratione *finis* assumptionis:
- *a) perfectionis universi:*
  - α) homo est ultima creaturarum: ipsius assumptione perficitur circulus;
  - β) homo est microcosmus: ipsius assumptione assumitur universum.
- *b) reparationis:*
  - α) peccatum angelorum irreparabile;
  - β) per hominis reparationem tota natura inferior reparatur.

[1] Hebr. II, 16.

Vides, rationes 2) et 3) valere prae natura angelica; dum ratio 1) magis valet pro ista, ob maiorem cum Deo similitudinem.

S. Bonaventuram placet de eodem argumento audire. Duplici quaestione rem tractat Seraphicus. Primo quaerit, utrum congruentius facta sit Incarnatio in humana natura; et respondet affirmando ratione unitatis, dignitatis personalis et similitudinis. (Quae doctrina omnino concordat cum resp. ad 4.m huius articuli). Deinde quaerit directe, utrum convenientius humana quam angelica natura assumpta sit. Accipe in altera tabella pulcherrimum ad hanc quaestionem responsum.

Convenientius assumpta est humana natura	1) quantum ad eius *institutionem:*	*a*) propter personalem distinctionem per originem; *b*) propter regimen animae, ad similitudinem regiminis Dei; *c*) propter compositionem ex omnibus elementis universi.
	2) quantum ad eius *reparationem:*	*a*) homo lapsus erat totus, ideo magis indigebat; *b*) corruerat per alium, ideo minus erat indignus; *c*) culpa eius erat reparabilis, ideo magis ei proderat.

Rationem regiminis animae in corpus, utpote minorem mundum μικρόκοσμον, ad instar regiminis Providentiae in mundum maiorem, pluries illustravit S. Augustinus. Maiorem indignitatem diaboli ex superbia iam inter alios notavit S. Bernardus in commentario Cantici. Irreparabilitatem lapsus angelorum S. Anselmus subtiliter ostendit in opere *de Casu diaboli* [1].

Prae oculis habita quadruplici distinctione in n. 4. praemissa, necnon subdistinctione in n. 5. exposita, en doctrinam

[1] C. VI. De quo argumento fusius agemus, ubi de Angelis. — Cf. I, Q. LXIV, etc. — Cf. quoque *Sm. ctr. Gent.* l. IV, c. 55. — Triplicem rationem allatam in prima parte argumenti S. Bonaventurae S. Thomas quoque habet in III. Dist. II, Q. I, a. 1, sol. 2. ad 1.

adaequatam de convenientia assumptionis naturae humanae prae natura angelica.

- Quoad conveniantiam assumptionis, si conferuntur ad invicem natura humana et angelica,
  - I) quantum ad *dignitatem essentialem:*
    - angelus, spiritus intellectualis: — magis assumptibilis natura angelica.
    - homo, animal rationale:
  - II) quantum ad *modum constitutionis:* — magis assumptibilis natura humana.
    - *a*) homo, compositus ex mente et materia, est synthesis universi:
    - *b*) modus quo anima regit corpus est figura tum providentiae, tum habitudinis assumentis ad naturam assumptam:
  - III) quantum ad *originem:*
    - *a*) homo, ultima creatura, circulum perficit:
    - *b*) homo trahit suam originem per nativitatem (haec ratio non valet de protoparentibus):
  - IV) quantum ad *assumptionis* finem:
    - 1) antecedenter ad praevisum lapsum: — assumpto homine tota natura in sua synthesi assumitur:
    - 2) consequenter ad lapsum:
      - *a*) homo ex natura reparabilis:
      - *b*) ipse lapsus maiori misericordia dignus:
        - α) ob debilitatem,
        - β) ob transfusionem:
      - *c*) modus reparationis magis ex iustitia [1]:

Resp. ad 3m. In hoc responso, sicut et in aliis locis similibus, adverte sedulo modum, quo S. Thomas loquitur de personalitate, tanquam de quadam re *positiva*. Haec enim omnia loca, si rite perpendantur, potius militant contra illos qui formalem rationem personalitatis prae natura singulari in negatione reponunt. Sed de his ex professo post absolutam Quaest. XVII.

Difficultatem autem parere videtur modus, quo S. Thom. in *Sm. ctr. Gent.* de eodem argumento loquitur [2].

« Assumptio, ait, creaturae a Deo est in persona, non in « natura.... Convenientius igitur assumpta est hominis natura

[1] Cf. dicenda mox in *Quaeres.*

[2] Loc. cit.

« quam angelica, quia in homine aliud est natura et aliud « persona, quum sit ex materia et forma compositus; *non « autem in angelo,* qui immaterialis est ». Unde sic argui posse videtur. Si in angelo idem est natura et persona, cur deberet corrumpi persona, ut natura angeli assumi posset? - Resp.: Duplex ratio in homine datur, cur distinguendum sit inter personam et naturam, tanquam inter aliud et aliud: *a*) compositio ex materia et forma, *b*) distinctio inter *quod est* et *quo est.* Prima ratio deficit in angelo, et secundum eam locutus est S. Thomas in hoc loco; altera communis est homini et angelo, imo cuivis enti creato, et secundum eam loquitur Aquinas in resp. ad 3m. Unde nulla habetur hic nisi apparens contradictio.

Porro dupliciter posset Deus vitare inconveniens corruptionis personalitatis angelicae: *a*) assumendo angelum eo ipso tempore quo creatio angelica facta est, *b*) creando novum angelum seu pressius novam naturam angelicam, quam assumat. *a*) Prior modus decuisset in hypothesi quod praecipua assumptionis ratio fuisset pulchritudo universi, et haec pulchritudo perfectius per assumptionem naturae angelicae obtenta fuisset. *b*) Alter, in sententia de assumptione in ordine ad reparationem. Item dicatur de utraque ratione dignitatis et reparationis; prima principalior est illi, qui in hac quaestione tenet cum Scotistis; altera potior his, qui stant cum S. Thoma et S. Bonaventura. Idque diserte affirmat Doctor Seraphicus in fine conclusionis citatae.

Quaeres. Estne obstinatio diaboli in malo, unica ratio irreparabilitatis eiusdem? Dato quod rursus posset ad bonum converti, et quod Filius Dei assumeret naturam unius angeli; possetne iste angelus Deus reparare angelos lapsos? - Respondendum est, aliter oeconomiam reparationis pro angelis et pro hominibus concipiendam esse. Humanum genus, generatione ab uno parente oriundum, familiam proprii constituit nominis; unde sicuti ab uno homine in omnes peccatum transiit, ita in omnes ab alio homine eiusdem stirpis salus pervenit [1]. In angelis vero nihil similis. Non solum nil secundum originem ab invicem trahunt, sed neque proprie loquendo

[1] Cf. Rom. v.

unius sunt speciei. Quare, sicut in ipsis culpa fuit in unoquoque personalis; ita personalis esse debuisset, *ex stricta iustitia* reparatio; neque locus fuisset uni expiationi *strictae iustitiae* pro omnibus angelis lapsis [1]. Sed nonnihil erit de hoc argumento dicendum in ultimo articulo huius Quaestionis.

Resp. ad 4^m. Haec responsio valet de potentia ordinata, iuxta sensum supra praestatutum. Loquendo autem de potentia absoluta, et prae oculis habito, unam personam posse sibi assumere plures naturas, patet, ad quam conclusionem perveniri deberet. Esset in ista hypothesi, uti iam diximus in articulo, ubi haec possibilitas demonstrabatur, pantheismus realissimus, superaddita aeterna Dei personalis in triplici personalitate subsistentia. Sed huiusmodi fictionibus nullatenus est insistendum, nec quidquam ex hisce potest pietati fidelium afferri. Quare leviter ageret, quin et nocive, qui de talibus argumentis mere speculativis rudiorum animos turbaret potius quam aedificaret.

Corollarium. - Ex supracitatis verbis S. Pauli: « Nusquam « angelos apprehendit », collige fallaciam systematis semignostici, quod Origenis nomine Concilium oecum. V. damnavit. Christus enim in hoc systemate, - non utique proprie Verbum, nec Deus, sed per Mentem Verbo Deoque unitum - est reparator prolapsionis universalis, et quidem ita, ut omnibus omnia factus, omnium successive, ac denique hominis formam assumpserit. Quam doctrinam sequentibus verbis laudata Synodus proscripsit: « Si quis dixerit, Christum, qui « dicitur in forma Dei existere et ante omnia saecula Deo « Verbo unitum, novissimis diebus exinanivisse semetipsum « ad naturam humanam, misertum illius, quae facta est, ut « aiunt, multiplex prolapsio eorum, qui erant in eadem uni- « tate: et cum vellet ipsas restituere, per omnes extitisse, « et diversa corpora induisse et nomina sumpsisse, omnia « omnibus factum: in Angelis Angelum, sed et in Virtutibus « Virtutem, et in aliis ordinibus vel speciebus rationalium « congruenter singulis transformatum fuisse: postea similiter « nobis communicasse carni et sanguini, et factum esse homi-

[1] Ad hoc non satis videtur attendisse Toletus, hoc loco. Cf. ult. art.

« nibus hominem: et non confitetur, Deum Verbum exinani-
« tum fuisse et hominem factum fuisse: A. S. » [1].

ARTICULUS II.

UTRUM FILIUS DEI ASSUMPSERIT PERSONAM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quaestio, quae hic movetur, non est de nomine, sed maxime de re. Neque solutionem iam ex supra expositis in Q. II accepit. Ibi enim assumptio respiciebatur a parte assumentis, et terminus (logice) ad quem personalis unionis statuebatur. Hic autem assumptio respicitur a parte assumpti, sive (logice saltem) a parte termini utique passivi.

2) Inde iam patet summum huius quaestionis momentum. Agitur quippe radicaliter de praerogativa divinae maternitatis Beatissimae Virginis. Si Verbum Dei assumpsit hominem, actum est: hominis mater est Maria, non Dei. Unde, quoad consequentiam, ista positio assimilanda est erroribus Photini et Nestorii. Hoc tamen interest, istos errasse tum circa prioritatem hominis simplicis in Christo, Verbo unito, tum circa modum personalem unionis ipsius; dum praesens positio per se non necessario impugnat unionem factam, sed ponit terminum a quo passivum, tempore anteriorem unioni, iam in suo esse completum.

2) Quantopere per istam positionem impugnetur tota Redemptionis oeconomia, patet ex hoc quod, si Verbum assumpsisset hominem, non fuisset natum de Virgine, nec illa, ut Sedulii carmine utar, fuisset:

« *Alma parens, mundi Dominum paritura potentem* » [2].

Neque Fulgentius in opere, cui titulus *Liber de fide ad Petrum*, olim Hipponensi adscriptus, dicere potuisset: « Idem Unige-
« nitus Deus secundo natus est; semel ex patre, semel ex
« matre: natus est enim de Patre Deus Verbum, natus est
« de matre Verbum caro factum » [3]. Periret nimirum illa

[1] Can. 7. DENZINGER (op. cit., n. 193).
[2] Carmen de Incarnatione, v. 18.
[3] II, 10. *P. L.* t. LXV. col. 677.

sublimis harmonia, quam Augustinus profunde ac subtiliter hisce verbis descripsit: « Ut homines nascerentur ex Deo, « primo ex ipsis natus est Deus. Christus enim Deus, et Chri- « stus natus ex hominibus. Non quaesivit quidem nisi matrem « in terra, quia iam Patrem habebat in caelo; natus ex Deo, « per quem efficeremur; natus ex femina, per quem refice- « remur; etc. » [1].

Iam vero gravitas huius positionis inde augetur, quod tota spes antiquorum Patrum et populi electi in Messiam Deum e Virgine oriturum directa fuerit. Unde ad rem Boëthius: « Omnis Veteris Testamenti spernatur auctoritas, per quam salus mundo Christi generatione promittitur » [2].

II. **Ad Textum.** – *1. Obi.* Trita obiectio ex definitione Boëthii pertinet tum ad hunc articulum, tum ad Quaestionem II, sed alia ratione, uti ex dictis satis apparet.

2. Obi. Vis difficultatis est in voce *natura*. Inde solutio.

Sed contra est. Non est citatio, sed compendium doctrinae hoc capite II. contentae [3].

Observa hic, quam dogmatice S. Paulus dixerit: « *formam* servi accipiens » [4]. Forma enim utrimque (Dei et servi) pro natura ponitur. Quare terminus assumptionis est, ut idem personaliter, qui in forma Dei est ab aeterno, in tempore, *habitu*, hoc est, assumptione inventus sit homo. Id est enim Deo habere naturam humanam, eam assumendo veluti induere.

Rursus collige, quam caute dixerit antiphona: « O admi- « rabile commercium... *animatum corpus sumens*, de Virgine « nasci dignatus est, *et procedens homo*, etc. ».

In Corpore. Praeintellectio, de qua S. Doctor in *Corpore*, excludit non solum prioritatem tempore, sed etiam conceptu. Logice quidem concipimus in Christo naturam humanam prius quam personam, uti diserte asserit S. Bonaventura [5].

[1] *In Ioann.* II, 15. — *P. L.* t. XXXV, col. 1395.

[2] *Lib. de pers. et duob. nat.*, c. IV. — *P. L.* t. LXIV, col. 1347.

[3] Opus citatum non esse Augustini, sed Fulgentii ostendunt rationes, quas in admonitione praevia collectionis Migne breviter collectas reperies (*P. L.* t. XL, col. 751 sq.).

[4] PHILIPP. II, 7.

[5] Idem extendi potest ad maternitatem B. M. V.

Sed de persona loquendo, nulla, neque logica prioritas in nativitate temporali humanae personae Verbi concedi potest. Est quippe et re et conceptu unica.

Porro, duas esse personas, aliam assumentem, aliam assumptam, non solum erroneum, sed et impossibile dicendum est. Optime Boëthius: « Nulla intelligi potest assumptio, si « manet aeque naturae personaeque discretio » [1].

Iuvat, discursum S. Thomae argumentatione elegantissima **S. Bonaventurae** illustrare. Hisce continetur: « Omni- « modo falsum est, quod persona personam assumpserit. Hoc « enim tripliciter potest intelligi: aut quod ipsum assump- « tum fuerit persona *ante assumptionem,* aut quod fuerit « persona *in assumptione,* aut quod fuerit persona *post* « *assumptionem.* Quolibet istorum trium modorum sumpta, « sententia praedicti sermonis est falsa. Nam primus repu- « gnat veritati *conceptionis,* secundus veritati *assumptionis,* « et tertius veritati *unionis* ».

Quod iam Seraphicus per partes evolvit.

1) « Primus namque, qui hoc ponit, quod *ante* conceptio- « nem fuerit persona, veritati *conceptionis* repugnat. Si enim « *ante* fuit persona, quam esset Deus, Virgo Maria non con- « cepit Deum, sed hominem purum; quod est contra Evan- « gelium et conceptionis articulum » [2]. Haec positio, quoad Incarnationis tempus, involvit haeresim Nestorianam.

2) « Secundus vero modus, qui ponit, hominem illum *tem-* « *pore* assumptionis fuisse personam, veritati *assumptionis* « repugnat. Si enim in assumptione fuit persona et post « assumptionem desiit esse persona, potius in ipsa assump- « tione persona consumebatur quam assumebatur; non igitur « fuit illa vera assumptio; sed magis consumptio ». Haec positio sibimet contradicit.

3) « Tertius vero modus intelligendi, quod fuerit persona « *post* assumptionem, illud quod assumptum est, veritati « *unionis* repugnat. Si enim assumens differt ab assumpto, « et illud quod assumptum est, est persona; et qui assumpsit, « similiter est persona; ergo in Christo sunt duae personae: « et duae sunt in eodem naturae, hoc constat: ac per hoc

[1] Oper. cit. c. IV.

[2] Cf. supra Dist. IV, a. 3, q. 3.

« nulla est ibi unio; ac si hoc, nulla est incarnatio, nec « humani generis reparatio; quod adeo est absurdum, ut « totius fidei christianae perimat fundamentum » [1]. Est ipsissima haeresis Nestorii.

Resp. ad 1^m. Breviter, sed profunde S. Thomas difficultatem solvit. Nedum, ait, naturae humanae assumptae ratio perfecta individui desit, individuatur ipso supposito increato Verbi.

Quaerens hic S. Bonaventura, quid Homini-Deo defuerit, quominus personalitatis humanae proprietas ipsi tribueretur, respondet [2], ex elementis personalitatis constituentibus unam proprietatem deesse. Sunt autem haec: 1) distinctio singularitatis, 2) distinctio incommunicabilitatis, 3) distinctio supereminentis dignitatis. Iam vero accedente dignitate superiore, perit ratio supereminentiae dignitatis inferioris. Ergo humanae naturae Christi, utpote Verbi, defuit tertium ut persona praedicaretur. Quid de hac arguendi ratione censendum? Optima est, si ita intelligatur, ut non ideo negetur, naturam humanam Christi plenam suam singularitatem ac incommutabilitatem a supposito divino accipere; secus esset inefficax, et conduceret ad falsam opinionem tenentium unam in Christo personam, sed duo supposita. Iam vero huic opinioni S. Bonaventura validissime adversatur, unde paulo infra dicit, ordinationem ad dignius auferre rationem *suppositionis* [3].

Ratio, quae Seraphicum doctorem ad ita loquendum induxit, sequens esse videtur. Ex tribus constituentibus personalem distinctionem, nonnisi tertium formaliter respicit naturam, duo alia formaliter competunt supposito; - modo *singularitas* in sensu completo intelligatur: secus nihil praedicaret supra naturam primam. Quaerenda igitur ratio est, cur illa proprietas personalis, quae directius respicit naturam, in casu deficiat. Et ratio sane optima datur, quia dignitatis distinctio per unionem cum digniore absorbetur. Fatemur tamen, hoc doctrinae punctum per argumentationem Angelici clarius vindicari.

[1] III. Dist. v, a. 2, q. 2.
[2] Ibid. resp. ad 1.
[3] Ibid. resp. ad 2.

Sed si modus loquendi S. Bonaventurae bene salvatur, vix videtur ab insufficientiae vitio liberari posse doctrina aliquantulum similis Hugonis Victorini, vel potius, ut eruditi existimant, Ioannis Cornubiensis. Ita hic sibi obiicit in opere *De Verbo incarnato:*

« Sed dicet aliquis: Nonne homo assumptus persona et « esset, si non esset unitus Verbo? - Solutio: Esset quidem « persona, et haberet suam personantiam *ex sua rationali-* « *tate.* Nunc vero ex quo totus splendor divinitatis se infudit « lucernae humanitatis, minus lumen cedit maiori, id est homo « assumptus trahit suam personantiam ex Verbo, et dicitur, « et est persona una cum illo ex eadem personantia quam « habuit Verbum ab aeterno ». Quam sententiam suam auctor evolvit et illustrat ope comparationis cum lampade, quae lucet quidem noctu, sed soli cedit diu. Fallacia huius doctrinae hoc simplici dilemmate manifesta redditur. Rationalitas manet sub unione cum Verbo, vel non. Si non, perit anima intellectualis, et neque natura integra assumpta est, ut contendebat Apollinaris. Si manet, et in ipsa sola ratio personalitatis consistit, ergo duplex in Christo persona, et unio personalis non est nisi secundum dignitatem, uti praedicabat Nestorius. Ex hac deficiente expositione procedit vitium locutionum, quae apud hunc auctorem occurrunt: « *homo in per-* « *sonam assumptus* », « *id quod est assumptum est per-* « *sona* » etc.; ex quibus locutionibus liquet, hunc scriptorem unionem naturarum in Christo nimis uti accidentalem concepisse.

Resp. ad 2m. Adverte sedulo verba: « ad perfectionem « *humanae naturae* ». Personalitas utique perficit humanam naturam, sed formaliter, quatenus complet τὸ esse; unde quo perfectius illud complet, eo eminentius eam perficit.

Resp. ad 3m. Adverte verba: « *quod aliter esse posset* ». Si, - uti volunt, qui stant a parte Scoti, - personalitas nihil prae natura individua formaliter positive includeret, S. Thomas hoc in loco dixisset: « *quod aliter esset* ». Nec contra faciunt ultima verba. Nam aliud est dicere, unionem in persona divina impedivisse, « ne humana natura propriam « personalitatem haberet »; aliud dicere, quod illam haberet, quin haec personalitas superior per ullam entitatem

debuisset suppleri. Prior assertio ponit factum, quod de communiter contingentibus eveniret; altera modum facti explicare conatur. Idem dic de similibus affirmationibus, quae apud theologos scholasticos occurrunt. Ita Albertus Magnus habet: « Si Christus deponeret humanitatem, id « quod deponeret, erit substantia rationalis naturae indivi- « dua. Ergo erit persona. Si autem quaeritur, quid conferat « ei personalitatem, quam prius non habuit, dicendum, quod « singularitas, quam prius non habuit, sive incommunicabi- « litas, ut alii dicunt; nam propria singularitas facit perso- « nam in rationali natura. Si autem quaeritur iterum, quid « ei conferat singularitatem, dicendum, quod divisio per « accidens confert ei. Divisio enim licet per se aufert, tamen « per accidens confert divisum esse unum et ab alio divi- « sum, et haec est singularitas » [1]. Etsi hic textus validissimus videtur ad Scotistarum opinionem tuendam, nihilominus haec deductio infirmatur si perpendis quae hoc loco dicuntur, vix dictu esse digna, nisi τὸ esse unum, « singulare », quid positivum significet, consequens per accidens divisionem. Sed de hac subtiliori investigatione fusius ubi de Quaestione XVII [2].

Quaeres I. - Estne omnino certum, quamlibet naturam a Deo assumi posse? - *Resp.* Id affirmant plerique theologi cum S. Thoma [3], Scoto [4], Durando [5], etc. Negant tamen alii. Alexander de Hales [6] opinatur, elevabilitatem per gratiam esse conditionem sine qua non assumptibilitatis; Henricus Gandavensis [7] idem censet de rationalitate. Quare uterque contendunt, nonnisi hominis aut angeli naturam a Deo assumi posse. Quod si mere contenderent de potentia ordinata, subscribendum eorum sententiae foret; de absoluta autem, non video quomodo demonstretur. Imo non desunt qui, cum Mar-

[1] III. Dist. v, a. 1.
[2] Cf. S. Th. III. Sent. Dist. VI, Q. 1, a. 2. ad quintum.
[3] III. Sent. Dist. II, q. 1, art. 2.
[4] Ibid. Dist. II, Q. 1.
[5] Ibid.
[6] P. III, Q. 11, mem. 2.
[7] Quodlibet. III, q. 2.

silio [1], Almaino [2], Gabriele Biel [3], capacitatem assumptibilitatis extendant usque ad accidentia citra subiectum existentia, puta, qualia remanent de pane et de vino post transubstantiationem. Et sane vix apparet, cur absoluta Dei potentia quoad illa limitaretur.

At liquet, si aliae naturae assumptibiles sunt, nonnisi in assumpta natura rationali Deum mereri posse. Radix enim huius meriti est facultas creata merendi capax, quae non est nisi voluntas per intellectum illustrata et per gratiam elevata ac mota. Sed de hoc merito inferius ex professo erit agendum.

Quaeres II. utrum unio hypostatica sit perfectior unio cum Deo, quam unio beatifica?

Uti observat isto loco Card. Toletus, triplex hac in re est theologorum sententia. *a*) Durandus melius ac dignius putat esse, cum Deo uniri per visionem beatificam, quam per unionem hypostaticam. - *b*) Scotus distinguit inter actum primum et actum secundum: quoad primum, praestat unio hypostatica; quoad alterum, praestat visio. Unde quum haec duo sint diversae rationis, inter se conferri non possunt. Quae sententia non tantopere nobis quam Card. Toleto displicet. - *c*) S. Thomas, et alii cum illo, praecipue Card. Caietanus, unionem hypostaticam perfectiorem proclamant.

Caeterum, si ex una parte, uti cum divina potentia ordinata prope dissociabilem, excludimus assumptionem naturarum rationali dignitate carentium; et si ex altera parte, - quod ex sequentibus apparebit - unionem hypostaticam necessitate connaturali consequitur gratia, quaestio praesens scopo caret, quum non possint altera et altera unio in separatis subiectis ad invicem opponi.

De gratia divinae maternitatis collata cum gratia sanctificante vel beatificante in Deipara Virgine, in secunda Parte huius tractatus dicemus, ubi de dignitate Matris Christi erit disserendum.

[1] III. Q. 3, art. 1.
[2] Dist. II, Q. 2.
[3] Dist. I, Q. 2.

ARTICULUS III.

UTRUM PERSONA DIVINA ASSUMPSERIT HOMINEM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Qui dicit *personam,* dicit directe subsistentem. Estne idem de praedicatione *homo?* [1]. Si ita, iam est soluta quaestio. Si secus, poterit affirmari Verbum assumpsisse hominem, etsi non assumpserit personam. Examini huius dubii praesens articulus dicatur.

2) Pendet solutio a lege sermonis humani: nam de dogmate loquendum est iuxta eamdem legem, ne falsam intellectionem verba inducant. Licet enim dogmata humanae mentis virtutem excedant, debent tamen humano intellectui ita proponi, ut enuntiatio saltem dogmatis rationabiliter percipi possit; quod fieri nequit, nisi apprime leges humani sermonis teneantur [2].

3) Hic autem sedulo observa: quotiescumque agitur de aliqua subtiliori discussione ex haereticorum locutionibus orta, benigne interpretanda sunt, quae apud catholicos scriptores ante istas controversias occurrunt. Quare alibi S. Thomas affirmat: « Omnes auctoritates, quae dicunt hominem « assumptum, exponi debent, ut ponatur concretum pro « abstracto, id est, homo pro humana natura » [3]. Inde nil mirum, Lombardum in exponenda prima sententia, de qua supra, hanc formulam adhibere, licet error huius opinionis non sit ille, qui in praecedenti articulo confutatur. Imo apud ipsum Boëthium, etsi philosophum castigatioris sermonis, hic loquendi modus occurrit. « Sin vero talem hominem assump- « sit, qualis Adam fuit ante peccatum.... Quomodo autem « fieri potest, ut talem assumpserit hominem qualis Adam « fuit? » etc. [4]. - Nec apud Boëthium modo, sed et apud S. Augustinum: « Sic autem quidam reddi sibi rationem « flagitant, quomodo Deus homini permixtus sit.... Ergo per-

[1] Cf. S. Bonav. l. c. Dist. v, a. 2, q. 4.

[2] Cf. quae de dogmatum propositione alibi diximus (*De Deo Trino,* p. 393, sqq.).

[3] III. Sent. Dist. 2, Q. I, a. 2, ad 1.

[4] Op. cit. c. 8. *P. L.* t. LXIV, col. 1353.

« sona hominis, mixtura est animae et corporis; persona « autem Christi, mixtura est Dei et hominis » [1]. Imo et in declarationibus Conciliorum, et in Liturgia occurrit: « Si « quis audet dicere, assumptum hominem coadorandum Deo « Verbo.... tanquam alterum cum altero, et non potius, etc. » [2]; « Tu ad liberandum suscepturus hominem » [3].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit sermonem proprium a sermone improprio.

2. Obi. Confundit locutionem abstractum cum locutione concreta.

3. Obi. Confundit ipsum hominem cum hominis natura.

Sed contra est. Animadverte, quam lucide in textu allato tangatur ratio, propter quam haec locutio damnanda sit: « *ut alter sit praeter ipsum* ». Alter enim dicit suppositum, et ponit significationem in concreto.

Corroboratur haec doctrina per modum quo ipsi Patres, qui interdum, lato sensu hominem assumptum dicunt, alibi, quando loquuntur pressius, inter hominem et humanam naturam sedulo distinguunt. Ita S. Augustinus proclamat: « huma- « nam naturam in unitatem personae unici Filii Dei singu- « lariter assumptam » [4].

In Corpore. S. Doctor, praemisso principio unde praecedens articulus solvebatur, totum reducit ad hoc: estne nomen *homo* supponens pro *humana natura* in abstracto, vel pro *habente eam* in concreto? Si hoc alterum, quod verum est, ergo dicere, Verbum assumpsisse suppositum, seu personam, Nestorii haeresim ponit.

Tam arcte hic art. 3. cum art. 2°. connectitur, ut in Comment. III. Sent. Angelicus utrumque uno articulo comprehenderit, et quidem quaerens directe de formula *assu-*

[1] Ep. *ad Volus.*, c. III, n. 11. *P. L.* t. XXXIII, col. 520.

[2] Conc. Ephes. can. 8. — DENZIGER (op. cit. n. 80).

[3] Hymnus *Te Deum*. Lex attractionis, — nam *hominem* bis ponendum semel adducitur, — mitigat vim huius exempli.

[4] *Enchirid.* c. 36. — *P. L.* t. XL, col. 250. — Cf. illud S. Cyrilli: « Οὐκ ἀνθρωπον δὲ ἀνειλῆφθαι παρὰ Θεοῦ τοῖς ἁγίοις Πατράσι δοκεῖ· πεφρονήκασι γὰρ οὐχ ὡδί ποθεν. Αὐτὸν δὲ μᾶλλον τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον, ἄνθρωπον γενέσθαι φασὶν ἑνωθέντα σαρκὶ, ψυχὴν ἐχούσῃ τὴν νοεράν » (*Ctr. Theodor.* anath. 11. — *P. G.* t. LXXVI, col. 449).

mere hominem [1]. Et haec pauca satis sint [2]. Etsi multi commentatores, inter quos eminet Caietanus, hisce articulis adnectunt ulteriorem inquisitionem in formale constitutivum personalitatis; satius tamen duximus illius perarduae quaestionis solutionem usque ad explicatam doctrinam de uno esse Christi remittere [3].

ARTICULUS IV.

UTRUM FILIUS DEI DEBUERIT ASSUMERE HUMANAM NATURAM ABSTRACTAM AB OMNIBUS INDIVIDUIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) In praecedentibus articulis acquisitum est, Verbum non assumpsisse hominem, neque a fortiori personam humanam; sed *humanam naturam* [4]. Iam vero quadruplici sensu potest haec positio accipi: *a*) humana natura abstracta ab individuis, *b*) humana natura in omnibus individuis, *c*) humana natura individua quidem, sed non a primo homine per generationem orta, *d*) humana natura ex stirpe Adae. In praesenti ac sequentibus articulis excluduntur *a*), *b*) et *c*), et statuitur *d*).

2) Porro ad totam rationem praesentis articuli percipiendam prae oculis habeatur oportet doctrina genuina de realitate universalium. Nam eatenus dumtaxat Christi humana natura posset simul esse vere realis et tamen abstracta ab omnibus individuis, quatenus huic tali naturae realiter esse competeret.

3) Iam vero non una de hoc argumento fuit philosophorum sententia. Etenim ex una parte *Nominalistae,* - inter quos praecipue Roscelinus parens, Okkam instaurator, Locke, Condillac, caeterique Sensistae, - contendunt, nihil realis subesse vocibus universalibus, utpote conceptibus ab humano tantummodo sermone inductis.

[1] Cf. tamen complementum Dist. v, Q. III, a. 3: Utrum *persona sit assumpta.*

[2] Comple quae breviter hic dicta sunt, per ea, quae in appendice de Nestorianismo praeoccupavimus, necnon per ea, quae in art. 7. Quaest. XVII. erunt addenda.

[3] Q. XVII.

[4] Cf. III. Sent. Dist. v, q. 3, a. 1. — S. Bonav. III. Sent. Dist. v, a. 2, q. 5.

4) Ex adverso *Realistae Platonici,* duce magistro,[1] sustinent, universalia existere realiter extra singularia et extra Deum, sicuti formae reales quodammodo mediae inter mentem divinam et concreta singularia [2].

Quam alteram sententiam, si *a*) cum S. Augustino benigne interpretaris, ita ut istae formae universales suam realitatem habeant in ipsa mente divina, id est, in Verbo archetypo aeterno, sequi licet, etsi nec ita totum quaestionis solvit.

Si iam *b*) superaddis, mentes nostras hasce ideas divinas immediate in Deo contemplari, cum Malebranchio aliisque recentioribus, in *Ontologismum* incidis.

5) Alia duplex est forma Realismi: *a*) Gilberti Porretani, ponentis universalia existere in singularibus independenter a mentis consideratione est *Realismus empiricus.*

b) Quam viam si ulterius ingrederis, omne discrimen inter ordinem realem et idealem tollens incidis in *Realismum pantheisticum* Hegelianum.

6) Nimis e contra a realismo recedit Abaelardus, Roscellini adversarius, *Conceptualismi* parens, qui nihil realitatis universali concedit, nisi in mente nostra; quae sententia, uti patet, multum ad nominalismum accedit.

7) *Realismum temperatum* docuit Aristoteles, cui adhaeret S. Thomas. Hi in universali distinguunt: *a*) *logice*, seu *praecisive,* non existit realiter extra mentem, (eatenus verum dicunt Conceptionalistae); sed *b*) *quoad rem* existit realiter in singularibus, non quidem ut talibus, uti erronee contendunt - Realistae empirici; sed ut constitutis ex elementis essentialibus, quae in aliis individuis, per communicationem vel multiplicationem, reperiuntur inesse, aut

[1] Haec sententia a quibusdam tribuitur Zoroastrae et Pythagorae; sed Aristoteles eam Platoni uti inventori assignat (*Metaph.* l. I, c. 6. ed. Didot, t. II, p. 477). — Lege de universalium argumento egregiam expositionem Cl. Lepidi (*Elem. Philos. Christian.* t. II, 4, p. 127, sqq.).

[2] Ad hunc conceptum Platonis appropinquat *ens in universali,* quod ponit Rosminius, et quod per quamdam pantheisticam emanationem omnia pervadit, et ab homine directe percipitur. Quam doctrinam S. Congr. S. Officii per sententiam 14. Decembris 1887. damnavit atque proscripsit. — Cf. de hoc periculosissimo systemate Card. Zigliara fuse disputantem (*Propaedeutica ad Sacr. Theolog.* l. I, c. 12, n. 3, sqq.).

inesse posse intelliguntur. Nullo autem modo universales ideae existunt extra mentem sive divinam sive creatam et singularia (contra Platonem).

Accipe huius argumenti iuxta praedicta brevissimum conspectum.

De universalibus tria praecipua systemata sunt.

I. Realismus: *Universalia existunt in se distinctim a singularibus:*
- 1) crudior: in se extra Deum (Platonismus);
- 2) moderatior: extra singularia, sed in Deo (ita S. Aug.); verum, sed non totum dicit.

II. Realismus mitigatus: *Universalia habent de reali in rebus:*
- 1) in mente:
  - *a*) quia immediate videt Deum, in quo sunt (Ontologismus);
  - *b*) quatenus sunt unice fructus mentis (Conceptionalismus).
- 2) in singularibus, absque mentis operatione:
  - *a*) realismus empiricus Gilberti;
  - *b*) si urgetur, Pantheismus Hegelianus.
- 3) sub utroque respectu (Aristoteles et S. Thomas):
  - *a*) logice, non extra mentem;
  - *b*) realiter, in singularibus.

III. Nominalismus: *Universalia nihil realis habent, et non sunt nisi nomina* (Roscellinus, etc.).

9) His brevissime ad recordationem potius quam ad expositionem praemissis, patet, S. Thomam in articulo praesenti opinionem erroneam Platonis speciali modo prae oculis habuisse.

Sed et dogmatice magni momenti res est. Conceptus enim Platonicus humanae naturae Christi applicatus induceret, saltem indirecte, errorem Manichaeorum atque Doketarum passim affirmantium, Christi corpus non fuisse verum, sed phantasticum [1].

[1] Cf. dicenda in *Corpore* articuli, praesertim autem in Quaestione sequenti.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit communitatem speciei ut talis, cum communitate causae; nec advertit, ad hanc communitatem causae sufficere communitatem speciei, non ut talis, sed in individuo.

2. Obi. Directe movetur secundum sententiam Platonis. Quare solvitur, eamdem uti falsam abigendo.

3. Obi. Procedit ex falsa disiunctione. Inter naturam universalem abstractam ab individuo et suppositum naturae concretae individuae, datur natura concreta quidem individua, at sine addita propria subsistentia.

Sed contra est. Liquet, quanti momenti sit hic articulus ad refellenda commenta Manichaeorum, eorumque omnium qui realitatem humanae naturae singularis inficiantur. Huc proin redundant, quae in sequenti Quaestione per partes evolventur. Huc spectant omnia loca Evangeliorum, in quibus Iesus se uti hominem vere singularem, concretum, palpabilem praebet; necnon epistolarum sententiae, in quibus veritas humanitatis sensibilis Christi praedicatur [1].

In Corpore. Hisce paucis argumentatio S. Doctoris continetur. Praeter esse concretum in singularibus, non existit esse naturae humanae nisi in intellectu sive divino sive humano (excluditur tertium membrum a Platone additum). Atqui neutrum horum Incarnationem Filii Dei constituit. Ergo. Non prius, quia identificatur haec existentia cum natura divina, quae est aeterna. Non alterum, quia hoc solum est in mente humana; unde nisi huic ipsi intellectioni responderet Incarnatio in rerum natura, esset intellectio falsa, et ipsa Incarnatio mera fallacia.

Hic stare posset Aquinas; sed ultra progreditur, ostendens in primo membro [2], quod, etiamsi doctrina Platonis esset vera, talis assumptio naturae universalis in casu non sufficeret ad Incarnationem. Et quidem ob tres rationes: 1) propter modum *unionis* personalis, quae excludit formam communem; 2) propter *operationes* personales Dei incarnati; 3) propter *veritatem* historicam, id est, sensibilitatem naturae humanae Christi, uti ex Scripturis apparet.

[1] Cf. textus allatos a S. Th. in *Summ. ctr. G.* l. IV, c. 21, ubi Manichaeos confutat.

[2] Cf. schema A) 2).

En schema huius argumentationis:



Duplex dubium hic manere potest. 1) Cur contrahit S. Thomas doctrinam de universalibus ad res naturae sensibilis? 2) Cur non locutus est de inexistentia universalis in mente angelica?

Utriusque dubii una sit solutio. Agitur de humana natura Christi. Satis est ergo, quod naturae sensibilis existentia realis in universalitate excludatur; insuper satis est, quod inexistentia in mente humana tanquam insufficiens negetur. Non ideo negatur inexistentia eiusdem naturae humanae universalis in mente angelica. Sed ipsa non magis ponit terminum extra se quam inexistentia in mente nostra. Quum igitur quoad rem praesentem in idem utraque inexistentia incidat, sufficit ut una tangatur. Nec tenetur S. Doctor speciali modo existentiam realem angelicae naturae extra individua angelica confutare, quum de ipsa non sit quaestio. Admittendum tamen, - licet positio Platonis de utraque natura humana et angelica sit falsa, - magis eius repugnantiam de priori apparere. Inde S. Th. in *Corpore* talem arguendi modum adhibet, qui nonnisi pro ipsa natura sensibili humana totam vim retinet.

Resp. ad 2m. « *Quamvis quidam* »: intellige imprimis Augustinum, Platonis fervidissimum asseclam, forte ultra limites historicae veritatis.

ARTICULUS V.

UTRUM FILIUS DEI NATURAM HUMANAM ASSUMERE DEBUERIT IN OMNIBUS INDIVIDUIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Post ea quae in initio articuli praecedentis diximus, haec pauca sufficiant. Titulus articuli benigne interpretandus est, ita ut verba « *in omnibus individuis* » non intelligantur in sensu suppositorum, - esset enim contra art. 2. et 3. huius Quaestionis; sed in sensu *individuarum naturarum* concretarum.

2) Quum igitur in art. 4°. ostensum sit, universalem naturam in abstracto non esse assumptibilem; et supra visum sit, unam personam assumere posse plures naturas humanas: quaeritur, cur non tali modo Filius Dei totam naturam humanam assumpserit, nempe in omnibus singularibus naturis individuis.

3) Et sane, nonne ita reparatio humani generis - finis principalis Incarnationis - longe securius obtenta fuisset? - Nonne maior inde elucerent divina charitas divinaque sapientia? En ratio huius dubii.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Per fallaciam disiunctionis peccat haec obiectio. Natura assumpta est *primo et per se,* distinguo: ad excludendum suppositum seu personam, conc.; ad excludendam naturam singularem, nego. Imo ratione singularitatis, et non ratione principiorum essentialium, convenit ei assumi, quum terminus assumptionis maxime sit singularis.

2. Obi. Falso interpretatur « *daret* ». Haec *datio,* iuxta sententiam Ioannis, consistit in immolatione Filii Dei pro genere humano; quare supponit ex una parte victimam, ex altera per eam liberandos. Ex quo iam apparet, totam oeconomiam salutis per positionem assumptionis omnium singularium naturarum destrui. Imo neque locus fuisset redemptioni, neque mediationi. Christus enim non est Redemptor nec Mediator relate ad illam humanam naturam quam assumpsit, sed relate ad omnes alios homines, pro quibus illam assumpsit.

3. Obi. Proin ex falsa hypothesi procedit et obiectio tertia. Opus enim Redemptionis praecise consistit in hoc, quod

per unum omnes ope reparationis strictae iustitiae redimuntur, sicut per unum omnes perditi erant.

Sed contra est. Observa, vim huius considerationis Damasceni esse in hoc, ut supponatur, - et recte quidem, - speciem non existere nisi in individuis. Ad corroborandam hanc auctoritatem afferri possunt omnia loca Scripturae in quibus Christus nobis repraesentatur uti homo singularis, fratrum suorum Primogenitus ac Redemptor. Huc imprimis facit caput V. epistolae S. Pauli ad Romanos [1].

In Corpore. Rationes omnes hic ab Angelico adductae procedunt ex summa convenientia, non ex absoluta necessitate vel impossibilitate. Praeter has rationes ex suppositis, ex dignitate assumentis, ex harmonia in constitutione Verbi incarnati desumptis, adde illas, quas supra indicavimus de oeconomica salutis. Insuper quaeri potest: quomodo omnes istae naturae simul assumerentur, stante lege naturali successivae multiplicationis generis humani? Incidendum esset in difficultates, quae maximum inconveniens huiusmodi assumptionis per se sat superque manifestant.

Attende, primam rationem *Corporis* procedere secundum assumptionem humanae naturae ab uno Verbo. Si agatur de qualicumque assumptione a parte Dei, summa suppositorum non excederet tria, ut alibi S. Thomas monet [2].

Quam ex mediatoris natura rationem attulimus, **S. Bonaventura** tangit in sua argumentatione, cuius en schema [3]:

Assumptio unius singularis naturae magis congruit:

- 1) ratione *unionis in se:* — ut utrimque unitas naturae in assumente servetur.
- 2) ratione *reparationis* per *mediationem:*
  - *a*) mediator intelligitur unus;
  - *b*) si plures:
    - α) aut unus sufficeret: quid caeteri?
    - β) aut unus non sufficit: ubi perfectio?
- 3) ratione *exaltationis naturae assumptae:* — oportet ut homo ille Deus accipiat nomen super omne nomen, ergo unicum.

[1] Hanc doctrinam ex professo exponemus in II. Parte huius tractatus, ubi de ipso opere salvifico erit agendum.

[2] III. Sent. Dist, II, Q. I, a. 2, sol. 1, ubi argumentationem S. Bonaventurae quasi integram reperies.

[3] III. Dist. II, a. 1, q. 3.

Nec obest, uti observat ipse S. Doctor, ratio propter quam ipsius Incarnationis convenientiam supra demonstravimus, nempe bonum esse diffusivum sui. Alia diffusio intensiva, alia extensiva. Prior militat in casu; altera oeconomiae ipsius Redemptionis obest, et per se tendit ad excellentiam supereminentis doni minuendam. Attamen facta in una singulari natura unione personali, Deum summe bonum decet, ut per illam beneficia gratiae in omnem familiam humanam supereffluant.

ARTICULUS VI.

UTRUM FILIUS DEI NATURAM HUMANAM ASSUMERE DEBUERIT EX STIRPE ADAE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quatuor sunt praesentis quaestionis adspectus: *a*) Nonne convenientius facta fuisset incarnatio in ipso Adamo, uti capite generis humani? - *b*) Nonne convenientius ex stirpe gentili, utpote magis indigente salutis? - *c*) Nonne convenientius Filius ortum duxisset ex alia quam ipsius Adami stirpe, utpote peccatrice? - *d*) Nonne convenientius totus caelestis fuisset, non de femina natus?

Pauca sint de singulis.

2) Et primo quidem de incarnatione in ipso Adamo. In quonam Adamo? Ante lapsum, idque in ipso creationis instanti? Transeat, pro illis qui putant, reparationem esse secundarium Incarnationis obiectum; sed quid pro aliis? - Post lapsum? Quomodo fierit unio personalis? et nonne magis indigna natura singularis alicuius iam peccatoris, quam alicuius mere de peccatoribus oriundi?

3) Decuit sane ut futura nativitas Redemptoris signis peculiaris virtutis, prophetiis, nationali cultu praesignaretur, tum *a*) ut adventus eius fieret illustrior, tum *b*) ut in posteras aetates character eius divinus magis eluceret. Unde decuit, Christum nasci de populo ad hoc divinitus electo, ut eius ortum pararet.

4) Porro tota praesens oeconomia salutis in stricta reparatione fundatur; quae oeconomia periret, si Verbum aliunde carnem quam ex stirpe nostra assumeret. Ad rem S. Thomas:

« Natura humana non fuit infecta originali peccato, nisi secun-
« dum quod ab Adam trahitur: unde si Deus unum hominem
« de limo terrae formaret, peccatum originale in eo non esset;
« et ideo satisfactio de originali non pertinebat indifferenter
« ad quemlibet hominem, sed ad quemlibet de genere Adam » [1].
Nec aliter de eodem argumento S. Anselmus: « Restat nunc
« quaerere, unde et quomodo assumet Deus humanam natu-
« ram. Aut enim assumet eam de Adam, aut faciat novum
« hominem, quemadmodum fecit Adam de nullo alio homine.
« Sed si novum hominem facit non ex Adae genere, non per-
« tinebit ad genus humanum, quod natum est de Adam; quare
« non debebit satisfacere pro eo, quia non erit de eo. Sicut
« enim rectum est, ut pro culpa hominis homo satisfaciat; ita
« necesse est, ut satisfaciens idem sit, qui peccator, aut eius-
« dem generis: aliter namque nec Adam, nec genus eius satis-
« faceret pro se » [2].

5) Hoc ipso iam soluta est positio quarta. Etenim, si oportet redemptorem esse eiusdem generis, quomodo, quaeso, nisi de femina ex eodem genere? Adde, harmoniam reparationis evadere pulchriorem, si in ordine salutis adsit Mater viventium, sicut Eva fuit a latere Adae; si ipsa quasi Mediatrix exsurgat ad ipsum Mediatorem; si, quemadmodum vetus Eva fuit administra mortis, ita nova Eva appareat administra vitae; etc.

6) Nec omittenda videtur hic ratio, aliquantulum singularis, attamen non spernenda, quam affert Augustinus [3]: « Deus
« cum liberat, non partem aliquam liberat; sed totum liberat,
« quod forte in periculo est. Sapientia ergo et Virtus Dei,
« qui dicitur Unigenitus Filius, homine suscepto liberationem
« hominis indicavit [4]. Hominis autem liberatio in utroque
« sexu debuit apparere. Ergo, quia virum debuit suscipere,
« qui sexus honorabilior est, consequens erat ut feminei
« sexus liberatio hinc appareret, quod ille vir de femina
« natus est » [5].

[1] III. Sent. Dist. II, q. 1, a. 2, sol. 2.

[2] *Cur Deus homo,* II, 8. — P. L. t. CLVIII, col. 405.

[3] *De div. QQ.* t. LXXXIII, q. 11, — *P. L.* t. XL, col. 14.

[4] Habes hic quasi ad verbum formulam hymni *Te Deum,* de qua supra locuti sumus.

[5] *De div. Quaest.* LXXXIII, q. 11. — *P. L.* XL, col. 14.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Mirabili modo Deus utrumque coniunxit, ut et de peccatoribus mediate et de non peccatrice immediate nasceretur; alterum reparatio generis postulabat, alterum excellentia propriae sanctitatis.

2. Obi. Nullam habet vim, nisi pro Adamo ante lapsum, uti in praeambulo dictum est. S. Thomae responsum procedit ex hypothesi assumptionis humanae naturae post lapsum; quae hypothesis aliunde insuper depellenda est, scilicet ex assumptione non hominis, sed naturae.

3. Obi. Praeter rationes a S. Thoma allatas, haec obiectio eas negligit, quas n. 3. breviter tetigimus.

Sed contra est. Adde huic loco Scripturae, omnia alia in quibus Christus e stirpe Adae nasciturus praemonstratur, a prima promissione: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, « et semen tuum et semen illius: ipsa (ipse) conteret caput « tuum » [1]. Adde ipsam appellationem *Filii hominis,* qua ortus Christi de familia humana per Adamum propagata solemniter consecratur. Adde promissiones Abrahamo et eius familiae pluries factas [2]. Unde B. Virgo in suo cantico exclamat: « Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini « eius in saecula » [3]. - Huc faciunt infra dicenda contra haereticos omnes, qui veram Christi originem de Maria Virgine inficiantur.

In Corpore. Adverte sensum vocis *poterat* in textu Augustini [4]. Significat potentiam ordinatam non simplicem, sed secundum quid; sive, ut alii volunt, potentiam absolutam secundum quid: nimirum, praecisione facta a decreto reparationis per viam strictissimae iustitiae, eo sensu, quo arguit S. Anselmus. Est ipsa prima ratio allata in *Corpore,* quamque Liturgia exprimit in festo Ascensionis his verbis:

Culpat caro, purgat caro [5].

Tertiam rationem aliquo modo illustrat illud Iob: « Quis « potest facere mundum de immundo conceptum semine?

[1] Gen. III, 15.

[2] Gen. XII, 3; XVIII, 18; XXII, 18; etc.

[3] Luc., I, 55. — Cf. visionem Apocalypseos, c. XII, 1, sqq.

[4] *P. L.* t. XLII, col. 1032. Lege pulcherrima, quae S. Aug. in hoc capite, et in his quae praecedunt et sequuntur, de tota oeconomia Incarnationis pie ac profunde exponit.

[5] Hymnus ad Matutinum.

« nonne tu qui solus es? » [1]. Id est, magis elucet inde potentia Dei, quod de carne nostra suam carnem assumere sit dignatus. Ad quam rem ostendendam, in ipsa genealogia Christi tot occurrunt et viri et mulieres mali nominis vitaeque corruptae. Quod, primo intuitu quasi offendiculum pietatis, penitius tamen rem perscrutanti in miram Dei sapientiam redundat [2].

Resp. ad 2^m. Sententia: « Oportet enim, eum qui mundare « omnes venerat, non esse mundandum », urgeri potest mutando verbum mundare in *salvare*. Neque subscribendum est, saltem in verborum rigore, sententiae Boëthii dicentis, in ultimo capite libri *De duabus naturis:* « eum salvavit, quem etiam assumpsit » [3].

Scholion. - Immaculata Conceptio B. M. V. tam arcte cum nativitate Christi ex stirpe Adae connectitur, ut vix hodie quis de hac agere possit, quin ad illam quoque alludat. Nimirum hoc insigne privilegium fuit medium a divina sapientia et sanctitate inductum, ut, licet de stirpe peccatrice, digne tamen Deus nasceretur. De quo Deiparae privilegio ex professo in secunda parte huius tractatus agemus.

Corollarium. - Ex dictis in hoc articulo et in praecedentibus patet, reparationem humani generis ex iustitia triplicem gradum habere posse.

a) Latiori sensu reparatio ex iustitia haberetur, v. gr., si Filius Dei ad salvandos homines angelum assumeret. Esset reparatio ex iustitia ob infinitatem debiti soluti; deficeret tamen a parte naturae, per quam satisfactio praestaretur.

b) Longe strictiori sensu reparatio esset ex iustitia, si pro homine peccatore satisfaceret Deus incarnatus, at in natura extra hanc familiam humanam assumpta.

c) Strictissimo tandem sensu obtinetur, si ille Homo-Deus pro homine satisfaciens, sit ex ipsa stirpe, cuius debitum solvit. Hanc oeconomiam Deus elegit, utpote eo excellentioris pietatis, quo perfectioris iustitiae.

Inter gradus *a*) et *b*) esset reparatio angelorum - concessa

[1] C. XIV, 4.

[2] Quare per hoc mitiganda putamus, quae S. Th. habet in resp. ad 3.

[3] *P. L.* t. LXIV, col. 1353, B.

possibilitate - per assumptionem naturae angelicae. Magis haberet de oeconomia iustitiae quam *a*), ob communitatem naturae genericae; minus quam *b*) idque dupliciter: quia inter angelos deest, tum α) paritas specifica, tum β) solidaritas originis [1].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) In creatura non datur ad assumptionem nisi potentia obedientialis, sive passiva supernaturalis. In Deo est potestas absoluta ad cuiusvis creaturae assumptionem. Attamen, loquendo de potentia ordinata, *humana* natura magis assumptibilis est, tum ratione dignitatis (microcosmi), tum ratione necessitatis (lapsus totalis, sed reparabilis) (a. 1).

2) Ita tamen Deus humanam naturam, seu humanitatem assumpsit, ut non *personam* assumpserit: - debuisset destrui eius personalitas, et, quod caput est, periisset oeconomia reparationis; - neque *hominem:* homo enim concrete audit, et ponit subsistentem in natura humana; - sed humanam *naturam* (a. 2, 3).

3) Iam vero hanc naturam humanam Filius non assumpsit *universalem:* - existit enim ita solum in Deo et in mente nostra sive angeli; imo etiamsi in se existeret, talis assumptio fuisset operi redemptionis impar; - neque *concretam in omnibus individuis:* - obstat dignitas, oeconomia mediatoris, simplicitas; - sed assumpsit humanam naturam *unam singularem* (a. 4, 5).

Hanc autem naturam non aliunde quam ex stirpe Adae, per Abraham, de Virgine Immaculata assumere decuit, ut simul servarentur et sanctitas nascentis et oeconomia redimendi generis per reparationem strictae iustitiae, ac ita non solum Dei, sed et hominis de ruinae nostrae auctore triumphus (a. 6).

[1] Esset tamen reparatio per meritum de condigno. — Cf. Toletum ad art. 1.

§. II. **De Assumptione humanae Naturae quoad Partes.**

QUAESTIO V.

DE MODO UNIONIS EX PARTE PARTIUM HUMANAE NATURAE.

Ordo Quaestionis patet per se; patet quoque ex historia dogmatis. Etenim quoad utramque partem constitutivam humanae naturae, corpus et animam, haeresis praesertim duplex prodiit; - praeter Doketismum et Gnosticismum, qui totius humanae naturae veritatem impugnabant. 1) *Quoad corpus* enim, *a*) *Manichaei* negabant omnino veritatem corporis Christi; contra hos statuitur articulus primus. - *b*) *Valentinus* vero, mitius iudicans, admisit quidem realitatem corporis, sed illud desursum advectum, non de Mariae Virginis substantia productum voluit; qui artic. 2.° convellitur.

2) *Quoad animam, a*) *Arius,* et initio Apollinaris, affirmabant, Filium non assumpsisse animam, - cuius loco Verbum fuit, - sed tantummodo corpus; quorum commentum articulus 3. destruit. - Postea vero *b*) *Apollinaris* concessit, Filium assumpsisse animam sensitivam, non vero intellectualem; cuius doctrinae falsitas in ultimo articulo ostenditur.

Specialiora de quoque errore, praeter iam dicta in praenotamine (p. 3, 6, 7), loco suo adiungentur, praemissâ.

Notâ historicâ de Doketismo.

Haeresis veritatem incarnationis negans *Doketismi* (a δοκεῖν) nomen accepit. Cuius erroris iuvat ab exordio praesentis quaestionis historiam breviter tradere. - Doketae inter antiquissimos haereticos annumerantur, quippe qui iam ab apostolico tempore in Ecclesia apparuerunt. Contra ipsos egit Ioannes, praesertim in epistolis suis. Ita primam epistolam exorditur: « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis « nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt

« de Verbo vitae; et vita manifestata est, et vidimus, et testa-
« mur, et annunciamus vobis vitam aeternam, quae erat apud
« Patrem, et apparuit nobis: Quod vidimus et audivimus
« annunciamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum,
« et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu
« Christo » [1]. Cur istae multiplicatae et iteratae expressiones de argumento audito, viso, palpato, nisi ad confundendum Doketarum errorem? Et infra directe ab istis haereticis cavendum monet: « Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed
« probate spiritus, si ex Deo sint: quoniam multi pseudo-
« prophetae exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus
« Dei: omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne
« venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus qui solvit Iesum, ex
« Deo non est, et hic est Antichristus, de quo audistis, quo-
« niam venit, et nunc iam in mundo est » [2]. Et: « Hic est
« qui venit per aquam et sanguinem Iesus-Christus: non
« in aqua solum sed in aqua et sanguine. Et spiritus est qui
« testificatur, quoniam Christus est veritas » [3]. Et in II. epistola: « Quoniam multi seductores exierunt in mundum,
« qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem:
« hic est seductor et Antichristus » [4]. — Eamdem veritatem urgent discipuli Ioannis post eum: Ignatius Antiochenus pluries [5], et Polycarpus non minus diserte ipsa Ioannis verba

[1] C. I, 1-3.

[2] C. IV, 1-3.

[3] C. V, 6. — De probabiliori lectione textus graeci, cf. *De Deo Trino*, p. 155.

[4] V. 7. Similitudo maxima, quae inter hunc locum et textum ep. I, c. IV, 2. 3, habetur, ratio forte est, ob quam brevior lectio graeca illius loci differt a textu editionis Vulgatae. At, teste Socrate *, qui mutilationem Nestorio tribuit, verba ὃ λυει τὸν Ἰησοῦν in vetustis exemplaribus graecis reperiebantur. De qua controversia lege Cl. STENTRUP (op. cit. th. VI, p. 164, sqq.).

[5] Ita habet in epistola ad Ephesios: « Solent enim nonnulli malo dolo nomen
« quidem circumferre, alia quaedam patrantes indigna Deo; quos oportet vos ut feras
« evitare. Sunt enim canes rabidi, clam mordentes; quos a vobis vitari oportet ut
« morbo difficulter curabili laborantes. Medicus autem unus est, et carnalis et spiri-
« tualis, genitus et ingenitus, in carne exsistens Deus, in morte vita vera, et ex Maria
« et ex Deo, primum passibilis et tunc impassibilis, Iesus Christus Dominus noster »
(C. 7, FUNK, *Patres apost.*, p. 179). Et clarius in epistola ad Trallianos: « Obturate
« igitur aures vestras, cum vobis quispiam loquitur sine Iesu Christo, qui ex genere
« David, qui ex Maria, qui vere natus est, edit et bibit, vere persecutionem passus
« est sub Pontio Pilato, vere crucifixus et mortuus est videntibus caelestibus et ter-
« restribus et subterraneis; qui et vere resurrexit a mortuis, resuscitante ipsum Patre

* H. E. l. VII, c. 39.

tradens atque evolvens [1]. — Fundamentum huius doctrinae de apparentia incarnationis Christi erat *Gnosticismus*, cui Doketae addicti erant, et cum quo stare nequibat veritas carnis Christi. Simonem magum fuisse Doketam, ex S. Ireneo [2] habemus; imo seipsum ille cum Christo in specie humana passo impie identificare non verebatur.

Principaliores fautores huius haereseos fuere *Saturninus*, *Cerdon*, *Marcion*, *Apelles* et *Valentinus*. Hi modo aliquantum diverso apparentiam Christi in carne interpretabantur.

a) *Duo primi* omnem corporeitatem, omnemque e Virgine, vel imo terrenam qualemcumque nativitatem Christo denegabant. - *b*) *Marcion* somniabat, Christum anno quintodecimo Tiberii de caelis Capharnaum illapsum, quin ullo modo per Virginem transiisset. - *c*) *Apelles*, licet nativitatem

« ipsius, quemadmodum ad eius similitudinem et nos ei credentes Pater ita resuscitabit in Christo Iesu, sine quo veram vitam non habemus. — Si vero, ut quidam « athei, hoc est, infideles aiunt, eum secundum apparentiam esse passum, ipsi secundum apparentiam tantum exsistentes: ad quid ego vinctus sum, cur cum bestiis « quoque depugnare opto? Frustra igitur morior; ergo falsa de Domino loquor » (C. 9, 10. Ibid., p. 209). Et in epistola ad Smyrnaeos: « Omnia autem haec passus « est propter nos, ut salutem consequeremur; et vere seipsum resuscitavit; non ut « quidam infideles dicunt, secundum apparentiam eum passum esse, ipsi secundum « apparentiam exsistentes; et quemadmodum sapiunt, sic et continget iis, cum erunt « incorporei et daemonia. — Ego enim scio, et post resurrectionem eum in carne « fuisse, et credo eum adhuc in carne esse. Et quando ad Petrum et socios eius venit, « dixit iis: Apprehendite, palpate me et videte, quod non sim daemonium incorporale. Et confestim ipsum tetigerunt et crediderunt, commixti carne eius et spiritu. « Propter hoc etiam mortem contempserunt et mortis sunt inventi victores. Post « resurrectionem autem cum illis comedit et bibit ut carnalis, quamvis spiritualiter « unitus esset Patri. — De his autem admoneo vos, carissimi, quamvis vos idem sentire sciam. Sed praemunio vos contra feras humana specie indutas, quas non solum « oportet vos non recipere, sed, si possibile est, neque obviam iis fieri, solum vero « pro iis orare, num aliquam poenitentiam agant, quod admodum difficile est. Huius « autem potestatem habet Iesus Christus, qui vera est vita nostra. Si autem illud « ad apparentiam tantum a Domino nostro peractum est, et ego ad apparentiam tantum vinctus sum. Cur vero et meipsum tradidi morti, ad ignem, ad gladium, ad « bestias? Verum qui prope gladium, prope Deum est, qui cum bestiis, cum Deo « est; dummodo sit in nomine Iesu Christi. Ut simul cum illo patiar, omnia sustineo, « ipso roborante me, qui perfectus homo factus est » (C. 2, 3, 4. Ibid. p. 237, sq.).

[1] « Omnis enim qui non confessus fuerit Iesum Christum in carne venisse, Anti« christus est; et qui non.... confessus fuerit martyrium crucis, ex diabolo est; et « qui eloquia Domini ad desideria sua traxerit, dixeritque, nec resurrectionem nec « iudicium esse, hic primogenitus est Satanae. Ideo relinquentes vanitates multorum « et falsas doctrinas ad traditam nobis ab initio doctrinam revertamur » (Ep. ad Philipp. c. 7. Ibid., p. 275).

[2] *Haeres*, 23, 209.

quoque negans, Christo assignabat corpus sidereum [1]. - *d*) *Valentinus* spirituale corpus, in caelis formatum concessit per Virginem transiisse, sed tantum per modum aquaeductus (ὡς διὰ σωλῆνος ὕδωρ) [2].

Dum discipuli Valentini in orientalibus partibus hanc de origine corporis Christi deque eius transitu per Virginem, uti aquae per fontem servabant; in occidentalibus, duce *Ptolemaeo,* alia interpretatio invaluit, ad veritatem magis accedens, licet adhuc erroribus implicata. Iuxta hanc fuit quidem Christus verus homo, - seu quem verum contendebat, - constans partibus mere caelestibus seu spiritualibus, et ex corpore a demiurgis ex purissimis elementis conflato, per quod Christus simul fiebat et visibilis et passibilis.

Nec praetereundum hic absurdissimum commentum *Basilidis,* sat famosi Gnostici et Doketae, iuxta quem Christus corpore mere phantastico indutus, mutavit illud cum corpore reali Simonis Cyrenensis, quod vere passum est mortem in cruce, dum sub cruce Christus, forma Simonis indutus, Iudaeos illudebat. Quae relata saltem iuvent ad illustrandum, quam absurda phantasmata induxerint illi, quibus corpus Christi phantasma fuit. Tantopere verum est, eorum blasphemiam cum passione ac morte Redemptoris esse dissociabilem. Sunt tamen, qui Basiliden a tam absono commento, quod ipsi tribuit Irenaeus [3], per aliam interpretationem eius doctrinae vindicare conentur [4].

Quisnam fuerit ille *Cassianus,* vel *Cossianus,* de quo loquuntur Clemens Alexandrinus [5], uti doketismi parente (ὁ τῆς δοκήσεως ἔξαρχος), Hieronymus uti « putativam carnem « Christi » docente [6], et Theodoretus (nomine Kossiani) uti ex discipulis Valentini [7], non satis constare videtur [8]. Porro Manichaeos ex principiis suis Doketismum esse amplexos, vix est addendum. Etenim iuxta eos Iesus *impassibilis,* corpore

[1] Cf. Tertullianum (*Adv. Marc.,* I, 19, 30, 11; *De Carne Christi,* 6).
[2] Cf. S. Epiphan. (*Haeres,* 31, 7).
[3] I, c. 24, 3-7.
[4] Hippol. *Philos.,* 7, 14, sq.
[5] *Strom.,* 3, 13, 91,
[6] Comm. in ep. ad Gal. VI, 8.
[7] *Haer. fab.,* 1, 8.
[8] Cf. Küpper, *Kirchenlex.* Hergenr-Kaulen, III, 1918, sqq.

caelesti circumdatus, - solem quippe inhabitans, - factus est Iesus *passibilis* in corpore phantastico. Nil mirum proin, si saeculo VII. secta Manichaeorum, Paulicianorum nomine, quasi in Valentini doctrinam prolapsa sit.

Operae pretium est animadvertere, *Doketismum,* utpote non ab ipsa falsa expositione revelationis, sed a Gnostico praeiudicio ortum, eo potius fine esse invectum, ut Gnosticismus cum revelatione catholica componeretur. De caetero, non solum circa realitatem corporis Christi Doketae erraverunt. Totum opus Incarnationis ipsis erat ignotum. Non enim, iuxta eos, Deus per Incarnationem personali vinculo iunctus erat homini, ut humanum genus sanctificaret, eidemque per sacramenta fructus passionis ac mortis applicaret. Opus Incarnationis non ultra spectabat quam ad doctrinae illustrationem [1]. Eucharistiam inde, teste Ignatio [2], reiiciebant, quum non confiterentur, ipsam esse corpus Iesu Christi Redemptoris.

Porro quum iuxta ipsos passio Christi solum fuerit imaginaria, mirum non est, si per ipsam nonnisi fictitie sese Christo adstrictos crediderint [3]. Inde iam facile quisque videat, in quantum laxismum practicum haec doctrina induxerit. Quum materia uti sine ullo modi excessu nonnisi paucissimorum sit, plerique omnia sibi licere, si minus putabant, moribus saltem se credere ostendebant. Est enim haec inconsequentia erroris et hypocrisis mali, ut ipso nimio despectu materiae ad eiusdem servitutem animas detrahat [4].

Quum Doketismus a primis Ecclesiae temporibus, propter gnosin, a qua procedebat, tam infestus hostis fuerit, mirum non est, veritates eidem directe contrariantes in Symbolo Apostolico tam aperte esse expressas, uti sunt, nativitatem

[1] Ab hoc errore non satis cavisse Abaelardum, superius iam vidimus.

[2] « Ab Eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confitentur, Eucharistiam « carnem esse Salvatoris nostri Iesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quam« que Pater benignitate sua resuscitavit » (*Ad Smyrn.,* c. 7, — Funk. Ibid., p. 241).

[3] Audi ipsum martyrem Ignatium : « Si vero ut quidam athei, hoc est, infideles, « aiunt, eum secundum apparentiam esse passum, ipsi secundum apparentiam tan« tum existentes : ad quid ergo vinctus sum, cur cum bestiis quoque depugnare opto? « Frustra igitur morior ; ergo falsa de Domino loquor » (*Ad Trall.* c. 10. — Ibid., p. 209). « Si illud ad apparentiam tantum a Domino nostro peractum est, et ego ad « apparentiam tantum vinctus sum, etc. ». (*Ad Smyrn.,* c. 4. — Ibid., p. 237, sq.).

[4] Cf. S. Augustinum, *De moribus Manichaeorum.*

Filium Dei de Spiritu S. ex Maria Virgine accepisse; veram fuisse eius passionem, mortem ac resurrectionem.

Nota. - Erroribus circa integritatem naturae humanae Christi adnumerandus est *Monothelismus,* in Verbo incarnato negans duplicem voluntatem. Sed quum S. Thomas hanc haeresim in Quaestione XVIII. tangat, ad eumdem locum eam remittimus.

Errorem Origenis de praeexistentia animae opportunius in art. 3.° Quaestionis sequentis confutabimus.

ARTICULUS I.

UTRUM FILIUS DEI DEBUERIT ASSUMERE CORPUS VERUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Agitur heic non solum *de facto* veritatis corporis Christi, sed de *necessitate facti.* Posito enim quod Filius factus sit homo, necesse est, eum assumpsisse corpus verum.

2) Praeter Manichaeos, nominandi hic sunt omnes, qui Christum negarunt habuisse veram *carnem.* Conclusionem, ipsum non fuisse verum hominem, Manichaeus et Colorbos optime intellexerunt. Ratio autem Manichaeorum [1] procedebat ex falso eorum dogmate de duplici rerum principio, altero bono, spiritualis mundi auctore, malo altero, auctore mundi materialis [2]. Veritas autem Incarnationis, aliunde probata, sufficit ad inanitatem huius dualismi demonstrandam. Si enim Deus verum corpus assumpsit, sequitur, corpora per se non esse mala.

3) Ad Manichaeos autem revocari possunt *Priscillianistae,*

[1] De Manichaeis haec scribit Augustinus: « Christum affirmabant fuisse, quem « dicit nostra Scriptura serpentem, a quo illuminatos eos asserunt, ut cognitionis « oculos aperirent, et bonum malumque dignoscerent. Eumque Christum novissimis « temporibus venisse ad animas, non ad corpora, liberandas. Nec fuisse in carne « vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus praebuisse; ubi « non solum mortem, verum etiam resurrectionem similiter mentiretur ». (*Haeres.,* c. 46. — *P. L.* t. XLII, col. 37, sq.).

[2] Cf. quae de Manichaeorum dualismo diximus in tractatu *De Deo Uno,* t. I, p. 408, sqq.

« qui, teste Leone Magno, Christum Dominum in vera hominis « natura natum esse non credunt, sed per quamdam illusio- « nem ostentata videri volunt, quae vera non fuerint, sequen- « tes dogma Cerdonis atque Marcionis et cognatis suis Ma- « nichaeis per omnia concordantes » [1].

4) Adverte autem sedulo, quaestionem hic non esse de possibilitate apparitionis Dei in corpore phantastico. Hoc enim negari non potest. At *a*) sibi, id est, veritati suae Deus debet, ut hominem non in errorem inducat affirmando verum corpus, quod tamen verum non sit. Insuper *b*) veritas operis salvifici per mortem Filii Dei carne nostra induti, veritatem corporis assumpti absolute exigit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Verbum *similitudo* patitur alium sensum affirmantem et alium potius negantem. Sensus affirmans ponit aequalitatem specificam; negans excludit identitatem. Obiectio procedit ex sensu negante, dum Apostolus in sensu affirmante loquitur, uti ex verbis immediate sequentibus apparet [2].

2. Obi. Lectio: « *assumptio corporis* » aliquam difficultatem parit. Quare aliqui legunt: « *assumptio humanitatis* ». Quaestio enim est de ipsa corporis assumptione. Servari tamen potest lectio communis dicendo, quaestionem esse non de ipsa assumptione corporis, sed de natura corporis assumpti, utrum sit verum, an phantasticum.

3. Obi. Sicuti umbra corporis supponit corpus materiale, - spiritus enim umbram non proiicit - ita visiones Veteris Testamenti supponunt apparitionem veram Filii hominis in propria natura et forma humana. Insuper, ex tota indole Antiqui Testamenti, imo ex ipso modo narrandi eruitur, non fuisse nisi imagines. Unde ex hoc nihil sequitur contra veritatem Dei.

Sed contra est. Vis argumenti S. Augustini est in conditionali: « *Si fefellit, veritas non est* ». Aliqui putaverunt hanc conditionalem non absolute veram esse, quod putamus erroneum. Aliud est permittere, ut quis fallatur, vel etiam talia agere sive proferre unde, stantibus circumstantiis, quasi

[1] Ep. 93.

[2] Cf. dicenda infra.

certo falli debeat; aliud, directe fallere; quod omnino putamus cum veritate divina repugnare. Atqui in casu ita fuisset. Christus enim se in specie humana ita gessit, ut omnino et directe affirmaverit, verum esse corpus humanum, quod cernebatur.

Caeterum praesens doctrina abundantissime demonstratur ex Scripturis, ex Liturgia, ex definitionibus Ecclesiae et ex Patrum consensu.

1) Ex *Scripturis* praeter iam allatas auctoritates in nota historica, multa alia argumenta ex utroque Testamento praesto sunt. *a*) Ex Vetere Testamento habes praedictiones de Christo ex semine mulieris [1], ex Abrahae stirpe orituro [2]; habes minutissima vaticinia de Christi passione: v. gr., « Fo- « derunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia « ossa mea ». [3] *b*) Ex Nov. Test. habemus loca, in quibus Christus expresse de suo corpore loquitur, v. gr., in promissione et in institutione SS. Eucharistiae: « Caro mea vere est « cibus, et sanguis meus vere est potus » [4]; « Hoc est corpus « meum,... hic est sanguis meus » [5]. Nec verba Christi dumtaxat id probant, sed tota narratio evangelica id omnino supponit ac exigit. Verbum inducitur incarnatum, pannis involvitur, circumcingitur, crescit aetate, ieiunat, esurit, fatigatur in itinere, transfiguratur in monte, sanguinem prae angustia emittit in horto, flagellatur, spinis coronatur, clavis cruci affigitur, emortui corpus lancea perfoditur, sindone involutum tumulatur; quin et gloriosum corpus, vere corpus manet tangibile atque organicum. Ex aliis Scripturis Nov. Test. satis sit afferre illud syntheticum S. Pauli: « Non habemus pon- « tificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: ten- « tatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato » [6]. Quibus verbis totum continetur: perfecta veritas humanae naturae Christi, perfecta veritas passionis Christi in hac humana natura, perfecta veritas mediationis Christi ob hanc veram in vera natura passionem.

[1] Gen. III, 15.
[2] Gen. XII, 3; XVIII, 18; XXII, 18, etc.
[3] Ps. XXI, 18.
[4] Ioann. VI, 56.
[5] Matth. XXVI, 26, sq.
[6] Hebr. IV, 15. — Cf. Rom. IX, 5; I. Cor. XV, 12, sqq.

2) Ex *Liturgia* sufficiat adducere Symbolum Athanasianum: « Deus et homo est. Deus est ex substantia Patris ante « saecula genitus; et homo est ex substantia matris in sae- « culo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima « rationali et humana carne subsistens ». Necnon antiphonam Circumcisionis: « O admirabile commercium. Creator generis « humani, animatum corpus sumens, etc. » [1]. Insuper quo spectaret cyclus mysteriorum Christi nisi veram inter nos mortalem vitam egisset, et de sepulcro vere redivivus in gloriam triumphator vere ascendisset?

3) Porro *declarationes Ecclesiae* de hoc dogmate manifestae sunt atque multiplices. Conc. Toletanum I, ann. 447, ita habet in Symbolo: « Credimus.... nec imaginarium corpus « aut phantasmatis alicuius in eo fuisse, sed solidum atque « verum; hunc et esuriisse, et sitiisse, et doluisse et flevisse « et omnes corporis iniurias pertulisse, etc., etc. » [2]. Idem affirmant Symbolum fidei a Leone IX. Petro episcopo propositum [3]; confessio fidei a Clemente IV. Michaëli Palaeologo tradita etab eodem in Conc. Lugdunensi II. Gregorio X. oblata [4]. Idem docet Symbolum Conc. Viennensis: « Cum Sancta Matre « Ecclesia confitemur, unigenitum Dei Filium... partes nostrae « naturae simul unitas, ex quibus ipse in se verus Deus exi- « stens fieret verus homo, humanum videlicet corpus passi- « bile et animam intellectivam seu rationalem, ipsum corpus « vere per se et essentialiter informantem, assumpsisse ex « tempore in virginali thalamo ad unitatem suae hypostaseos « et personae, etc., »; [5] necnon decretum *Firmiter* in Conc. Florentino pro Iacobitis latum, quod simul condemnat errores in sequentibus articulis abigendos: « Anathematizat etiam « Manichaeum cum sectatoribus suis, qui Dei Filium non « verum corpus, sed phantasticum sumpsisse somniantes, « humanitatis in Christo veritatem penitus sustulerunt » [6].

4) *Patrum* auctoritates hic coacervare, vix operae pretium.

[1] Cf. et orationem, quam sacerdos super aqua profert, antequam eam calici infundat; etc., etc.

[2] Denzinger (op. cit. n. 113); cf. can. 5. (ibid. n. 118).

[3] Ibid., n. 293.

[4] Ibid., n. 384.

[5] Ibid., n. 601.

[6] Ibid., n. 408.

Universa sacrorum scriptorum traditio confirmat brevissimam sententiam *Tertulliani:* « Totus veritas fuit. Maluit, « crede, non nasci, quam ex aliqua parte mentiri » [1]. Scripta apologistae Africani *De carne Christi* et *Ctr. Marcionem* heic quasi integra citanda essent. Una citatio caeteras compenset, in qua a fallacia hominis concludit ad fallaciam ipsius Dei: « Et ideo Christus eius (Marcionis) ne mentiretur, ne falleret, « et hoc modo creatoris forsan deputaretur, non erat, quod « videbatur, et quod erat mentiebatur; caro, nec caro; homo, « nec homo; proinde Deus Christus, nec Deus. Cur enim « non etiam Dei phantasma portaverit? An credam ei de « interiore substantia, qui sit de exteriore frustratus? Quo- « modo verax habebitur in occulto, tam fallax repertus in « aperto? Quomodo autem in semetipso veritatem spiritus « fallacia carnis confundens, negatam ab Apostolo lucis, id « est veritatis, et fallaciae, id est tenebrarum, commisit com- « municationem? » [2].

Eodem quasi modo *S. Ambrosius* dicit, nihil Christo de forma humana defuisse, sicuti nihil ei defuit de forma divina: « Si enim, ait, aliquid ei defuit, non totum redemit. Si non « redemit, fefellit igitur, qui dicit ideo se venisse, ut totum « hominem salvum faceret. Sed quia impossibile est mentiri « Deum, non fefellit ergo; quia ita venit, ut totum redimeret « et salvum faceret, totum utique suscepit, quod erat humanae « perfectionis » [3].

S. Irenaeus in Incarnationis veritate medullam totius fidei christianae intuetur: « Suo igitur sanguine redimente nos Do- « mino, et dante animam suam pro nostra anima, et carnem « suam pro nostris carnibus, et effundente Spiritum Patris in « adunitionem et communionem Dei et hominis, ad homines « quidem deponente Deum per Spiritum, ad Deum autem « rursus imponente hominem per suam incarnationem, et « firme et vere in adventu suo donante nobis incorruptelam, « per communionem, quae est ad eum; perierunt omnes hae- « reticorum doctrinae. Vani enim sunt, qui putative eum

[1] *De carne Christi,* c. 5. *P. L.* t. II, col. 762. — Cf. *ctr. Marc.,* 3, 8. — Ibid., col. 382. — Cf. S. Augustin., Quaest. LXXXIII, q. 14. *P. L.* t. XL, col. 14.

[2] *Ctr. Marcion.,* l. III, c. 8.

[3] Ep. 63.

« dicunt apparuisse. Non enim putative haec, sed in substantia « veritatis fiebant » [1].

Unde Patres proclamant, Christum totum hominem assumere debuisse, ut totum hominem salvaret. Eleganter sane S. *Fulgentius:* « Manifestum est, quoniam hoc revocavit, quod « propriis humeris reportavit. Si autem ipse totam se profi- « tetur ovem propriis humeris reportasse; totus homo cogno- « scatur in Christo; quoniam hinc est hominis credenda « redemptio, si in Filio Dei susceptionis humanae, id est, « ovis illius reportatae, non defuit plenitudo. Hoc enim Deus « in nobis salvavit, quod pro nobis accepit » [2]. Quod iam brevius dixerat S. *Augustinus:* « Totum hominem sine peccato « ille suscepit, ut totum, quo constat homo, a peccatorum « peste sanaret » [3]. Quantopere autem huiusmodi auctoritates doctrinam totius Quaestionis praesentis fulciant, abunde liquet.

Quare a veritate assumptae nostrae naturae pendet spei nostrae firmitas. « Si quis, ait S. *Gregorius Nazianzenus*, « in hominem mentis expertem sperat, amens est revera, « neque dignus, qui totus salvetur. Quod enim assumptum « non est, curationis est expers. Quod autem unitum est Deo, « idipsum et salute donatur » [4]. Vix aliter iam dixerat S. *Paulus:* « Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, « adhuc enim estis in peccatis vestris » [5]. Iam vero quomodo Christus surrexisset, nisi verum corpus habuisset? Unde Apostoli discipulis Emaus reducibus laetabundi dixerunt: « Surrexit Dominus vere » [6].

In Corpore. Lucida, simplex et profunda simul est doctrina hic ab Angelico exposita. Reducitur ad triplicem syllogismum.

1) Verbum est homo, ergo habet verum corpus. - 2) Ver-

[1] L. v, c. 1.

[2] *Ad Trasim.*, l. I, c. 6.

[3] *Civ. Dei*, l. x, 27. — *P. L.* t. XLI, col. 305; cf. serm. 437. — Ibid. t. XXXVIII, col. 1446.

[4] Epist. 1. ad Cledon. (al. Or. 51). Plures huiusmodi citationes Patrum qui quaerit, adeat Legrand (op. cit. p. 394, sq.), Card. Franzelin (op. cit. th. XII), Klee (*Dogmengeschichte*, t. II, p. 15 sq.), Stentrup (op. cit. th. VI), etc., etc.

[5] I. Cor. XV, 17.

[6] Luc. XXIV, 34.

bum morte sua nos redemit, ergo verum corpus habuit. - 3) Verbum est veritas, ergo corpus eius fuit verum.

Ad corroborandam hanc tertiam conclusionem observa cum S. Th. in *Sña ctr. G.* [1], morem esse Scripturae monere de apparitionibus, utrum reales an phantasticae sint [2].

Resp. ad 1m. Illustratur hic locus S. Pauli ad Philippenses per alium eiusdem locum ex epist. ad Romanos. « Misit Deus « Filium suum in similitudinem carnis peccati » [3]. Unde habes, aliquam adesse rationem, cur corpus Christi simile dicatur nostro etiam in sensu negante identitatem: non quidem ad excludendam identitatem specificam, sed moralem [4].

Ex toto hoc articulo apparet, quam opportune S. Ioannes in prologo Evangelii sui dixerit: « *Et Verbum caro factum* « *est* ». Cuius affirmationis erroneam interpretationem Apollinaris in ultimis articulis huius Quaestionis tangemus.

ARTICULUS II.

UTRUM FILIUS DEI DEBUERIT ASSUMERE CORPUS TERRENUM, SCILICET CARNEM ET SANGUINEM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Uti ex *Corpore* articuli apparet, atque supra diximus, nobis res est hic cum *Valentinianis*, qui ex falso Manichaeorum principio de origine mundi materialis [5] docebant, Christum, etiam uti homo est, de caelo advenisse, quod et in ipsa Scriptura tradi asserebant [6].

2) Praeter *Valentinum* affirmantem, Filium Dei non terrenum, sed caeleste corpus assumpsisse, atque nihil de B. M. V. traxisse, hic confutandus est *Apollinaris* dicens, aliquid de

[1] L. IV, c. 29.

[2] Cf. GEN. XVIII. 2; Is. VI, 1; EZECH. I, 4; VIII, 3; — MATTH., XIV, 26; et efficacissime in ipso loco in *Corpore* allato, qui per se sufficeret ad hanc quaestionem solvendam.

[3] C. VIII, 3.

[4] De sensu quo haec S. Pauli sententia sit intelligenda, lege inter alios Tertullianum (*De carn. Christi,* c. 16), S. Chrysostomum (in ep. ad Rom. Homil. 13, n. 5), S. Ambrosium (*De poenit.,* l. I, c. 3), et auctorem comment. in ep. ad Rom. sub nomine Ambrosii (VIII, 3).

[5] Abutebantur ad hoc stabiliendum locis I. IOANN. III, 8, et II. COR. VI, 14.

[6] IOANN. III, 13; VI, 38; I. COR. XV, 47. — Cf. *Sña ctr. Gent.* IV, 29.

substantia Verbi in carnem fuisse mutatum [1], necnon haeresis *Mennotitarum* contendentium, Verbum corpus de substantia Patris attulisse.

3) Hoc articulo confutatur quoque *Marcion* ponens, de supernis Verbum corpus advexisse; inde forte deceptus, quod cum Platone crediderit, ad beatitudinem hominis pertinere a corpore terrestri liberari [2].

4) Quomodo hi omnes maternitatem B. M. V. impugnarent, apertum est. Quare refelluntur per omnia loca Scripturae, in quibus haec ipsa maternitas adstruitur: « Deus « misit Filium suum *factum ex muliere* » [3]; « Iacob genuit « Ioseph, virum Mariae, *de qua natus est Iesus,* qui vocatur « Christus » [4]; « Factus est *ex semine David secundum car-* « *nem* » [5]. Unde dicit Concil. Ephesinum can. 1: « Si quis non « confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea « Dei genitricem sanctam Virginem: peperit enim secundum « carnem, carnem factum Dei Verbum, secundum quod « scriptum est: " Verbum caro factum est "; A. S. » [6]. Et in Conc. Constantinopolitano V. can: 6. « Si quis abusive et « non vere Dei genitricem dicit sanctam gloriosam semper « Virginem Mariam, A. S. » [7].

5) Recentiori aetate Valentini errorem ex integro aut ex parte instaurarunt, praeter *Anabaptistas* [8], *a*) *Quakeri,* qui non audent quidem veritatem naturae humanae Christi auferre, at de eius identitate cum nostra natura dubitant [9]; *b*) pseudomystici quidam saeculi XVI., uti Valent. Weigelius, philosophus Ioann. Gul. Petersen, et Ioann. Conr. Dippelius, qui putaverunt, duplicem Christo tribuendam esse carnem seu naturam humanam: aliam caelestem sive prope divinam, ante saecula, aut saltem a condito paradiso assumptam; aliam terrenam, de Virgine Maria miraculose acceptam [10].

[1] Abutebatur crasse sententia Ioannis: « Et Verbum caro factum est ». I, 14.
[2] Cf. Aug. *de Civit. Dei* X, c. 27, 29. — S. Th. III. Sent. Dist. II, q. I, a. 3, sol. I.
[3] GAL. IV, 4.
[4] MATTH. I, 16.
[5] ROM. I, 3. - Cf. HEBR. II, 11.
[6] DENZINGER (op. cit. n. 73).
[7] Ibid. n. 177.
[8] Cf. *Wiest* (*Demonstr. dogm.* t. IV, p. 484, sq.).
[9] Ibid.
[10] KATSCHTHALER (op. cit. p. 148).

6) Omnes isti errores peccant per defectum, quatenus imminuunt identitatem specificam inter Christi humanam naturam et nostram; per excessum delinquunt quotquot hanc identitatem usque ad modum ortus extendere volunt. De quibus ex professo in II. Parte huius tractatus egemus, ubi de virginali partu B. M. V. erit dicendum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Sequentia verba S. Pauli ostendunt, Christum secundum personam divinam non secundum hominem descendisse de caelo. Addit enim: « Filius hominis, qui est in caelo »; hoc est: qui, uti Deus, non desinit esse in caelo. Motus autem hic non localis intelligendus est. Deus enim aeque caelum et terram praesentia sua implet; sed secundum quod terrenam sibi substantiam copulat, descendere dicitur, sicuti alibi se exinanire praedicatur. Quare nedum doctrina de realitate corporis Christi terreni per hunc textum infirmetur, solide inde corroboratur [1].

Sed contra est. Quidquid sit de modo, quo Deus potuisset producere corpus a se assumendum, certum est, ad realitatem assumptionis naturae nostrae requiri assumptionem verae materiae, h. e., elementorum, quibus corpus constat. Secus iam corpus non esset. Quare omnes rationes in articulo praecedente allatae militant etiam in praesenti. Quousque autem sese extendant haec elementa et animatio eorumdem in appendice huic articulo adnexa investigabimus.

Valentini error confutatur per omnia auctoritatis argumenta in praecedenti articulo adducta; specialius 1) ex *Scripturis* per ea, ex quibus apparet: *a*) Christum natum esse de stirpe nostra, v. gr., per genealogiam ipsius Christi; per verba Pauli: « Ex quibus est Christus secundum « carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sae- « cula » [2]; - *b*) Mariam esse veram Christi matrem: « Ecce « concipies in utero, et paries Filium » [3]; - *c*) Christum esse nostrum fratrem: « Qui enim sanctificat, et qui sanctifi- « cantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confun-

[1] Cf. S. Th. loco citato.

[2] Rom. ix. 5.

[3] Luc. i, 31. — Cf. dicta n. 4; et dicenda in II. Parte, ubi de divina maternitate directe agetur.

« ditur fratres eos vocare dicens: Nuntiabo nomen tuum fra-
« tribus meis: etc. » [1]; est enim « ipse Primogenitus in multis
« fratribus » [2].

2) Ex *Ecclesiae* et *Liturgiae* documentis satis sit praeter iam allata, adducere *a*) verba sequentia Symboli Athanasiani: « Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus; et « homo est *ex substantia matris* in saeculo natus.... Unus « autem *non conversione divinitatis in carnem* sed assump-
« tione humanitatis in Deum ». Prior sententia directe Valentinum, altera Apollinarem confutat [3]. - *b*) Symbolum fidei Concilii Toletani XI. disertissime Valentini errorem damnat. « Hic (Christus) pro eo quod de Deo Patre sine initio pro-
« diit, natus tantum, nam neque factus, neque praedestinatus « accipitur; per hoc tamen quod de Maria Virgine natus « est, et natus et factus et praedestinatus esse credendus « est;... qui tamen secundum quod Deus est, creavit Mariam, « secundum quod homo, creatus est a Maria: ipse et pater « matris et filius » [4]. - *c*) Idem docet expresse professio fidei ab Innocentio III. Waldensibus imposita: « Incarnationem « Divinitatis... in Filio tantum, corde credimus et ore confi-
« temur, ut qui erat in divinitate Dei Patris, Filius, Deus « verus ex Patre, esset in humanitate hominis filius, homo « verus ex matre, veram carnem habens ex visceribus « matris,.. natus ex Virgine Maria vera carnis nativitate »; etc. [5]. - Pariter *d*) Decretum *Firmiter* a Concilio Florentino latum: « Anathematizat (S. Romana Ecclesia) Valentinum « asserentem, Dei Filium nihil de Virgine Matre cepisse, « sed corpus caeleste sumpsisse, atque transiisse per ute-
« rum Virginis, sicut per aquaeductum defluens aqua trans-
« currit » [6].

3) Ex *Patribus* eadem doctrina abundantissime constat. Ex Graecis *S. Ignatius* Mart. scribit: « Dominus noster « Iesus Christus parturiebatur a Maria, secundum dispen-
« sationem Dei, ex semine quidem David, Spiritu autem

[1] Hebr. II, 11, sq.
[2] Rom. VIII, 29.
[3] Cf. et alia Symbola apud Denzinger (c. I), imprimis Symbolum Missae.
[4] Denzinger (op. cit. 232).
[5] Ibid. n. 368.
[6] Ibid. n. 601.

« Sancto » [1]. - S. *Athanasius* ait: « Verbum Deus natus est « ex Maria Virgine et Spiritu Sancto in Bethlehem Iudae, « ex semine David et Abrahae et Adae, ut scriptum est, « omnia assumpsit ex Virgine, quaecumque ab initio Deus « ad constitutionem hominis efformavit et condidit, excepto « peccato » [2]. - S. *Gregorius Naz.*: « Si quis Christum per « Virginem tanquam per canalem fluxisse, non autem in ea « divino simul et humano modo formatum esse dixerit: divino, « quia absque viri opera, humano, quia humani conceptus « lege, aeque atheus est » [3].

Ex Latinis: S. *Hilarius* frequenter hanc veritatem inculcat [4]. - S. *Leo M.* ait: « Habitavit in nobis, quos sibi Verbi « divinitas coaptavit, cuius caro de utero Virginis sumpta « nos sumus... Substantiam nostri corporis suam fecit, non « de quacumque materia, sed de substantia proprie nostra » [5]. - S. *Fulgentius* et quindecim episcopi cum eo in Sardinia exules scribunt: « Verbum Dei, idemque Verbum Deus, « humanam carnem de carne matris accipiens,.. carnem non « conceptam accepit unigenitus Deus, sed in ea est Deus « altissima humilitate conceptus. Idem quippe Deus creatus « est de Virgine et in Virgine secundum carnem » [6]. - Ven. *Beda* Valentini simul et Apollinaris errorem depellit: « Si caro Verbi Dei secundum carnem nascentis a carne « Virginis Matris pronuntiatur extranea, sine causa venter, « qui eam portasset, et ubera, quae lactassent, beatificantur... « Dicit enim Apostolus: "Quia misit Deus Filium suum « factum ex muliere, factum sub lege". Neque audiendi « sunt, qui legendum putant: "Natum ex muliere, factum « sub lege"; sed "factum ex muliere": quia conceptus ex « utero virginali carnem non de nihilo, non aliunde, sed « materna traxit ex carne; alioquin nec vere Filius hominis « diceretur, qui originem non haberet ex homine » [7]. Quod autem immediate subdit: « his contra Eutychen dictis »,

[1] Ep. ad Ephes. n. 18; Cf. ad Smyrn. n. 1 (op. cit. p. 186, 234).
[2] *Ctr. Apollin.* l. II, n. 5. — *P. G.* t. XXVI, col. 1140.
[3] Epist. I, ad Cledon. — *P. G.* t. XXXVII, col. 177.
[4] Cf. Ps. LI, n. 16, 17. — *P. L.* t. IX, col. 317. — Cf. Praefationem ibid. col. 31, sq.
[5] Serm. X, de Nativ., c. 3.
[6] Cf. *De Incarn.* n. 4, 5; Serm. II, etc. — *P. L.* t. LXV, col. 575, sq.; 720, sqq.
[7] Comment. Luc. l. IV, c. 49. — *P. L.* t. XCII, col. 479, sq.

intelligendum est iuxta unam ex interpretationibus, quas de huius haeresiarchae doctrina exhibet Boëthius [1].

In Corpore. S. Thomas aliis paululum verbis tria ipsa argumenta reproducit, quae in articulo 1. ad veritatem corporis Christi adstruendam attulerat [2].

Corollarium. - Quemadmodum veritatem corporis offendit, qui illud caeleste ab initio fuisse contendit; ita quoque in hanc veritatem peccant, qui post resurrectionem illud a vera corporeitate eximunt. De quo Origenis errore loco suo dicemus, ubi de gloriosa resurrectione Christi.

APPENDIX.

De Assumptione omnium Partium Corporis.

Celeberrima est apud philosophos et theologos quaestio, utrum singula elementa, quae in corpore humano reperiri constant, ad ipsum corpus uti partes pertinere dicenda sint. De qua quaestione, in tractatu de homine ex professo investiganda, breviter saltem hic agendum duximus, utpote cum praesenti argumento intime connexa.

Elementa, quae corpus constituunt, vel saltem in corpore humano reperiuntur, septuplici gradu distingui posse videntur. 1) Primo loco ponenda sunt carnes, nervi et cerebrum, etc., de quibus, utrum ab anima animentur, vix dubium potest esse apud philosophum, qui de unitate compositi humani recte sentit; - 2) secundo loco sunt ossa, partesque duriores, quibus nervi et carnes superinduuntur, et per quae compaginem organico-mechanicam obtinent; - 3) tertio loco sanguis, quo corpus non solum iugiter sustentatur, sed in vitali exercitio servatur; - 4) quarto loco veniunt alii humores, qui ad harmoniam organorum requiruntur, ut sunt succus gastricus, bilis, etc.; - 5) quinto loco accedunt partes veluti excrescentes, at corpori adhaerentes, uti ungues et capilli; - 6) sexto loco humores secretales, sive qui ad vitam

[1] Op. cit. c. v. — *P. L.* t. LXIV, col. 1347, sq. Vides, sub hoc respectu Apollinaristas et Mennotitas eisdem argumentis confutari, quibus Monophysitas.

[2] Eodem modo arguit S. Bonaventura, III. Sent. Dist. II, a. 2, q. 2.

individui respiciunt, ut sunt sudor ac lacrimae; sive quae ad generationem spectant, uti sperma et lac; - 7) septimo loco, residua potus et cibi, quae in expulsionem destinantur.

Haec ultima ad corpus, non pertinere, licet in corpore sint, in confesso est apud omnes. Pariter quae primo loco enumeravimus, propriissime ad corpus pertinere, ab omnibus admittitur. De secundo gradu incipit moveri quaestio. Equidem haud dubito, ossa tam intime ad corpus pertinere, ut ab anima vere animata dicenda sint. Imo non puto, ossa in eodem gradu recte poni cum unguibus et capillis, quemadmodum facit Cl. Urráburu [1].

De *sanguine* iam maior est controversia, scilicet de gradu quo sanguis proprie dicendus sit pars corporis. Estne mere pars integrans, pars nutriens, pars ad vitae conservationem necessaria; an insuper pars vita ipsius animae animata?

In diversa abeunt philosophi et theologi. Sanguinem esse vere animatum, tenent plerique Thomistae, licet de sententia ipsius S. Thomae, sicuti et Aristotelis disputetur; affirmant quoque alii auctores optimi nominis, uti Valentia, Petrus Hurtado, Arriaga, Oviedo, Quiros, etc. Sed non omnes id admittunt de sanguine quovis, sed unice de sanguine naturali perfecto, quem aliqui distinguunt a sanguine mere nutrimentali [2].

Multi ex opposito, ducibus S. Bonaventura, Alexandro Halensi, Scoto, Richardo, Durando, Paludano, Suarez, Vasquez, cum plerisque scriptoribus e Societate Iesu, sanguinem animari negant.

Argumenta praecipua in favorem prioris sententiae sunt: *a*) sanguinem esse veram partem humani corporis, quod maxime ex mysteriis Incarnationis et Eucharistiae demonstratur, - *b*) unitatem hominis requirere unitatem formae, quod non haberetur amplius, si anima non esset sanguinis forma; - *c*) sanguinem apparere re vera uti organicum et viventem, idque semper magis per recentiores investigationes Physiologorum corroborari [3]; - *d*) sanguinem esse

[1] *Institut. philos.* t. VI. *Psycol.* p. 794. — Lege hanc expositionem apprime eruditam et, ut aiunt, « obiectivam ».

[2] Hanc distinctionem alii, uti Arriaga, tanquam fictitiam prorsus reiiciunt.

[3] Ita Guibert, Lebon, Milne-Edwards, etc. — Cf. Urráburu (op. cit. p. 805).

symbolum vitae; porro quomodo, quod est vitae symbolum, vita careret? [1].

Ex quibus rationibus princeps nobis esse videtur tertia, utpote magis directe animationem sanguinis vindicans. Et sane nutrimenta quae homo assumit, iam assimilata organismo censentur, quando in purum sanguinem convertuntur.

Negantium argumenta praecipua sunt: *a*) sanguinem nullam operationem vitalem elicere; - *b*) sanguinem esse corporis nutrimentum; - *c*) sanguinem cum partibus humani corporis non efformare continuum; - *d*) sanguinem ab uno animali in aliud posse transfundi.

Equidem, - licet tantam controversiam paucis verbis dirimere nolim, - puto, argumenta negantium esse debiliora. Ultimum sane nil valet, quum et pars pellis, - quae certe animari non negatur, – ab uno animali possit ad aliud transferri. - Nec valde persuadet ratio continui; nam in toto corpore sat servatur, fluit enim sanguis per modum unius, et intimo nexu cordi adhaeret. Caeterum quid vere continuum in rerum natura habetur, quum omnes moleculae tenuissimo intervallo ab invicem distent? Vera continuitas consistit in viribus, per quas moleculae ad invicem alligantur. Iam vero cordis motus hanc virium unitatem inter corpus et sanguinem servat. - Quod autem sanguis corporis nutrimentum sit, demonstrat utique, eum non esse ipsum corpus, sed non probat, eum non esse animatum. - Demum de operatione vitali potest moveri quaestio, utrum requiratur operatio vitalis superioris ordinis ad hoc, ut aliquid possit esse pars viventis. Et sane, quum anima sit forma totius, id est, vitae intellectualis, sensitivae et vegetativae, non oportet, ut omnes vitas in omnibus partibus exerceat. Unde licet constaret nullam per sanguinem elici operationem vitalem, nondum inde sequeretur, eum ab anima non animari, quum posset ea dumtaxat animari forma, quae dat esse.

Quum ergo ex una parte rationes philosophicae negantes debiliores sint, et ex altera parte sanguis appareat uti ali-

[1] Cf. « Anima eius in sanguine est » Levit. xvii, v. 11, 14. Inde dicit S. Augustinus: « Aliquid vitale est in sanguine, quia per ipsum maxime in hac carne vivi- « tur » (*L. III QQ. super Levit.* q. 57).

quid vere organicum, ad vitam hominis maxime conferens, re philosophice dumtaxat spectata, iam Thomistarum sententia magis arridet. Theologice autem re perpensa, haec sententia maiorem adhuc sibi probabilitatem vindicat. Nam ex una parte verba: « Hic est sanguis meus », constituunt Christum totum sub sacramentali velo praesentem; et melius intelligitur forma duplicis speciei sub qua Christus hoc magnum mysterium instituere voluit, si sanguis, vitae symbolum, revera vitaliter pertinet ad humanam naturam. Ex altera parte unio hypostatica sanguinis Christi cum divinitate facilius intelligitur, si re vera sanguis ut pars constitutiva perfecti corporis humani concipitur. Uniri autem hypostatice sanguinem ad Verbum, demonstratur, tum ex Eucharistiae mysterio, tum ex pretio SS. Sanguinis, iuxta verba Apostoli: « Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris « in sanguine suo » [1], id est, « non corruptibilibus auro et « argento,... sed pretioso sanguine, quasi Agni immaculati « Christi et incontaminati » [2]. - Insuper hanc veritatem non semel Ecclesia definivit: *a*) Pretium SS. Sanguinis Clemens VI. ita declarat: « Gutta sanguinis modica *propter unionem ad Ver-* « *bum* pro redemptione totius humani generis suffecisset » [3]. *b*) Innocentius III. ex aqua et sanguine, quae de latere Christi in cruce effluxere, demonstrat, illud corpus habere quatuor humores, « qui sunt de compositione corporis hu- « mani. » [4]. - *c*) Concilium Trid. docet, in altaris mysterio Christi corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis poni « vi naturalis illius connexionis et concomitan- « tiae, qua partes Christi Domini... inter se copulantur » [5].

[1] Apoc. I, 5.

[2] I. Petr. I, 18, sq. — Cf. S. Clem. Rom. (*ad Cor.* VII, 4. — Op. cit. p. 70).

[3] *Extrav. Unigenitus,* de poenitentia et remissione. — Hinc illa stropha rhythmi « *Adoro Te* »:

Pie Pellicane, Iesu Domine,
Me immundum munda tuo Sanguine,
Cuius una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

Hinc pictores, in scena crucifixionis repraesentare solent angelos summa veneratione colligentes pretiosissimum Sanguinem, qui de vulneribus, deque aperto latere Christi scaturit.

[4] *Extrav.* de celebratione Missarum.

[5] Sess. XIII, cap. 3.

Narrat insuper Toletus factum, « quod apud Barcinonem « semel accidit, ubi quidam concionator publice docuit, san- « guinem non esse unitum Verbo hypostatice; et ab inqui- « sitoribus comprehensus palinodiam recantare coactus est. « De qua re consultus Papa Pius II. determinavit, vere esse « sanguinem unitum » [1].

Equidem scio, Verbum etiam assumere potuisse sanguinem, quin hic esset ab anima humana animatus, quia saltem pertinet ad integritatem humanae naturae [2]. Sed rationem huius assumptionis fieri excellentiorem, et effusionem huius divini sanguinis magis, ut ita dicam, symbolicam et expiatricem, si hic sanguis sit vitaliter aut certo entitative ab anima animatus, nemo sane infitiabitur.

Scholion. - Corpus humanum potest intelligi presso et largo sensu [3]. Sensu presso contradistinguitur a sanguine, et tunc sanguis non est pars corporis; largo sensu contradistinguitur ab anima, et tunc sanguis pars corporis est; nec sanguis modo, sed et omnes humores illi, qui ad organorum functiones requiruntur, ac proin plus vel minus, pro dignitate officii, uti partes corporis habendi sunt, et quae proin Verbum assumpsisse dicendum est [4].

Corollarium. - Ex dictis in hac appendice apparet, quo sensu tenendum et quo sensu mitigandum sit tritum axioma: « Quod semel assumpsit, nunquam dimisit » 1) Tenendum est quatenus, quot partes humanae naturae Verbum incarnatum ab instanti suae conceptionis in utero Virginis assumpsit, semper sibi assumptas retinuit, scilicet: animam cum facultatibus suis, uti ex sequentibus magis elucebit; corpus cum

[1] Hoc loco. — Cf. Sylvestrum (*Rosa aurea* tract. III, q. 30). — Vides ex his, errasse Abulensem (*Paradox.*, II, c. 40), Gabrielem (Lect. 53, sup. can. dub. 4) et Richardum (III. Sent. Dist. II, p. 2. q. 1, ad 2), qui non putabant sanguinem Verbo immediate unitum, unde in triduo mortis eum a divinitate seiunctum tenebant; ita ut, si quis per hos dies vinum consecrasset, nonnisi in sanguinem illud convertisset.

[2] Ita Toleti duae primae conclusiones de hoc argumento sonant: « 1) Concl. « Sanguis non est animatus. — 2) Concl.: Quamvis sanguis non sit animatus, est « tamen ad vitam et consistentiam animalis necessarius, sine quo naturaliter non « potest animal sanguineum constare ». (Hoc loco) Miror sane, Cl. Urráburu Toletum potius Thomistis in hac quaestione adnumerasse (op. cit. p. 800).

[3] Hoc prae oculis habito concordant inter se plures textus S. Thomae, ex quibus oppositarum sententiarum patroni in suas partes arguunt.

[4] Plura de hoc argumento dicemus ubi de Christi corpore glorioso.

suis partibus constituentibus et integrantibus, uti ex his duobus articulis et ex hac appendice constat.

2) Mitigandum est *a*) quatenus Verbum corpus et animam vitaliter ad invicem unita assumpsit, et hanc vitam in cruce pro mundi salute deposuit, ac rursus in aurora Paschatis reassumpsit; - *b*) insuper quatenus ad vitam corpoream organicam requiritur mutatio perpetua elementorum, quibus vivens corpus in hac mortali conditione componitur. Unde sicut per crescentiae stadium, a conceptione usque ad adolescentiam plenam, Christi corpus augmenta iugiter acquirebat, quae proin Verbum assumebat; ita per totum viatoris stadium in hoc mortali corpore habebatur elementorum fluxus, quatenus elementa modo non assumpta per assimilationem assumebantur, et modo per transformationem ab assumptione excidebant. Quomodo autem haec fiant illaesa identitate corporis individui singularis, in Psychologia et Physiologia ex professo traditur [1].

ARTICULUS III.

UTRUM FILIUS DEI ASSUMPSERIT ANIMAM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Directe nobis in hoc articulo res est cum *Ario* et *Eunomio* animam in Christo negantibus, utpote, ob praesentiam Verbi immediate sibi corpus unientis, superfluam. Horum impietatem varia Concilia solemni oraculo damnaverunt. Ita Conc. Romae habitum sub Damaso Papa: « Anathematizamus eos, qui pro hominis anima ratio-« nali intelligibili dicunt Dei Verbum in humana carne ver-« satum; cum ipse Filius sit Verbum Dei et pro anima « rationabili et intelligibili in suo corpore non fuerit, sed « nostram id est rationabilem et intelligibilem sine peccato « animam suscepit ». Item Conc. Chalced. 1. dicit: « Consen-« tientes sanctis Patribus unum eumdemque confiteri Filium « D. N. I. Chr., consona voce edocemus, pariter perfectum « eumdem in deitate Deum, et hominem verum eumdem

[1] Cf. de hoc argumento ultimam conclusionem Card. Toleti (loc. cit.).

« ex anima rationali et corpore, etc. ». Item Eugenius IV. in Concilio Florentino: « Sacrosancta Ecclesia anathematizat « Arium, qui asserens corpus ex virgine assumptum anima « caruisse, voluit loco animae fuisse deitatem ». Ad rem, praeter loca Symbol. Athanasiani iam citata, verba « *anima-* « *tum corpus sumens* » ex antiphona maxime dogmatica superius laudata: « *O admirabile commercium!* »

2) Iam vero talis positio Arii et Eunomii estne *a*) possibilis? Et dato eam esse possibilem, estne *b*) consona revelationi? En argumentum huius articuli. Cui duplici quaesito cum Aquinate respondetur, hanc positionem possibilem non esse, nam divinitas Verbi nequit forma corporis humani fieri et cum ipsa componere unam naturam specificam [2].

3) Nec mirum proin, quod undequaque repugnet revelationi. *a*) Christus est homo; iam vero Filius ita incarnatus, homo non esset, idque multipliciter. - *b*) Christus locutus est de anima sua, et in anima est passus; aliasque emotiones sensit, de quibus Evangelium; iam vero haec omnia nequeunt ipsi convenire secundum Verbum formam corporis factum. - *c*) Christus Redemptor totum hominem redemit, et imprimis animam reparatione magis indigentem, uti optime dicit Virgilius Tapsensis [3]. Atqui, sicuti et Scholastici passim docent, non redimere potuit, quod non assumpsit [4]. Ergo.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Haec obiectio non solum solvitur, sed et validissime retorquetur. Etenim *caro humana* dari non potest sine principio formali animae vivificantis ipsam. Optime Angelicus: « remota anima, oculus, caro et os homi- « nis mortui aequivoce dicuntur, sicut oculus pictus aut lapi- « deus. Si igitur in Christo non fuit anima, necesse est, quod « nec vera caro in eo fuerit, nec aliqua alia partium homi- « nis » [5]. Atqui ex textu ibidem apposito Verbum *caro* factum est; ergo animam humanam assumpsit [6].

[1] *Summa ctr. G.* IV, 32.
[2] Cf. *Corpus* huius articuli in initio.
[3] *Ctr. Felicianum.*
[4] Utique iuxta oeconomiam praesentem.
[5] *Summa ctr. Gent.*, IV, 32.
[6] Luc. XXIV, 39.

2. Obi. Confundit inter causam efficientem et causam formalem. Causa autem formalis est quidem a causa efficiente superiore; sed non magis requirit ab ipsa suppleri, quam causa materialis. Imo potius e converso dicendum foret, quum magis deceat, superius agens agere per media digniora. Atqui forma dignior est materia. Ergo [1].

3. Obi. Aliud in Christo elementum specificum resultans ex perfectione naturae assumptae; aliud elementum specificum resultans ex compositione totius. Prius affirmatur, propter perfectionem naturae assumptae; alterum negatur, propter distinctionem utriusque naturae: species enim naturam respicit, non suppositum.

Sed contra est. Iam doctrinam huius articuli argumentis theologicae auctoritatis fulsimus, in art. 5. Q. II, in praeambulo historico huius Quaestionis, in articulis praecedentibus, et in n. 1. huius articuli. Reliqua vide in expositione *Corporis.*

In Corpore. S. Thomas historica quaedam praemittit. Circa quae notandum est, quod, si inter se conferantur duo Augustini loca, [2] vicissitudines variae videntur advenisse in errore Apollinaristarum. 1) Apollinaris negavit in Christo animam quamvis humanam. 2) Dein « testimoniis evangelicis victus » admisit animam inferiorem [3]. 3) Discipuli eius, ne ponerent, Dei Filium « belluam quamdam cum figura humani corporis « suscepisse », « displicuerunt sibi, non tamen ad correctio- « nem », et nolentes admittere « totum hominem a Sapientia « Dei susceptum esse.... nulla diminutione naturae,... solam « carnem humanam eum suscepisse dixerunt ». Patet igitur, aliquem circulum ab eis esse perfectum, utpote regressis ad priorem errorem magistri sui, nedum in viam concessionis ab eo initam progressi, veritatem tandem confiterentur.

Iam vero hunc errorem triplici argumento Angelicus con-

[1] Cf. Q. II, a. 5, ad 3.

[2] *De Haeres.*, n. 55, et *De Quaestionibus LXXXIII*, q. 80.

[3] Idem de utroque Apollinari, patre et filio, testatur Socrates: docuisse scilicet ambos, « animam a Deo Verbo in dispensatione incarnationis non assumptam. Deinde « quasi poenitentia ducti corrigentes semetipsos adiecerunt, animam quidem assump- « tam, quae tamen non haberet mentem, sed Deum Verbum esse pro mente in homi- « nem assumptum » (*H. E.* l. II, cap. ult.). — Cf. Theodor. l. IV, c. 8. — Haeresim Apollinaris damnavit Concilium Alexandrinum sub S. Athanasio ann. 362, synodus Romana sub Damaso Papa, et Concilium Constantinopolitanum I, oecum. II. — Cf. art. seq. in *Sed contra est.*

futat: 1) Adversatur testimoniis Scriptura; 2) derogat utilitati Incarnationis; 3) est contra ipsam Incarnationis veritatem. Pauca quaedam de singulis.

I. *Ad 1m. argumentum ex auctoritate Scripturae.* Testimonia Scripturae alia sunt *implicita,* alia *explicita. a*) *Explicita* diserte *animam* Christi exprimunt. Sunt praesertim tria: α) « Tristis est *anima mea* usque ad mortem » [1]; β) « Nunc « *anima mea* turbata est » [2]. « Potestatem habeo ponendi *ani-* « *mam meam* et iterum sumendi eam » [3]. Hic ultimus textus efficacior est, quia demonstrat non solum in Christo animam praeter corpus, sed hanc eamdem animam distinguit a potestate superiore, quae Christo ob divinitatem competebat [4].

b) *Implicite* Christum animam humanam habuisse demonstrant α) omnia loca ex quibus apparet, in ipso fuisse operationes ordinis sensitivi et intellectualis humani [5]. Unde sequitur implicite, loca α) et β) supra allata efficaciam plenam habere ex eo quod *tristem* esse, *turbari,* divinitati Christi nullo modo tribuere liceat.

β) Omnia loca, ex quibus apparet, Christum pro nobis meruisse, Patri obedientiam praestitisse; quae omnia non sunt dumtaxat de Christo homine intelligenda, sed formaliter de homine per animam.

2) Mirum non est proin, si *Ecclesia* per suas authenticas declarationes et per suam Liturgiam errorem huic doctrinae oppositum tam strenue profligavit. Praeter documenta in praeambulo huius articuli, et iam in aliis articulis allata, vel mox afferenda, placet adducere modum, quo professio fidei Tridentinae de SS. Eucharistia loquitur: « Profiteor..... in « SS. Eucharistiae Sacramento esse verè realiter et substan- « tialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate « Domini nostri Iesu Christi ».

3) Nihil apud *scriptores ecclesiasticos* hac praesenti veritate antiquius: « In charitate nos assumpsit Dominus; propter « charitatem, quam erga nos habuit Iesus Christus Dominus

[1] Matth. xxvi, 38.
[2] Ioann. xii, 27.
[3] Ioann. x, 18.
[4] Cf. S. Th. *Summa ctr. G.,* loc. cit.
[5] Cf. apud S. August., *De QQ. LXXXIII,* q. 79, citationes multas e Scripturis depromptas.

« Noster ex voluntate Dei, sanguinem suum pro nobis tra-
« didit, et carnem pro carne nostra, et animam pro animabus
« nostris ». Ita S. Clemens Romanus [1]. Nec minus expresse S. Irenaeus: « Suo igitur sanguine redimente nos Domino,
« et dante animam suam pro nostra anima, et carnem suam
« pro nostris carnibus » [2].

Praeclare S. Aug., cuius testimonium aliorum Patrum vicem gerat: « Audiant ergo (Ariani) ista commemorantibus
« nobis: " Tristis est anima mea usque ad mortem "; " Pote-
« statem habeo ponendi animam meam ",.... et quod de illo
« intellexerunt Apostoli prophetatum: " quoniam non derelin-
« ques animam meam in inferno ". Et his atque huiusmodi
« sanctarum Scripturarum testimoniis non resistant, fatean-
« turque Christum non tantum carnem, sed animam quoque
« humanam Verbo unigenito coaptasse, ut esset una persona,
« quod Christus est, Verbum et homo; sed ipse anima homo,
« et caro, ac per hoc Christus Verbum, anima et caro " » [3].

II. *Ad 2^m. argumentum ex utilitate Incarnationis.* In dialogo contra Felicianum, Augustini nomine, sed non ab Augustino conscripto, - est enim restitutus Virgilio Tapsensi, - sic inducitur cap. 13. de anima Christi: « Quaeso ut mihi quid...
« de anima Christi sentiendum sit, iubeas explicari. Ita enim a
« maioribus nostris semper est traditum », (erat quippe Arianus ille Felicianus,) « quod Christi corpus ad vicem animae
« communis, ipsius Filii Dei habitus animarit; nec accessione
« vitalis spiritus indigens fuerit, cui inhabitans fons vitae
« potuit conferre quod vixit ». Habes quasi ad verba obi. 2. huius articuli.

Iam vero ut melius percipias argumentationem a S. Th. allatam, en paucis quomodo laudatus auctor in praecedentibus procedat. Homo creatus fuit ex anima et corpore. Per culpam primi parentis homo periit totus. Christus venit ut omne, quod erat lapsum, instauraret. Instaurare autem tantum id potuit, quod ex nostra natura assumpsit. Ergo assumpsit animam sicuti et corpus.

[1] Epist. I. ad Corinth. c. XLIX, 6, (op. cit. p. 122). — Cf. S. Ignatium M. (*ad Smyrn.*, 2-4).

[2] *Adv. Haeres.*, l. V, c. 1. — P. G. t. VII, col. 1121.

[3] *Ctr. serm. Arian.* c. 9, n. 7.

Quam conclusionem, ope quadruplicis disiunctionis, per absurdum iuxta hoc schema evolvit:

Si Christus animam non assumpsit:

1) aut animam a se alienam reputavit; 2) aut desperatam curare non potuit; — utrumque iniuriosum Deo: 1) ipse fecit animam, quomodo ipsi aliena? 2) est omnipotens, quomodo curare non valeret?

3) aut eam scivit innoxiam, medicinae non indigentem; — est contra pietatem Dei: anima ob transgressionem peior carne;

4) aut eam ut vilem despexit; — est contra sapientiam Dei: origine anima carne melior.

Verba « *quomodo eius generositatem .... etc.* » aliquantulum obscuriora videri possunt. Sensus est arguentis ad hominem. Si eximis animam a culpa, ergo generosior erga legislatorem fuit carne, quae peccato se inquinavit. Iam vero si generosior, quomodo despicienda? Concluditur argumentum his verbis: « Si nihil horum de anima recte sentitur, credamus, « quia suscepit Redemptor noster hominem totum, ne inter- « cedere quodammodo animae nostrae videamur beneficium « sempiternum ». Et optime quidem.

III. *Ad 3m. argumentum ex Incarnationis veritate.* Adverte positionem Arii, licet irrationalem, minus tamen absurdam esse pro impio, qui propriam Verbo divinitatem denegat. Facilius enim inter huiusmodi Verbum divinitate inferius et carnem humanam fingi potest connubium, quam inter verum Deum et carnem. Sed, iuxta dicta n. 1., neque in hac impia hypothesi, potest ex mera carne et Verbo exsurgere homo, nec caro esse vera caro humana, nisi vivificans anima humana uti forma accedat.

Resp. ad 1m. In loco citato S. Augustinus ostendit, ex usu Sacrae Scripturae, vocabulum *caro* supponere pro homine: « Et videbit omnis caro salutare Dei » [1]; « Exaudi orationem « meam, ad te omnis caro veniet » [2]; « Sicut dedisti ei pote- « statem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, non pereat, « det eis vitam aeternam sed habeat vitam aeternam » [3]. Pari

[1] Is. XL, 5; Luc. III, 6.

[2] Ps. LXIV, 3.

[3] Ioann. XVII, 2. — Cf. locum Pauli Hebr. V, 7. « Qui in diebus *carnis suae...* » in quo caro totum ponit, nam subditur supplicatio cum clamore valido, et ex passione obedientia. — S. Ioann. Damasc. *Ad Nestorianos*, 26, etc.

modo interdum *anima* pro toto ponitur: « Hi filii Rachel, « quos genuit Iacob; omnes animae quatuordecim » [1].

Argumentum desumptum ex dignitate mediatoris S. Bonaventura paucis comprehendit: « Christus assumpsit humanam naturam, ut esset mediator Dei et hominum. Et quia « perfectus mediator, ideo perfectus Deus et perfectus homo. « Et quia perfectus homo non est, nisi habeat corpus cum « omnibus membris et animam cum omnibus potentiis, ideo « omnia haec assumpsit. - Rursus: quia perfectus mediator « fuit, ideo perfectus comprehensor fuit et perfectus viator, « perfectus in contemplatione, et perfectus in actione, et perfectus in operatione, et perfectus in passione. Et ad haec « omnia sequitur, quod habuit veram substantiam animae » [2].

Cur autem potius assumptio humanae naturae dicatur *incarnatio* quam *animatio*, habes ex sequentibus rationibus: *a*) hanc unionem magis exprimit extremum quam medium; *b*) humiliatio Filii Dei ita efficacius ostenditur; *c*) per carnem et non per animam nativitatem ex stirpe David Verbum accepit; *d*) demum vocabulum *animatio* ex usu habet respectum ad elementum materiale sibi inferius, dum *incarnatio* respicit elementum sibi superius, in se agens ad modum formae.

Corollarium. Ex huius articuli doctrina apparet quam inaniter Ariani et Apollinaristae contra doctrinam catholicam arguerent ex verbis Ioannis: « *Et Verbum caro factum est* », et ex aliis locis similibus, in quibus natura humana per carnem designatur. Et sane in aliis locis homo non vocatur nisi spiritus. Eleganter S. Gregorius Nazianzenus per dilemma stringit Apollinaristas, ut aut Deum dumtaxat carnium esse dicant, non animarum, quia scriptum est: « Ad te omnis caro « veniet »; aut patres nostros incorporeos in Ægyptum descendisse, quia rursus scriptum est: « In septuaginta quin« que animabus descenderunt in Ægyptum ». Et pergit: « Ignorant enim, qui haec dicunt, res hasce per synecdochen « enuntiari, toto semper per partem indicato ». - Non deest tamen, uti ab exordio et modo monebamus, ratio profundior,

[1] Gen. xlvi, 22; cf. 26, 27, etc. — Vide dicenda in proximo Corollario.

[2] Op. cit. Dist. ii, a. 2, q. 2.

ob quam Verbum dicatur factum caro, potius quam homo. « Huc accedit, ait idem Gregorius, quod non aliter Dei erga « nos amor testatus esse poterat, quam ex eo, quod caro in « memoria fuerit, et quia nostri causa ipse etiam usque ad « deteriorem partem se dimisit. Carnem enim anima vilio- « rem esse, nemo sanae mentis inficiabitur » [1].

Nec Scriptura modo hac sermonis figura utitur; sed et apud antiquiores Patres divinas Litteras imitatos frequenter adhibetur. Et sane quando Tertullianus ait: « Cur homo « Christus et filius hominis, si nihil hominis et nihil ex « homine? nisi si aut *aliud est homo, quam caro,* aut aliunde « caro hominis, quam ex homine, aut aliud Maria, quam « homo, aut homo Deus Marcionis »; quando, inquam, ardens Africanus ita loquitur, num fortasse negare intendit, hominem ex anima constare et carne? Absit, sed per synecdochen, post Ioannem, carnem pro toto homine sumpsit [2].

ARTICULUS IV.

UTRUM FILIUS DEI ASSUMERE DEBUERIT INTELLECTUM.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Ratio huius articuli, uti iam diximus, petenda est ex secunda Apollinaris sententia, qua sensitivam in Christo animam concessit, intellectualem negavit. Haec autem positio procedebat secundum placita *Trichotomismi* seu *Tridynamismi,* in homine triplicem animam, vegetativam, sensitivam, intellectualem fingentis, ad operationes huius triplicis ordinis explicandas. Hoc systema, si Aristoteli atque Tullio credamus, a Platone derivatum, Apollinaristae [3] et Manichaei, teste Hieronymo, tenuerunt, ac postea Avicebron amplexus est [4].

[1] Epist. 1. ad Cledon. — Cf. S. Augustinum ep. 120.

[2] De hoc argumento et de tota hac quaestione lege laudatum STENTRUP (op. cit., cap. I, *De natura assumpta Filii Dei,* th. VI, sqq.); item Card. FRANZELIN (op. cit. sect. II, th. X-XV).

[3] Utrum vero tres animas vel duas expresse Apollinaris tenuerit, non aeque constat apud omnes. Certum est, teste Theodoreto, ipsum ex tribus elementis hominem compositum cogitasse. Ἐκ σώματος, καὶ ψυχῆς τῆς ζωτικῆς, καὶ αὖ πάλιν ἐκ τῆς λογικῆς, ἣν νοῦν προσαγορεύει — THEODOR., *Dialog.* II, n. 73.

[4] Non desunt tamen, qui putent, Platonem nonnisi rationis distinctionem admisisse inter λόγον, ἐπιθυμίαν et θυμόν.

2) *Dichotomismum* seu *Dualismum,* vegetativum principium identificando cum sensitivo, invexit Okkamus, quem haud pauci, inter quos Fr. Baco, secuti sunt. - Alii, numerum tenentes, sensitivum principium intellectivo unierunt, sed vegetativum distinxerunt, uti vim aliquam nerveam, psychoelectricam. - Demum nostris temporibus Günther et Baltzer distinxerunt in homine *animam* (vegetativo-sensitivum principium) et animam intellectualem, quam *spiritum* vocant. Homo proin est antitheseos synthesis [1].

3) Nec omittenda hic doctrina Rosminii de animae intellectualis origine. Iuxta hunc philosophum anima humana a parentibus generatur vegetativa et sensitiva; fit autem intellectualis, quando obiicitur ei τὸ *esse in universali,* utpote intellectionis obiectum [2].

4) Porro, quod trichotomita in Christo intellectualem animam neget, vel aliquis monadynamista seu animista pro Christo exceptionem ponat, parum refert. Utrimque perimit integritas humanae naturae, et aliquid impossibile supponitur, nempe Verbum immediate, quoad hanc partem superiorem, formae instar animam supplevisse. Quare argumenta, quae superius tum de possibilitate, tum de realitate corporis Christi per Verbum animati allata sunt, aeque contra Apollinaris instantiam valent.

Hoc unum theologice interest, quod heic ex Scripturis ea potius loca eligenda sint, in quibus affectus superiores animae in Christo vel diserte exprimuntur, vel implicite supponuntur.

[1] Güntherii sententiam proscripsit Pius IX. litteris 30. aprilis 1860. (Cf. Card. Zigliara, *Summ. philos.,* II, p. 193, sq.).

[2] Iam S. Th. I, Q. CXVIII, art. 2, ad 2. sententiam huic commento similem depulerat. Ecclesia autem Rosminii doctrinam proscripsit, damnando propositiones sequentes: « Non repugnat ut anima humana generatione multiplicetur; ita ut con-« cipiatur eam ab imperfecto, nempe a gradu sensitivo, ad perfectum, nempe ad gra-« dum intellectivum procedere » (prop. XX). — « Cum sensitivo principio intuitibile « fit esse, hoc solo tactu, hac sui unione, principium illud antea solum sentiens, nunc « simul intelligens, ad nobiliorem statum evehitur, naturam mutat, ac fit intelligens, « subsistens atque immortale » (prop. XXI). — « Non est cogitatu impossibile, divina « potentia fieri posse, ut a corpore animato dividatur anima intellectiva, et ipsum « adhuc maneat animale; maneret nempe in ipso, tanquam basis puri animalis, « principium animale, quod antea in eo erat veluti appendix » (prop. XXII). — Cf. Card. Zigliara (*Propaedeutica in sacr. Theol.* I, XII, 1, 5, 35). — De modo quo triplex vita hominis se habeat ad invicem, lege Cl. Gredt (*Elem. Philos. Aristotel. Thomist.* t. II. *Phychol.,* p. 112, sq.).

II. **Ad Textum.** - *1. Obi. Imago* duo dicit: 1) aliquid quod absentis locum tenet, et sic, praesente illo cuius vicem gerit, imago tollitur; 2) aliquid quod ab agente in similitudinem sui efformatur, et tunc per ipsam rei praesentiam perficitur. Si priori dumtaxat modo anima nostra prae corpore imago Dei esset, quasi vicem absentis gerens, certe in Christo Verbum animam rationalem supplevisset. Sed, quum sit imago, ad modum sigilli corpori et inferioribus facultatibus impressi, per Verbi praesentiam hoc sigillum, nedum tollatur, perfectissime imprimitur.

2. Obi. Recole hic, quae diximus de opinione auctoris libri Hugoni Victorino adscripti. Haec opinio procedebat secundum comparationem inter duo luminaria, non inter illuminans et illuminatum.

Sed contra est. Ex ultimo textu heic allato habes, efficaciter quoque thesim praesentem demonstrari ex loco Scripturae, ubi enumerantur dona Spiritus, quibus Christus uti homo impletur. Quae dona supponunt animam uti principium, cui inhaereant. Haec autem anima ordinis spiritualis esse debet, quum sensitiva anima non sit gratiae capax. Ergo in Christo fuit anima intellectualis seu rationalis.

1) Huc faciunt *a*) directe omnes *Scripturarum* textus, in quibus expresse Christi anima intellectiva, vel nominatur, vel ex operationibus sese manifestat: « Proficiebat (Christus) « *sapientia* et aetate et gratia apud Deum et homines » [1]. Quomodo proficere potuit sapientia, si anima intellectuali destitutus? - « Pater, si possibile est, transfer calicem istum « a me: verumtamen non mea *voluntas,* sed tua fiat » [2]. Quomodo voluntas Christi distincta a voluntate Patris, nisi secundum humanam Christi animam intellectualem? [3]. Quomodo potuit discere « *obedientiam* », nisi rationali anima dotatus? [4].

b) Implicite praesens veritas ex Scripturis demonstratur per ipsum opus salvificum a Christo completum. Nam si Homo-Deus pro toto genere humano mereri potuit, ex humana anima intellectiva, solo meriti instrumento, id obtinuit.

[1] Luc. II, 52.
[2] Luc. XXII, 41, sq.
[3] Cf. dicenda ubi de Monothelismo.
[4] Cf. Hebr. V, 8.

Adde theologicum effatum, iam superius allatum: « quod « assumptum non est, neque sanatum est ». Iam vero per abusum libertatis Adam peccavit; et Scriptura nos docet, novum Adam abundantius, quae vetus amiserat, recuperasse. Ergo imprimis humana voluntas, id est, anima intellectualis a Christo erat assumenda.

2) Praeter iam allatas *Ecclesiae definitiones* satis sit adducere *a*) verba Concilii Romae sub Damaso Papa habiti: nam ibi anima humana ita describitur, ut apprime vita eius nobilior significetur [1]. Verba Concilii Florentini, in capite *Firmiter*: « Anathematizat (S. Rom. Ecclesia) Apollinarem quoque, « qui intelligens, si anima corpus informans negetur in Christo, « humanitatem veram ibidem non fuisse, solum posuit ani- « mam sensitivam, sed Deitatem Verbi vicem rationalis « tenuisse » [2].

3) Ex *Patribus,* qui maiori eloquentia Apollinarem debellarunt, satis sit syntheticas sententias afferre S. Athanasii, S. Cyrilli Alex. et S. Ioannis Damasceni. « Deitas, ait primus, « nec absque corpore patiente passionem unquam admittit, « nec perturbationem et tristitiam exhibet absque anima « dolente et perturbata, neque absque mente anxia et orante « aut anxia est aut orat » [3]. Et Cyrillus: « Credere oportet, « quoniam natura Deus existens factus est caro, hoc est « homo animatus anima rationali (ἐμψυχόμενος ψυχῇ λογικῇ) » [4]. Damascenus autem: « Simul quippe caro, simul Dei Verbi « caro; simul caro animata rationalis, simul Dei Verbi caro « animata rationalis » [5]. Plures Patrum textus qui quaerit, adeat theologos eruditione patristica praecipuos [6].

In Corpore. Descripto errore, S. Thomas ad illum confutandum eadem tria argumenta eodem ordine, quo in articulo praecedenti affert: Scripturae testimonium, redemptio generis humani, veritas humanitatis Christi.

Animadverte, ad primum ostendendum requiri duo: 1) ut

[1] Denzinger (op. cit. n. 29).
[2] Ibid., n. 601. — Cf. art. praeced.
[3] *Ctr. Apollin.,* l. II, 13.
[4] Epist. 3 ad Nestor., n. 19.
[5] *De orth. Fid.,* l. IV, c. 3.
[6] Cf. imprimis Petavium (op. cit., l. V, c. 11).

sermo sit de actione ad ordinem intellectualem pertinente; 2) ita tamen, ut propter dependentiam vel imperfectionem quam implicat, naturae divinae Christi competere non possit. Talia sunt *miratio* et etiam *dolor* superioris animae, supplicatio *cum lacrimis,* etc.

In secundo ac tertio argumento urgentur secundum ac tertium argumentum articuli praecedentis. Etenim formaliter per rationalitatis abusum anima culpam contraxit, per dignitatem rationalitatis anima habet esse animam humanam; proin formaliter per animam intellectualem homo simul est homo et lapsus.

Ultimum argumentum parumper aliter se habet pro trichotomista ac pro animista. Primus servaret saltem in Christo partem animae humanae (item dic de Güntheriano); alter vero nihil servaret, et de ipso ad verbum valeret illud Augustini: tunc humanitatem Christi non amplius esse quam cum humana specie belluam, nec belluam, sed belluae speciem.

Collige ex dictis in hoc toto argumento, quam profundae simul et completae sint locutiones S. Scripturae de natura humana Christi. Tam disertis testimoniis utrumque elementum in eadem proclamant, ut doctrinae omnino oppositae Arianorum et Manichaeorum ex Scripturis arguere potuerint; utrimque sane cum excessu vel defectu, at nihilominus ex locutionibus, quae simul compositae, et non ab invicem violenter avulsae, integrum dogma exprimunt.

Corollarium. - Ex doctrina in hac Quaestione exposita fluit consequens summi momenti, Christum scilicet *totam* nostram naturam assumpsisse, ac proin esse hominem *perfectum,* nobis, uti hominem, plene ὁμοούσιον, quemadmodum, uti Deus, plene ὁμοούσιος est Patri. Imo in hac perfecta utrimque similitudine consistit mirabilis oeconomia Hominis-Dei-Redemptoris. Ita S. Paulus proclamat, Christum nobis per omnia similem factum absque peccato. Symbolum Athanasianum proclamat Christum hominem perfectum, sicuti Deum perfectum. Et Conc. Constantinop. II, oecumen. V. ait: « Unus est Chri-
« stus, idem Deus et homo, consubstantialis Patri secundum
« deitatem, et *consubstantialis nobis* (καὶ ὁμοούσιος ἡμῖν)

« secundum humanitatem » [1]. Praeclare S. Fulgentius totum synthetice comprehendit: « Non incassum hominem Iesum « Christum mediatorem Dei et hominum nuncupatum, nisi « quia idem Deus *totam* in se naturam suscepit hominis, et « idem homo totam in se habet substantiam deitatis. Nam « quia per peccatum homo fuit separatus a Deo, inter Deum « irascentem hominemque peccantem talis utique mediatoris « debuit intervenire persona, quae ad propitiandum Deum « homini totum verumque in se Deum de Deo natum habe- « ret, et ad reconciliandum hominem Deo *totum* verumque « in se de homine natum *hominem* contineret » [2].

Quomodo Christus nobis consubstantialis nasci potuerit de Virgine, necnon quomodo substantia corporis Christi in Adamo praeextiterit, in II. Parte huius tractatus exponemus [3].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Filius Dei naturam humanam assumpsit, homo in terris apparuit, seseque verum hominem disertis testimoniis declaravit, in humana natura sese hostiam pro nobis obtulit ac mortem oppetiit. Iam vero homo constat corpore et anima rationali. Proin vel Christus homo non fuit vere, ac se hominem affirmando nos fefellit, ac proin nonnisi fictitie passus, et nonnisi fictitie nos redemit; vel:

1) *quoad corpus* habuit corpus verum (a. 1), constans ex carne et sanguine sicut quodvis corpus terrenum (a. 2); et

2) *quoad animam* habuit animam distinctam a substantia Verbi (a. 3); imo animam rationalem seu intellectualem et non solum sensitivam (a. 4).

Proin Verbum factum homo perfectus Mediator est et perfecte totum hominem quoad corpus et quoad animam a peccato liberavit. Salvantur ergo simul tum veritas Verbi, tum veritas Incarnationis, tum veritas Redemptionis. Quicumque e contra unum ex supradictis membris, solum quoad partem negaverit, triplicem hanc veritatem destruit.

[1] Denziger (op. cit. n. 179).
[2] *Ad Trasim., l.* I, c. 15.
[3] Praesertim in Quaestione XXXI.

§. III. — **De Ordine Assumptionis.**

QUAESTIO VI.

DE MODO ASSUMPTIONIS QUANTUM AD ORDINEM.

Ordo Quaestionis. - Quum vocabulum *ordo* dicat *plura ad invicem relata,* quaeritur 1) *quaenam* sint in assumptione haec inter se relata, et 2) secundum *quamnam* relationem inter se conferantur.

1) *Relata* inter se in assumpta humana natura non possunt esse nisi *a*) *partes*, id est anima (inferior, sive superior) et corpus *ad invicem; b*) *totum* relatè *ad partes;* vel *c*) totum relate *ad gratiam* assumptionis.

2) *Relatio* autem non potest esse nisi *a*) secundum *tempus;* vel *b*) secundum *naturam.*

Inde ordo Quaestionis.

Quaeritur de relatione ordinis:
- I) inter *partes ad invicem:*
  - 1) secundum ordinem *naturae:*
    - *a*) corporis relate ad animam (a. 1);
    - *b*) animae inferioris relate ad animam superiorem (a. 2).
  - 2) secundum ordinem *temporis:*
    - *a*) de prioritate animae (a. 3);
    - *b*) de prioritate corporis (a. 4).
- II) inter *totum et partes* (a. 5).
- III) inter *totum et gratiam* (a. 6).

ARTICULUS I.

UTRUM FILIUS DEI ASSUMPSERIT CARNEM MEDIANTE ANIMA.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Vidimus supra, ubi de modo unionis Verbi ad naturam humanam, sat multos Patres, quin et scholasticos, locutos esse de triplici elemento, quo Christus constituitur: divinitate, anima et carne. Inde ratio praesentis

quaesiti. Estne anima cogitanda uti medium per quod haec duo extrema, nempe natura divina et humana caro seu corpus in Christo iuncta sint? Et quo sensu, quousque?

2) Porro, uti modo in praeambulo monebamus, quum prioritas in ordine considerari possit sive temporis, sive naturae, quaeritur heic de prioritate naturae, postea de prioritate temporis investigabitur.

3) Iam vero forsan sciscitaberis, cur S. Thomas non prius de temporis ordine locutus sit, quasi magis obvio, et postea de ordine naturae? Nonne ita pulchrior evasisset gradatio? - Resp.: Minime. Etenim probatur in primis duobus articulis, dari ordinem naturae inter corpus et animam, licet non in ipsa anima. Tunc quaeritur, utrum iste ordo naturae sit etiam temporis. Quod negabitur. Cur autem et quartus articulus superaddatur, qui primo intuitu videtur iam in primo articulo contineri, loco suo ostendemus. Est ergo ordo Aquinatis logicus valde.

4) Ad penitiorem huius argumenti intellectionem, accipe ex S. Thoma [1] varias distinctiones *medii* schemate expressas.



Exempla sint:

A) Pulchritudo in ordine ad amorem; - B) corpus diaphanum in ordine ad transmissionem lucis; - 1) aër in visu, vel aether; - 2) humiditas tactu coniunctorum; - *a*) homo reconcilians amicos (mediator); - *b*) amor coniungens amicos; - α) vinculum, quo canis alligatur; - β) siccitas, qua lignum ignem accipit.

Hoc autem interest inter A) et β), quod A) dicit coniungibilitatem sine necessitatis addito; quare, sublato medio, unio

[1] III. Sent. Dist. II, q. 2, art. 1.

subsistit; e contra β) superaddit notionem necessarii, quo sublato, unio perit [1].

5) Porro quaerere de medio, non est quaerere de unione mediata vel immediata obiective; stare enim simul potest, ut alicui rei obiective aliquid immediate uniatur, etsi logice mediate tantum ipsi coniunctum est. Unio immediata obiectiva de essentia assumptionis est.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Supra iam diximus, assumptionem concipiendam esse ad modum summae attractionis ad Deum per infinitam Dei attractivam potentiam. Quare assumptio pertinet non ad ordinem *egressus* creaturae a Deo, sed potius ad ordinem *regressus* eiusdem in suum auctorem. Atqui iste regressus fit mediantibus creaturis rationalibus. Ergo.

2. Obi. Ex hac obiectione habes, aliter loquendum esse de nativitate hominis cuiusvis, et de nativitate Verbi incarnati. In cuiusvis hominis nativitate, quum corpus, utpote materia, se habeat uti instrumentum individuationis, ordo naturae postulat, mediante corpore nasci individuum. In Deo autem homine facto principium individuationis desursum est; et corpus gradu venit ultimo, tum ratione naturae, tum ratione assumptionis.

3. Obi. Haec obiectio confundit medium congruentiae et medium necessitatis. Confer schema A).

Sed contra est. Ultima verba huius loci S. Augustini urgeri non possunt; secus negarent illud ipsum, quod S. Thomas articulo 5°. docebit.

Theologi quidam ad praesentem doctrinam fulciendam adducunt sententiam S. Pauli ad Philippenses: « Formam « servi accipiens,... et habitu inventus ut homo » [2]. *Forma servi,* iuxta ipsos, animam humanam indicat, quum anima sit forma corporis ac proin hominis. Non quidem negamus ex toto; attamen non putamus, hoc esse valde suasivum. Etenim ex parallelismo cum verbis « forma Dei », quae paulo superius adhibentur, et ibidem significant naturam divinam completam, integram, perfectam, verba « forma servi » sanius

[1] Cf. *resp. ad 3.*

[2] C. II, 7.

intelliguntur dicta de tota natura humana, in qua Christus homo factus est.

In Corpore. Primo S. Thomas definit *medium;* dein duplicem ordinem distinguit, *temporis* et *naturae;* ubi iam praeoccupat exclusionem prioris, de qua directe aget in articulis 3. et 4. et etiam, at sub alio respectu, in art. octavo Quaestionis XXXIII.

His positis, duplicem subdistinguit ordinem *naturae: dignitatis* scilicet et *causalitatis.* In utriusque definitione animadvertit alterum fundari *aliquo modo* in priori; ubi notanda sunt verba: « *aliquo modo* ». Dari enim potest ut iste ordo non servetur; imo saepissime id in agente creato accidit, sive ex ignorantia, sive ex inordinatione. Non raro etiam possunt duo, licet eiusdem dignitatis, instrumentaliter referri unum ad aliud. In omnibus istis datur ordo causalitatis, quin tamen fundetur in dignitate. Inde Angelicus dixit « *aliquo modo* ». Insuper, hoc interest inter medium dignitatis et causalitatis, quod prius est materiale et consideratum extra actum; alterum vero formale et consideratum in actione. Quum igitur assumptio dicat actum, quaestio praesens magis est de ordine *causalitatis.* Quare ratio quae affertur ad rationem ordinis causalitatis inter animam et corpus in assumptione adstruendam, in pluribus articulis huius Quaestionis recurret.

Paulo aliter **S. Bonaventura** praesens quaesitum solvit. En eius argumentum paucis contractum [1]. Aliud est medium *colligantiae* (v. gr. glutinum), aliud medium *congruentiae.* Medium colligantiae hic admitti nequit; sequeretur enim, Verbum non immediate esse corpori unitum. Medium vero congruentiae concedi debet: a spiritu enim caro habet ut congruenter a Verbo assumatur.

Resp. ad 1m. Obiectio illa potest etiam cum S. Bonaventura solvi ope distinctionis inter medium colligantiae et congruentiae. Deus dicitur omnibus immediate unitus per essentiam, praesentiam, potentiam, ad medium colligantiae excludendum; hic autem non de isto medio agitur, sed de medio congruentiae. Ergo virtute caret obiectio.

[1] III. Sent. Dist. II, art. 3, q. 1.

Resp. ad 2^m. Verba « constitueretur simpliciter per humanam naturam », intellige non formaliter, ut est humana natura, quod esset absurdum; sed formaliter, « ut cogitaretur « subsistens ». Vide dicta superius, ubi de obiectionis sensu.

Resp. ad 3^m. Adverte, medium causalitatis, de quo in *Corpore* theseos, intelligendum esse causalitatis congruentiae non absolutae necessitatis. Etenim, uti supra vidimus, corpus inanimatum, irrationale assumi a Deo, non repugnat absolute. Quare stat unio, sublato medio.

Adde, *medium* non totaliter tolli per mortem. Remanet quippe in corpore Christi mortui relatio ad animam. Optime S. Bonaventura: « Anima non recedebat a corpore simpli- « citer, sed solum ad tempus: et corpus illud ex prima « coniunctione sui ad animam dispositionem ad incorruptio- « nem habebat: et ideo propter separationem ipsius animae « congruitatem ad unionem non amittebat: et ideo quamvis « anima separaretur a carne, non tamen oportebat divinita- « tem a carne separari » [1].

Nec aliter ipse S. Thomas habet: « Cum anima sit medium « congruentiae et causans unibilitatem in corpore [2], non opor- « tet quod abscedente anima coniunctio Divinitatis ad carnem « dirimatur; quia adhuc remanet in corpore habilitas et ordo « ad animam, ratione cuius remanet in carne convenientia « unionis, et unibilitas ad Divinitatem » [3].

ARTICULUS II.

UTRUM DEI FILIUS ASSUMPSERIT ANIMAM MEDIANTE SPIRITU VEL MENTE.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Quum apud S. Thomam constet, in homine non haberi nisi animam unam, spiritualem simul et sensitivam, ratio huius quaesiti primo intuitu vix apparet. Nihilominus, si consideratur quid divi Thomae tempore Schola tenuerit de modo, quo successive corpus principia vitae accipiat, iam quaestioni sua lux accedit.

[1] Loc. cit.
[2] Cf. Schema.
[3] Ibid., Q. II, a. 1.

2) Verum est, uti iam praenotavimus, in sequentibus articulis quamvis temporis successionem in assumptione humanae naturae excludi. Sed non ideo perit omnino fundamentum distinctionis inter formale sensitivum et formale intellectuale animae humanae, seu, uti usus induxit, inter *animam* et *spiritum*. Non quasi haec duo elementa de facto distincta cogitentur, sicuti erravit Güntherus; sed per mentalem abstractionem, - cui tamquam fundamentum tunc vigens inserviebat, imo adhuc nunc iuxta quosdam inservit opinio de successiva animatione humani foetus, - haec duo uti distincta apprehenduntur. (Vide dicenda infra.)

3) Ita circumscripta quaestione, videamus de rationibus dubitandi, utrum quaesito affirmative sit respondendum.

a) Et primo videtur deesse fundamentum propter identitatem obiectivam utriusque formalis conceptus animae et spiritus. *b*) Imo, concesso fundamento, anima potius medium esse videtur ad spiritus assumptionem, utpote essentia, cuius spiritus sit ad modum potentiae. *c*) Tandem, si ad respondendum quaestioni sensu affirmante ratio ex dignitate superiori petitur, quid de assumptibilitate angelicae naturae, nonne maior dicenda erit quam humanae?

II. **Ad Textum.** - *Obi. 1. et 3.* Ut solutionem harum difficultatum recte percipias, animadverte, distinctionem inter animam et spiritum intelligi posse quadrupliciter:

a) Tanquam constituentes entitatem duplicem, etsi imperfectam, sive duplicem entitatem imperfectam unius formae: aliquo modo sicuti corpus et anima uti duplex elementum entitativum unius naturae considerantur; - *b*) tanquam habentes ad invicem relationem potentiae ad essentiam, quatenus anima diceret essentiam, spiritus potentiam; - *c*) tanquam unum et idem quoad essentiam, sed distincta quoad potentias formaliter per utrumque significatas; nimirum spiritualem per spiritum, inferiores vitales per animam. - *d*) Praeter istam triplicem distinctionem, non remanet nisi simplex distinctio verborum, sine fundamento a parte rei.

Quas inter distinctiones vera est *tertia*. Unde si haec bene prae oculis habeatur, obiectiones prima et tertia evanescunt. Prima procedit secundum *d*), et in responsione

excluditur insuper *a*); tertia procedit secundum *b*), et in responsione directe ponitur *c*).

2. Obi. Praetermittit congruentiam assumptionis ex ordine reparationis desumptam.

Sed contra est. Textus iste S. Augustini, a Magistro acceptus, quaestioni praesenti origo fuit. Ipsum ita commentatur S. Bonaventura [1]: « Accipitur Spiritus pro superiore « parte animae, sicut dicit Magister, quae maiorem conve- « nientiam habet cum Deo. Anima vero pro inferiori parte « animae, secundum quam vivificat corpus. Et per haec duo « nihil aliud datur intelligi, quam illud corpus congruum esse « ad unionem, quod quidem habet per animam vivificari, et « per spiritum ad perpetuitatem et incorruptionem ordinari ». Et sane, si propria significatio verborum intenditur, spiritus magis dicit in anima elementum invisibile immortale; anima, facultatem corpus vivificantem.

Confirmationem doctrinae huius articuli aliqui se invenisse putarunt in his Scripturae verbis: « *Spiritus* est Deus; et eos « qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare » [2]. Sec haec sunt longius petita, imo a vero sensu avulsa, et, ut candide dicam, gallice vocari possent: « de piètres jeux de mots ».

In Corpore. Totum argumentum huius *Corporis* ad hunc syllogismum reducitur. Ratione dignitatis et congruentiae anima medium est ad assumptionem corporis; atqui haec dignitas, seu haec congruentia ei formaliter competit uti est spiritus; ergo. Minor probatur quoad utramque partem, ratione capacitatis Dei et ratione spiritualis imaginis Dei.

Adverte, verba Damasceni: « intellectus enim est quid « animae purissimum », totius huius articuli fundamentum continere.

Resp. ad 2^m. Comple Aquinatis responsum ex his, quae loco suo de assumptibilitate naturae humanae prae natura angelica diximus. Nimirum ratio *repraesentationis universi,* ibidem exposita, ad corroborandam praesentem doctrinam iuvat. Repraesentat quippe anima nostra mundum spiritualem, sibi supereminentem, formaliter quatenus *spiritus*

[1] Loc. cit.

[2] Ioann. iv, 24.

est. Ergo formaliter uti spiritus homo est prae ipsa natura angelica assumptibilis; secus enim non eam in se quodam modo contineret, et pars nobilior universi ab ipso abesset.

In comment. III. Sent. [1]. S. Thomas difficultatem ab angelis petitam aliquantulum aliter solvit. Ita ibi habet: « Quamvis « forma materialis non possit esse sine materia, tamen ma- « teria non dat esse formae, sed e converso; ita etiam, quam- « vis spiritus carni non unitus assumptibilis non sit, magis « tamen spiritus causat assumptibitatem in corpore quam e « converso ». Rectissime quidem. At cum hoc discrimine, quod intrinsecum est formae sine materia esse non posse; dum e contra inassumptibilitas spiritus, formaliter uti spiritus est, extrinseca est ipsi: inconvertibilitas spiritus mali.

Contra doctrinam huius utriusque articuli arguit Durandus. Cuius argumenta exposita et soluta invenies apud Card. Caietanum in suo commentario hoc loco. Putat tamen Card. Toletus non « esse controversiam in re, sed in loquendi « modo potius. Unde, ait, non video, cur Caietanus tantam « excitet metaphysicam contra Durandum ». Existimat enim Toletus, Durandum non medium congruentiae negare voluisse, sed colligantiae, quod Varro admittebat [2]. Et addit: « Sed « ista sententia falsa est, et hanc nomine tacito forsan voluit « impugnare Durandus, et non ipsum S. Thomam, ut imagi- « natus est Caietanus, qui omnia putat dici contra S. Tho- « mam ». Ita sat lepide Toletus [3].

ARTICULUS III.

UTRUM ANIMA A DEI FILIO PRIUS FUERIT ASSUMPTA QUAM CARO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Relicto ordine naturae, iam transimus ad ordinem temporis. In quo non datur nisi duplex hypothesis: *a*) prioritas animae (a. 3), vel *b*) prioritas corporis (a. 4). De temporis prioritate spiritus prae anima sermo esse nequit, quum *a*) una tantum sit obiective anima, forma cor-

[1] Loc. cit.
[2] III. Sent., q. 11.
[3] Hoc loco.

poris, et *b*) prioritas animae prae spiritu directe contra doctrinam articuli praecedentis pugnet.

2) Iam vero primo quaerendum videtur, quomodo se habeant ad invicem hi articuli 3. et 4. cum articulo 3°. Quaestionis XXXIII, cui titulus: « Utrum corpus Christi in primo « instanti suae conceptionis fuerit a Verbo assumptum ». - Quoad rem eadem doctrina utrobique continetur: scilicet Verbum simultanee et immediate quoad tempus assumpsisse corpus et animam. Modus autem quaestionem considerandi diversus est. Isto loco quaeritur de ordine assumptionis; hic autem de ordine assumendorum.

3) Iam vero pauca praeoccupanda sunt de opinionibus in Scholis tempore divi Thomae quoad animationem corporis humani vigentibus. Et primo quaedam de animarum *origine*.

a) *Plato* posuit animas a Deo ab aeterno creatas et tempore suo in corpora immissas; cui sententiae et Origenes adhaesit. - *b*) A Platone *Leibnitzius*, creatas animas ab aeterno tenuit; sed illas finxit corpusculis organicis, tempore suo evolvendas, veluti inclusas: primo vegetativas, modo autem sensitivas, dein opportune per transcreationem quamdam ad gradum intellectualitatis evectas. - *c*) Rursus cum discipulo Platone *Pythagoras*, aeternitatem animarum confessus, transmigrationem earumdem docuit per corpora successiva, sive humana, sive belluina. Quod systema *Metempsychosis* nomine decoratum, nuper Sansimoniani, Spiritistae necnon et Theosophi *reincarnationis* nomine instaurare voluerunt.

4) Contra hos omnes stant illi, qui tenent animas multiplicatis corporibus multiplicari. Sed hic rursus tres sententiae occurrunt. *a*) *Traductianismus corporeus* sustinet, corporali semine ipsas animas traduci. - *b*) *Traductianismus spiritualis*, - in quem inclinatum se sentiebat Augustinus, motus dogmate transfusionis peccati originalis, - tenet, spirituali semine animas ab invicem derivari, sicuti corpora a semine corporali. - *c*) *Creatianismus*, seu veritas catholica, docet, animas immediate a Deo creari, corporibusque infundi [1]. Haec veluti nota brevissime praemisisse sufficiat [2].

[1] Cf. de catholicitate huius ultimae sententiae, Card. Zigliara (op. c. II, 165).

[2] Ex professo de hoc argumento agemus in tractatu mox edendo: *De Deo Creante*.

5) Sed hic quaeritur de *tempore* quo haec anima corpori infunditur. Aetate S. Thomae praevalebat opinio, animam corpori non infundi, nisi quando foetus iam sat evolutus figuram organicam humanam acquisivit; ante hoc tempus sibi succedere principia vitae vegetativae et sensitivae, quorum singula, accedente superiore, expelluntur vel pereunt.

6) At a saeculo decimo septimo, invalescente analysi embryologica, opinio semper magis recepta affirmat, a conceptionis exordio animationem per animam spiritualem a Deo utique infusam produci. Quare in hoc puncto multi Thomistae, inter quos Goudin et Card. Gonzalez, a magistri doctrina recedere non verentur. Et re quidem vera, quum ex una parte per experientiam constet, vitam propriam in foetu post paucissimos a conceptione dies esse repertam; et ex altera parte una anima humana omnibus officiis animae vegetativae et sensitivae fungatur: nulla videtur sufficiens adesse ratio, ad successivam animationem foetus humani tenendam. Nec reverentia divo Thomae debita nos ab ista conclusione removere potest, quum facta empirica, cui modernior sententia innititur, ipsius tempore ignorarentur [1]. Caeterum vide dicenda de hoc argumento in Quaestione XXXIII.

7) Ex breviter expositis iam patet, quid, quoad quaestionem, quae hoc gemino articulo solvitur, intersit inter theologum scholasticae opinioni et moderniorum sententiae addictum. Etenim *a*) scholasticus, vel α) assumptionem animae a Verbo simultaneam cum assumptione corporis vindicans, sustinebit, conceptionem Christi fuisse miraculosam, quia anticipata fuit in eo infusio animae; vel β) contendet, corpus prius fuisse animatum vegetative et sensitive, antequam assumeretur; vel γ) dicet, corpus assumptum esse ante infusionem animae. - *b*) Moderniori sententiae addictus poterit de conceptione Christi quoad hanc partem cogitare ac pro quavis alia conceptione, quum in quavis conceptione infusio anima simultanee habeatur. Sed rursus de hisce in Q. XXXIII.

8) Haec de gemino articulo 3. et 4, imo potius de hoc altero. Iam ad specialem rationem huius articuli 3.

Origenes, Platonis assecla quoad aeternam et simulta-

[1] Cf. Card. Zigliara, cuius considerationes in favorem opinionis scholasticae sat debiles non immerito dixeris.

neam creationem omnium animarum, noluit pro anima Christi affirmare exceptionem, quae ei in dedecus potius quam in honorem cessisset. Anima enim Christi tunc fuisset creatione ultima. Nicephorus Calistus [1] inde Origeni attribuit errorem, quod anima Christi unita fuerit Verbo ante carnem. Qui error quinta synodo Constantinopolitana damnatus est, his verbis: « Si quis dicit aut sentit, animam Domini praeexistere, « unitamque esse Deo Verbo ante incarnationem et nativi- « tatem ex Virgine, anathema sit » [2].

II. **Ad Textum.** - Triplex excogitari potest ratio propter quam animae Christi conveniret assumi ante corpus: 1) quia mediante ipsa (a. 1) corpus assumptum est: - est confusio inter ordinem naturae et temporis; - 2) quia dignior angelis, qui ab initio exstiterunt: - est confusio inter ordinem naturae et gratiae; - 3) quia Christi influxum animae sanctae Veteris Testamenti iam acceperunt: - est confusio inter existentiam rei et efficaciam fidei in ipsam.

Sed contra est. Potest forte ex textu evangelico « quod « nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei » [3], argumentum desumi ad probandum, Christum totum uti e Virgine nasciturum, et per operationem divinam Verbo uniendum, ab angelo praenuntiari. Et sane nomen novum tunc imponendum: « vocabis nomen eius Iesum », indicat, ortum respicere totum illum, qui « Filius Altissimi vocabitur ».

In Corpore. Argumentum *Corporis* ad hoc simplex dilemma reducitur: Anima Christi praeexistens, fuit assumpta iam tunc a Verbo, vel non. *a*) Si prius, ergo saltem anima Christi alterius est naturae, quam sunt animae nostrae, quae infunduntur quando corpus formatur. *b*) Si alterum, ergo habuit propriam subsistentiam, quae vel α) debuit destrui in assumptione, quod non decet; vel β) remansit in assumptione, quod cum unione subsistentiali repugnat.

Animadverte, in hoc dilemmate prius membrum (alterum apud S. Thomam) non habere vim ad hominem contra Origenem, qui posuit omnes animas ab aeterno existentes. Insu-

[1] L. 17, c. 28.

[2] Idem docuit Synodus Constantinopolitana VI, art. 11.

[3] Luc. I, 35.

per haec ratio differentiae specificae non videtur valere magis de hac parte dilemmatis quam de altera. Quin et de altera urgeri magis posset, quum in hac hypothesi non solum eodem modo anima praeexisteret, sed haberet subsistentiam in se, differentem et ipsam ab illa subsistentia, quam habet anima in natura humana completa et in se tota subsistente.

Quem heic a S. Leone M. locum Angelicus citat, integrum afferre iuvat. « Arbitror talia loquentem hoc habere persua-« sum, quod anima, quam Salvator assumpsit, prius in caelis « sit commemorata, quam de Maria Virgine nasceretur, eam-« que sibi Verbum in utero copularet ». (En unam ex partibus dilemmatis, priorem apud S. Th.). « Sed hoc catholicae « mentes auresque non tolerant; quia nihil secum Dominus « de caelo veniens nostrae conditionis exhibuit: nec animam « enim, quae anterior exstitisset; nec carnem, quae non ma-« terni corporis esset, accepit. Natura quippe nostra non sic « assumpta est, ut, prius creata, post assumeretur; sed ut ipsa « assumptione crearetur » [1].

Resp. ad 3m. Ratio fidei in Christum venturum non sufficeret ad solvendam difficultatem, nisi uniretur proposito Dei, quod propositum, uti aeternum, sese a temporis successione independenter habet.

Quaeres. - Nonne saltem anima prius *naturâ* assumpta est quam corpus? - *Resp.* Prius quidem est naturâ quam corpus. At non ideo prius naturâ est assumpta quam corpus. Nam, uti in articulo quinto videbimus, Verbum assumpsit partes mediante toto. Iam vero hoc totum est humana natura, per quam, si subsistat, persona constituitur. Ergo prius naturâ Verbum assumpsit totam naturam humanam prae partibus et non animam prae carne.

Haec autem prioritas, quam negamus, est intelligenda de anima *ut quod,* non autem de anima *ut quo* [2]. Ita passim theologi cum S. Thoma et Scoto, non contradicente Durando.

[1] Inde effatum S. Bernardi creatianismum definientis: « Anima humana creando « immittitur seu infunditur, et immittendo seu infundendo creatur » (*Serm. in Natal. Domini,* n. 6).

[2] Prius naturâ *ut quo* exigit doctrina, art. 1.

ARTICULUS IV.

UTRUM CARO CHRISTI FUERIT PRIUS A VERBO ASSUMPTA QUAM ANIMAE UNITA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ex dictis in praecedentibus patet, stante opinione aetate S. Thomae in scholis vigente de tempore infusionis animae, hic agi in mente Angelici de privilegio anticipante pro Christo animationem corporis per adventum animae spiritualis. Aliter vero se res habet pro theologo, qui adhaeret opinioni inde a saeculo XVII. magis ac magis receptae de animatione per formam spiritualem in ipsa conceptione accedentem.

2) Quaeri iam potest, quomodo hic articulus stet cum primo huius Quaestionis. Etenim ibi demonstratum est, ordine naturae, animam *ut quo* esse medium assumptionis corporis. Iam vero quo modo cum hoc stare posset, ordine temporis, corpus esse medium assumptionis animae? Nonne proin otiosum est quaesitum articuli 4, utpote a fortiori in articulo 1°. contentum et ibidem reiectum?

3) *Resp.:* Non repugnat, duo ordine inverso se habere ad invicem, modo sit sub vario respectu. Proin non repugnat, unum quod est medium alterius ordine naturae, habere alterum uti medium ordine temporis, modo ordo naturae non sit mere causalitatis; tunc enim implicat. Esset enim ponere effectum priorem tempore, quam ipsam causam.

4) Iam vero ordo naturae, de quo in articulo primo, non intelligitur solum causalitatis, sed congruentiae, seu dignitatis. Ergo per se iste duplex respectus non implicat, neque proin articulus est otiosus.

5) Caeterum, in examine ordinis temporis, nihil magis obvium, quam ut duo elementa constitutiva conferantur ad invicem incipiendo a nobiliore. Nec idem de utroque quaeritur. Scilicet, absolute loquendo, posset Verbum prius uniri animae quam corpori, et nihilominus prius uniri corpori quam corpus uniatur animae.

II. **Ad Textum.** - *Obi. 1. et 2.* Procedunt iuxta opinionem philosophicam tunc temporis vigentem.

3. Obi. Reproducit 1m. obi. articuli primi. Confundit ordinem creationis cum ordine assumptionis.

Sed contra est. Auctoritati Damasceni adiunge declarationes Conciliorum. Ita habet Concilium Constantinopolitanum V: « Si quis dicit aut sentit, prius formatum esse corpus « D. N. I. C. in utero Virginis sanctae, et deinceps unitum esse « ei Dei Verbum atque animam, ut quae prius exstiterit, anathema sit ». Et Synodus Constantinopol. VI: « Simul quippe « caro, simul Dei Verbi caro; simul caro animata rationalis, « simul Dei Verbi caro animata rationalis ». Et infra: Secun« dum subsistentiam Verbi ad carnem, quae ex nobis est, « intellectualem et animatam convenientiam praedicamus ».

In Corpore. Argumentum S. Thomae hisce paucis continetur. Caro non est assumptibilis, nisi uti caro humana. Caro autem est *humana*, ex ordine ad formam, id est ad *animam humanam*. Haec autem forma immediate adest, ubi adest iste ordo. Ergo anima dat carni assumptibilitatem, ita ut non possit assumi ante animam.

Quaeres. - Valetne hoc argumentum ad probandum assumptionem factam esse in ipsa conceptione? - *Resp.:* pro illo, qui tenet animationem in ipsa conceptione, concedo; pro illo, qui sententiae tempore S. Thomae vigenti adhaeret, nego. Quare de instanti assumptionis remanebit inquirendum [1].

Inde, in *resp. ad 1m*, ad assumptionem in conceptione affirmandam, Angelicus recurrit ad infinitam virtutem Spiritus Sancti conceptionem Christi operantis.

Resp. ad 2.m urget discrimen, quod interiacet inter conceptionem nostram et Christi. Nostra procedit a virtute finita, unde illa successio, quae tunc admittebatur; Christi autem a virtute infinita, unde est completa in instanti.

ARTICULUS V.

UTRUM TOTA HUMANA NATURA SIT ASSUMPTA MEDIANTIBUS PARTIBUS.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Evidens est quod, si inter assumptionem partium humanae naturae daretur ordo temporis,

[1] Q. XXXIII.

impossibile esset, partes mediante toto assumi. Aliter se res habet, si inter partes sit ratio ordinis naturae. Tunc enim, vel partes assumuntur ratione totius, vel totum ratione partis, secundum quod ratio, cui ordo iste naturae innititur, magis valeat pro parte, quam pro toto. Iam vero, uti vidimus, in casu ista ratio est dignitas animae prae corpore, et assumptibilitas animae prae corpore. Atqui haec duplex ratio magis valet pro toto, quam pro parte nobiliori; ergo.

2) Sed hic videtur affirmari aliquid, quod repugnat formationi totius. Prius enim logice concipitur materia, dein forma, dein totum. Quomodo potest iste ordo inverti? - Respondetur, distinguendo in natura prioritatem a parte agentis, et a parte materiae. Unde, quum in Incarnatione, uti in articulo praecedenti dictum est, infinita potentia agentis omnem ordinem ex parte materiae quodammodo suppresserit, remanet ordo maxime considerandus ex parte agentis. Ita semel posita quaestione, absque difficultate solvitur.

3) Fatendum tamen, stante duplici ordine intentionis et operationis, saltem in intellectu, duplicem solutionem quaesito dari posse. Et revera alibi S. Thomas paululum aliter habet. « Dicendum, ait, quod quodammodo mediantibus par-
« tibus assumpsit totum, inquantum scilicet partes originali-
« ter humanam naturam constituebant, cui per se assumptio
« debebatur; quodammodo autem partes mediante toto, in
« quantum ratio humanae naturae, quae per se assumptibilis
« est, per prius invenitur in toto et per hoc in partibus » [1].

4) Proin *originaliter* partes praecedunt totum (logice saltem); *completive* partes sequuntur totum. Atqui sub ratione completiva intenduntur assumi; ergo secundum intentionem totum praecedit partes, licet secundum originem seu effectionem partes praecedant totum. Solutio danda in primo responso huius articuli ostendit, S. Thomam, licet in *Corpore* aliquantum aliter sit locutus quam in loco modo citato, nullatenus tamen sententiam mutasse.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* petitur ex textu S. Augustini, in quo idem ordo recurrit, ac in *Sed contra est* articuli primi.

[1] III. Sent. Dist. II, q. 2, a. 1, sol. 3.

Solvitur ope distinctionis inter ordinem operationis et intentionis. - Optime. Sed, si ita est, nonne huic loco, aliisque similibus demitur vis ad ostendendum, corpus mediante anima esse assumptum? Forte. Quare argumentum ex hoc loco contra thesim oppositum non inefficaciter quis solveret, dicens, Augustinum per verba « *et sic* etc. » noluisse indicare tertium membrum alicuius successionis, sed dumtaxat consequens logicum assumptionis utriusque partis. Idem dic de textu allato in *Sed contra est* art. 1.

2. Obi. Facile retorquetur. Praecise quia Deus est simplex, intentio eius prius fertur. in unum totum, quam in duplicem partem totius. - Optima insuper responsio desumitur ex divina perfectione.

3. Obi. Confundit unionem in persona Verbi, et unionem partium humanae naturae inter se. Vide dicta superius in Q. II, art. 5.

Sed contra est. Interdum heic citatur textus Eugenii IV, in Constitutione super unione Iacobinorum (in Conc. Florentino): « Sacrosancta Ecclesia Romana voce Domini fundata « similiter credit, profitetur et praedicat: unam ex Trinitate « personam, verum Deum, Dei Filium, veram hominis, *inte-* « *gramque* naturam assumpsisse ». Ergo, aiunt, intentio assumentis in *integritatem* humanae naturae, id est *in totum* per prius ferebatur. - Citatur etiam textus S. Lucae supra allatus: « Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei » [1]. Sed haec non sunt nisi suasiva longius sane petita.

In Corpore. Excluso rursus ordine temporis, S. Doctor in ordine naturae duplicem prioritatem statuit: 1) ex parte agentis, 2) ex parte materiae. Dein utramque evolvit.

1) *Ex parte agentis,* id quod prius intenditur, est prius simpliciter; id a quo incipitur, est prius secundum quid. Cur-nam? Quia de natura intentionis est, ut sit operatione prior.

2) *Ex parte materiae* illud est prius, quod prius existit (logice saltem) in transmutatione materiae.

Igitur, quum partes sint priores dupliciter: tum ratione materiae, tum in ordine executionis; et totum sit solummodo prius in ordine intentionis, nonne erit quaestio potius in oppo-

[1] C. 1, 35.

situm solvenda? - Minime, prosequitur S. Thomas, quia ordo ex parte agentis magis attendendus est, quam ordo ex parte materiae. Et in ipso ordine ex parte agentis praecedit intentio actionem. Quaestio proin reducitur ad hoc. Quidnam fuit prius a Verbo intentum: assumptio totius, an geminae partis? Et solutio est manifesta [1].

Reliqua nullam pariunt difficultatem. Responsa ad obiectiones Durandi vide apud Card. Caietanum.

ARTICULUS VI.

UTRUM HUMANA NATURA SIT ASSUMPTA MEDIANTE GRATIA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vidimus de partibus ad invicem relate ad assumentem; insuper de partibus ad totum; unde hunc ordinem statuimus: Verbum, naturam humanam, animam, corpus; ordinem quidem temporis inter primum et alia tria; naturae inter haec tria ad invicem. Remanet quaestio, utrum inter primum et secundum non aliud medium ponendum sit: nempe gratia.

2) Porro gratia, sicuti S. Thomas habet alibi [2], necnon in hoc *Corpore,* licet alio ordine, dicit tria: *a*) gratuitam bonam voluntatem Dei, quae est primum omnium donorum eius: unde ipse Spiritus Sanctus nuncupatur Donum. Haec bona voluntas est *causa* efficiens operationis ad extra, non medium.

b) Dicit *ipsam unionem hypostaticam,* seu illud esse, quod natura humana Christi habet in persona Verbi. Hoc sensu est ipsa assumptio *terminative,* non medium ad illam.

c) Dicit *dona habitualia virtutum,* animae infusa. Haec autem dona possunt quidem esse medium congruentiae ad

[1] Totam doctrinam his articulis 3. et 4. contentam egregie S. Thomas alibi expressit. « Utrumque horum est impossibile, ut scilicet anima prius sit creata « et assumpta, et postmodum corpori coniuncta; et etiam quod caro prius sit con- « cepta et assumpta, et postmodum animae unita; sed haec quatuor necesse est simul « fuisse, scilicet: conceptionem carnis, creationem animae, coniunctionem utriusque, « et unionem ad Deitatem ». Et excluserat paulo superius: « ut homo prius ex suis « partibus constitutus sit, et postea assumptus » *.

[2] Loc. cit. art. 2.

* Loc. cit. art. 3.

maiora acquirenda; non autem ad causandam assumptionem, quia haec infusionem habitualis gratiae logice etiam praecedit.

His distinctionibus prae oculis habitis liquet quaesiti solutio, et via ad omnes difficultates depellendas patet.

II. **Ad Textum.** - *Obi. 1.* Confundit ordinem sanctificationis per operationem supernaturalem, et ordinem unionis secundum esse personale.

2. Obi. Vitium est in hoc, quod unio assumptionis, quae non est accidentalis, sed substantialis, confertur cum habitu, qui accidentaliter dumtaxat animam afficit. Idipsum vitium S. Thomas pulcherrime ostendit in Commentario Lombardi [1]. Apparet inde quod, si gratia esset medium assumptionis, et haec nonnisi accidentalis esse posset. Inde momentum praesentis quaesiti, quemadmodum ex mox dicendis in *Sed contra est* adhuc magis apparebit.

3. Obi. Procedit ex alio gratiae sensu, sed magis improprio, quo Spiritus Sanctus, sicuti donum, ita et gratia vocatur. Subtiliter quidem incedit; sed confundit causam moventem, cum causa seu medio *formali* [2].

Sed contra est. Doctrina hoc articulo contenta refellit Nestorium, qui duas tenebat in Christo personas, unitas ad invicem vinculo quodam spirituali ad modum gratiae. Refellit et Severum Antiochenum dicentem, « quod in Christo non « fuit unio personalis in duabus naturis vere subsistens, sed « tantum habitualis, id est, secundum habitum, proprietatem, « conditionemque quamdam divinam; qua, cum solus esset « homo, divina tamen assistente per quandam participatio- « nem virtute miracula operaretur » [3].

Inde in Concil. Florentino damnatus est ab Eugenio IV error de gratia operante unionem in Christo: « Sacrosancta « Ecclesia anathematizat Theodorum Mopsuestenum atque « Nestorium asserentes, humanitatem Dei Filio unitam esse « per gratiam, etc. « Et longe ante Concil. Ephesinum can. 5. statuerat: « Si quis audeat dicere, hominem Christum theo-

[1] Loc. cit.
[2] Cf. Schema de variis mediis in capite art. 1.
[3] Cf. Capponi a Porrecta hoc loco.

« phoron, i. e. deiferum, et non potius Deum veraciter dixe- « rit, anathema sit ». Atqui si per gratiam uti medium assumptio produceretur, non faceret nisi deiferum.

Adverte tamen, talem posse medietatem causalem gratiae habituali tribui, quae veram unionem hypostaticam non excludat. Contra hanc positionem has declarationes non valere, nisi ad summum indirecte, per se patet. Sed haec in sequenti appendice melius illustrabuntur.

In Corpore. Argumentum S. Thomae simplici dilemmate continetur. Si assumptio fieret per gratiam, esset gratia unionis, vel gratia habitualis, quae solae in Christo sunt (gratia enim, in sensu bonae voluntatis Dei *in* Christo non est uti homine, sed solum in Deo). Atqui de neutra dici potest eam esse medium assumptionis: non de prima, quia est ipsissimus assumptionis terminus; nec de altera, quia est eiusdem effectus. Ergo.

Sed hic oritur aliqua difficultas. Quomodo haec ultima responsio de gratia habituali uti effectu assumptionis, componitur cum doctrina Aquinatis in III. Sentent.? En ipsius verba: « Sicut adventum formae in materiam *praecedunt ordine* « *fiendi* disponentia formaliter et materialiter, *quibus materia* « *redditur idonea ad susceptionem formae;* ita etiam in « humana natura inveniuntur quaedam superaddita, *quibus* « *redditur decens ut assumatur a divina persona,* ut scientiae « et *virtutes,* et huiusmodi: *unde ista possunt quodammodo* « *dici medium congruentiae* » [1]. Nonne in hoc loco S. Doctor concipit virtutes animae Christi ut disponentes ad unionem, et proin uti logice praecedentes eam? Nonne proin ad assumptionem concedit rationem medii, quam omnino reiicit in *Corpore* articuli nostri? — Non negamus, locum parere difficultatem. Sint tamen sequentes breves animadversiones.

1) Directe non habetur expressa *praecedentia* in altera parte comparationis, sed solum in priori; - 2) ipsa comparatio mitigatur verbo *quodammodo;* - 3) congruentia dupliciter considerari potest: *a*) ut causans coniunctionem, *b*) uti consequens eiusdem. Iam vero hoc altero sensu nihil obstat, quin in casu praedicetur [2]. - 4) Etiamsi concederetur prae-

[1] Loc. cit.

[2] Cf. dicenda in Quaest. sequenti.

cedentia naturae inter habitum gratiae et assumptionem in Christo, non ideo diceretur ipsa assumptio per gratiam produci. Clarius tamen S. Thomas in praesenti articulo quam in loco allegato locutus est, dato etiam quod utrimque eadem prorsus doctrina habeatur.

Appendix de Mente S. Bonaventurae.

Haud raro apud Theologos etiam optimae eruditionis, uti Stentrup, legitur, in praesenti argumento tres haberi sententias: 1) sententiam S. Thomae, negantis gratiam creatam esse in Christo medium ad unionem hypostaticam; 2) sententiam Alexandri Halensis, hoc medium non solum concedentis, sed etiam uti necessarium exigentis; 3) sententiam S. Bonaventurae, concedentis quidem medium, sed mere ad congruentiam, non ad necessitatem. Quid igitur?

1) Halensem tenuisse revera sententiam, quae ei adscribi solet, ex ipsis eius verbis constat: « Non est possibile creaturae humanae, quod ipsa per donum conditionis naturae « elevetur et disponatur ad divinam unionem; et ideo *necessaria est ei gratia,* quae elevet ad hoc et disponat ipsam; « quam nos appellamus gratiam unionis » [1]. Ex quibus verbis manifesto apparet, in mente Halensis non solum gratiam infusam fuisse necessariam ad unionem hypostaticam, tanquam dispositivam humanae naturae, sed hanc ipsam gratiam esse gratiam unionis, utpote vinculum unionis inter subsistentiam in Verbo et naturam humanam.

Quantopere haec doctrina a S. Thomae sententia differat, ex dictis patet. Sed et ipse S. Bonaventura eam expresse reiicere intendit [2]. Fatendum tamen est, hanc Halensis doctrinam dupliciter intelligi posse. *a*) Primo quidem ita, ut huic habitui gratiae tanta virtus tribuatur, quae unionem hypostaticam producat. Quod manifesto respuendum est. Unde S. Bonaventura ait: « Si autem intelligatur unio illa fieri mediante « habitu gratuito, ita quod ille habitus respectu unionis teneat « rationem *causae,* sic veritatem non habet ». Et procedit ostendens falsitatem huius opinionis per duplex argumentum,

[1] S. p. III, q. 7, m. 2, a. 1.
[2] III. Sent. Dist. II, art. 3, q. 2, passim.

primo a parte ipsius habitus gratiae, qui est totius Trinitatis, dum unio hypostatica est solius Verbi; dein a parte ipsius unionis, quae est alterius prorsus ordinis, ac habitus gratiae: « et ideo nullus habitus creatus potest hoc efficere, nec per « collationem alicuius boni creati fit, ut homo sit Deus, etc. » [1]. - *b*) Alio modo mitiori potest Halensis doctrina intelligi, non quod habitus infusus tantam vim habeat, quae hypostaticam unionem causet; sed quod requiratur, ut disproportio nimia inter naturam puram et subsistentiam in divina persona tollatur. Sed etiam ita mitigata haec doctrina in excessum abit; quare passim a Scholasticis depellitur.

2) Quid tamen, si ita mitigetur, ut haec necessitas dumtaxat de quadam congruentia intelligatur? Hanc praecise fuisse S. Bonaventurae mentem, nonnulli existimant; imo quidam auctoritate Seraphici moti, hanc sententiam amplectuntur. Sed antequam ex verbis ipsis Seraphici, quid tenuerit, eruamus, oportet duplicem sensum in hac quoque positione sedulo distinguere. Gratiae habitus uti medium congruentiae potest *a*) ita teneri ut involvat prioritatem naturae inter infusionem gratiae et unionem, sicuti prioritas naturae est inter animam et corpus Christi vitaliter inter se unita, et unionem hypostaticam ad Verbum; ita ut, iuxta hanc sententiam, haberemus naturae ordinem sequentem: α) animam et corpus, β) animam et corpus inter se unita, γ) gratiae infusionem, δ) hypostaticam unionem. Hanc fuisse Bonaventurae mentem, opinati sunt Scotus et Durandus, qui hanc sententiam impugnant. - *b*) Mitius intellecta sententia tenet quidem medietatem congruentiae, sed sine prioritate naturae; imo cum prioritate naturae ex parte unionis hypostaticae; ita ut ex unione effluxerit gratia; sed ideo, ut congruentius ipsa unio existeret. Hanc fuisse S. Bonaventurae sententiam, existimant Barth. a Barberiis, Richard. a Med., Petrus a Tar., Dionysius Carth., et nuper doctissimi editores operum Seraphici Patris [2]. Unde hi omnes admittunt medietatem congruentiae in ordine *intentionis* [3], non autem in ordine *executionis*.

[1] Ibid. in corpore.

[2] Loc. cit. *Scholion.*

[3] Neque hunc ordinem esse urgendum, existimo.

Quid de hac lite sentiendum? Adeatur ipse S. Doctor. Si eius verba nihil continent de prioritate naturae inter habitum gratiae et unionem hypostaticam, nihil nos coget ad eam adstruendam. Imo si modus, quo congruentiae medietatem exponit, potius ab hac prioritate alienus est, concludendum erit, S. Bonaventurae sententiam esse ex duabus supra expositis mitiorem.

En quibus verbis expositionem corporis inducit: « Cum « quaeritur, utrum anima uniatur ipsi Verbo mediante aliquo « habitu gratuito, hoc dupliciter potest intelligi: aut quod « ille habitus teneat rationem *congruentiae,* vel rationem « *causae* ». Qua posita distinctione, prius ita tuetur: « Si ita « quod teneat rationem congruentiae, sic concedi potest, quod « anima unitur ipsi Verbo mediante habitu creato, quia non « decet ipsam Verbo uniri, nisi assimiletur habitu perfectae « deiformitatis. Unde anima Christi non tantum fuit grata in « instanti unionis, sed etiam glorificata super omnes animas « beatas, quia non decet, animam Dei carere deiformitate ».

Haec sane verba prioritatem naturae habitus gratiae ad unionem nullo modo exigunt. Imo ultima verba potius oppositum insinuant, quatenus unum quidem instans ponunt, quo anima Christi fit anima Dei, et Deo per gratiae plenitudinem gratissima. Id confirmant ultima verba *Corporis,* per quae S. Doctor claudit confutationem sententiae tuentis medium *causae.* Dicit enim unionem hypostaticam fieri « per gratuitam « Dei bonitatem, *simul coexistente* influentia doni gratuiti ad « *congruitatem,* non ad *causalitatem* ». Iam vero id quod dicitur *coexistere simul,* non cogitatur uti ordine naturae prius, sed posterius.

Putamus proin, editores operum S. Doctoris recte eius mentem exposuisse, ac iuxta haec mitigandum esse iudicium cl. Stentrup, quando dicit: « Aliquot autem cum Bonaven- « tura, Paludano, Gabriele Biel, aliisque statuunt, gratiam « habitualem esse dispositionem ex decentia quadam ad unio- « nem *praerequisitam* » [1]. E contra in mente S. Doctoris est congruentia decentiam per ipsum veluti unionis hypostaticae effluxum causans.

[1] Op. cit., th. LXXX, p. 1248.

Conclude, S. Bonaventurae sententiam vix, aut ne vix quidem differre a sententia, quam ipse S. Thomas in Lombardi Commentario exponit.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) *Ordine naturae* anima uti media consideranda est in assumptione inter Verbum et carnem, tum ratione *dignitatis,* tum ratione causalitatis sive *assumptibilitatis* (a. 1). - Imo propter hanc geminam rationem dicendum est, in ipsa assumenda anima spiritum, seu mentem, medium esse inter Verbum assumens et animam, quum per mentem seu spiritum, uti per potentiam superiorem, habeat anima, uti potentia inferior unius eiusdemque formae entitativae, esse assumptibilis (a. 2).

2) *Ordine temporis,* nihil temporis, ne minimum quidem interiacet inter utriusque partis naturae humanae assumptionem. Etenim *a*) non prior fuit assumpta anima: nam debuisset esse alterius naturae quam sunt nostrae, quae non praeexistunt corpori (a. 3). - Neque *b*) prius assumptum fuit corpus: nam corpus assumptibile est ratione formalitatis corporis humani; hanc autem nequit habere antequam adsit anima, a qua illam recipit (a. 4).

3) Quare, etsi *ordine efficientiae* sive operationis, logice saltem, partes praeexistunt toti, nihilominus in *ordine intentionis,* secundum quem assumptio maxime consideranda est, totum praecedit partes. Per totam igitur humanam naturam, uti per medium dignitatis et congruentiae [1], Verbum assumpsit animam et corpus (a. 5).

4) Haec autem assumptio humanae naturae immediate facta est, quin ulla *gratia* uti media intervenerit. Et sane *a*) non gratia *unionis,* quia terminus; nec *b*) gratia *habitus,* quia effectus (a. 6).

[1] Cf. a. 1.

CAPUT II.

DE HIS QUAE SUNT A VERBO DEI COASSUMPTA. (Q. VII. - Q. XV).

Ordo Capitis patet ex schemate p. 19.

§. I. — De pertinentibus ad Perfectionem. (Q. VII. - XIII).

Pertinentia ad perfectionem assumptae naturae, iuxta methodum S. Thomae, ad tria reducuntur: ad *gratiam,* ad *scientiam,* ad *potentiam.* Quae autem gratiae sunt, respiciunt primo Christum uti *hominem* singularem, dein uti *caput.*

A) De Gratia Christi 1) Hominis.

QUAESTIO VII.

DE GRATIA CHRISTI, PROUT EST QUIDAM SINGULARIS HOMO.

Ordo Quaestionis. - Duo quaeruntur de gratia Christi uti hominis singularis: 1) quamnam gratiam possideat; 2) quomodo gratia haec se habeat ad unionem.

1) De primo, articulos duodecim continente, duo rursus quaeruntur: *a*) de gratia *in se, b*) de *gradu* eiusdem.

a) Gratiae *in se* distinguuntur: α) in gratias gratum facientes et β) in gratias gratis datas. Primi sex articuli agunt de primis; tres sequentes de alteris.

α) Gratiae *gratum facientes* distinguuntur in α′) gratiam *habitualem* (de qua in articulo 1); - β′) *virtutes* (de quibus in articulis 2. 3. 4); - γ′) *dona* Spiritus Sancti (de quibus in articulis 5 et 6).

β) De gratia *gratis data* quaeritur, sicuti et de superiori, in genere et in specie (a. 7. et 8).

b) Quoad *gradum* gratiae quaeritur per quatuor sequentes articulos de plenitudine et de modo eiusdem plenitudinis (9-12).

Ordo quaestionis, uti patet, valde logicus est, totam rem lucida distributione complectens.

Distinctio porro inter gratiam habitualem, virtutes et dona heic supponitur; nec huius loci est illam argumentis firmare. Pertinet quippe hoc ad tractatum de gratia et virtutibus.

§. 1. — **De Gratiis gratum facientibus.**

ARTICULUS I.

UTRUM IN ANIMA CHRISTI FUERIT ALIQUA GRATIA HABITUALIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Fundamentum huius quaestionis est duplex: *a*) unio in persona, *b*) distinctio perfecta utriusque naturae. Anima proin Christi, sicuti nostra, est substratum gratiae, omnesque facultates, quae animam instruunt, in Christo per gratiam perfectibiles existunt.

2) Quare in tota hac quaestione, - imo in toto hoc membro, ubi de coassumptis, quae ad perfectionem spectant, - a duplici excessu cavendum est: *a*) ne nimis urgeatur personalis unio, et aliud supernaturale in Christo praeter gratiam unionis quasi superfluum iudicetur; *b*) ne urgeatur nimis distinctio naturarum, et quasi ad statum Christi mortalis ac merentis requiri putetur privatio alicuius gratiae superioris, quae in communibus hominibus vix cum statu viae componi potest. Prius vitium magis tangitur in quaestione de gratia; alterum specialius ubi agitur de Christi scientia.

II. **Ad Textum.** - Obiectiones possunt his paucis contrahi. Quid est gratia? Habitus participativus divinitatis, quo homo fit capax bene operandi et beatitudinem adipiscendi. Atqui Christus, ut homo, instrumentum erat Verbi: ergo in eo inutilis habitus (obi. 3); - erat divinitatis particeps secundum veritatem (obi. 1), ipsi debebatur haereditas uti Filio (2. obi. *a*)

et per ipsum, uti Verbum, omnia facta sunt (2. obi. *b*): ergo gratia fuit ipsi superflua, imo cum ipsius dignitate repugnat.

Obi. ex ratione instrumentali petita confundit instrumentum inanimatum et animatum rationale. Reliquae confundunt ea, quae sunt unionis personalis, et ea, quae sunt naturae assumptae.

Sed contra est. Optimo iure hoc loco iam affertur textus Isaiae XI, 2, 3. licet directius inserviat ad probandam in Christo existentiam donorum. Ratio est, quia dona supponunt habitum gratiae, cui, uti fundamento, innituntur.

Doctrinam ab Aquinate in praesenti articulo propugnata demonstratur auctoritative ex Scriptura, ex Patribus et ex traditione catholica.

1) Praeter citatum locum Isaiae habes ex *Scriptura a*) Vet. Test. verba Psalmistae de Christo: « Unxit te Deus, « Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis » [1], et Isaiae prophetae: « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit « Dominus me » [2]. *b*) Nov. Test. verba Ioannis: « Habitavit « in nobis, ... plenum gratiae et veritatis » [3], necnon Lucae: « Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum « et homines » [4].

2) *Patrum* testimonia ad hanc doctrinam fulciendam non desunt. Caute tamen in huiusmodi citationibus procedendum est, ne e textibus eruatur, quod in eis revera iuxta scribentis mentem vix continetur. Ita nescio, utrum ad praesentem scopum conferat testimonium S. Cyrilli Alex. a Suarezio allatum. « Dicimus autem prophetam in hoc praeconio suo arti- « ficium sic temperasse, ut non hominem merum nobis indu- « cat Iesum, dein Spiritu afflatum, et quasi nostri ordinis et

[1] Ps. XLIV, 8; cf. HEBR. I, 9.

[2] Is. LXI, 1; cf. LUC. IV, 18; ACT. IV, 27. Fatendum quidem est, unctionem illam optime significare ipsam unionem hypostaticam. Ita S. Damascenus: « Ipse seipsum « unxit, ungens quidem et Deo corpus (i. e. humanam naturam) divinitate sua, « unctus autem ut homo, ipse enim est hoc et illud: est vero divinitas unctio « humanitatis » *. Attamen collatione cum aliis locis, in quibus diserte de inhabitatione Spiritus et de gratia sermo est, et istae locutiones doctrinam praesentem corroborant. — Cf. complenda, ubi de nomine *Christi*.

[3] IOANN. I, 14.

[4] LUC. II, 52.

* L. III. c. 3.

« conditionis esset, charismatum divinorum participem fac-
« tum, sed potius Dei Verbum humanam naturam assumpsisse
« declarat, cumulatum bonis omnibus, quatenus ad ipsius
« naturam pertinent, ac etiam una cum humanitate, quae ad
« eam spectant, velut sua ac propria sibi vindicans » [1].

Magis ad rem sunt verba S. Athanasii, qui ita Christum loquentem inducit: « Ego, qui Patris Verbum sum, ipse mihi
« facto homini dono Spiritum, meque factum hominem in
« illo (Spiritu) sanctifico » [2]. Efficaciora verba S. Augustini:
« Neque enim sine gratia Spiritus Sancti est mediator Dei
« et hominum homo Christus Iesus; nam et ipse dicit, de se
« fuisse propheticum illud impletum, Spiritus Domini super
« me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit
« me. Quod enim est Unigenitus aequalis Patri, non est gra-
« tiae, sed naturae; quod autem in unitatem personae Uni-
« geniti assumptus est homo, gratiae est, non naturae, con-
« fitente Evangelio [3] atque dicente: Puer autem crescebat et
« confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo » [4].
Sed nec hoc ipsum testimonium omne dubium tollit, de modo quo S. Augustinus hanc gratiam intendit, utrum de sola unione hypostatica, an de gratiarum habitu ab hac unione distincto [5].

3) Porro *traditio* catholica de praesenti doctrina constans apparet. In media aetate S. Bernardus commentans verba praeconis angelici, ait: « Singulariter sanctum fuit, quidquid
« Virgo concepit, et per Spiritus sanctificationem et per Verbi
« assumptionem » [6]. Unde damnata est in Conc. Senonensi

[1] *In Is.* l. II. — *P. G.* t. LXX, col. 313.

[2] *Ctr. Arian.*, Or. 1, n. 46. — *P. G.* t. XXVI, col. 108.

[3] Luc. II, 40.

[4] In *Ioann.* tr. LXXIV, n. 3. — *P. L.* t. XXXV, col 1828.

[5] Confer illa S. Cyrilli: « Quum secundum naturam sanctus sit ut Deus, sanc-
« tificatus est nobiscum quatenus homo, ipse proprio Spiritu suum ipsius templum
« perungens ». (*Dial. de Trin.* VI.). — Haec autem sanctificatio, haud secus ac unctio, de ipsa gratia unionis hypostaticae intelligi potest, sicuti in his verbis Christi: « Quem
« Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas; quia dixi: Filius
« Dei sum » (Ioann. X. 36.). Ita S. Augustinus: « Verbum in principio Deus, in quo
« et ipse Filius hominis sanctificatus est ab initio creationis suae, quando Verbum
« factum est caro, quia una persona facta est Verbum et homo. Tunc ergo sanctificavit
« se in se, hoc est hominem se in Verbo se, quia unus Christus, Verbum et homo,
« sanctificans hominem in Verbo » (In Ioann. tr. CVIII, n. 5. — *P. L.* t. XXXV, col. 1916.).

[6] Hom. 4, super « Missus est ».

anno 1140, necnon ab Innocentio II. prop. 11. Abaelardi: « Quod in Christo non fuerit spiritus timoris Domini » [1].

Ex magnis theologis placet adducere alium locum Aquinatis et testimonium Suarezii. Ita habet S. Thomas in *Compendio theologico:* « In quantum creatura aliqua magis ad « Deum accedit, in tantum de bonitate eius magis participat, « et abundantioribus donis ex eius influentia repletur... Nullus « autem modus potest esse aut excogitari, quo aliqua crea- « tura propinquius Deo adhaereat, quam quod ei in unitate « personae coniungatur. Ex ipsa igitur unione naturae huma- « nae ad Deum in unitate consequens est, ut anima Christi « donis gratiarum habitualibus prae ceteris fuerit plena; et « sic habitualis gratia in Christo non est dispositio ad unio- « nem, sed magis unionis effectus » [2].

Et Suarez fuse exponens, quomodo haec gratia Christi se habuerit relate ad gratiam aliorum Sanctorum, rationes ob quas Christus ea donatus esse debuit, necnon ambitum eiusdem gratiae, ait: « Licet haec dona non fuerint necessaria « animae Christi ad excludendum peccatum, sicut sunt homini « lapso; neque etiam ad primam seu primariam eius sanctifi- « cationem, sicut fuerunt necessaria angelis vel Adae in statu « innocentiae, quia Christus habuit aliam priorem et excellen- « tiorem sanctificationem; tamen ad debitam illius animae pul- « chritudinem et dispositionem, et ad connaturalem modum « operandi, atque adeo ad perfectam participationem Divini- « tatis et consummatam iustificationem, tam necessaria fuit « haec gratia animae Christi, sicut aliis. Aliunde vero haec « optima dispositio erat illi animae multo maiore ratione con- « ferenda propter dignitatem personae Verbi et divinae « naturae, cui erat coniunctissima. Nam inde etiam habuit, « ut esset quasi quoddam universale principium et perfectis- « simum exemplar gratiae aliis conferendae. Habuit etiam « inde perfectissima dona sapientiae et scientiae ac visionis « Dei, quum tamen non minus opportuna et necessaria sint « haec dona sanctificantis gratiae. Denique corpori etiam « ipsi, quamvis unito Verbo, imo quia unitum est Verbo, data « sunt creata dona gloriae tempore convenienti, quod non

[1] DENZINGER (op. cit. n. 320).

[2] C. 214.

« minus certum est, quam sit de aliis hominibus, quorum « corpora futura sunt conformia corpori claritatis eius. Cur « ergo non idem existimandum est de donis animae? Unde « non immerito existimari potest, hanc veritatem doceri ab « omnibus Patribus et Conciliis, tradentibus utramque natu- « ram, divinam et humanam, fuisse in Christo perfectam « omnibus proprietatibus et perfectionibus ad utramque per- « tinentibus » [1].

Caeterum de his sermo recurret, ubi de gratia capitis in Christo erit dicendum [2].

In Corpore. Tres rationes ab Aquinate afferuntur: prima respicit dignitatem ex unione personali; secunda excellentiam animae et operationes eiusdem; tertia habitudinem Christi ad genus humanum.

De *secunda* ratione nihil addendum.

De *prima* animadverte, hanc rationem non fluere ex unione personali uti per se considerata, sed uti nobilitante naturam assumptam gradu supremo perfectionis.

De *tertia* attende, hic non praeoccupari quaestionem de Christo capite, ut demonstretur, sed ut supponatur. Iam vero quomodo Christus gratiam haberet capitis, si neque, ut homo singularis, gratiam possideret?

Aliquomodo aliter quoad modum expositionis, S. Thomas alibi eamdem quaestionem solvit [3]. Distinguit duo in gratia: perficiens *in esse spirituali* per assimilationem Deo, et perficiens *ad opus;* et concludit ad gratiae necessitatem quoad utrumque. Quoad prius, quia Deitas est perficiens effective, gratia vero formaliter; quoad alterum, quia in Christo, sicuti duplex natura, ita et duplex est operari.

Resp. ad Obi. Ad intellectionem modi, quo se habent in Christo duae naturae, iuvat multum responsio ad 2m, in qua etiam fundamentum sternitur doctrinae de Christi scientia per gratiam infusa.

Quaeres. - Quaenam est certitudo doctrinae de gratia infusa animae Christi? - Distinguenda est duplex quaestio:

[1] Op. cit., Disp. XVIII, sect. 2.

[2] Plura testimonia Patrum de hoc argumento invenies apud Petavium (op. cit., l. XI, c. 6).

[3] III. Sent. Dist. XIII, q. 1, a. 1.

1) de gratia ipsa, 2) de plenitudine huius gratiae ab instanti conceptionis Christi. De hac altera quaestione mox erit dicendum; hic unice sollicitamur de priori.

Iam vero Suarez putat simpliciter esse de fide. At alii, uti Gregorius a Valentia, Vasquez, de Lugo, Maeratius, Petavius, etc., vehementer resistunt. Et sane non apparet Scripturarum textus tam evidenter loquens de gratia Christi uti distincta a gratia unionis; neque tam aperte eadem veritas ab Ecclesia proposita est, ut de fide stricte vocanda videatur. Insuper ratio theologica non est omnino evidens. Scilicet non tam limpide constat, gratiam ontologice deificam non posse eminenter supplere in facultatibus Christi gratiam supernaturaliter deiformem. Quare certum quidem credimus doctrinam universali consensu a Schola cum S. Thoma traditam; non autem eam de fide esse putamus, sed tantum fidei proximam, aut saltem theologice certam.

ARTICULUS II.

UTRUM IN CHRISTO FUERINT VIRTUTES.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) In loco modo citato S. Thomas dicit: « A gratia emanant virtutes, sicut vires ab essentia ». Quam doctrinam ipse alibi fusius exponit [1]. Duplex autem hic oritur quaestio: *a*) utrum Christus habuerit *virtutes;* *b*) utrum habuerit virtutes *omnes.*

Haec altera quaestio movetur, tum de virtutibus moralibus seu cardinalibus, tum de virtutibus theologicis. De primis in hoc articulo, de aliis in articulis 3°. et 4°.

2) Ratio dubitandi, tum quoad virtutes Christi in se, tum quoad earum numerum, est ipsa dignitas unionis, quae *a*) ex una parte videtur α) supplere virtutes (obi. 1), saltem per gratiae plenitudinem; aut β) exigere aliquid excellentioris (obi. 2); *b*) ex alia parte videtur componi non posse cum virtutibus, quarum α) fundamentum supponit aliquid imperfectum, aut β) obiectum importat aliquam cum malo intrinseco luctam (obi. 3).

[1] I-II. Q. XLV, a. 1 et 2.

II. Ad Textum. - Per dicta iam praeoccupatus est sensus et scopus obiectionum. Solutio mox patebit.

Sed contra est. Veritas heic ostendenda patet ex Scripturis et ex traditione ecclesiastica.

1) Ex sacris *Scripturis* duplici via probari potest.

a) *Disertis testimoniis;* qualia sunt, praeter loca superiori in articulo allata, praesertim illud Christi ad Ioannem: « Sic « decet nos implere omnem *iustitiam* » [1], et illud de seipso: « Discite a me, quia *mitis* sum et *humilis* corde » [2]; et iterum: « Maiorem hac *dilectionem* nemo habet, ut animam « suam ponat quis pro amicis suis » [3]. Et S. Paulus de Christo: « Didicit ex iis, quae passus est, *obedientiam* » [4]. Habes his demonstratam virtutem theologicam, charitatem; cardinalem, iustitiam; specialius morales: humilitatem, mansuetudinem et obedientiam. — Adde testimonium Lucae: « Coepit Iesus « facere et docere » [5]. Unde sic arguitur: atqui docuit omnes virtutes; ergo eas habuit et exercuit [6]. Iam vero omnibus in istis locis agitur de operatione Christi uti hominis; ergo habuit has virtutes uti homo, scilicet per gratias virtutum.

b) *Indirecte* eadem veritas eruitur ex ipsa vita Christi. *Charitas* ipsius erga Deum et homines in quovis Evangelii capite emicat. *Spes* propriae glorificationis in ipso elucet. *Prudentiam* summam ostendit in agendi ratione cum Pharisaeis, Sadducaeis, mulieribus et cunctis sibi adversantibus. *Iustitiam* erga Deum et homines proclamat toto opere suo, mirabilique eloquio complexus est aiens: « Reddite quae sunt « Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo ». *Fortior* ipso contra « fortem armatum », aut contra suos persecutores quis unquam apparuit? Neque ipso *temperantior* quis unquam in terris visus est, quippe qui omnibus nudatus in praesepe et in cruce, exsilio pulsus infantulus, adolescens fabrioli vitam agens, in vita publica, ieiuniis inchoata, neque habuerit « ubi

[1] Matth. III, 15.

[2] Ibid. XI, 29.

[3] Ioann. XV, 13.

[4] Hebr. V, 8; cf. Philipp. II, 8.

[5] Act. I, 1.

[6] Hoc tamen argumentum non est nisi suasivum; nam « facere » in hoc loco significat proprie opera miraculosa patrare. Inde ipse Iesus ad suam doctrinam et ad sua opera passim appellat.

« caput reclinaret »; ac nihilominus in ipsa temperantia modum mirabiliter servaverit, dulci comitate sanctaque benignitate peccatores in ipsis conviviis attrahens atque ad Deum convertens. Quid iam oportet alias eius tangere virtutes? Quae, quum omnes *humilitati* atque *obedientiae* innitantur, quam praecellentes fuerint per se patet in eo, qui dignitatis ex abnegatione immemor, usque ad crucis mortisque extrema, obedientem sese Patri ostenderit. Unde S. Paulus, Christum uti exemplar fidelibus offerens, ait: « Fratres, hoc « sentite in vobis, quod et in Christo Iesù » [1].

Corroboratur indirecte praesens doctrina per ipsum modum quo haeretici vel increduli, divinitatem Christo detrahentes, celsitudinem nihilominus moralem prae quovis alio homine extollunt, imo ipsam suam blasphemiam per hasce laudes veluti colorare student. Inter hos ex antiquis eminet Nestorius, intimum maxime inter Deitatem et Christum, dempta tamen unione hypostatica, nexum praedicans; inter modernos Renan, Iesum uti idealem hominem, at mere hominem celebrans. (Cf. dicenda in Corollario).

In Corpore. Ex praesenti doctrina vides, perfectionem gratiae habitualis, nedum infusioni virtutum in anima Christi obsit, e contra demonstrare, eamdem virtutes perfectissimo gradu habuisse.

Resp. ad 1m. Aliter posset textui allato responderi. « Suf- « ficit tibi gratia mea »; dist.: gratia habitualis ad excludendas virtutes, nego; gratia in sensu virtutum, subdist.: merus habitus, nego; habitus per gratias actuales adiutus, concedo. Caeterum, nonne in hoc loco agebatur pro S. Paulo de lucta contra *virtutem* castitatis? [2] Ergo.

Resp. ad 2m. Idem dic, servatis servandis, quando quaeritur de gradu heroico virtutum in beandis.

Resp. ad 3m. Mirare, quam pulchre Aquinas utramque difficultatem solvat. Summus gradus virtutis esse potest in tollendo obiecto circa quod eadem apud alios exercetur; quia

[1] PHILIPP. II, 5.

[2] Equidem non ignoro, recentiores quosdam exegetas hic potius allusionem videre ad morbum quemdam, oculorum, uti opinantur, quo S. Paulus laboraverit. At quod huius sententiae fundamentum historicum, quae probabilitas philologica, quis spiritualis fructus, verbo, quae scientiae exegeticae progressio sit, fateor me latere.

tunc alia perfectissimo modo possidetur virtus, cui prior subordinatur. Ita liberalitas subordinatur contemptui divitiarum, qui plenissime exercetur per renuntiationem perfectam. Ita concupiscentiarum omnium victrix moderatio subordinatur perfectae temperantiae ab omni inordinato motu exemptae.

Aliquid simile recurret in articulo sequenti, ubi videbimus, Christo, licet propter comprehensoris visionem habere non potuerit fidem, de merito tamen fidei nihil defuisse.

Quaeres. - Quid de virtute *poenitentiae?*

Quum Christus fuerit omnino impeccabilis [1], idque non solum ob divinitatem personae, sed ob humanam voluntatem perfecte et indefectibiliter Deo adhaerentem, patet, in Christo repugnari poenitentiam sub formali ratione doloris de peccatis *propriis*. Quare, si quis putet hanc rationem esse virtuti poenitentiae undequaque necessariam, ut vera poenitentia sit, hic non potest admittere in Christo poenitentiam, nisi eminenti illo modo, sicuti de temperantia in articulo dictum est. Si autem quis existimet, dolorem de offensa Dei ad poenitentiam sufficere, quin oporteat ut de peccatis uti propriis doleatur, nil impedit, quominus in Christo poenitentiam praedicet.

Sane iuxta hanc duplicem poenitentiae significationem dici potest, poenitentiam in strictiori sensu in Christo, ob ipsam perfectionem virtutum, adesse non potuisse; poenitentiam vero in sensu latiori non adfuisse modo, sed et in gradu sublimi, qualis in nullo alio homine emicuit. Nam si maiorem dilectionem nemo habet, quam ut vitam pro amicis fundat, altiorem poenitentiam in hoc latiori sensu nemo unquam ostendit, quam ut vitam pretiosissimam valoris infiniti in propitiationem pro peccatis totius mundi sacrificaret. Unde sicut religionis virtus fuit in Christo excellentissima, ita propitiatorius zelus, dolor de offensa Dei maiestate, et reliqua omnia quae poenitentiam constituunt, et quae, iuxta opinionem Suarezii et Caietani, non realiter a virtute religionis distinguuntur, in Christo summo gradu elucebant.

Corollarium. - Ex doctrina huius articuli vides, quanto-

[1] De hac impeccabilitate agemus, ubi de humana Christi voluntate erit dicendum.

pere Christum offendant protervi illi scriptores, qui ob morales defectus, quos in vita eius reperiri blasphemant, divinitatis aureolam ipsi detrahunt. Et sane, si Christus peccasset, Deus esse non posset. Sed quum ex una parte divinitas eius diserte praedicetur, tum per Christi opera, tum per eius doctrinam, et ex altera parte in vita Iesu tot eluceant heroicae virtutis exempla quae forsan primo intuitu intelliguntur minus, admota luce huius divinae dignitatis atque moralis perfectionis collustranda sunt. Exempla quaedam ab adversariis opponi solita adducemus infra, ubi de Christi impeccabilitate disseremus [1].

Collige ex dictis in hoc articulo, Ecclesiam iure optimo Christum uti exemplar omnium virtutem invocare: « Domine « Iesu Christe, virtutum omnium exemplar et praemium » [2].

ARTICULUS III.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT FIDES.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) In quavis virtute duo prae oculis habenda sunt: *a*) distinguendum est elementum *perfectionis,* et elementum *meriti;* insuper *b*) considerandum est minus materiale quam *formale* obiecti.

2) Iam vero in fide *a*) *perfectio* residet in cognitione, meritum in *subiectione* erga auctoritatem divinam revelantem; *b*) *formale* obiecti est res divina non visa. Unde in Christo nihil imperfecti ex hoc, quod visio impedierit cognitionem velatam; neque deest ratio meriti, quia obedientiam erga Patrem Christus per totam suam vitam plenissime exercuit.

3) Adverte nihilominus, aliter et aliter de fide Christi loquendum esse, secundum quod theologus admittit in Christo viatore visionem essentiae divinae, vel eam reiicit. De qua controversia loco suo directe agemus. Discrimen magnum est inter utramque opinionem. Unde qui non admittunt hanc initialem perfectionem animae Christi, ponunt in Christo fidem circa divinam essentiam, Trinitatem, etc.; maxime circa pro-

[1] Q. XVIII. Interim cf. Cl. Schell (*Kathol. Dogmatik,* t. I, p. 151).

[2] Fest. B. Ioannae Mariae Bonomo.

priam divinitatem, quum unio hypostatica sit tam altae rationis, ut sine beatifica visione non potuerit nec ab ipsa anima Iesu per se cognosci. Unde theologis, qui hanc viatoris visionem Iesu denegant, explicandum superest, quomodo Iesus, uti homo, ad plenam certitudinem de propria divinitate pervenerit. Sed de his infra.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Abstrahit ab obiecto formali. Inde vitium.

2. Obi. Non considerat meritum fidei ex obedientia.

3. Obi. Multa dicenda forent de sensu huius versiculi S. Pauli ad Rom. I, 17, in quo, quot occurrunt verba, tot veluti oriuntur quaestiones. Pauca scopo praesenti sufficiant. 1) Et primo quidem verborum nexus aliter ab aliis intelligitur. *a*) Quidam uniunt verba « *ex fide in fidem* (ἐκ πίστεως εἰς πίστιν) » verbis « *iustitia Dei* »; - *b*) alii ea iungunt verbo « *revelatur* »; *c*) alii, utique pauciores, iungunt verba « *ex fide* » verbis « *iustitia Dei* », et verba « *in finem* » verbo « *revelatur* ». — Neque 2) conveniunt de sensu verborum « *iustitia Dei* » atque « *in eo.* » Triplex praesertim sensus datur verbis : *iustitia Dei: a*) Iustitia Dei est ipse *Christus* (?); *b*) est illa *perfectio Dei,* quae vocari solet iustitia Dei, sive remunerantis et punientis (Origenes), sive fidelis promissis (Ambrosius), sive in genus humanum proni per Christum (Chrysostomus), sive per Christum iustitiae rigorem ostendentis (Theodoretus); sive remunerantis (in fidem) et punientis (ex fide) (Abaelardus); - *c*) *Iustificatio per Christum* (Augustinus et Chrysostomus). Iste tertius sensus caeteris praestare videtur. - « *In eo* » vel *in* Evangelio (iustitia Dei), vel *per* Evangelium (revelatur).

Praeter interpretationem Glossae hic a S. Thoma citatam, quae nobis parvam intrinsecam probabilitatem habere videtur, licet in quodam loco a S. Augustino proponatur [1], - variae explicationes a Sanctis Patribus et Doctoribus allatae sunt, quarum accipe breviter praecipuas.

1) Intelligendo « *ex fide in fidem* » ut de progressu fidei sese evolventis: *a*) ex fide unius Testamenti, in fidem alterius

[1] L. II. QQ. Ev.

Testamenti (Origenes, aliter intelligendo sensum pro Iudaeo et Gentili ad fidem Christi conversis); - *b*) ex fide imperfecta Vet. Test. in perfectam Nov. Test. (S. Chrysostomus, Theodoretus, Toletus); - *c*) ex fide in Deum unum in fidem in Deum trinum; ex fide in primum adventum Domini in fidem in secundum adventum eius (S. Anselmus); - *d*) ex fide initiali in fidem perfectam, charitate informatam, de qua mox dicitur: « *Iustus autem ex fide vivit* »; - *e*) ex fide semper progrediente. Cf. expressiones analogas: « *de die in diem* » [1]; « *de virtute in virtutem* » [2], « *a claritate in claritatem* » [3]; « *odor mortis in mortem,* et *odor vitae in vitam* » [4]. Inde iustus ex fide vivit, quia fides est ipsi alimentum semper instaurandum [5].

2) Intelligendo « *ex fide in fidem* » ut dicta non de eadem fide eodem sensu, sed diversimode: *a*) ex fide praedicantium in fidem audientium (S. Augustinus), - *b*) ex fide obiectiva in Evangelio contenta, in fidem subiectivam per Evangelium productam (Beelen): de qua tunc fide subiectiva prosequitur Paulus: « *Iustus ex fide vivit* ». Potest tunc « *ex fide* » referri ad « *Iustitia Dei* », et « *in finem* » ad « *revelatur* »; ac si prima sententia: « Iustificatio in Evangelio seu per Evangelium « manifestatur », immediate explicaretur: « *ex fide in fidem* ». Haec interpretatio corroboratur per locum similem eiusdem epistolae: « *Iustitia Dei per fidem* (loco *ex fide*) *in omnes* « *qui credunt* (loco *in fidem*) » [6]. Haec ultima Beelen sententia, a qua vix distat interpretatio Augustini « *ex fide praedicantium in fidem audientium* », magna nobis videtur probabilitate gaudere.

Sed contra est. Argumentum ex verbis S. Petri desumptum inde vim suam haurit, quod idem Petrus agnoverit clare divinitatem Christi Filii Dei, id est, originem plenissimae ipsius scientiae. Adverte tamen, Petrum haec verba protulisse ad Christum gloriosum. Unde pro theologis, qui visio-

[1] Ps. XCV, 2.
[2] Ps. LXXXIII, 8.
[3] II. COR. III, 18.
[4] II. COR. II, 16.
[5] Ita Theophylactus, Œcumenicus, a Lapide, Estius, etc.
[6] C. III, 22.

nem beatificam denegant Christo viatori, concedunt autem Christo redivivo iam comprehensori, haec verba non valent ad demonstrandum, Christum per mortalis vitae stadium fidem habere non potuisse.

In Corpore. Adverte connexionem, quae interest inter quaestionem praesentem et statum comprehensoris, in quo Christus etiam in vita sua mortali, singulari prorsus privilegio, versabatur. Hoc alterum impugnare, est subvertere primum. Iam vero concordat theologica traditio non minus de uno quam de altero.

Resp. ad 2m. Inde intellige, cur S. Paulus conceptum obedientiae conceptui fidei iungat: apostolatum se accepisse dicens « *ad obediendum fidei* » [1].

Quaeres. - Estne omnino certum, fidei habitum cum beatifica visione stare non posse? - *Resp.:* Actum fidei in beatis repugnare, diserte sequitur ex verbis Apostoli. De habitu autem non tantopere constat. Durandus putat, remanere habitum in beatis [2]. Scotus putat, eum remanere posse, non tamen remanere de facto, quia esset superfluus [3]. S. Thomas [4], S. Bonaventura [5] ac passim theologi tenent, nec de facto habitum remanere, nec remanere posse, quia lumini visionis contradicit. Quae sententia absque dubio est magis consona, tum rationi, tum verbis Apostoli [6].

ARTICULUS IV.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT SPES.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Quae praemissa sunt in articulo praecedenti, heic quoque valent. Etenim quum de formali ratione spei sit *non adeptio* sperati, sicuti de formali ratione fidei est *non visio* crediti; quumque visio secum trahat comprehensionem ac fruitionem; evidens est, idem privilegium

[1] Rom. I, 5.
[2] Dist. XXXI, q. 3.
[3] Dist. XXXI, q. 3.
[4] Cf. et II-II, Q. I.
[5] Dist. XXXI, a. 2, q. 1,
[6] I. Cor. XIII, 9. sqq. — Cf. Hebr. XI, 1.

tollere in Christo tum fidem, tum spem, saltem quoad obiectum suum primarium.

2) Discrimen tamen inter utrumque inde provenit, quod coniunctio status viatoris et comprehensoris, de quo suo loco dicetur, sinebat obiectum secundarium spei subsistere, non autem fidei. Ratio patet ex analysi obiecti secundarii utriusque virtutis. Obiectum enim secundarium fidei illustratur eadem visionis luce qua primarium; obiecta vero secundaria spei, possesso primario obiecto, non necessario possidentur.

3) Non ideo tamen anima Christi quoad hoc obiectum spei sese habuit sicut anima aliorum hominum. Nam virtus spei, utpote acta per bonum arduum non possessum, valde stimulatur ex incertitudine de eiusdem assecutione. In Christo autem haec incertitudo adesse non potuit, ob visionis lumen.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit spem theologicam cum alia spe, quae unice respicit obiectum secundarium.

Obi. 2. et 3. Procedunt et ipsae per partes secundum obiecta secundaria spei: gloriam proprii corporis et glorificationem Ecclesiae, corporis mystici.

Sed contra est. Locus integer sonat: « Spes quae videtur, « non est spes; nam quod videt quis, quid sperat? » Intellige « *videre* » in sensu pleno, ferente secum fruitionem, seu comprehensionem: iuxta illud S. Thomae: « loco fidei habuit aper« tam visionem; et loco spei, plenam comprehensionem » [1]. - Nisi verbum *videre* ita hic intelligatur, parum efficax evadit locus citatus. Nam Christus in visione iam videbat futuram gloriam utriusque corporis sui realis ac mystici.

Optime S. Leo M. describit Verbum, in utraque natura distincta subsistens « sic assumptam naturam beatificans, ut « glorificata in glorificante permaneat » [2]. Ubi habes beatitudinem, quae spem uti virtutem theologicam tollit, de Christo in terris praedicatam.

Ex dictis apparet, quam profunde S. Paulus spem in definitionem ipsius fidei inducat, aiens: « Sperandarum substantia « rerum ».

In Corpore. S. Thomas successive inter se confert utrius-

[1] I. II. Q. LXV, a. 5.

[2] Ep. 35, *ad Iulianum.* — *P. L.* t. LIV, col. 805, sq.

que virtutis obiectum formale, obiectum materiale primarium (ex quo virtutes sunt theologicae) et obiectum materiale secundarium. Rationem ostendit in fine, cur de hoc ultimo obiecto aliter in Christo pro utraque virtute fuerit.

Resp. ad 3m. Habes ex hoc, glorificationem proprii corporis Christo fuisse proprie loquendo obiectum secundarium spei; glorificationem vero corporis mystici nonnisi latiori sensu, utpote non tam directe pertinentem ad propriam Christi perfectionem. Noli tamen inde nimis seiungere ab invicem corpus mysticum et physicum Christi. Imo haec duo arctissime inter se colligantur, uti mox patebit, ubi de gratia capitis in Christo discurremus.

Quaeres. - Si in Christo non fuit spes theologica, sed solum spes quoad obiectum secundarium, quaeri potest ad quemnam habitum haec spes in Christo referenda sit. - Hic insudant nonnulli theologi et in diversa abeunt. Ita Caietanus et Suarez aliter argumentum solvunt; nec Alexander Halensis et S. Thomas concordare videntur. Remissa penitiore de hoc argumento investigatione ad ipsum tractatum de virtutibus, paucae conclusiones impraesentiarum sufficiant.

a) Hic habitus fuit in Christo spei naturalis; - *b*) non tamen fuit nec habitus spei theologicae, nec habitus charitatis; - *c*) sed habuit in Christo eamdem formalitatem, quam habet in nobis; licet in nobis haec formalitas per habitum spei theologicae veluti sustentetur; - *d*) est scilicet amor concupiscentiae sui in ordine ad supernaturaliter Deo fruendum, vel, in Christo, in ordine ad Deum supernaturaliter iam possessum.

ARTICULUS V.

UTRUM IN CHRISTO FUERINT DONA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vidimus in art. 2. huius Quaestionis, virtutes superstrui gratiae habituali, non quasi defectum eius supplentes, sed ut facultates naturae complentes. Ita quoque super virtutes aedificantur dona, tanquam disposi-

tiones, facultatum instar, ipsas virtutes in ordine ad agendum sub ductu Spiritus Sancti perficientes [1].

2) Subtilis tamen est ista relatio donorum ad virtutes; nec mirum si, duce Scoto, aliqui theologi contendant, virtutes et dona non obiective ab invicem differre, sed reducenda esse dona ad septem virtutes, tres theologicas et quatuor morales. Quae opinio, a S. Thoma et plerisque oppugnata, ex hoc solo debilior apparet, quod utrumque septenarium non sibi adaequate respondeat; insuper in Christo, teste Scriptura, omnia dona fuerunt, non autem, uti probatum est, omnes virtutes [2].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit eo modo, quo Scotus et illi theologi, qui negant, virtutes et dona realiter ab invicem distingui.

2. Obi. Confundit in Christo duas naturas.

3. Obi. Abstrahit a duplici statu, qui erat in Christo mortali per singulare privilegium unitus: comprehensoris scilicet et viatoris. Insuper non satis distinguit inter essentiam donorum et eorumdem obiectum.

Sed contra est. Hoc loco efficaciter potest adduci textus Isaiae c. XI, quem S. Th. citat, ubi ex professo de numero donorum tractat [3]. Hic potius citat textum allegoricum, ne bis eumdem afferat (a. 5. et 6).

In Corpore. Habitum donorum ad actionem Spiritus Sancti habes ex eorum nomine ipso expressum: gratia afficit substantiam animae, virtutes afficiunt eiusdem facultates; dona vero, ad modum velorum navis, animam reddunt spirituali aurae docilem, ac promptam ad impetum gratiae accipiendum.

Porro attende ad rectam interpretationem horum S. Scripturae locorum, in quibus agitur de actione Spiritus Sancti in Christum. Ipsa divina Christi personalitas obest, quominus Christus totus a Spiritu Sancto moveatur [4]. Sermo est proin

[1] Vide dicenda directe de donis in I-II, Q. LXVIII, 68.

[2] Cf. quae de hoc argumento scripsimus in opere *La Confirmation,* Sect. III, ch. 3.

[3] I-II, q. 68, a. 4.

[4] Nisi quis velit attendere ad aliquam subtilitatem de missione personarum

de actione Spiritus Sancti in Christi animam. Imo ita accepto sensu, apparet ex his locis, ea quae gratiae tribuuntur, non eodem titulo personalia esse Spiritus Sancti, sicuti est assumptio Verbi. Secus, quomodo non ipsa personalitas Verbi sufficiens esset ad naturam humanam Christi movendam? Sed quae sunt gratiae, ex lege appropriationis Spiritui Sancto tribuuntur, cum maximo quidem fundamento, at sine exclusione aliarum personarum [1].

Resp. ad Obi. patent. Caeterum subtiliora de hoc donorum argumento remittimus ad tractatum de virtutibus.

ARTICULUS VI.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT DONUM TIMORIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quo melius iste articulus intelligatur, praemittimus breve compendium doctrinae Aquinatis de timore uti est Spiritus Sancti donum: de hoc enim agitur [2].

2) Iam vero duo sunt timoris obiecta: *a*) malum terribile (culpae, vel poenae); *b*) ille, qui malum inferre potest. Hoc ultimo modo Deus potest timeri (a. 1). Timor autem est triplex: *a*) *mundanus,* quo, propter minitans malum quod timetur, receditur a Deo; *b*) *servilis,* quo, propter *poenae* malum quod timetur, convertitur ad Deum; *c*) *filialis,* quo, propter *culpae* malum quod timetur, adhaeretur Deo (art. 2). Timor mundanus per se malus est (art. 3); servilis, quoad *substantiam* bonus, quoad servilitatem malus (a. 4). Filialis timor specifice a servili differt (a. 5). Servilitas timoris servilis per charitatem expellitur, remanente substantia, quae est amor sui in quantum est bonus (a. 6). Timor servilis, in quantum bonus, disponit ad effectum sapientiae; timor filialis est ipse primus sapientiae effectus (a. 7). Timor filialis in statu imperfecto, seu inchoationis, vocatur *initialis* (a. 8). Iste timor filialis, non ser-

iuxta doctrinam, quam S. Th. evolvit in I. Q. XLIII, a. 8. — Cf. *De Deo Trino* p. 859, sqq.

[1] Cf. ibidem, p. 835, sqq.

[2] Cf. II-II, Q. XIX.

vilis, donum est Spiritus S. (a. 9). Timor servilis minuitur crescente charitate; filialis vero augetur (a. 10). Unde in caelo, ubi regnat charitas perfecta, aderit quidam timor, sed securus, summe reverentialis (a. 11). Propter hanc reverentiam donum timoris respondet paupertati spiritus (a. 12).

3) His praelibatis, patet quaestionem hic moveri de timore filiali perfectissimo, qualiter stare potest in beatis cum stabilitate in amore Dei et cum inamissibilitate divinae fruitionis. Obiectum autem talis timoris nil aliud esse potest, nisi reverentiam summam ingerens divinae maiestatis eminentia.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* In I-II, Q. XL, a. 1. S. Thomas ita habet: « Non est spes nisi de bono, et per hoc differt spes « a timore, qui est de malo ». Evidenter, si haec oppositio esset completa, sequeretur quod, sicuti obtentio sperati tollit spem, ita impossibilitas mali tolleret timorem. Sed non ita est: utraque enim virtus habet suum obiectum primarium et secundarium. Obiectum primarium spei est Deus fruitione comprehendendus; timoris autem, Deus infinite potens. Secundarium obiectum spei est gloria corporis, cum aliis, quae beatitudinem complent; timoris, possibilitas peccandi et poena peccato debita. Iam vero patet, possessionem beatitudinis caelestis complete tollere utrumque obiectum spei, sublata utriusque formalitate; dum pro timore non tollit nisi obiectum secundarium. (Cf. resp. ad 1[m]).

2. Obi. Iuxta ea, quae ex S. Thomae doctrina deprompsimus, apparet, disiunctionem non esse adaequatam. Quippe timor filialis non est totus in timore separationis a Deo, sed principalius in reverentia maiestatis divinae. (Cf. doctrinam *Corporis*).

3. Obi. Vide superius analysim art. 10, II-II, Q. XIX.

Sed contra est. Veritatem hoc articulo contentam Abaelardus negavit [1]. Unde damnatum est a Conc. Senonensi et Innocentio II. capitulum eius 11.[m]: « Quod in Christo non « fuerit Spiritus timoris Domini » [2]. Praeter textum heic allatum, cuius vis summa est, habemus versum psalmi: « Timor

[1] Cf. epist. CXV. S. Bernardi.

[2] DENZINGER, (op. cit. n. 320).

« Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi » [1]. Et illud Praefationis Missae: « Tremunt Potestates ». Nam si in beatis et in angelis timor adest, perit ratio propter quam in Christo, uti homine, esset impossibilis.

In Corpore. S. Thomas clare hic exponit obiectum primarium timoris, quod est supra vicissitudines vitae mortalis et fragilis voluntatis. Ex hac doctrina complendus est, si tamen opus sit, 11 articulus Q. XIX. II-II, in quo agitur de perennitate doni timoris. Lucidior et magis ad rem expositio praesens videtur [2].

Inde apparet, quantopere differat timor, uti donum Spiritus Sancti, a timore, uti passione animae. Princeps obiectum prioris est bonum, nempe Deus summe venerandus; alterius obiectum est malum. - Mirare etiam, quam pulchre Scriptura Christo non solum spiritum timoris tribuat, sed eodem repletum Christum praedicet. Plenitudo quippe charitatis nutrit plenitudinem timoris.

Resp. ad 2m. « *Quod est malum* » non intellige in sensu morali: tunc non valeret, nisi de servili elemento timoris servilis.

Resp. ad 3m. Charitas perfecta expellit insuper possibilitatem et proin timorem culpae uti possibilis, quae est elementum timoris filialis.

§ 2. — De Gratiis gratis datis.

ARTICULUS VII.

UTRUM IN CHRISTO FUERINT GRATIAE GRATIS DATAE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Iam vidimus de gratia gratum faciente sub triplici aspectu habitus sanctificantis, virtutum et donorum. Nunc de *gratiis gratis datis.*

Gratia autem *gratis data* ita vocatur, ad excludendum per se formale gratiae gratum facientis, id est, scopum sanctificationis illius, qui eam possidet. Quare iuxta Angelicum

[1] Ps. XVIII, 10.

[2] De permanentia donorum Spir. S. in caelo lege S. Gregorium Magnum (*Moral.* l. I, c. 32, n. 44. — *T. L.* t. LXXV, col. 547). — Cf. *La Confirmation*, p. 223.

ordinatur « ad fidei et spiritualis doctrinae manifestatio-« nem » [1].

2) Licet autem gratis data dicatur, quia secundum suam gratuitatem habet ut cadat sub gratiam [2], potest nihilominus esse consequens necessarium alicuius gratiae altioris. Ita fuit in Christo consequens gratiae unionis, qua natura humana Christi facta est instrumentum coniunctum divinitatis ad apostolatum messianicum efficaciter complendum.

3) Porro adverte heic duplex discrimen inter gratiam gratis datam in Christo et in aliis Sanctis.

a) Isti, etiam sub impulsu huius gratiae, non sunt nisi instrumenta separata; unio proin inter ipsos et virtutem divinam fieri debet *per medium,* sive habituale in maioribus sanctis, sive mere transiens in plerisque. In Christo, e contra *sine medio,* per personalem unionem virtutis divinae cum natura humana, exstabat habitualis virtus prodigia patrandi.

b) Insuper in aliis Sanctis, de lege saltem communi, propter limitatam communicationem divinae virtutis, gratiae gratis datae dividuntur iuxta speciem obiecti in quod tendunt, uti in gratias linguarum, curationum, etc. [3]. In Christo autem, ratione plenitudinis huius divini connubii, unica virtute omnia ac singula comprehenduntur.

4) Recte proin concludi potest cum Cl. Billot: « Gratia « gratum faciens dicenda est fuisse in Christo formaliter; « gratia vero gratis data, eminenter, et non univoce ut fuit « vel est in caeteris » [4].

5) Si iam quaeris, cur gratiae gratis datae, - saltem eae quae solum ad virtutem portentorum spectant [5], - in Christo fuerint sine medio; gratiae autem gratum facientes, cum medio; respondetur hoc esse, quia istae afficiunt animam sanctificandam formaliter; illae tendunt in opera exteriora efficienter [6].

[1] In *Corpore.*

[2] Ita haec gratiarum species nomen sibi generis retinuit, sicuti passim vocantur animalia entia dotata vita sensitiva, at sine ratione.

[3] Cf. I, Cor. XII.

[4] Op. cit., p. 130.

[5] Ratio huius restrictionis ex mox dicendis apparebit.

Comple tamen haec dicta ope sequentis distinctionis: alia dona, quae respiciunt opera miraculosa, uti curationes, mortuorum excitatio, etc.; alia, quae fundan-

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit ac si multiplicitas esset de essentia gratiae gratis datae. Inservit tamen obiectio ad ostendendum modum specialem, quo Christus eam possedit.

2. Obi. Distingue duplex debitum. Aliud strictum, fluens ex ipsa essentia rei: et sic nihil divinae virtutis erat debitum naturae humanae Christi. Aliud minus strictum, consequens aliquam dignitatem vel missionem: et sic gratia gratis data debita erat humanae naturae Christi, propter excellentiam unionis et missionem apostolatus. S. Thomas respondet secundum priorem sensum.

Obiectio autem haec non est de re, sed de formali ratione rei.

3. Obi. Adverte, obiectionem hanc capite truncari, si dicatur, in Christo, propter ipsam plenitudinem, nullam gratiarum gratis datarum divisionem fuisse. (Cf. resp. ad 1^m.)

Sed contra est. Huc faciunt loca, in quibus dicitur, Christum plenum fuisse gratiae [1], et nos omnes de eius plenitudine accepisse [2]. Nam, quum aliunde constet [3], Apostolos primosque fideles gratias gratis datas recepisse, colligitur et ipsas ad plenitudinem Christi pertinuisse.

In Corpore. Vides ex hoc argumento, cur Evangelium et Acta Apostolorum in Christo Doctore uniant utrumque: *Sermonem et opera.* « Fuit vir propheta, *potens in opere et sermone* » [4]. « Coepit Iesus *facere et docere* » [5]. Insuper vides, cur ipse Iesus ad opera sua appellaverit, tanquam ad complementum praedicationis suae. « Non creditis, quia ego in « Patre et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa cre- « dite » [6]. Id quippe debebat Pater Filio et Filius nobis, ut per prodigia iure fidem in ipsius Verbum exigeret. Quare dicit Iesus: « Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit,

tur in scientia infusa, v. gr., donum linguarum. Dona prioris generis *medium* per se non requirunt in instrumento coniuncto; dona vero alterius generis per se requirunt habitum hisce cognitionibus respondentem et facultates intellectuales formaliter afficientem. Cum hac distinctione intelligendum est discrimen supra expositum inter gratias gratis datas in Christo et in aliis sanctis.

[1] Ioann. I, 14.
[2] Ibid.
[3] Coloss., I; Act. II.
[4] Luc. XXIV, 19.
[5] Act. I, 1.
[6] Ioann. XIV, 11, sq.

« peccatum non haberent; nunc autem et viderunt et oderunt « et me, et Patrem meum » [1]. Non quasi Deus sine signis fidem producere in anima non possit; sed Ecclesia uti societas visibilis debet visibile credibilitatis fundamentum habere.

Resp. ad 1m. Verba: « In quantum divinitati erat unita « anima eius » ostendunt, agi hic de influxo immediato divinitatis in animam, uti in instrumentum coniunctum. Inde simul et plenitudo et simplicitas.

Resp. ad 3m. Resp. S. Thomas: Iesus non usus est dono linguarum, dist.: quia ipsi, uti Doctori circumcisionis, non inserviebat, conc.; - quia ipsi defuit, nego. - Et probatur ex argumento *a fortiori,* quia habuit donum legendi intus cogitationes.

Ad penitiorem huius responsionis intelligentiam animadverte, donum linguarum dupliciter concipi posse: *a*) ut intelligere linguas quis valeat; *b*) ut eas loqui possit. Argumentum S. Thomae solum valet de priori acceptione, quia alicui cogitationes intuenti superflua fiunt signa earumdem. Non ideo tamen ea signa formaliter ut talia intelligit; et ideo non per se videtur sequi, si quis aliorum cogitationes intus legat, eum posse quavis lingua exprimere proprias.

Inutilitas, uti supra diximus, inde etiam reiicitur, quod in Christo plenitudo donorum gratis datorum fuerat sine divisione vel separatione, uti in resp. ad 2.m habetur.

ARTICULUS VIII.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT PROPHETIA.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Christum in terris mortalem vitam degentem futura multa praenuntiasse, proin prophetias materiales edidisse, in quaestionem vocari nequit nisi ab incredulis. Quaestio autem movetur, utrum hae praedictiones formaliter fuerint prophetiae. Ratio dubitandi est ipsa perfectio cognitionis Christi comprehensoris, utpote cognitio super spatium et tempus. Quae dubitandi ratio magis determinatur

[1] Ioann. xv, 24.

ex hoc, quod angeli et beati in caelo prophetiae donum possidere non dicuntur.

2) Quaestio est igitur, utrum ad hoc quod aliquis prophetetur, sufficiat, ut, dum abscondita spatii ratione vel temporis aperit, vitam mortalem inter homines degat; an insuper requiratur, ut non simul ipse agat vitam visionis.

3) Solvitur quaestio in favorem prioris membri, et quidem secundum auctoritatem ipsius Scripturae [1].

Nec est ista solutio arbitraria, sed solido fundamento superstructa. Etenim ratio prophetiae, sicuti gratiarum gratis datarum, est « manifestatio fidei et doctrinae spiritualis ». Iam vero ad hoc ut haec manifestatio habeatur, sufficit ut quis, mortalis inter mortales degens, futura vel abscondita ipsis pandat. Quod autem insuper visionis agat vitam, simul viator et comprehensor existens, nedum huic manifestationi obsit, e contra, si cognoscatur, prophetanti credibilitatis titulum duplicat.

4) Et sane ad hoc ut aliquis propheta dicatur, non requiritur ut, quae prophetatur, ignoret ipse; secus quomodo ea prophetaretur? Porro si ita est, parum refert, utrum modo transeunte, an permanente cognitione ista gaudeat. Transeunter passim alii prophetae a Deo illustrari solent. Habitualiter vero Christus hac luce pollebat, ope ipsius luminis gloriae quo, etsi inter viatores viator, comprehensorum tamen simul statum gerebat.

5) Collige, in Christo donum prophetiae fuisse quidem summum, at non distinctum realiter, saltem quoad fontem primarium, ab ipso dono visionis beatificae. Apparebat autem donum peculiare, quia haec visio latebat.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit, ac si de formalitate prophetiae esset cognitio imperfecta. Quod gratuito asseritur. Pertinet quidem perfectior cognitio ad maiorem perfectionem prophetiae; at non ideo aliqualis imperfectio cognitionis ad essentiam prophetiae pertinere dicenda est.

2. Obi. Distinguendum est: eorum quae non videntur vel non habentur a credente vel sperante, spes vel fides est, con-

[1] Cf. dicenda in *Sed contra est.*

cedo; eorum quae non sunt praesentia prophetanti prophetia est, subdist.: nullo modo, nego; non eo modo quo vates conversatur cum hominibus, ad quos prophetatur: concedo. Ergo deest paritas.

Sed contra est. Corrobora alterum ex duobus textibus inconcussae auctoritatis a S. Thoma allatis, per haec alia verba Christi de semetipso: « Ierusalem, Ierusalem, quae « occidis prophetas,.... quoties volui, etc. » [1]. Ergo seipsum inter prophetas adnumerat.

Adde, licet non paris valoris sint haec loca, textus in quibus apparet, Christum et a populo et a discipulis suis uti prophetam habitum esse. Ita Herodi de Christo alii dicebant: « Quia propheta est, quasi unus ex prophetis » [2]. Et turba de illo: « Hic est vere Propheta » [3]. - Caeterum adverte, vocem *prophetam* duplicem acceptionem pati: *a*) aliam strictiorem: futura vel abscondita pandentem [4]; *b*) aliam largiorem: portentosa Dei nomine operantem, iuxta haec verba Ioannis: « Illi « ergo homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum « (multiplicando panes in deserto), dicebant: Quia hic est vere « Propheta, qui venturus est in mundum » [5]. Et post resurrectionem filii unici viduae narrator sacer addit: « Accepit « autem omnes timor, et magnificabant Deum, dicentes: Quia « Propheta magnus surrexit in nobis; et quia Deus visitavit « plebem suam » [6].

Concordat doctrina Patrum: « Quid habes igitur haere- « tica vanitas, exclamat S. Augustinus, unde te putes posse « convincere, non de Christo esse praedictum: "Suscitabo « illis prophetam de fratribus ipsorum similem tibi "; quando « ne hinc quidem potes, quod dissimilem ostendis? Aliis « enim causis et nos similem ostendimus. An quia propheta « dictus est, qui et homo esse dignatus est, et tam multa « futura praedixit? Nisi forte aliud est propheta, quam homo « ultra humanas coniecturas futura praenuntians? Unde et

[1] MATTH. XXIII, 37.

[2] MARC. VI, 15. — Cf. dubium ab aliis expressum. LUC. VII, 39.

[3] IOANN. VII, 40.

[4] Hoc sensu mulier Samaritana exclamavit: « Domine video, quia propheta es « tu ». IOANN. IV, 19. — Cf. S. Aug. *In Ioann.* tr. XV.

[5] IOANN. VI, 14.

[6] LUC. VII, 16.

« ipse de seipso ait: « Non est propheta sine honore, nisi in « patria sua " [1]. Et S. Ambrosius: " Ipse est verus propheta, « quia sine alterius munere futura cognoscit " » [2]. Nec aliter S. Chysostomus [3], S. Cyrillus Alex. [4], S. Isidorus Hispalensis [5], etc.

In Corpore. S. Thomas definit, quid prophetae nomine contineatur. Formalis prophetia non solum est de futuris vel distantibus pro illis ad quos fit; sed et pro illo, saltem sub aliquo respectu, a quo fit. — Quod exemplis illustratur et corroboratur per conclusionem de Deo, de angelis et de beatis. — Demum inducitur ratio propter quam Christus formaliter prophetare potuit: quia simul erat viator et comprehensor.

Resp. ad 1m. Ex secunda parte huius responsionis confirmatur distinctio in notula superius apposita. Sicuti donum linguarum ponit habitum in intellectu; ita prophetica visio, hoc sensu intellecta, ponit aliquid in parte imaginativa, quae uti *per medium* illustratur. Unde quatenus Christus quoque repraesentationes huiusmodi habere potuit, lumen propheticum erat in illo distinctum a lumine gloriae.

§ 3. — De Gradu sive Mensura Gratiae Christi.

Hucusque de gratiis secundum suam specificam distinctionem. Nunc *de mensura* earumdem. De qua quaeruntur quatuor: 1) Utrum Christus habuerit *plenitudinem* gratiae (a. 9); - 2) utrum haec plenitudo fuerit ei *propria* (a. 10); - 3) utrum talis fuerit, quae *augmentum* habere nequiverit (a. 12); - 4) utrum tanta, quae fuerit *infinita* (a. 11).

Ex sola titulorum inspectione patet, subtiliora heic non deesse. De quibus ordine suo, iuxta gradationem quam sequitur Aquinas.

[1] *Ctr. Faustum,* l. 16, c. 18. — *P. L.* t. XLII, col. 326 sq.
[2] In ps. CXVIII, serm. 6.
[3] *In Ioann.* hom. 16.
[4] *Ctr. Iulian.* l. VIII. exord.
[5] *Hisp. Orig.* l. VII, c. de Filio Dei.

ARTICULUS IX.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT PLENITUDO GRATIAE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ad rectam huius quaesiti intellectionem distinctiones quaedam sunt praemittendae.

a) *Plenitudo* gratiae considerari potest tum *intensive*, tum *extensive*. α) Extensiva plenitudo respicit ad gratiae *virtutem*, et est vel *actualis*, vel *potentialis* secundum quod intus vel actu exercetur, vel habituali potentia possidetur, aut saltem in potentia altiori continetur; - β) intensiva plenitudo respicit gratiae *essentiam*, unde et potior est.

b) Rursus *plenitudo* gratiae est alia *absoluta*, alia *relativa*. α) Absoluta consideratur prae potentia Dei; β) relativa consideratur prae dignitate subiecti sive recipientis.

c) Rursus plenitudo gratiae potest respici vel *positive*, vel *negative*; iuxta quod in ea consideratur vel α) remotio peccati, quod destruit, vel β) gradus supernaturalis perfectionis, quam confert.

2) Hisce prae oculis habitis, apparet gradatio, quae reperitur in plenitudine gratiae, qualis in Scripturis praedicatur de Christo [1], de Beatissima Virgine [2] et de Sanctis Stephano ac Barnaba [3].

a) Plenitudo horum ultimorum erat simpliciter relativa. - *b*) Plenitudo Virginis Deiparae erat simul relativa et absoluta, sed potius negative. - *c*) Plenitudo autem Christi erat absoluta non tantum negative, sed et positive.

3) At hic iam quaeritur, prae quanam Dei potentia haec absoluta positiva plenitudo dicatur: utrum prae potentia *absoluta*, an prae potentia *ordinata*?

Equidem putamus, ubi agitur de plenitudine gratiae Christi, aliquid magis induci quam potentiam ordinatam, quin tamen

[1] « Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et « veritatis.... Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia ». (Ioann. I, 14, 16; — Cf. Is. XI, 3).

[2] « Ave, gratia plena! » (Luc. I, 28).

[3] « Stephanus autem plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa « magna in populo » (Act. VI, 8). — « Erat vir bonus, et plenus Spiritu Sancto et « fide » (Ibid. XI, 24).

stricto sensu inducatur potentia absoluta. Si fas erit, hanc potentiam libenter vocabimus *absolutam consequentem*. En ratio, quae nos ad hanc sententiam trahit.

4) Nihil quod creatum est, potest esse simpliciter absque limite, neque proin ita positive plenum, ut simpliciter infinitum sit. Ratio huius impossibilitatis non desumitur a defectu potentiae in Deo, sed *a*) contradictione intrinseca, quam important hi duo conceptus ad invicem: τὸ creatum esse et τὸ esse infinitum. Proin, quantavis gratiae plenitudine Deus animam Christi instruat, possibile est, ut haec augeatur, absolute loquendo; impossibile tamen est eam tantum augeri, ut non amplius sit incrementi capax. Quum igitur in casu pugna quaedam detur inter potentiam Dei absolutam et potentiam Dei ordinatam, quatenus prima nequit in effectum deduci, et altera nimis videtur antecedenter effectum restringere, inducimus terminum medium, et plenitudinem de potentia absoluta consequente vocamus eum gratiae gradum, quem Christus a Patre suo propter infinitam suam dignitatem accepit. Scilicet huius ope distinctionis praedicare intendimus, Deum, in quantum a parte rei possibile erat, summum gradum gratiae possibilem Christo contulisse. Haec ab exordio praesentis tractationis praemittenda visa sunt, quia totam istam quaestionem afficiunt.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Huc inducenda est distinctio inter extensivum *potentialiter* et *actualiter*.

2. Obi. Hic occurrit distinctio inter elementum *negativum* et *positivum*, id est, inter *remotionem mali* et *sanctificationem* ipsam.

3. Obi. Huc faciunt dicta modo de duplici potentia Dei.

Sed contra est. Ad eumdem sensum trahenda sunt verba Ioannis Baptistae de Christo: « Quem enim misit Deus, verba « Dei loquitur: *non enim ad mensuram dat Deus spiri-* « *tum* » [1]. Ergo plenitudinem gratiae Christus a Patre accepit, propter ipsam dilectionem, qua eum prosequitur. Inde pergit Praecursor: « Pater diligit Filium, et omnia dedit in « manu eius » [2].

[1] Ioann. III, 34.
[2] Ibid. III, 35.

In Corpore. Schemate sequenti *Corporis* doctrina exprimitur.



Nota discrimen quod interest inter rationem 1) *b*), et rationem 2). Utraque respicit ad effectus gratiae. Sed ratio 1) *b*) respicit ad effectus producendos in alios per similitudinem inter causam et effectum, cum excessu a parte causae; ratio 2) respicit ad effectus in ipso subiecto gratiae, distinguendo inter primariam gratiam et alias quae ex illa fluunt. Cf. ad invicem duo exempla allata.

Resp. ad 2m. Adverte sedulo, triplicem dari gradum quoad distinctionem inter gratiam operantem et cooperantem: *a*) plenitudinem gratiae sine ope ullius iustificationis (Christus); - *b*) plenitudinem gratiae cum plena iustificatione, non tamen a culpa contracta, sed contrahenda (B. M. V.); - *c*) plenitudinem gratiae cum remissione culpae contractae (alii Sancti).

ARTICULUS X.

UTRUM PLENITUDO GRATIAE SIT PROPRIA CHRISTI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Principaliora ad solutionem huius articuli iam praelibavimus in praenotatis articuli praecedentis. Quam ibi distinctionem attulimus inter plenitudinem absolutam et relativam, eadem est ac illa, quam Aquinas heic adducit inter plenitudinem ex parte ipsius gratiae et ex parte habentis eam.

2) Sed ulterius, et quidem tripliciter, in hac altera distinguendum est. *a*) Potest enim in gratia respici intensio, vel virtus (iuxta divisionem *Corporis* articuli praecedentis). — Rursus *b*) potest considerari conditio subiecti in se, vel cum respectu ad consilia praedestinationis relate ad ipsum. —

Tandem *c*) potest haberi ratio finis generalis, ad quem destinatur, vel finis excellentioris, cuius intuitu eligitur prae aliis.

3) His omnibus perpensis, gradatio sequens statui potest: *a*) Plenitudo ad quam ordinantur omnes sancti, ut vitam aeternam consequantur. - *b*) Plenitudo requisita in maioribus sanctis, ut possint gloriam excellentiorem ipsis praeparatam attingere (plenitudo intensiva), vel opera, sive munera digniora praestare (plenitudo virtutis). Cuius gradum singulariter eminentem obtinuit B. M. V. - *c*) Plenitudo absoluta undequaque requisita in illo, qui est Unigenitus Patris (plenitudo intensiva) et mundi Redemptor (plenitudo virtutis).

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* confundit *b*) cum *c*).

2. Obi. Commiscet *a*) et *b*), eaque rursus confundit cum *c*).

3. Obi. Iterum confundit *a*) cum *c*), quatenus rationem ob quam proportio inter viam et patriam existere dicitur, confundit cum singulari privilegio Christi.

Sed contra est. Argumentum patet. Corroboratur allatus locus Ioannis per textum S. Pauli ad Colossenses. « Ut sit in « omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit, « *omnem plenitudinem* inhabitare » [1]. Rationem autem huius plenitudinis Apostolus paulo inferius suggerit: « Quia in ipso « inhabitat *omnis plenitudo* divinitatis corporaliter » (en gratia Hominis-Dei), « et istis in illa *repleti,* qui est caput omnis « principatus et potestatis » (en gratia capitis) [2]. Iam vero hoc utrumque, esse scilicet *corporaliter* Deum, et esse omnium sanctorum *caput*, Christo maxime proprium est; ergo.

In Corpore. Argumentatio S. Thomae hoc schemate continetur:

Plenitudo gratiae est propria Christo:

- 1) ex parte ipsius *gratiae:*
  - *a*) quantum ad *essentiam,* ob summam excellentiam;
  - *b*) quantum ad *virtutes,* quia ad omnes effectus.
- 2) ex parte *subiecti:*
  - *a*) *intensive,* ad plenam mensuram a Deo fixam;
  - *b*) *extensive,* ad omnia quae sunt proprii officii.

[1] C. I, 18, 19. De hoc primatu cf. Quaest sequentem.
[2] C. II, 9, 10.

Confer cum textu huius *Corporis* ea, quae animadvertimus circa rationem 1) *a*) et 2) in *Corpore* articuli praecedentis.

Resp. ad 1m. Quae hic dicuntur de plenitudine gratiae B. Virginis, loco suo complebuntur, ubi diserte agemus de Mariologia. Caeterum adverte, superius exposita de duplici potentia Dei relate ad gratiam Christi, valere quoque, servata proportione, de gratia Matris.

ARTICULUS XI.

UTRUM GRATIA CHRISTI SIT INFINITA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Infinitum, id est, non finitum, multipliciter dicitur [1]. *a*) *Privative,* ad excludendam omnem actualem determinatam perfectionem, - quod privative infinitum Hegel perperam cum ente in genere confundit; - *b*) *negative* ad excludendam limitationem in perfectione, quae subiecto tribuitur; et hoc rursus vel α) *absolute,* si agitur de perfectione absoluta, vel β) *relative,* si quaestio est de perfectione aliqua determinati ordinis.

Quaeritur ergo in articulo praesenti, utrum gratia Christi fuerit infinita *negative;* idque sive *absolute,* sive tantum *relative.*

2) Aliud insuper *indefinitum,* seu *non definitum,* quod est infinitum *in potentia,* vel *syncategorematicum;* aliud *infinitum,* quod concipitur ut *in actu,* et est, *categorematicum.* De infinito in actu hic quaeri, manifestum est.

3) Aliud rursus infinitum *quantitativum,* aliud *formale.* Primum respicit quantitatem quae numero mensuratur; alterum perfectionem formae. - Infinitum quantitativum repugnat; indefinitum vero non. Hic quaeritur de infinito formali.

II. **Ad Textum.** - 1) Tres obiectiones procedunt contra partem responsionis, quae primario rem tangit, et quae in *Sed contra est* tantum praemittitur, nempe *omne creatum necessario esse finitum.*

[1] Cf. dicta de infinito in tractatu nostro *de Deo Uno,* p. 284, sqq.

1. Obi. Confundit infinitum relativum cum infinito absoluto. Iuxta hanc distinctionem optime componitur, aliquid non dari ad mensuram (relative), et tamen non esse infinitum (absolute).

2. Obi. Estne verum, virtutem seu effectum gratiae Christi ad infinita se extendere? Stricte loquendo non: nam peccata totius mundi semper sunt aliquid de facto limitatum, liceat possint cogitatione in indefinitum multiplicari. (Vide complenda ubi de resp.).

3. Obi. Optime procederet difficultas, si quaestio esset hic de infinito quantitativo et non formali.

Sed contra est. Ex hoc textu non solum habes rationem cur gratia Christi, uti *ens creatum,* infinita esse non potuerit; sed insuper, unde Deus modum istius gratiae desumpserit: nempe in mirabili proportione quae requirebatur inter gratiam et dignitatem munusque eam recipientis. (Vide complenda in articulo sequenti [1].)

In Corpore. Argumentatio hoc schemate continetur:

Fuit in Christo gratia
- 1) *unionis: infinita* absolute;
- 2) *habitualis:*
  - *a*) ut *ens* creatum, → *finita,* quia finitum subiectum;
  - *b*) ut formaliter *gratia,* → *infinita* relative, quia data
    - α) *sine mensura,*
    - β) *universali* principio.

Adverte verba: « Habet quidquid *potest* pertinere ad ratio- « nem gratiae ». Quae intelligenda sunt de *potentia consequente,* iuxta proportionem requisitam inter formam et illum, cui uti subiecto destinabatur.

1. Obi. Ita paucis responsum ad hanc obiectionem comprehende:

Donum est vel
- 1) *natura divina* Patris Filio data:
- 2) *subsistentia divina* Verbi data naturae humanae; → infinita *absolute;*
- 3) *gratia* data animae Christi: → infinita *relative.*

[1] Lege de hoc argumento Albertum M., L. IV, c. 13, schol.

Resp. ad 2^m. Duplex infinitas considerari potest in effectibus gratiae Christi: *a*) *intensiva*, et haec est fructus unitatis divinae personae; *b*) *extensiva*, et haec est potius fructus infinitatis gratiae; sed haec extensio non est proprie infinita. (Vide supra).

Resp. ad 3^m. Habes ex hac responsione, gratiam in quovis iustificato, etiam in Beatissima Virgine, esse aliquo modo rationis inferioris, quia non habet hanc rationem τοῦ universalis. Exemplum ab Aquinate allatum hodie non amplius afferretur [1].

ARTICULUS XII.

UTRUM GRATIA CHRISTI POTUERIT AUGERI.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Subtilitas argumenti magis magisque stringitur. Etenim ex praedictis quasi exsurgit dilemma in praesenti articulo solvendum.

Aut gratia Christi fuit infinita, aut augeri potuit.

Ad huius dilemmatis solutionem duplex distinctio efficaciter confert: *a*) alia inter infinitum entitative et infinitum formaliter; *b*) alia inter augmentum antecedens et augmentum consequens. *a*) Infinitum *entitative* augeri nullo modo potest, neque antecedenter, neque consequenter. Infinitum *formaliter*, sive ratione formae sine mensura participatae, non potest augeri consequenter ad determinationem plenitudinis eiusdem formae; potest tamen augeri antecedenter, quia de potentia absoluta Deus potuit augere capacitatem huius formae. Iam vero infinitas, quae negata est in articulo praecedenti, est infinitas entitativa, non autem infinitas formalis. Ergo stare simul possunt, data distinctione duplicis augmenti, ut aliquid non sit infinitum et nihilominus augeri non possit.

2) Haec ratio excludendi augmenti procedit a parte ipsius formae. Altera *b*) procedit a parte subiecti; potest autem dupliciter considerari: antecedenter scilicet et consequenter. *Antecedenter* est ipsa dignitas divinae personalitatis exigens ut anima Christi plenissima gratiae infusione illustretur; *con-*

[1] Lege de hoc argumento Card. FRANZELIN (op. cit. th. XLI), et STENTRUP (op. cit. th. LXXXIII).

sequenter est conditio comprehensoris ex hac plenissima infusione initiali resultans; quae conditio exigit ut, qui eadem gaudens, sit in termino positus. Ratio antecedens tangitur in *Sed contra est;* ratio consequens evolvitur in articuli *Corpore.*

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit quantitatem mathematicam cum quantitate formali; insuper confundit infinitum entitative cum infinito formaliter.

2. Obi. Huc facit duplex ratio excludens augmentum: alia ex parte dignitatis subiecti, quae simpliciter seu absolute infinita est; alia ex parte plenitudinis formae, quae forma non est infinita, nisi consequenter ad ordinationem sapientissimam Dei.

3. Obi. Textus in hac obiectione allatus occasionem dat neo-theologis nonnullis, etiam catholici nominis, ut recedant a communi scholastica traditione de tali plenitudine gratiae Christi, quae augmentum pati non potuerit. Fusius de hoc loco dicemus, ubi de scientia Christi.

Sed contra est. Vis argumenti est in voce « *quasi* », - id est, tanquam, utpote, - per quam uti ratio plenitudinis gratiae ostenditur dignitas personalis Unigeniti. Atqui haec ratio est absolute infinita. Ergo plenitudo gratiae tanta esse debuit, quae non pateretur augmentum [1].

In Corpore. Sedulo hic distinguendum est inter rationes a S. Doctore allatas et exempla quibus illas illustrat. Haec valorem habuerunt pro scientia physica illius aetatis. Hodie non amplius efficaciter, eodem saltem modo, adduci possunt. Porro in parte *Corporis,* ubi S. Thomas utrumque augmentum, tum ex parte ipsius gratiae, tum ex parte subiecti in Christo excludit, cave, ne perperam intelligas primum.

Gratia, quam S. Doctor hic considerat, non est ipsa gratia unionis, licet dicat: « non potest esse, nec intelligi maior unio « creaturae rationalis in Deum, quam quae est in persona ». Sed ex infinita dignitate huius unionis concludere intendit ad tantam plenitudinem gratiae creatae, quae augeri non possit.

[1] Cf. textum supra allatum ex epistola S. Pauli ad Colossenses.

Quaerere iam quis hic posset, utrum haec ratio comprehensoris sit per se omnino stringens. Ratio dubitandi est ipse status viatoris, in quo Christus fuit usque ad mortem. Nonne tam de essentia status viatoris est, ut gratia possit augeri, quam de essentia comprehensoris, ut non possit? Si ita, cur non tam bene posset cum statu comprehensoris stare augmentum gratiae, quam cum viatoris statu defectus eiusdem augmenti?

Solvitur haec quaestio sane subtilis inspecta ratione, propter quam Christus in vita sua mortali viator est dicendus. Id omne de viatore Christus habere debuit, quod opus ab ipso complendum exigebat; nihil autem amplius. Iam vero, ut opus suum compleret, sufficiebat ei ut esset passibilis et mortalis; non autem oportebat ut cresceret in gratia. Ergo augmentum gratiae in Christo non requirebatur ab ipso statu viatoris. — Nec dicas, gratiae augmentum exegisse conditionem meriti. Nam aliud est ipsum meritum, ad quod sufficit status viatoris, habenti caeteroquin unde mereatur; aliud merces meriti, quae est gratiae augmentum illi, qui huius augmenti capax est. Ergo conditio viatoris in Christo augmentum gratiae non requirebat. Restat igitur ut conditio comprehensoris in ipso fuerit idipsum, quod per se indicat: scilicet conditio terminum assecuti, quod progressum in gratia excludit.

Resp. ad 3^m. Negari vix potest, hunc locum S. Lucae non parvam parere difficultatem. Ad rectam solutionem perpende, ita verba esse interpretanda, ut concordent cum fine sententiae: « apud Deum et homines ». Et sane, si profectum intelligis de manifestatione sapientiae et gratiae, potest haec interpretatio sufficere de hominibus, interna scilicet mysteria divini pueruli ignorantibus. Quomodo autem hoc sufficit de Deo, intime eadem contuente? Inde optime S. Thomas interpretatur « in his quae sunt ad Deum, et in his quae sunt « ad homines ». — Profunde rursus S. Thomas ex hoc loco demonstrat oeconomiam, qua regebatur Iesus, ut sese verum hominem ostenderet, sicuti progrediuntur paullatim reliqui, et ipse progrediens. Historia quippe dogmatis non minus quam indoles rei ostendit utrimque fidei christianae periculum, et a parte divinitatem, et a parte humanitatem negan-

tium. — Caeterum de hoc argumento fusior sermo recurret ubi de humana Christi scientia [1].

§. 4. - De habitudine inter Gratiam et Unionem.

ARTICULUS XIII.

QUALITER GRATIA CHRISTI HABITUALIS SE HABEAT AD UNIONEM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) In articulo 6.° praecedentis Quaestionis, ubi vidimus, gratiam non esse assumptionis medium, S. Thomas in fine *Corporis* diserte iam dixerat, gratiam habitualem esse assumptionis consequens. Hoc assertum heic magis firmatur.

2) Ratio enim dubitandi est ipsa proportio requisita, maxima possibilis, in ordine ad assumptionem. Iam vero nonne natura gratiâ illustrata dignior est, quae assumatur, quam natura humana adhuc gratiâ vacua? [2]. Sed haec difficultas imaginatione falsa laborat, ac si primo fuisset natura illa humana, dein natura gratia illustrata, dein natura Deo unita. Immediate quippe Verbum totam assumpsit humanam naturam, ita ut vix intellectu possit concipi, naturam assumptionem ipsam praecessisse.

3) Insuper adverte: si gratia praecessisset assumptionem, ista gratia fuisset aliquo modo extra oeconomiam Dei-Hominis Redemptoris. Ut autem omnis gratia fructus esset illius unionis Dei cum homine in una persona, oportuit ut ipsa gratia animae Christi esset huius unionis effectus.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit gratiam Christi lato sensu gratuitatis, cum gratia sensu speciali sanctificationis, scilicet principii formaliter animam afficientis.

2. Obi. Perperam haec obiectio concipit unionem hypostaticam quasi terminum ultimum alicuius evolutionis; cum sit ex opposito perfectio instantanee a principio infinito producta.

[1] Lege de hoc argumento Cl. STENTRUP (op. cit. th. LXXXIV).

[2] Huc facit positio Halensis, de qua in appendice ad art. 6. Quaestionis praecedentis.

3. Obi. Confundit genera: alterius quippe generis sunt gratia unionis et gratia habitualis, licet utraque gratiae nomine vocetur.

Sed contra est. Textui efficacissimo a S. Thoma hic allato, adde locum Ioannis saepius iam adductum: « *Verbum caro* « *factum est* » (en unionem hypostaticam)... « *plenum gratiae* « *et veritatis* » (en gratiam habitualem). Relatio autem causalis inter gratiam unionis et gratiam habitualem in eodem loco exprimitur: « vidimus eius gloriam *quasi Unigeniti* a « Patre, plenum gratiae, etc. ».

In Corpore. En schema huius argumenti.

Natura, non tempore, unio praecedit gratiam:

1) ratione utriusque *principii:*
   - *a*) unio, missio Filii;
   - *b*) gratia, missio Spiritus Sancti.

2) ratione *habitudinis* gratiae ad causam:
   - *a*) unio, ipse sol;
   - *b*) gratia, splendor solis.

3) ratione *finis* gratiae:
   - *a*) unio constituit suppositum;
   - *b*) gratia nobilitat ac regit suppositi actus.

Quaedam pauca sint de prima et de secunda ratione.

1) Ad plenum valorem primae rationis oporteret, ut tam proprie missio per gratiam esset personalis Spiritus Sancti, quam Filii propria est missio per unionem hypostaticam. Iam vero hoc non est verum [1]. Ergo haec prima ratio non habet nisi vim suasivam.

Adverte porro, missionem Spiritus Sancti, de qua hic agitur, esse omnino distinctam ab operatione, quae Spiritui Sancto tribuitur in ordine ad formationem corporis a Verbo assumendi. De qua operatione loco suo agetur.

2) Ex comparatione, qua S. Th. in explicanda secunda ratione utitur, posset quis instare hoc modo: Sicuti, adveniente corpore lucido, prius splendor eius illuminat quam ipsum corpus coniungitur alteri, cui admovetur; nonne ita prius anima Christi sensit splendorem Verbi per gratiam, quam ipsam unionem obtinuit cum ipso? - Resp.: Haec instantia haberet aliquid valoris, si prius tempore extitisset

[1] Vide quae de hoc argumento diximus in ultima Quaestione tractatus *de Deo Trino*.

anima Christi, quam esset assumpta a Verbo. Cum autem instantanee immediate Verbo unita est, prius logice ipsi fuit coniungi Verbo subsistentialiter, quam influxum eius accipere per illuminationem gratiae.

Appendix de Doctrina S. Bonaventurae.

Triplici quaestione Seraphicus Doctor argumentum de gratia Christi uti hominis singularis absolvit [1].

1) Primo quaerit de existentia gratiae creatae in anima Christi. Responsum ita sonat: « Absque dubio in Christo est « ponere donum gratiae, quae quidem gratia dicitur gratia « singularis personae; et hoc quidem donum esse *creatum*. « - *Donum* admitti debet, ut anima Christi possit Deo assi- « milari formaliter, et ad operationes meritorias habilitari. « - *Increatum* donum hoc esse debet, quia debet informare « animam et potentias eius habilitare » [2].

2) Quaerit dein S. Bonaventura, utrum haec gratia sit sine mensura. En responsum schemate expressum.

Gratia Christi fuit immensa:

- 1) non quidem *absolute* in se: → omne creatum habet mensuram;
- 2) sed *in comparatione* ad alios homines:
  - *a*) quantum ad *habitum:* → nulla alia coniunctio tam propinqua ad Deum;
  - *b*) quantum ad *usum:* → continebat omnes sensus virtutum;
  - *c*) quantum ad *effectus:* → valor actuum ob dignitatem personae infinitus.

3) Quaerit demum, utrum haec gratia fuerit ab initio plena et perfecta. En rursus responsum schemate contractum.

Gratia Christi fuit ab initio plena et perfecta secundum plenitudinem

- 1) non tantum *sufficientiae:* → ita S. Stephanus;
- 2) nec tantum *praerogativae:* ita B. M. V.;
- 3) nec tantum *numerositatis* et *copiae:* → ita tota Ecclesia;
- 4) sed *superabundantiae.*

[1] III. Sent. Dist. XIII, art. 1.
[2] Q. I.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Anima Christi, uti maxime propinqua fonti totius gratiae atque praedestinata ad genus humanum perfectissima operatione liberandum, debuit habere quidquid gratiae est, nisi cum ipsa perfectione comprehensoris pugnet. Habuit proin *gratiam habitualem,* uti essentiam afficientem; *virtutes* (demptis *fide* et, quoad primarium obiectum, *spe*), uti potentiam eius respicientes; insuper *dona* (et ipsum *timorem*), in ordine ad motionem Spiritus Sancti (a. 1-6).

2) Praeter has *gratias gratum facientes* habuit, uti Doctor praecellens, *gratias gratis datas,* et ipsam *prophetiam*, quatenus viator mortalis degebat (a. 7, 8).

3) Has autem omnes gratias habuit *in plenitudine,* tum quoad quantitatem intensivam, tum quoad effectus virtutum; ea quippe plenitudine *omnino propria,* tum ex parte ipsius gratiae, tum ex parte ipsius subiecti (a. 9, 10). Potest proin vocari in Christo *infinita* gratia, non solum *unionis,* sed etiam animae infusa, *quatenus excludit mensuram;* tamen, utpote *creata,* haec *quatenus ens*, *finita* dicenda est (a. 11). *Non* ideo tamen *augeri potuit;* quum huic augmento obstarent et plenitudo formae, et dignitas unionis, et conditio comprehensoris (a. 12).

4) Haec tota gratia animam Christi afficiens, uti *consequens unionis,* eamdem logice sequi dicenda est, non autem praecedere veluti praedisponens. Obstant enim ordo SS. Trinitatis, habitudo causalis et finis operationis (a. 12).

2. - **De Gratia Christi Capitis.**

QUAESTIO VIII.

DE GRATIA CHRISTI SECUNDUM QUOD EST CAPUT ECCLESIAE.

De Ordine Quaestionis. Haec Quaestio duas complectitur partes. I) Prima pars agit directe de gratia capitis in ipso *Christo*. 1) Primo quaeritur de *titulo capitis* (a. 1). - 2) Dein de *extensione* eiusdem: *a*) relate ad partes cuiusvis hominis (a. 2); *b*) relate ad universam familiam humanam (a. 3); - *c*) relate ad ipsos angelos (a. 4).

3) Quaeritur tertio de *formali* ratione huius gratiae capitis relate ad gratiam personalem, utrum eadem, necne (a. 5).

4) Confertur demum haec gratia capitis cum quavis alia praerogativa analoga quae in Ecclesia reperitur (a. 6). Et ita prima pars Quaestionis absolvitur.

II) In altera parte per oppositionem consideratur ratio capitis 1) in diabolo (a. 7), in Antichristo (a. 8).

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS SIT CAPUT ECCLESIAE.

De ipsa Quaestione. - 1) Si Filius Dei humanam naturam sibi dumtaxat assumpsisset, satis esset in ipso considerasse unionem et gratiam. Sed nobis, id est, primario « propter nostram salutem » factus est homo. Oportet proin ut quaeramus de habitudine Christi ad homines, fratres suos, in ordine ad redemptionis opus. En ratio praesentis Quaestionis.

2) Iam vero inter psalmos unus est, qui efficacissime hanc gratiam capitis depingit: psalmus videlicet CXXXII, cuius accipe brevem illustrationem praesenti argumento respondentem. « Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fra- « tres in unum ». Haec verba ab exordio significant, humano

generi omne bonum, omne gaudium exinde provenire, quod fratres sint supernaturali vinculo inter se colligati, et in unum habitantes, id est, unum effecti per illum, qui de caelis illapsus, « caro factus est et habitavit in nobis ». - Iam vero quaenam erit virtus coagulativa, ut ita dicam, horum fratrum in unum? Gratia ipsa capitis. Audi sequentia. « Sicut unguentum in capite ». Caput est Verbum caro factum, per unguentum Spiritus Sancti *Christus*. Iam vero hoc unguentum « quod descendit in barbam, barbam Aaron », a divinitate Christi, descendit in eius humanitatem, ab ipsa humanitate descendit in Ecclesiam pontificali munere dotatam, cuius ope adhuc inferius instrumentaliter descendit « in oram vestimenti eius », id est, usque ad ultimos fideles, qui constituunt vestimentum corporis eius, sicuti ipsum eius corpus vestimentum est divinitatis. Per Christum Domini unctum caelum tangimus, sicuti valles per cacumina montium ad caelum veluti coniunguntur; et civitatum arces ab illo robur accipiunt et vitam. Gratia proin capitis rursus est « ros Hermon, qui descendit in montem Sion ». Mons quippe Ecclesia est, sed dominatur Christus ipsi, sicuti sanctae civitati praeeminet Hermon. Per Christum igitur « Domini benedictum », vitaeque caelestis mediatorem, Ecclesiae « mandavit Domini benedictionem, et vitam usque in « saeculum ».

3) Iam vero adverte, per gradationem quamdam intelligi posse relationem Ecclesiae ad Christum caput. Primo gradu Ecclesia uti *societas* constituit aliquid unum, cuius Christus caput est, caput multitudinis formali nexu collectae. Secundo gradu Ecclesia *corpus* est, mysticum quidem, sed vere organicum, cuius fideles membra constituunt uni capiti Christo intime coniuncta. Hic alter conceptus, utpote strictior, dignitatem capitis in Christo melius exprimit.

4) Rursus adverte, in Christo tria considerari posse: Deum, Hominem-Deum, Hominem-Deum-Redemptorem. Sub quovis ex istis respectibus Christus caput est; formalissime tamen sub hoc ultimo respectu caput nostrum dicitur.

5) Duo proin gratia haec capitis involvit: *a*) ut ille, qui caput est, nostrae sit naturae; *b*) ut in nos efficaciter per merita et gratiam influat.

II. **Ad Textum.** - *1 Obi.* Confundit duplex *dare: a*) aliud dare auctoritative, *b*) aliud dare ministerialiter, seu instrumentaliter. Quando igitur Christus Apostolis suis post resurrectionem dixit: « Accipite Spiritum Sanctum », illud dicebat tum ut Deus, auctoritative Spiritum mittens, tum ut homo, eumdem instrumentaliter conferens. Unde apparet, efficaciam instrumentalem Sacramentorum nihil aliud esse, nisi extensionem istius instrumentalis efficaciae Christi per gratiam capitis in membra operantis [1].

2. Obi. Aliquid huiusmodi obtinet in psalmo supra exposito. Mons Hermon ob maiorem celsitudinem facit descendere rorem in montem Sion; Christus caput facit influere gratias in Petrum Ecclesiae caput. Simili veluti respectu licet Christus sit lapis angularis, unicum fundamentum; nihilominus et Petrus Ecclesiae structuram uti fundamentum portat.

3. Obi. Quam pulchra doctrina de Christo capite et Spiritu Sancto Ecclesiae corde, satis per se patet. Aliter tamen Angelicus in III. Sent. [2] eamdem obiectionem solvit.

Sed contra est. Gratia capitis in Christo domonstratur abundantissime ex Scripturis, et ex traditione ecclesiastica.

1) *Ex Scripturis* habemus: *a*) Verba ipsius Christi mysticam unitatem inter se et in se credentes multifariam proclamantis. α) In ultima solemni oratione ad Patrem rogat: « Ut « omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut « et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me « misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: « ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et « tu in me: ut sint consummati in unum: et cognoscat mun- « dus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dile- « xisti » [3].

β) Hanc unitatem per allegoriam vitis et palmitum eloquenter illustrat et urget: « Ego sum vitis vera: et Pater « meus agricola est. Omnes palmitem in me non ferentem « fructum, tollet eum: et omnem, qui fert fructum, purgabit « eum, ut fructum plus afferat. Iam vos mundi estis propter « sermonem, quem locutus sum vobis. Manete in me: et ego

[1] De hac efficacia fusius agemus in tractatu *de Sacramentis*.

[2] Dist. XIII, q. 2. a. 1. ad. 5.

[3] IOANN. XVII, 21, sqq.

« in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a seme-
« tipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manse-
« ritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego
« in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis
« facere. Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut
« palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent,
« et ardet » [1].

γ) Instrumentum autem huius incorporationis est maxime Eucharistia, iam per vitem figurata: « Qui manducat meam
« carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego
« in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter
« Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me » [2].

b) Sed et S. Paulus in evolvenda hac ratione capitis prae aliis scriptoribus sacris excellit.

α) Et primo quidem Christum caput generis redempti opponit Adamo capiti generis lapsi. « Qui est forma futuri.
« Sed non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto
« multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in
« gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit. Et
« non sicut per unum peccatum, ita et donum: nam iudicium
« quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis
« delictis in iustificationem. Si enim unius delicto mors
« regnavit per unum: multo magis abundatiam gratiae et
« donationis et iustitiae accipientes, in vita regnabunt per
« unum Iesum Christum » [3].

β) Sed hic Adami novi effluxus supponit in Christo exaltationem mirabilem. Audi Apostolum extollentem « operatio-
« nem potentiae virtutis, quam (Deus) operatus est in Christo,
« suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam
« in caelestibus: supra omnem principatum et potestatem,
« et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nomi-
« natur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Et
« omnia subiecit sub pedibus eius: et ipsum dedit caput supra
« omnem Ecclesiam. Quae est corpus ipsius, et plenitudo
« eius, qui omnia in omnibus adimpletur » [4].

[1] Ioann. xv, 1.-6.

[2] Ioann., vi, 57, sq. In his verbis, post Sacramentum Corporis Domini devotissime susceptum, obiit in Iustensi monasterio catholicus imperator Carolus Quintus.

[3] Rom. v. 14, 17.

[4] Ephes. i, 20-23.

γ) A Christo autem haec virtus in membra defluit, iuxta varia munera singulis praedestinata, et per decursum saeculorum evolvenda: « Et ipse dedit quosdam quidem Aposto-« los, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, « alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem sanc-« torum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi: « donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis « Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis pleni-« tudinis Christi: ut iam non simus parvuli fluctuantes, et « circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, « in astutia ad circumventionem erroris. Veritatem autem « facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est « caput, Christus: ex quo totum corpus compactum, et « connexum per omnem iuncturam subministrationis, secun-« dum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, « augmentum corporis facit in aedificationem sui in cari-« tate » [1].

δ) Unitas autem huius corporis est perfecta: « Sicut cor-« pus unum est, et membra habet multa, omnia autem mem-« bra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita « et Christus » [2].

ε) Vis unitiva est Baptismus regenerans et Eucharistia vivificans: « Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus « baptizati sumus,.... et omnes in uno Spiritu potati sumus » [3]. « Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio « sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne « participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, « unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane parti-« cipamus » [4].

ζ) Sed et haec omnia referuntur ad Patrem, uti ad principium universorum ac finem: « Quoniam quidem per homi-« nem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et « sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes « vivificabuntur. Unusquisque autem in ordine suo primitiae « Christus; deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu eius

[1] Ephes. iv, 11-16.
[2] I. Cor. xii, 12.
[3] Ibid. 13.
[4] Ibid. x, 16, 17.

« crediderunt; deinde finis: cum tradiderit regnum Deo et « Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem « et virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat « omnes inimicos sub pedibus eius. Novissima autem inimica « destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. « Cum autem dicat: Omnia subiecta sunt ei, sine dubio prae- « ter eum, qui subiecit ei omnia. Cum autem subiecta fue- « rint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui « subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus » [1]. Ergo Christus ita est universorum caput, ut nihil inde hoc plenitudo potentiae Patris detrimentum capiat.

2) *Traditio* de eadem veritate constat: *a*) Ex *Patribus* sufficiat audire S. Augustinum. Commentans ultima verba de S. Paulo modo (δ) deprompta, ait: « Non dixit, ita et « Christi, sed " ita et Christus ", ostendens, Christum recte « appellari etiam universum, hoc est, caput cum corpore suo, « quod est Ecclesia. Et multis Scripturarum locis inveni- « mus Christum etiam hoc modo appellari, ut cum omnibus « suis membris intelligatur, quibus dictum est: « Vos estis « corpus Christi et membra » [2]. - Et de Eucharistia alibi ait: « Quotidianum Ecclesiae sacrificium, cum ipsius corporis « ipse sit caput, et ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa « per ipsum quam ipse per ipsam suetus offerri » [3].

b) Ex *Ecclesiae* declarationibus en verba quibus Concilium Tridentinum influxum salutiferum Christi in membra exponit. « Cum enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput « in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos iustifi- « catos iugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum « opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine « qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent: nihil « ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus « plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, divi- « nae legi pro huius vitae statu satisfecisse, et vitam aeter- « nam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, « consequendam vere promeruisse censeantur; cum Christus « Salvator noster dicat: " Si quis biberit ex aqua, quam ego

[1] I. Cor. xv, 21-28.
[2] *De div. QQ. LXXXIII*, 9. 69, 10. — *P. L.* t. xl, col. 79.
[3] *De Civ. Dei*, l. x, 20.

« dabo ei, non sitiet in aeternum, sed fiet in eo fons aquae « salientis in vitam aeternam ". Ita neque propria nostra iusti- « tia tanquam ex nobis propria statuitur; neque ignoratur aut « repudiatur iustitia Dei. Quae enim iustitia nostra dicitur, « quia per eam nobis inhaerentem iustificamur, illa eadem « Dei est, qui a Deo nobis infunditur per Christi meritum » [1].

Et infra, loquens de praesentia totali Christi sub alterutra specie eucharistica, haec habet: « Si quis negaverit, totum « et integrum Christum, omnium gratiarum fontem et aucto- « rem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso « asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub « utraque specie sumatur: A. S. » [2].

In Corpore. En schema huius argumenti.

Christus spiritualiter est caput Ecclesiae:	1) ratione *ordinis* (caput prim. membrum):	Christus propinquior ad Deum;
	2) ratione *perfectionis* (in capite omnes sensus):	in Christo gratiarum plenitudo;
	3) ratione *virtutis* (corpus a capite regitur):	Christi gratia influit in Ecclesiam.

In Corpore. S. Thomas probat titulum dignitatis quia in Christo est plenitudo divinitatis [3], titulum perfectionis quia est super omnes Deus benedictus in saecula [4], titulum virtutis, quia ab ipso est omnis gratia spiritualis.

Tres capitis titulos hic evolutos S. Thomas ostendit alibi [5] Christo non solum uti homini, sed et uti Deo competere. Praeter has tres praerogativas et Deo et homini communes, Angelicus quartam ibidem formalitatem addit, quae Christo capiti convenit dumtaxat secundum humanam naturam, quod scilicet caput est conforme caeteris membris in natura. Et optime addit: « Haec conditio complet in ipso rationem capi- « tis; quia Christus secundum humanam naturam habet per- « fectionem aliis homogeneam, et est principium quasi univo- « cum, et est regula conformis, et unius generis ».

[1] DENZINGER, (op. cit. n. 692). Sess. VI, cap. 16.
[2] Sess. XXII, can. 3. (ibid. n. 814.).
[3] COLOSS. I.
[4] ROM. IX.
[5] III. Sent. Dist. XIII, q. 2, a. 1.

Porro ex tribus proprietatibus quas S. Thomas in *Corpore* huius articuli evolvit, tertia praecipua est, non quidem in se, sed formaliter uti gratia capitis.

Reliqua patent.

Corollarium. - Dignitas et gratia capitis in Christo fundamentum est supernaturalis vinculi, quo homines inter se colligantur, ita ut ex una parte quodcumque etiam minimo ex hominibus fraterno affectu praestatur, Christo ipsi praestatur; et ex altera parte, offensa fratris etiam minimi in Christum ipsum redundat [1]. Praeclare S. Augustinus: « Nemo « ergo contemnat, quando peccat in fratrem. Ait enim quo- « dam loco Apostolus: Sic autem peccantes in fratres, et « percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum « peccatis » [2]; ideo quia membra Christi omnes facti sumus. « Quomodo non peccas in Christum, qui peccas in membrum « Christi? » [3].

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS SIT CAPUT ETIAM HOMINUM QUOAD CORPORA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vidimus, identitatem naturae inter Christum et nos rationem capitis complere. Corpus autem ad hanc naturam pertinet tanquam elementum essentiale. Ergo per se Christus, ut homo, est caput nostrum etiam quoad corpus et non solum quoad animam, eo vel magis quod corpus, non animam a nobis per Beatam Virginem Mariam accepit.

2) Et sane eatenus corpus posset a gratia capitis excludi, quatenus in opere salutis corpora nihil agere deberent sub influxu gratiae, vel gloriae animae in fine beato nihil participarent. Atqui utrumque falsum est. *a*) In stadio luctae corpora nostra debent esse instrumenta et arma virtutum, templa Spiritus Sancti; *b*) in stadio gloriae corpora nostra clarificabuntur. Ergo.

[1] Matth. xxv, 40. 45.
[2] I. Cor. viii, 12.
[3] *De verb. Dom.* serm. 16.

Primario tamen Christus est caput animarum, secundario corporum; quia in ipso homine, tum in ordine naturae, tum maxime in ordine reparationis et gratiae, anima primas partes agit.

3) Ex quo apparet, quam sapienter Christus sese nobis communicaverit per Sacramentum sub specie panis et vini, ut ita corpus ipsum efficacius effluxum gratiae capitis reciperet.

4) Pariter ex hac quaestione vides, resurrectionem corporis Christi fundamentum esse resurrectionis gloriosae corporum beatorum. Hoc enim inter damnatos et electos in resurrectionis die intererit, quod hi per influxum gloriosi corporis Christi corpora sua clarificata sint accepturi, dum reliqui, a gratia capitis irremediabiliter exclusi, per divinam potentiam sint corporibus uniendi, quin a Christi corpore influxum ullum nisi in damnationem recipiant.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Adverte, dupliciter sumi posse Ecclesiam. *a*) Formaliter tantum, quatenus est organismus spiritualis gratiae; *b*) formaliter simul et materialiter, quatenus insuper constat membris. Haec autem membra animam et corpus habent. Anima primario recipit spiritualem influxum, corpus secundario. Inde quoque potentia, quam Ecclesia, nomine Christi, in ipsa corpora suorum exercet, ut illa tum faciat instrumenta virtutum, tum post mortem, uti immortalitatis pignora, gloriae reservet.

3. Obi. Observa, ipsum corpus Christi non habuisse ab hominibus mediante Deipara esse suum completum, quum in Christo non sit nisi unum esse, quo Deus est. Atqui praecise ex ista dignitate divina gratia capitis pro anima et corpore fluit. Ergo.

Sed contra est. Locus Pauli in resp. ad 3.m citatus, est ipse efficax valde ad praesens argumentum probandum. Paritas enim deesset, si influxus Christi ad animas limitaretur, quum influxus Adami simul et animas et corpora perdiderit. — Proin sensu pleno intelligenda sunt verba S. Pauli: « Vos estis corpus Christi et membra de membro » [1].

[1] 1. Cor. xii, 27. — Quomodo Christus secundum humanitatem sit tum caput, tum conmembrum, vide ap. S. Thom. III. Sent. loc. cit.

In Corpore. Vis argumenti est in hoc, quod Christi corpus simul cum anima influit per gratiam capitis in corpora nostra sicuti in animas nostras. Utrimque autem primario et anima agit, et in animam agit.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS SIT CAPUT OMNIUM HOMINUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Eatenus Christus caput est, quatenus influit in membra. Hic autem influxus habet gradus, iuxta quos: *a*) maior est influxus post completam passionem in illos, qui instrumenta huius influxus divinitus instituta, Sacramenta inquam, adhibent, quam in illos, quibus sola inerat fides; *b*) maior est influxus per charitatem, quam per meram fidem, quae ad charitatem disponit; *c*) maior influxus in beatos, qui non amplius possunt charitatem amittere, quam in fideles adhuc in stadio probationis degentes.

2) Nec satis. Quum gratia capitis fundetur in unione naturae Christi nobiscum, gratia illa potentialiter se extendit ad omnes homines, quatenus ex una parte ipsi vocantur ad credendum in illum, qui ipsis beatitudinem meritus est; et ex altera potens est ille, qui in eosdem, dummodo recte disponantur, influat in ordine ad salutem.

3) Habes proin iuxta gratiarum evolutionem gradus quatuor: *a*) In potentia Christum caput habent omnes infideles [1]. - *b*) In actu, licet imperfecte, illi qui solam habent fidem. - *c*) In actu plene, illi qui possident gratiam seu charitatem. - *d*) In actu plenissime, beati gloria fruentes.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit influxum in actu et in potentia.

2. Obi. Confundit gradum influxus in gloria et in stadio probationis. Et quidem in hoc confundit maculas maiores charitati adversantes, cum minoribus maculis, quae charitatem non laedunt.

3. Obi. Valeret quidem haec obiectio, si post Christum

[1] Quomodo in hac potentia subdistinguendum sit iuxta gratiae divinae consilia et futurorum praescientia, vide in *Corpore.*

natum immediate ei coniungeremur. Quum autem per medium ei uniamur, scilicet per fidem, cur non et illi ante Christum nati potuerunt per eamdem fidem in eum ferri? Plenior tamen influxus in N. T. quam in V. T., quia perfectiora instrumenta per quae ad nos derivatur, et facilior respectus in mysteria iam completa, quam in mysteria complenda.

Sed contra est. Huc faciunt omnia loca in quibus affirmatur tum universalis destinatio meritorum Christi, tum voluntas salvifica universalis Dei. Ita verba Psalmistae: « Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in « caput anguli » [1], idem significant: Christum scilicet Redemptorem, tum Nov. Test., tum Iudaeorum, tum Gentilium, ac ita omnium hominum vere esse caput.

Damnata proin est iure in Concilio Basiliensi [2] doctrina Augustini de Roma dicentis, non omnes fideles iustificatos, sed solum praedestinatos esse membra Christi; et in Concilio Constantiensi [3] haeresis Ioannis Huss affirmantis, praescitum (id est non praedestinatum), quamvis aliquando sit in gratia secundum praesens tempus, nunquam tamen esse partem Sanctae Ecclesiae. Contra quos Concilium Tridentinum [4] definivit, per fidem veram, etsi non vivam, christianum fieri. De quibus singulis erroribus alibi sermo ex professo recurret.

In Corpore. En paucis totum huius corporis argumentum.

Membra Ecclesiae sunt

- A) in *potentia:*
  - 1) in actum reducenda (fidem accepturi);
  - 2) in actum non reducenda (alii).

vel

- B) in *actu:*
  - 1) gradus per fidem solam;
  - 2) » per caritatem viae;
  - 3) » per fruitionem patriae.

Proin Christus est caput omnium secundum gradus:

1) gradus: (incip. a perfecto) caput beatorum;
2) » caput in via caritatem habentium;
3) » » » fidem solam habentium;
4) » » in potentia, crediturorum;
5) » » non crediturorum.

[1] Ps. CXVII, 22

[2] Sess. XXII.

[3] Sess. XV, art. 5. — DENZINGER (op. cit. a. 526).

[4] Sess. VI, c. 3, 4, can. 28. — (Ibid. n. 677, 678, 720).

Per mortem potentia haec ultima tollitur.

In III. Sent. [1] paulo aliter S. Thomas quatuor gradus confert cum quadruplici unione capitis ad membra.

1) Eiusdem unio naturae habetur ad omnes homines etiam infideles;

2) colligatio ad invicem habetur ad omnes, qui in Christum credunt;

3) diffusio unius vitalis spiritus habetur ad omnes, qui habent gratiam, seu charitatem;

4) una animae forma habetur ad omnes, qui possident Spiritum Sanctum.

S. Bonaventura quaestionem de universali influxu Christi capitis in homines et in angelos una quaestione complectens, triplicem gradum distinguit: *a*) Alia cognitio et dilectio, quae « respicit statum meriti, et haec dicitur gratuita. *b*) Quaedam « vero, in qua consistit substantia praemii, et haec dicitur glo« riosa. *c*) Quaedam, quae est utrique annexa, quae nec est « de essentia meriti, nec praemii, sed de bene esse » [2]. Quomodo hunc tertium influxum Seraphicus de angelis intelligat, loco suo videbimus.

Resp. ad 1m. explicat in quonam reponenda sit illa potentia scilicet: *a*) a parte Dei, in virtute Christi (quae hic est gratia capitis); *b*) a parte hominis, in libero arbitrio.

Resp. ad 2m. Adverte considerationem finalem. Sicuti arido membro, puta manu quis uti potest ad percutiendum ad extra, quin tamen spiritus vitalis eam pervadat; ita quoque charitate destituti, per fidem tamen Christo capiti adhaerentes, non recipiunt quidem in se influxum vitalem gratiae, pertinent tamen ad corpus, eisque caput ad quaedam externa opera uti potest. Hinc oritur unum ex fundamentis distinctionis inter gratiam gratum facientem et gratis datam.

Resp. ad 3m. Quid essentialiter intersit inter legalia Sacramenta Vet. Test. et sacramenta proprii nominis Nov. Test., vide in tractatu de Sacramentis.

[1] Loc. cit., q. 2.

[2] III. Sent. Dist. XIII, a. 2, q. 2.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS SIT CAPUT ANGELORUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Audivimus supra ab Aquinate [1], Christum caput dici et secundum quod Deus, et secundum quod homo est. Gratia autem capitis non dicitur, nisi secundum quod homo est. Iam vero si hanc distinctionem ad angelos referimus, apparet, Christum, ut Deum, non minus angelorum quam hominum esse caput. Quod per se patet.

2) Sed quid de Christo, ut est homo, in ratione capitis ad angelos?

Hic rursus distinguendum, iuxta superius exposita, inter Christum Hominem-Deum, et Christum Hominem-Deum-Redemptorem. *a*) Priori sensu Christus, ut homo, caput erit non hominum tantum sed et angelorum, si eius excellentia et gratiarum plenitudo exsuperant ea, quae angelorum sunt. De quo rursus dubitari non potest. *b*) Altero vero sensu, tunc solum angelorum caput erit, si angeli *influxum gratiae* ab ipso Christo directe percipiunt, non quidem stricte redemptionis, sed vel gratiam primam, vel illustrationes maiores, vel integritatem gloriae. α) *Gratiam primam,* si praedestinatio Christi praecessit ordine elevationem ad gratiam et gloriam, naturae angelicae non minus quam humanae; - β) *illustrationes maiores,* si Christus, eminentiori loco in caelestibus collocatus, influit ordine hierarchico in angelos et homines, utpote unam simul congregationem, seu corpus, seu Ecclesiam in caelis constituentes; - γ) *integritatem gloriae,* si a Christo, generis humani Salvatore, angeli habent ut numerus ipsorum, lapsu rebellium imminutus, per beatos integratus sit. Ex his tribus rationibus secunda minus respicit Christum-Redemptorem; attamen propter influxum quem supponit, aliquid Mediatoris in Christo ponit, praeter dignitatem Incarnationis, seu Hominis-Dei.

In Comment. III. Sent. Dist. XIII, Q. II, a. 2, sol. 1. S. Thomas

[1] III. Sent. loc. cit.

primum ex his tribus (α) negat dicens, Christum non influere in angelos « aut merendo gratiam, aut pro eis orando, quia « iam beati sunt ». Haec tamen verba per se non important nisi negationem gratiae novae. Concedit autem plene secundam rationem (β), id est influentiam « in his quae ad actus « hierarchicos pertinent, secundum quod unus angelus illu- « minat alium, purgat et perficit, hoc enim multo eminentius « a Christo recipiunt ».

Tertiam rationem (γ) S. Bonaventura ita illustrat, coniungens simul α) et β): « Angelis mysteria multa revelantur « et gaudia multa referuntur de restauratione sua, quae inve- « nitur facta per Christum ». Et concludit: « Concedendum « est ergo, quod gratia capitis redundat in omnes cives « supernae Ierusalem » [1]. Fatentur tamen Angelicus et cum ipso Seraphicus, gratiam capitis minus respicere angelos quam homines: tum *a*) quia deest ratio unius naturae, tum *b*) quia influxus longe minor est.

II. **Ad Textum.** – In obiectionibus pulcherrime colliguntur tres rationes, quae impedire videntur, quominus gratia ad angelos extendatur: 1) diversitas naturae, 2) indoles Ecclesiae, 3) disproportio inter spirituales formas et agens corporale. Solvuntur: 1) distinguendo in natura nostra partem inferiorem et superiorem, 2) distinguendo pro Ecclesia inter stadium viae et patriae, 3) inter agens corporale sibi relictum, et agens corporale virtute divina penetratum.

Sed contra est. Huc faciunt loca in quibus apparet, Angelos ad ministrandum Christo esse paratos [2]. Unde Christus ipse in horto Olivarum testatus est: « An putas, quia non possum « rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam « duodecim legiones angelorum? » [3].

Fundamentum huius veritatis S. Paulus exprimit in exordio epist. ad Hebraeos: « Tanto melior angelis effectus, « quanto differentius prae illis nomen haereditavit » [4]. Quae, licet imprimis de Christi divinitate dicta, redundant nihilo-

[1] III. Sent. Dist. XIII, a. 2, q. 3.
[2] Ita in deserto et in agonia Christo ministrasse narrantur.
[3] MATTH. XXVI, 53.
[4] HEBR. I, 4, cf. sqq.

minus in eius excellentiam uti est Deus-Homo, super omnem creaturam elevatus, totius universi caput.

Rationem hanc universalem capitis in Christo pulchre celebrat Ecclesia, dum canit in Solemnitate Resurrectionis:

« *Aurora lucis rutilat,*
Caelum laudibus intonat,
Mundus exsultans iubilat,
Gemens infernus ululat » [1].

Inde Gregorius noster Magnus eleganter simul ac profunde, postquam dixit, angelum, immortalitatis nuntium, recte apparuisse stola indutum alba, quia « candor vestis splendo- « rem nostrae denuntiat solemnitatis », ita pergit: « Nostrae « dicamus, an suae? Sed ut fateamur verius, *et suae dicamus,* « *et nostrae.* Illa quippe Redemptoris nostri resurrectio et « nostra festivitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit; « *et angelorum festivitas exstitit,* quia nos revocando ad « caelestia, *eorum numerum implevit.* In sua ergo ac nostra « festivitate angelus in albis vestibus apparuit; quia dum « nos per resurrectionem Dominicam ad superna reducimur, « *caelestis patriae damna reparantur* » [2].

Iuvat hic transcribere quae ad expositionem verborum S. Pauli: « Instaurare omnia in Christo, quae caelis, et quae in « terra sunt in ipso » [3], habet Hervaeus Monachus Burgidolensis in suis commentariis: « *Instaurare,* id est, ad primum statum « reducere, *omnia* per peccatum destructa. Et illam restau- « rationem facere *in Christo,* id est, in fide et gratia Christi « ut in eo restaurentur, *quae in caelis* sunt, id est, *numerus* « *beatorum angelorum,* qui divinitus erat stabilitus, caden- « tibus inde reprobis angelis: et *quae in terra sunt,* id est « homines; et omnia quae instauraret, permanerent *in ipso* « Christo sine fine, ne iam ulterius caderent. *In eo quippe* « *instaurantur quae in caelis sunt, cum id quod inde ex* « *angelis lapsum est, ex hominibus redditur;* in ipso instau- « rantur et quae in terris sunt, quum ipsi homines qui prae- « destinati sunt in vitam aeternam, a corruptionis vetustate « renovantur. Instaurantur quae in caelis sunt, dum illuc humi-

[1] Hymn. ad Laudes.

[2] Homil. 21, in Evangelio ad 3. Noct. Paschatis. — *P. L.* t. LXXVI, col. 1171.

[3] EPHES. I, 10.

« liati homines redeunt, unde apostatae *angeli* superbiendo « ceciderunt: instaurantur et quae in terris sunt, dum pecca- « tores ad iustitiam convertuntur. Vel ea quae sunt in caelis, « sunt instaurata, id est in melius commutata in Christo, id « est in Christi operatione, *quia in revelatione mysterii Incar- « nationis Dominicae receperunt Angeli quamdam in melius « promotionem. Sed et gaudium eorum crevit, cum homines « in suum consortium coepissent recipere.* Non enim pro « angelis mortuus est Christus. Sed ideo *etiam pro angelis « fit* quidquid hominum per eius mortem redimitur et libe- « ratur a malo, quia cum eis quodammodo reditur in gra- « tiam post inimicitias, quas inter homines et sanctos angelos « peccata fecerunt, *ex ipsa hominum redemptione ruinae illius « angelicae damna reparantur* » [1].

In Corpore. S. Thomas duo facit. 1) Ostendit rationem sub qua angeli et beati in caelis unum corpus efformant: unam scilicet fruitionem, ad quam omnes, tum angeli, tum beati ordinantur. 2) Demonstrat quotuplici ratione Christus huius corporis sit caput. Tres rationes hic allatae sunt eaedem, quae in articulo primo adducebantur: *eminentia, plenitudo, influentia.*

Adverte, textum allatum stricte non probare, nisi rationem primam. Ultima tamen ratio videtur ultimis verbis: « et « omnia subiecit sub pedibus eius » etiam contineri, quatenus sine influentia subiectio illa vix realis esset; unde et secunda quoque ratio probatur. Etenim, quomodo exercere se potuerit ista influentia, nisi redundantibus in sub se positos donis illis gratiae, quibus Christus prae omnibus replebatur?

Et sic patent responsiones ad obiecta.

ARTICULUS V.

UTRUM GRATIA CHRISTI SECUNDUM QUAM EST CAPUT ECCLESIAE, SIT EADEM CUM GRATIA HABITUALI, SECUNDAM QUAM EST QUIDAM HOMO SINGULARIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vidimus supra, iuxta S. Thomam, esse caput competere Christo, tum prout Deo, tum

[1] *P. L.* t. CLXXXI, col. 1212. — Haec commentaria diu nomine Anselmi nostri celebrata sunt.

prout homini. Prout Deus, caput est, ratione naturae divinae - quem titulum communem habet cum Patre et Spiritu Sancto, - insuper ratione gratiae unionis.

2) Iamvero natura divina nullo modo potest in Christo gratia capitis dici: divinum enim non cadit sub gratiam. Neque gratia unionis est gratia capitis *in se*, quum ipsa sit subsistentialis unio naturae humanae ad personam divinam. Potest tamen vocari gratia capitis *quoad effectum,* quia radix est, a qua Christus habet suam supereminentem dignitatem et suam redemptricem missionem, cum gratia creata utrique respondente.

3) Stricto tamen sensu gratia capitis non est nisi gratia *creata* Christo infusa. De qua iam quaeritur, utrum fuerit eadem cum gratia habituali, an alia quaedam huic superaddita, puta unctio specialis Christo collata in ordine ad suam relationem ad alios.

4) Ut haec subtilior quaestio solvatur, oportet in habituali gratia Christi triplicem respectum considerare: *a*) respectum ad Deum, seu ad gratiam unionis; *b*) respectum ad humanitatem Christi; *c*) respectum ad genus humanum atque angelos. Respectus *a*) exigit plenitudinem gratiae propter summam propinquitatem ad gratiae causam. - Respectus *b*) exigit plenitudinem propter moralem perfectionem operum Hominis-Dei. - Respectus *c*) pariter plenitudinem exigit propter infinitam extensionem influentiae meritorum per hanc moralem perfectionem acquisitorum [1]. Iam vero patet, eamdem plenitudinem, modo propriissima sit, triplici huic respectui satisfacere posse. Ergo deficit ratio, cur respectus tertius, in quo formalius ratio capitis consistit [2], re distinguatur a respectibus *a*) et *b*). Ergo in Christo gratia capitis a gratia habituali non differunt *re.*

5) Differt tamen *ratione,* et sub hoc respectu optime confertur cum unctione Spiritus Sancti, propter quam Iesus vocatus est *Christus* [3]. 1) Unctio quippe aliquam supereffluen-

[1] Vides, quam adaequate hi tres respectus respondeant rationibus allatis in art. 1. Q. VII.

[2] Confer dicta in art. 1. huius Quaestionis

[3] De hoc nomine sermo recurret infra, ubi de praecipuis nominibus Christi agemus.

tiam ex capite in alia membra inferiora producit; unde gratia capitis, quae principalius in ista effluentia in alios consistit, eloquenter per hanc unctionem exprimitur. - Insuper 2) ungebantur apud populum hebraicum Prophetae, Reges et Pontifices. Atqui iste triplex titulus in Christo gratiam capitis exprimit. Propheta, Christus est magni consilii Angelus; Rex, potentiam in subditos exercet; Pontifex, sacrificium in delectionem peccatorum offert. Triplex proin hic titulus in se rationes continet, quibus gratia capitis innititur. Ergo optime haec gratia unctio vocatur [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Brevius obiectio ita exponi potest: In Adamo fuit duplex peccatum, aliud personae, aliud naturae. Atqui Adamo ex opposito respondet Christus. Ergo in Christo fuit duplex gratia: gratia personae et gratia capitis. — Vitium obiectionis hoc modo clare apparet. Bene procederet obiectio, si gratia Christi nobis mediante natura transmitteretur, sicuti peccatum Adae. Quum autem fiat mediante gratia, eadem gratia utrique scopo potest facere satis; ut scilicet, ratione suae plenitudinis, merita Christus acquirat; et ratione suae supereffluentiae, merita aliis applicet.

Nec simpliciter concedendum est, in Adamo fuisse duplex peccatum, personae et naturae. Imo potius, unum peccatum, saltem quoad principalius elementum, habuit duplicem respectum.

2. Obi. Confundit duos actus specifice diversos, et duos

[1] Optime Cl. Schell: « Die Gnadenfülle der Geistesgaben, welche die menschliche « Natur Christi auszeichnet, macht den Menschensohn zum Haupte des Gnaden- « reiches und zwar als Propheten, Priester und König. — Die Gnade des Hauptes « bedeutet, dass der Menschensohn alle Ordnungen an Vollkommenheit überrage, « allen Ordnungen durch sein Verdienst Urheber des Heiles sei, und durch sein « Königthum an allen das Gericht Gottes vollziehe.

« Die in der Menschheit Christi verwirklichte und niedergelegte Gnadenfülle « ist das Mass aller Offenbarungen, Gnaden und Schicksale. Christus ist Inhalt der « Offenbarung, Mittler der Gnade, Vollbringer des grossen Ratschlusses: Prophet, « Priester, König. " Omnia vestra sunt...; vos autem Christi; Christus autem Dei " *. « Christus umfasst alle Ordnungen durch seine alles überragende Vollkommenheit, « durch seine alles bedingende Verdienstursächlichkeit, und durch seine alles ent- « scheidende Herrschergewalt; als Urbild und Endzweck (Prophet), als Ursache « und Mittler (Priester), als Herr und Richter (König) » **.

* I. Cor. III, 22. 23.

** Op. cit. p. 180.

actus diversos quidem, sed in eodem ordine ad invicem subordinatos.

3. Obi. Vide dicenda inferius, ubi de solutione.

Sed contra est. En nexum logicum in forma stricta. Christus est caput nostrum, quatenus de eo accepimus; de eo accepimus, quatenus ipse habuit plenitudinem gratiae; plenitudinem gratiae habuit secundum gratiam personalem. Ergo Christus caput nostrum secundum gratiam personalem; ergo non duplex gratia alia personalis, alia capitis.

In Corpore. S. Doctor stans in eadem unitate, tangit insuper formalem respectum distinctionis secundum rationem inter gratiam personalem et gratiam capitis. Et est eminentia, non quatenus ab anima Christi possidetur, sed quatenus ab ipsa in alios derivatur.

Resp. ad 3^m. Concordat omnino doctrina huius responsionis cum solutione in III. Sent. Dist. XIII, q. 3, a. 2, ubi etiam S. Doctor, considerans plenitudinem gratiae « uti *quodammodo* « disponens ad unionem », eam sensu lato unionis nomine appellat. Adverte, illa tria hoc sensu respondere triplici respectui supra exposito. Audi Angelicum: « Respondeo dicen- « dum, quod si gratia unionis dicatur gratia habitualis quo- « dammodo disponens ad unionem, sic eadem est per essen- « tiam gratia unionis, capitis, et singularis illius hominis, « solum ratione differens: quia in quantum perficiebat ani- « mam Christi ad actus meritorios, dicitur gratia illius sin- « gularis hominis; in quantum vero tanta erat huius gratiae « copia ut in alias redundare posset, dicitur gratia capitis; in « quantum vero gratiam tam plenam decebat inesse assump- « tae naturae, potest quodammodo dici gratia unionis ».

Ordine logico ad invicem haec ita sese habent: gratia unionis (lato hoc sensu), gratia personalis, gratia capitis; sicuti logice se habent infundere, implere, supereffluere.

Doctrina S. Bonaventurae.

Tria Doctor Seraphicus in capite considerat, eaque diversimode Christo capiti applicat:

1) esse membrum membris conforme: convenit Christo ut homini.
2) esse principium membrorum: convenit Christo Deo.
3) Esse influxivum sensus et motus: Convenit Christo
   - *a*) Deo:
     - α) per modum impartientis,
     - β) » » efficientis,
     - γ) quantum ad remissionem culpae;
   - *b*) Homini:
     - α) per modum praeparantis,
     - β) » » merentis,
     - γ) quantum ad remissionem poenae.

Iam quoad respectum inter gratiam capitis et gratiam singularis personae ita habet:

Gratia unionis dicitur tripliciter:
1) gratia faciens unionem = divina essentia;
2) disponens ad unionem = habitus animae;
3) unio gratis facta = ipsa relatio.

Haec iam ad gratiam capitis applicentur:

1) Est principium effectivum sensus et motus in membris Christi; et est ipse Deus, et per appropriationem Spiritus Sanctus.
2) Est disponens per meritum et praeparationem ad hunc sensum; et est ipse animae habitus, per quem Christus nobis meruit.
3) Est ipsa praesidentia, qua Deus Christum uti caput membris praeposuit.

Conferendo igitur utraque sub hoc triplici respectu inter se:

Quoad 1m. (increatum):
- *a*) gratia unionis connotat effectum circa Christum;
- *b*) gratia capitis » » » membra Chr.;

Quoad 2m. (creatum disponens):
- *a*) gratia unionis disponit ad assimilationem Deo;
- *b*) gratia capitis » » redundantiam in alias;

Quoad 3m. (ratio dispositionis):
- *a*) gratia unionis idoneum reddit ut Deo uniatur;
- *b*) gratia capitis » » ut caeteris praeficiatur.

ARTICULUS VI.

UTRUM ESSE CAPUT ECCLESIAE SIT PROPRIUM CHRISTI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Christus est caput Ecclesiae, tum ut Deus, tum ut homo. Ut Deus, hoc habet commune cum Patre et Spiritu Sancto, uti diserte affirmant S. Thomas et S. Bonaventura. Est proin de Christo capite ut homine heic movenda quaestio.

2) Quae sane quaestio posset moveri quoad angelos et quoad homines. Prior dimittitur; de modo enim quo Christus est angelorum caput, superius dictum est. Satis sit hic animadvertere, gratiam capitis in Christo non obesse, quominus ob hierarchicum ordinem quidam angeli suorum ordinum capita constituantur, sed sub capite Christo.

3) Iam vero textus supra allatus (art. I): « Caput Christi Deus », ostendit a priori, rationem capitis stare posse cum subordinatione relate ad caput altius. Si ergo invenimus in traditione catholica Romanos Pontifices capitis appellatione decoratos [1], iste titulus privilegium singulare gratiae capitis in Christo minime inficit.

4) Sed quaenam erit inter utramque gratiam ratio discretiva? - Multiplex sane: *a*) Christus caput quia Deus, alii puri homines; - *b*) Christus-Homo caput quia meruit gratias; alii de illis accipiunt vel sibi, vel in alios per instrumenta Christi diffundendas. - *c*) Christus-Homo instrumentum Dei coniunctum; alii instrumenta Christi, neque coniuncta. - *d*) Christus caput et hominum et angelorum; alii hominibus dumtaxat praesunt. - *e*) Christus caput in omnia saecula et in aevum, alii solum tempore sui muneris a Christo accepti.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit gubernationem externam cum influxu vitali interno.

2. Obi. Confundit collationem gratiae mediante praedicatione, suasione, etc., cum collatione interna immediata.

[1] Cf. Concil. Florentinum: « Definimus Rom. Pontif. in universum orbem tenere « primatum, et verum Christi vicarium, *totiusque Ecclesiae caput* » etc., cfr. tractatum de Rom. Pont. apud theologos passim.

3. Obi. Confundit auctoritatem principalem cum auctoritate participata.

Sed contra est. Haec ratio universalis ac proin propria continetur implicite in alio textu supra allato: « Ipsum dedit « caput supra *omnem* Ecclesiam » [1]. *Omnem a)* ratione *intensionis,* quia nulla gratia confertur nisi per ipsum; ratione *b) extensionis*, tum α) *temporis*, quia influxus eius omnia saecula et aevum ipsum penetrat; β) tum *ordinis,* quia complectitur omnes humani generis stirpes, imo angelicas hierarchias. Atqui talis gratia capitis esse debet singularis. Ergo.

In Corpore. En schemate totum argumentum:

Gratia capitis dicit duplicem influxum:
- 1) *interiorem iustificationis:* — hunc nullo modo delegat Christus, ipsi uti Homini-Deo personalis est.
- 2) *exteriorem gubernationis:* — hunc solus Christus exercet:
  - *a)* universaliter loco et tempore;
  - *b)* propria virtute.

ARTICULUS VII.

UTRUM DIABOLUS SIT CAPUT OMNIUM MALORUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Hic incipit altera pars huius Quaestionis. Per oppositionem gratia Christi capitis in vitam confertur cum diaboli et Antichristi influxu ad mortem. Et primo quidem de diabolo.

2) Factum nullo modo negari potest, diabolum scilicet esse ducem, principemque malorum. Praeter textum Iobi in *Corpore* citatum, aliosque, habemus Dominum ipsum dicentem de « principe mundi », qui, in ipso nihil inventurus, eiiciendus erat foras. Habemus Apostolum nos monentem de instante lucta cum « principe tenebrarum harum », et hortantem peccatores ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur « ad ipsius voluntatem » [2]. Inde inter Christum et Belial illam aemulationem quam splendidis imaginibus describit Ioannes in Apocalypsi, et erudite evolvit Augustinus in mirabili

[1] Ephes. I, 22.
[2] Tim. II, 26.

opere « de Civitate Dei ». Modus quo regnum diaboli contra regnum Dei exstructum est, atque a Christo debellatum, pulcherrime invenitur apud Rupertum illustratus, in opere cui titulus: « De Victoria Verbi Dei » [1]. Rationem subiectionis qua peccatores a diabolo captivi detinentur, iniuste a parte diaboli usurpantis, iuste a parte Dei in poenam permittentis, apud S. Anselmum invenies: « Cur Deus homo » [2], necnon apud S. Bernardum in epist. ad Innocentium II de erroribus Abaelardi [3].

3) Ut autem appareat, qualiter ratio capitis se habeat in diabolo relate ad capitis rationem in Christo, sufficit prae oculis habere: *a*) influxum Christi esse simul internum et externum, influxum diaboli tantum exteriorem; - *b*) influxum exteriorem diaboli pendere a Providentia et proin subesse potestati Christi ut Deus est; - *c*) imo Christum, ut homo est, per merita sua, regnum diaboli destruxisse, ita ut finis a Deo intentus, salus praedestinatorum, frustrari nequeat; - *d*) demum hoc interesse summopere inter utrumque regnum, quod primum cohaereat per possessionem eorumdem bonorum, dum alterum nonnisi in aliqua privatione, id est, in aversione a Deo, vinculum possit unitatis habere.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit influxum interiorem et exteriorem.

2. Obi. Procedit ac si quis inde subtraheretur iugo daemonis, quod aliunde malus esse possit. Caeterum adverte, ipsum statum lapsum, ex quo in ipsa nostra concupiscentia occasionem mali invenimus, esse sub iugo diaboli, quatenus ipse fuit ruinae nostrae auctor.

Sed contra est. Utrumque bonorum et malorum regnum cum capite suo in ipso protoevangelio continetur: « Inimi- « citias ponam inter *te* et mulierem, inter *semen tuum* et « semen illius, ipsa (ipse, conteret *caput tuum* », id est, destruet in te dominationem qua malorum es caput.

In Corpore. S. Thomas duo facit: 1) determinat ad gubernationem *exteriorem* influxum diaboli in malos; 2) explicat

[1] *P. L.* t. CLXIX, col. 1217, sqq.
[2] L. I, c. 7. — *P.* L. t. CLVIII, col. 367, sq.
[3] Ep. 190, c. 5, sq. — *P. L.* t. CLXXXII, col. 1062, sqq.

formale sub quo quotquot influxum eius subeunt, *corpus* efformant. Non sufficit caput esse, nisi adsit corpus. Haec autem ratio est aversio a Deo per inobedientiam; quae aversio etsi negativa per se, positive sub specie boni appetiti, puta libertatis, independentiae, suggeri potest.

Consequens huius doctrinae est, quotquot peccato serviunt, dum ipsi serviunt, diabolum caput et ducem habere. Quare recte Concilium Constantiense damnavit Ioannem Huss asserentem, Paulum nunquam fuisse membrum diaboli, licet actus quosdam actibus Ecclesiae malignantium consimiles egerit [1]. Refelluntur quoque illi, de quibus Sigebertus Monachus in suis Chronicis, Praedestinati nomine, qui contendebant universaliter, praedestinatum a Deo ad vitam, etiamsi ipse mala opera agat, nunquam posse esse membrum diaboli [2].

Optime igitur Concil. Trid. declaravit, Adam incurrisse indignationem Dei atque ideo mortem, et cum morte captivitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli [3]. Inde Gregorius M. « Certe iniquorum « omnium caput diabolus est, et huius capitis membra sunt « omnes iniqui. An non diaboli membrum fuit Pilatus? An « non diaboli membra Iudaei persequentes, et milites crucifigentes Christum fuerunt? » [4].

Reliqua patent.

ARTICULUS VIII.

UTRUM ANTICHRISTUS POSSIT ETIAM DICI CAPUT OMNIUM MALORUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quaesitum hoc aliqualiter se habet ad praecedens, sicut articulus 6. ad praecedentes se habebat. Paucis argumentum solvere liceat. Ipsam enim quaestionem de Antichristo, utrum persona sit, an impiorum audacior secta, ad tractatum *de Novissimis* ex professo remittimus.

2) Triplex animadversio scopo praesenti faciet satis.

[1] Sess. XV.
[2] *P. L.* t. CLX, col. 76.
[3] Sess. V.
[4] Hom. XVI. super Matth. 4. — *P. L.* t. LXXVI, col. 1135.

a) Patet, influxus interni exclusionem a fortiori pro Antichristo esse faciendam. - *b*) Rursus liquet, ratione extensionis temporalis hunc externum influxum Antichristi limitandum esse, prae diaboli influxu omnia saecula, licet non eodem modo, complectente. - *c*) Demum, quum non agatur de subvertendo regno diaboli per regnum Antichristi ipsi oppositum, sed potius de supremo diaboli nisu, ut per ministerium Antichristi finem suum attingat, patet, Antichristum non mereri capitis nomen, nisi subordinate ad diabolum, cuius instrumentum erit.

3) Erit autem princeps instrumentum Satanae ratione *plenitudinis* malitiae quam Deo ita permittente, diabolus ipsi, iniiciet, et quae, licet mere externe, efficaciter operabitur ad animas subtrahendas regno Dei et Christi; cuius *summae* malitiae causa *omnium* veluti caput erit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat, summam illam malitiam propter quam Antichristus omnium caput erit, etiam eorum qui ante ipsum exstiterunt, non esse nisi malitiam diaboli ipsius.

2. Obi. Potest etiam haec obiectio solvi per doctrinam art. sexti.

3. Obi. Ratio huius locutionis « *ducere ad caput* » ex hoc petitur quod ordo executionis ordini intentionis ex opposito respondet. Quod enim agendo maxime intendimus, est terminus ultimus, ad quem operatione pertingimus [1]. Antichristus proin erit quasi triumphus malitiae diaboli sese homini communicantis. Imo esset quasi diabolica incarnatio, si haec dari posset. Inde in resp. ad 2.[m] Angelicus confert rationem qua Antichristus se habebit ad diabolum, cum modo quo Christus se habet ad Deum. Inde quoque una ex rationibus, cur hic perversione summus vocetur *Antichristus*.

Sed contra est. Operae vix pretium est hic blasphemiam notare Protestantium cum Luthero conclamantium, Antichristum esse ipsum Romanum Pontificem. Quasi Pontificatus Romanus non sit directe a capite Christo institutus tanquam medium princeps quo gratia capitis tum quoad fidem,

[1] Inde in lingua hispanica *cabo* dicitur etiam pars extrema rei, et *acabar* ad extremum pervenire.

tum quoad charitatem, uti per instrumentum perenne, in singulos fideles transmittatur. Sufficiat impraesentiarum hanc impietatem nominare, loco suo, ubi directe de Ecclesia Christi et de Antichristo agetur, ex professo confutandam.

In Corpore. En paucis totum argumentum:

In capite *tria* consideranda sunt:
- 1) *ordo:* Antichristus non, quia in fine temporum;
- 2) *virtus:* Antichristus
  - *a*) interne, nullo modo;
  - *b*) interne, solum tempore suo;
- 3) *perfectio:* Antichristus malitia diaboli prae omnibus plenus
  - *a*) non assumptione,
  - *b*) sed suggestione.

Responsiones ad obiecta patent.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Ecclesiae corporis spiritualis ac mystici Christus caput est non solum uti Deus, sed et uti homo, ratione eminentiae, plenitudinis gratiae atque virtutis, idque eo efficacius quod unius nobiscum naturae est (a. 1).

2) Gratia haec capitis primario in *animas* nostras influit, secundario in *corpora*, uti in via instrumenta virtutum, in patria per gloriam clarificanda (a. 2). - Porro Christo capiti *omnes homines,* licet non eodem gradu, subsunt; alii mere in potentia, qui nondum fidem habent, eam forte accepturi; alii in actu per fidem, dein magis per charitatem, maxime per gloriae fruitionem (a. 3). - Quin et ipsorum *Angelorum* Christus, teste Apostolo, caput est, ratione eminentiae, plenitudinis, ipsiusque virtutis (a. 4).

3) Gratia autem capitis nonnisi *ratione* distinguitur a gratia habituali animae Christi, utpote quae consideratur formaliter quatenus in alios supereffluit (a. 5). - Estque haec gratia Christi *propria,* tum ratione influentiae interioris ipsi singularis, tum ratione loci, temporis et status (a. 6).

4) Ex opposito, ratione externae gubernationis tum omnium a Deo aversorum *diabolus* caput dicitur (a. 7); tum ipse *Antichristus,* licet tempore ultimo venturus, omnium malorum caput sub diabolo appellatur, utpote plenitudinem eius malitiae possidens (a. 8).

B) **De Scientia Christi.** 1) In Communi.

QUAESTIO IX.

Ordo Quaestionis per se lucidus est. 1) Quaeritur utrum in Christo alia fuerit scientia quam divina. Data responsione affirmativa, quaeritur 2) quasnam scientias habuerit: *a*) beatam, *b*) inditam, *c*) acquisitam. De quibus tunc scientiis singillatim ex ordine in quaestionibus sequentibus investigabitur.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS HABUERIT ALIQUAM SCIENTIAM PRAETER DIVINAM.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Fundamentum praesentis quaesiti est duplex in Christo natura, et insuper perfectio absolutissima naturae humanae Christi propter dignitatem personae.

Optime S. Thomas hoc evolvit in III. Sentent. iuxta sequens brevissimum schema:

In Christo omne quod est
- 1) personae, unum est;
- 2) naturae:
  - *a*) si unius tantum, unum;
  - *b*) si utriusque, duplex.

Atqui ad 2) *b*) pertinent ea, quae sunt voluntatis et intellectus. Unde in Christo duplex operatio cognitionis: *a*) Verbi ut Dei, *b*) hominis ut hominis.

2) Etenim sedes scientiae seu cognitionis non est formaliter principium subsistentiae; sed substantia, seu facultas cognoscitiva. Scientia proin Dei, utpote substantia ipsius Dei, nequit formaliter animam humanam afficere. Quae proin vel habebit scientiam sibi propriam, vel sine scientia formaliter erit; quod est ipsi idem, ac esse in statu maxime imperfecto.

Ad Textum. - *1. Obi.* Confundit utrumque subiectum formale scientiae. Scientia increata Christi habet uti subiectum divinam eius substantiam, vel potius est eius substantia. Scientia vero creata habet subiectum animam, seu intellectum cuius est actus.

2. Obi. Vide responsum supra eidem difficultati datum [1].

3. Obi. Paucis in forma ita: In Christo fuit scientia unionis. Atqui in Christo unio fuit complectens utramque naturam. Ergo in Christo unio fuit scientia complectens scientiam utriusque naturae. — *Resp.* negando paritatem. Formale enim unionis est unitas in persona; formale scientiae est perficiens naturam. Vides proin, scientiam unionis in Christo non esse admittendam, si intelligitur unio uti principium continens, seu subiectum. Admittenda tamen est sicuti scientiae obiectum. Sed ita nihil ad praesens quaesitum spectat.

Sed contra est. Pergit eodem loco Ambrosius: « Sensu « hominis animam meam dixi esse turbatam; sensu hominis « esurivi; sensu hominis rogavi, qui rogantes exaudire con- « suevi; sensu hominis profeci, sicut scriptum est, " Et Iesus « proficiebat " etc. » [2]. Scopus Ambrosii in hoc opere est, contra Arianos et Apollinaristas Incarnationis mysterium tueri. Erat disputatio in basilica Portiana ab Arianis petita, cui deesse noluit S. Doctor, defuerunt tamen ipsi postulatores, Gratiani scilicet duo cubicularii. Hoc in loco ex sensu humano, qui ex Scripturis in Christo fuisse apparet, contra Apollinarem arguit, ad ostendendum, Verbum veram atque perfectam assumpsisse naturam.

Caeterum adverte, non tantopere abundare in Scripturis argumenta ad directe demonstrandam scientiam in Christo formaliter humanam; dico directe, quia ad effectum cognitionis quem colligimus ex quavis pagina sacri eloquii, sufficeret per se cognitio Christi divina. Recte proin S. Thomas ex perfectione humanae naturae Christi argumenta sumit.

Posita autem hac perfecta natura humana, iam optimo iure iuxta humanam Christi scientiam intelliguntur, quae de Christi scientia passim praedicantur; nisi clare constet, de divina eius scientia sermonem haberi.

[1] Q. V, a. 4. ad 2.

[2] C. 7, n. 71. — *P. L.* t. XVI, col. 872.

In Corpore. S. Doctor duo agit: 1) Principium sternit, nempe integritatem humanae naturae Christi. 2) Ex hoc principio triplicem rationem educit ad necessitatem scientiae Christi adstruendam: *a*) ne anima Christi fiat peioris conditionis prae anima aliorum hominum, in quibus potentia intellectiva, saltem quoad aliqua, in actum deducitur; *b*) ne ipsa anima intellectiva in Christo frustra ponatur; *c*) ne Christus dicatur, ut homo, caruisse ipsa luce creata primorum principiorum. Observa, haec tria argumenta gradatim magis obiectum stringere: primum argumentum respicit animam quasi in toto; secundum, animam rationalem; tertium, ipsum lumen principiorum, quo anima rationalis illustratur. Quoad primum status Christi esset peior; quoad secundum anima rationalis esset inutilis; tertium prorsus deesset. Quo ex ultimo maxime apparet conclusio, integritatem scilicet humanae naturae in Christo exigere scientiam humanam.

Reliqua patent.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS HABUERIT SCIENTIAM, QUAM HABENT BEATI.

I. **De ipsa Quaestione.** - In articulo praecedenti vidimus, Christum habere scientiam humanam. De quanam scientia est hoc intelligendum? Respondetur paucis: de omni quae convenit dignitati eius divinae, vel exigitur a conditione eius humana.

Praemittenda. Antequam autem ad evolvendas partes huius theseos cum S. Thoma descendamus, iuvat S. **Bonaventurae** synthesim ante oculos ponere. Probato Christum habuisse intuitionem Verbi, scientiam infusam ad modum Angelorum vel Adae, et scientiam inferiorem secundum partem sensibilem, Seraphicus ita discurrit: « Et secundum hoc « Christus habuit triplicem cognitionem isti triplici statui « convenientem, videlicet cognitionem gloriae, cognitionem « naturae integrae, et cognitionem poenalis experientiae, ut « de quolibet statu aliquid in se haberet. - Rursus, quia per- « fecta fuit anima Christi quantum ad cognitionem non

« solum respectu cognoscibilium, sed etiam respectu modo-
« rum cognoscendi, ideo quum res tripliciter sint cognosci-
« biles, secundum quod tripliciter habent esse: - habent enim
« esse in Verbo, habent esse in intellectu creato, habent nihil-
« ominus esse in proprio genere; - ideo ad hoc quod intel-
« lectus animae Christi plenam de rebus cognitionem habe-
« ret, res cognovit ista triplici cognitione » [1].

Et pergit S. Doctor hanc triplicem cognitionem distinguens: *a*) ex parte *virium:* superioris rationis, inferioris, sensualitatis; - *b*) ex parte *statuum:* gloriae, innocentiae, naturae lapsae; - *c*) ex parte *modorum* cognoscendi: in Verbo, in se, in genere proprio.

Remittimus ad quaestionem sequentem, inquirere penitius in traditionem scholasticam et catholicam de omniscientia Christi cum fundamento visionis comprehensoris. Sufficiat hic in genere monere, doctrinam contrariam inde a pseudo-Reformatione rursus esse invectam. Audiatur de hoc argumento iam saepe laudatus Scheeben: « Cum hac limitatione (quatenus
« scientia humana Christi non semper amplectitur actu totum
« obiectum suum), haec doctrina (omniscientiae Christi) mansit
« axioma omnium theologorum. E contra instauratus est
« Agnoëtismus quasi ab omnibus innovatoribus saeculi XVI;
« qui ceteroquin pro munere ac operatione limitatis Christi
« *sui,* non praeclaram eidem cognitionem adscribere tene-
« bantur. Confer contra ipsos Bellarminum [2], qui fuse hunc
« errorem tanquam partem haereseon protestanticarum impu-
« gnat. Haec, aliaque plura, illi recentiores theologi, qui in
« Agnoëtismum aliquantum proni sunt, nescierunt, vel non
« satis attenderunt, dum eorum argumenta omnia et ab anti-
« quioribus theologis cognoscerentur et iam a multo tempore
« profligata iacerent » [3]. Optime quidem, praesertim contra

[1] III. Dist. XIV, art. 3, q. 1.

[2] *De Christo*, l. 4, c. 1-5.

[3] « In dieser Beschränkung ist die Lehre Axiom aller Theologen geblieben.
« Dagegen wurde der Agnoetismus erneuert fast von sämmtlichen Reformatoren des
« 16. Iahrhunderts, welche allerdings für die beschränkte Aufgabe und Wirksamkeit
« *ihres* Christus demselben kein bedeutendes Wissen zuzuschreiben brauchten. Vgl.
« dagegen Bellarmin, (de Christo l. 4. c. 1-5) der diesen Irrthum als ein Glied der
« reformatorischen Häresieen eingehend bekämpft. Dieses und vieles Andere haben
« diejenigen neueren Theologen, welche etwas dem Agnoetismus zuneigen, nicht

illos qui putant, se validius veritates catholicas in oculis protestantium defensuros, si quaeque ab istis obiecta, magni fecerint. Inter hos emicuerunt Güntheriani, ac imprimis Baltzer, cuius sequentia verba hic transcribenda duximus: « Claris « Scripturae verbis, quae aliter intelligi nullo modo possunt, « aperte contradicit Scholasticorum superabundantia, dum « docent, humanitatem Christi iam ab utero matris partici- « pem fuisse visionis Dei... Et si adversarii nostri hanc « scholasticam doctrinam resuscitare volunt (immo volunt « theologi catholici eam ut irrefragabilem retinere; neque « enim indiget resuscitatione), hoc ipso novum suppeditant « argumentum, ipsorum philosophiam esse semipantheisti- « cam » [1].

Quam pie, e contra, et profunde Bernardus in secundo sermone super *Missus est:* « Neque enim minus habuit sapien- « tiae, vel potius non minor fuit sapientia Iesus conceptus « quam natus, parvus quam magnus. Sive ergo latens in « utero, sive vagiens in praesepio, sive iam grandiusculus « interrogans doctores in templo, sive iam perfectae aetatis « docens in populo, aeque profecto plenus fuit Spiritu Sancto. « Nec fuit hora in quacumque aetate sua, qua de plenitudine « illa quam in sui conceptione accepit in utero, vel aliquid mi- « nueretur, vel aliquid eidem adiiceretur. Sed a principio per- « fectus, a principio, inquam, plenus fuit spiritu sapientiae, et « intellectus, etc. Nam quod de sapientia et gratia hic [2] dictum « est, non secundum quod erat, sed secundum quod appa- « rebat intelligendum est: non quia videlicet aliquid ei no- « vum accederet, quod ante non haberet; sed quod accedere « videretur, quando volebat ipse ut videretur. Tu homo, « cum proficis, non quando nec quantum vis proficis; sed te « nesciente tuus moderatur profectus, tua vita disponitur. « At vero puer Iesus, qui disponit vitam tuam, ipse dispo- « nebat et suam, et quando volebat, et quibus volebat, « sapiens apparebat, quando et quibus volebat, sapientior,

« gewusst oder nicht beachtet, während ihre Argumente sämmtlich von den älteren « Theologen wohl gekannt und längst widerlegt waren ». (Op. cit. 5. Buch. §. 248. n. 962).

[1] *Epp. theologicae ad Ant. Günther* p. 200.

[2] Luc. II, 52.

« quando et quibus volebat, sapientissimus, quanquam in se « nunquam esset nisi sapientissimus » [1].

Ab hac celsitudine doctrinae nimis sane declinavit Cl. Schell, qui de perfectione scientiae Christi minus bene scripsit, quam de eius plenitudine gratiae. Quum autem inter theologos huius indolis ipse certe emineat, nonnulla de eius doctrina in appendice huic quaestioni adnexa depromere, eaque benevolo simul ac sincero animo perpendere, operae pretium erit.

Antequam autem ad articulum primum accedamus, praemittenda visa est brevis quaedam notula de Agnoëtismo:

Nomine **Agnoëtarum** in historia dogmatum designantur haeretici qui in Christo ignorantiam et errorem posuerunt. Iam Ariani, praesertim Eutychius Constantinopolitanus, a quo Eunomo-Eutychiani [2], ex loco S. Marci XIII. 32. Filio ignorantiam tribuebant; contra quos lege inter alios S. Greg. Nazianzenum [3]. Eumdem errorem tenuerunt Theodorus Mopsuestenus et Nestorius cum suis [4]. Inter Monophysitas idem opinatus est diaconus Alexandrinus *Themistius* (mediante saeculo VI), qui animae Christi ignorantiam naturae humanae communem adscripsit, sicuti Severiani [5] corruptionem corpori Christi attribuebant. Inde illius sectatores etiam *Themistiani* vocati sunt. Consequens huius assertionis fuisset, duas esse in Christo naturas, quum divinae naturae nimis ignorantia repugnet. Ita eos Severiani interpretati sunt. Sed Themistiani pertinaciter iuxta unicam naturam Christi compositam commentum suum intelligendum esse sustinuerunt. Contra quos non solum egerunt, damnando eorum errorem, patriarchae Monophysitae Timotheus et Theodosius (537-539), sed et S. Gregorius M.; eosdemque scriptis confutavit imprimis *Eulogius* patriarcha Alexandrinus [6].

[1] *P. L.* t. CLXXXIII, col. 65, sq.

[2] SOCR. V, 14; Soz. VII, 17.

[3] Or. theol. IV, s. 50, n. 15, p. 550, seq. ed Maur.

[4] Cf. PETAVIUM (op. cit. l. XI, c. 2).

[5] Isti Severiani, uti iam monuimus, tenebant quidem Christum constare *ex* duabus naturis, sed non *in* duabus naturis. Erant quippe Monophysiti mitigati.

[6] Cf. Card. HERGENRÖTHER (*Kirchenlexicon.*, I, 342, sq.).

Ex dictis patet, theologiam scholasticam in hac quaestione nil innovasse, sed Patrum tramitem fideliter tenuisse; e contra protestantes theologos, et aliquos recentiores catholicos iure vocari neo-agnoëtas.

De modo autem quo nonnulli Patres progressum in Christi scientia agnoverint, ex professo dicemus in Q. XII.

1) Iam vero, ut ad argumentum huius articuli directe veniamus, triplex ratio excogitari posset cur comprehensoris cognitio non poneretur in Christo: *a*) excellentia unionis hypostaticae, *b*) exigentia operis salvifici, *c*) modus loquendi Scripturarum. Sint igitur pauca de singulis.

2) Prima ratio agit quoad visionem, seu scientiam beatam, eo modo quo supra vidimus, procedere quosdam quoad gratiam. Vitium idem est. Unio hypostatica non afficit facultates animae Christi formaliter. Unio quippe facta est in persona non in natura. Quare praeter unionem hypostaticam, locus remanet scientiae comprehensivae in Christo.

3) Altera ratio dupliciter se habet. In *Luthero* aliisque pseudo-reformatoribus defluebat ab imminuta reverentia erga Christum Dominum. Audiatur dictae Reformationis caput. Explicaturus verba: « De die illo vel hora nemo scit, neque « angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater » [1], ait: « Intempesti- « vam narrationem quidam hic afferunt dicentes: Filius nescit, « id est, noluit scire. Quid opus est istis commentis? Christus « verus homo fuit, quare ut alius purus sed sanctus homo, non « quolibet tempore cogitavit, dixit, voluit, intellexit omnia ». Et infra: « Sic enim non quolibet tempore omnia vidit, audivit « atque sensit, ita etiam corde non omnia semper agnovit, sed « quantum illud duxit ac voluit Dominus » [2]. Haud dissimili modo commentatur illud: « Proficiebat sapientia et gratia » [3]. Iam vero in his verbis facile est reperire sequentia vitia: *a*) Iesus fuit utique *verus* homo, sed non *purus* homo. *b*) Aliud est, aliquem aliquid ignorare; aliud, intellectum semper actu omnia, ad quae scientia sua se extendit, considerare.

[1] Marc. XIII, 32. De hoc loco infra sermo recurret.

[2] *Conc. de Nat. Dom.* Lege apud Card. Bellarminum testimonia similia Zwinglii, Buceri, et Calvini (loc. cit.).

[3] Luc. II, 52. Hom. Dom. I. post Epiph.

4) In *aliis* vero haec secunda ratio ex opere salvifico petita nihil quidem irreverentiae, saltem subiective, habet; sed procedit ex falsa exaggeratione eorum, quae ad idem opus requirebantur; quasi visio beatifica, seu status comprehensoris incompossibilis esset cum statu vero viatoris, cum merito, cum passione ex obedientia ardua. Iam vero videbimus loco suo, haec absque fundamento poni. Quare uti inconcussum tenendum est, Christum propter infinitatem dignitatis personalis habuisse iam in terris plenitudinem unionis divinae, et de statu viatoris ex benignitate id dumtaxat accepisse, quod ad opus salutiferum requirebatur.

5) De modo loquendi Scripturarum in decursu tractationis saepius agetur.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit lumen divinitatis ratione unionis personalis, cum lumine gratiae et gloriae ipsam animam afficiente.

2. Obi. Confundit pariter beatitudinem creatam cum beatitudine increata.

3. Obi. Procedit ac si non daretur nisi unus gradus supra naturam. Primus gradus est, quo aliquid excedit quidem vires naturae sibi relictae, attamen capacitatem eius implet; secundus gradus, quo aliquid excedit naturam totaliter. Primo gradu habetur visio beata, secundo scientia increata. Pertinet enim haec ad naturam divinam.

Sed contra est. Vis huius argumenti est in hoc, quod in citato loco Christus locutus sit secundum suam scientiam humanam. Iam vero hoc ex praecedentibus constat [1]. « Si « ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus « qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est ». Hic manifeste agitur de Christo-homine. Iam vero immediate adiungit: « Et non cognovistis eum; ego autem novi « eum. Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis « mendax. Sed scio eum, et sermonem eius servo ». Haec proinde quoque protulit ut homo. Prout homo nempe sermonem Patris servavit. Iam vero scientia increata est Christi ut Dei; ergo agitur hic de scientia creata, eaque plenissima,

[1] Cf. VIII, 54, sq.

quum sine restrictione et cum emphasi proclametur. Haec autem est comprehensoris. Ergo.

In Corpore. Argumentum huius *Corporis* omnino convincens est, si agatur de demonstrando, Christum debere excellentissimo gradu scientiam visionis habere. Sed quaestio moveri potest, utrum hoc argumentum sufficiat ad demonstrandum, Christum *iam in stadio mortalis vitae* hanc scientiam de facto habuisse. Quae difficultas augetur per textum allatum. Etenim quemadmodum Christus per suam resurrectionem gloriosam instrumentaliter resurrectionem nostram operatur, quin tamen ideo gloriosum corpus in stadio mortali habuerit; pari modo potuit quoque causare visionem beatificam in beatos, quin tamen eam in stadio mortali ideo habere debuerit.

Resp. Si agatur de possibilitate pura, concedendum videtur. Sed discrimen est ingens inter utrumque terminum huius comparationis. Corpus gloriosum repugnabat cum stadio vitae mortalis. Nullo vero modo cum hoc stadio repugnat visio comprehensoris. Quare excellentia Christi capitis postulat, ut iam in hac vita eam habuerit.

Argumentum *Corporis* procedit, ex dictis, *secundum gratiam capitis,* quam supra in Christo consideravimus, sive secundum respectum quem gratia eius habet ad alios.

Nec minus efficaciter scientia visionis in Christo demonstratur secundum duplicem alium respectum, scilicet ad ipsam Christi animam ratione *operationum,* et ad Deum ratione *unionis* hypostaticae. De utroque heic iam quaedam sint.

A) *Perfectio operationum Christi* requirebatur 1) *de iure* tum quia actiones sunt personarum, ad quod concurrit directe, saltem ex summa decentia, ut agens sit plene *conscius sui;* tum quia ex intuitione propriae divinitatis pro Christo-homine excellentia operationum maxime procedebat: inde nimirum officii et sublimissimae subiectionis ratio desumebatur.

Iam vero quaenam *conscientia sui* magis ad hoc conferre poterat, quam conscientia per ipsam visionem, in qua directe continebatur ipsa intuitio unionis hypostaticae? Poterat quidem, absolute loquendo, haec conscientia Christo per aliam viam aliqualiter communicari; sed nulla tam plana, tam perfecte ad scopum apta, quam conscientia per visionem;

nulla scilicet, quae Christum plene conscium reddebat, uti hominem, suae dignitatis uti Dei, quin homo in suam divinitatem *credere* deberet, utpote qui eam non videbat.

Recolantur hic quae superius diximus [1] de doctrina Güntherii personalitatis rationem formalem reponentes in *conscientia sui.* At licet reiicienda sit haec doctrina, debuit tamen Christus esse *conscius sui,* ut iuxta dignitatem et missionem suam potuerit operari. Porro haec ratio valuit *ab initio suae conceptionis,* quum in quovis statu vitae suae mortalis ita operari debuerit; ergo ab initio illam plenissimam conscientiam sui habuit.

2) Et sane *de facto* eum hoc modo sui conscium fuisse, triplici testimonio Scripturae probatur. *a*) *In mysterio Visitationis* Deiparae prophetica exsultatio Ioannis Baptistae ab influxu infantis Iesu vixdum concepti derivabatur, canente de hoc raptu Ecclesia:

« *Hinc parens* nati meritis *uterque*
Abdita pandit » [2].

Erat ergo iam sibi conscius Iesus, quando Praecursorem illuminabat, matrique canticum suum inspirabat.

b) *In ipsa Nativitate Domini* Angeli et homines, caeli et terra, ipsaque muta animalia natum infantem agnoverunt; num forte sui inconscium? Oppositum prorsus S. Paulus, utpote qui in ore Iesu mundum ingredientis ponit vatidica verba, totam eius dignitatem ac munus exprimentia: « Hostiam et « oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi » (en unio naturae humanae et naturae divinae in unitatem personae)... « Tunc dixi: ecce venio » (en persona Dei-hominis incedens): « in capite libri scriptum est de me » (en messianitas), « ut « faciam, Deus, voluntatem tuam » [3] (en opus salvificum per obedientiam complendum). Ergo iuxta S. Paulum Iesus adhuc infans in praesepi erat sui perfecte conscius.

c) Iam *Puerulus* aetatem duodecim annorum attigit. Audi quibus verbis profundissimi sensus mirandaeque maiestatis respondeat Matri dolenti de angustia, quam amissum filium

[1] P. 173, sq.
[2] Hymn. in festo Nativ. S. Ioann. Bapt.
[3] Hebr. x, 5, sqq.

per triduum requirens erat perpessa: « Quid est quod me « quaerebatis? Nesciebatis, quia in his quae Patris mei sunt, « oportet me esse? » [1]. En dignitas Filii et opus inde sequens tam certo tantaque intuitionis luciditate expressa, ut nec postea in Christi praedicationibus de affirmanda hac veritate fundamentali ad turbas explicite directis, vix clarior inveniri possint. Erat proin puer Iesus plenissime sui conscius.

B) Nec mirum hoc cuivis apparebit, attentius perpendenti alterum gratiae respectum *ad ipsam unionem hypostaticam.* Tam intime enim ratione huius unionis geminae naturae inter se coniungebantur, ut illuminatio naturae divinae in humanam naturam maxima effluere debuerit, summo effluxu possibili, intuitu status viatoris operisque salvifici. Inde fit, ut visionis absentia in anima Christi ad solem divinitatis tam propinqua, nequeat concipi, nisi aliquod obstaculum summum inter utramque naturam interponendo. Unicum autem obstaculum esse posset conditio passibilis et mortalis in ordine ad redemptionem generis humani assumpta. Iam vero haec conditio cum visionis scientia non est dissociabilis. Ergo.

Collige ex his, nonnisi passibilem conditionem gloriam corporis Christi in stadio mortali impedire potuisse. Sed absentia huius gloriae aliquo modo violenta fuit. Inde erupit in Transfigurationis monte. De quo fusius infra sermo recurret [2].

Resp. ad 3m. Applica huic doctrinae, quae supra de potentia obedientiali exposuimus. Anima habet potentiam obedientialem ad visionem beatam, non autem ad scientiam increatam. Si autem quaeras, quaenam potentia obedientialis sit vicinior potentiae passivae, utrum illa ad visionem, an illa ad unionem; respondendum est, priorem esse viciniorem passivae, et per consequens etiam potentiae activae, quum formaliter consistat in *actu,* vel actione; unio autem in *statu,* vel conditione.

Quaeres I. - Quid de v. 13. Ioannis III: « Et nemo ascendit « in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui

[1] Luc. II, 49.
[2] P. II, Q. XLV.

« est in caelo » ? Potestne ex hoc loco erui scientia visionis Christi viatoris? Id quidem existimat Cl. Billot [1], intelligens verba « qui est in caelo », hoc sensu: qui per visionem comprehensor caelos inhabitat. Non negamus, in colloquio cum Nicodemo Christum de scientia sua humana comprehensoris esse locutum, licet minus certo constet quam in loco supra ex S. Thoma exposito; attamen non videtur nobis stringens argumentatio qua utitur Cl. auctor. Supponendo, Christum loqui de his, quae de Deo videt et scit ut Deus: *caelestia* (v. 12) sunt ea quae ad Dei essentiam et arcana pertinent; et sensus (v. 13) potest esse: Ad haec arcana nemo ascendit, nisi qui descendit, hoc est, Filius hominis. Est quippe ille qui descendit, quia Deus, Filius Dei; sed, factus Filius hominis, quotiescumque loquitur secundum arcana quae videt, rursus ascendit. Ratio autem cur libere ascendat, sive cur possit loqui arcana caelestia, est quia, virtute unionis hypostaticae, etsi in terram descendit, tamen *est* in caelis, non desinit uti Verbum habitare superna. Hic sensus nobis probabilior videtur; alter ingeniosus quidem, sed minus solide fundatus. Nec ideo negamus, hoc loco agi de scientia visionis; imo vero, quum haec aliunde demonstretur, probabilissimum est, ad eam hic quoque alludi. Aliud autem est, de ipsa hic agi; aliud, ex hoc loco per se *eam demonstrari.* Idem valeat de aliis locis ab eodem eximio theologo allatis [2]; imo in his duobus minus constat, de creata Christi scientia sermonem esse. Quare huiusmodi argumentis parce utendum ducimus.

Quaeres II. Estne omnino certum, Christum in viatoris stadio, visionem beatificam seu scientiam visionis habuisse? Placet afferre verba quibus Suarezius, theologus sane prudens, huic quaestioni respondet: « Aliqui existimant simpli-
« citer esse de fide... Alii solum dicunt esse opinionem ita
« veram, ut contrarium opinari temerarium sit. Et haec cen-
« sura est mitissima omnium, quae dari potest; existimo
« enim contrariam sententiam etiam erroneam et proximam
« haeresi esse, quia Scripturae testimonia adiunctis exposi-

[1] Op. cit., p. 141.
[2] Ioann. III, 31, 32. — Ioann. I, 18.

« tionibus Patrum et consensu Doctorum omnium catholi-
« corum sufficiunt ad " hanc certitudinem praestandam " » [1].

Nec minus fortiter loquitur Petavius, theologus sane non nimis Scholasticorum placitis inserviens, imo ex patristica eruditione interdum in audaciora iudicia pronus. Licet in casu affirmet, paucos esse veterum « qui diserte aperteque « dicant Christum, qua hominem, cum in utero gestaretur, « sive ante resurrectionem supremae felicitatis, hoc est visio-« nis divinae compotem esse factum », nihilominus adiungit: « Facile tamen assentior gravissimis ac doctissimis theologis: « qui, licet nondum hoc ad fidei dogma pertinere putent, « quod locus in Scriptura sit nullus, qui id perspicue declaret, « nec ullius auctoritate Synodi generalis, aut alia quapiam « regula decretum et constitutum fuerit: errori tamen, et « haereticae impietati proximum censent, negare Christi ani-« mam etiam mortali circumfusam corpore, Deum detecta « vidisse facie, summumque felicitatis aeternae gradum atti-« gisse ». Et rectissime addit: « Quod quidem, rationibus « caeteris omissis, quas non improbabiles paulo ante reddi-« dimus, una mihi res, credo et aliis, persuadere solet admi-« rabilis omnium in eo Christianorum, doctorum pariter, « imperitorumque consensio. Nam nemo hactenus bona fide « Christianus, id est, Catholicus scriptor, exstitit, qui de « Christo aliter existimaret, quam eum, nunquam, ex quo « vivere coepit, divino aspectu caruisse: nec hodie quisquam « est, rudis licet litterarum et idiota, qui si utcumque quid « Christus sit, noverit, non idem de eo rogatus respon-« deat » [2]. Ita Petavius, cuius iudicium magis placet iudicio Suarezii, quia strictius vim huius doctrinae ab unanimi traditionis catholicae consensu repetit.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS HABUERIT SCIENTIAM INDITAM VEL INFUSAM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ad rationem huius quaestionis melius percipiendam, oportet recolere modum, quo visio beata

[1] Disp. XXV, sect. 1 (ad finem).
[2] Op. cit. t. XI, c. 4, n. 7, s.

producitur in anima. Quum sit intuitiva vel immediata, et ceteroquin nulla species creata essentiam divinam repraesentare queat; quum insuper animam Deus per praesentiam suam pervadat: visio beata *immediate,* nulla interposita specie, essentiam Dei contemplatur. Intellectus autem supra vires suas elevatur, ope superadditi luminis, quo capax redditur sustinendi splendorem essentiae divinae [1].

2) Ex quibus sequitur, visionem beatificam non conferre potentiae intellectuali illam *actuationem per species,* quae naturalem ipsius perfectionem constituit. Quare, recepta iam visionis scientia, oportet insuper ut intellectus per species intellectuales perfectionem suam formalem acquirat.

3) Iam vero quum ratio hanc perfectionem in Christo requirens tantae excellentiae sit, quae non patiatur neque moram, neque fines: consequens est, Christum ab ipso conceptionis instante, per species innatas, ad modum specierum angelicarum, habuisse intellectum plenissima scientia instructum.

Quam plenitudinem requirit insuper ratio capitis angelorum, quae exigit in Christo cognitionem angelica cognitione excellentiorem.

4) Quum autem, uti infra patebit, in Verbo Christus videat omnia, eademque per species sibi impressas iterum cognoscat, quaeritur: *a*) num haec duplex cognitio eiusdem obiecti per formam unam alia excellentiorem, non implicet; *b*) quomodo hae duae cognitiones se habeant ad invicem. - Verbulum de utroque quaesito.

5) Et primo quidem haec duplex cognitio nihil contradictionis involvit, quia non alio habitu cognoscuntur res in Verbo, quo ipsum Verbum, et cognitio Verbi non est per aliquam speciem impressam. Quare intellectus dumtaxat speciem rerum recipit. Sed nec repugnaret duplex species, alia via, sive alia ratione accepta, uti apparet ex scientia experimentali, quae, uti infra patebit, de eodem argumento cum infusa stare potest.

6) Cognitio autem rerum in Verbo est ea, quam pro angelis Augustinus vocat *matutinam;* cognitio vero rerum in se

[1] Cf. dicta de hoc argumento in tractatu *de Deo Uno*, t. I, p. 471, sqq.

est illa *vespertina*. Haec enim obscurior, licet in genere suo perfectissima.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit imperfectum et perfectum in eadem ratione, cum perfecto et imperfecto rationis diversae. In eadem ratione, praesertim si agitur de fine per imperfectum uti dispositivum attingendo, imperfectum excludit perfectum: v. gr., visio fidem; at in diversa ratione, non. Imo potest aliquid esse in se perfectum, quod tamen imperfectum vocatur, at in comparatione ad rationem formalem altiorem: ita scientia infusa, perfecta in genere suo, comparata ad visionem.

2. Obi. Per easdem animadversiones haec altera obiectio illustratur ac depellitur.

3. Obi. Imo et haec tertia, quae ceteroquin, abstractione facta a ratione *immediata* visionis beatae, confutatur exinde quod de eodem potest esse duplex forma per species diversi generis; sicuti patet ex scientia infusa et experimentali in Christo; imo in quovis homine cognitione intellectuali et sensibili eiusdem obiecti; quin et per species eiusdem ordinis, uti, per visum et auditum.

Sed contra est. Corroboratur doctrina praesentis articuli ex comparatione inter Christum et Adamum. Adam quippe accepit scientiam infusam, uti ex cap. II. Geneseos apparet, et a theologis passim admittitur [1]. Iam vero Christus novus Adam, secundum omnia priori praestare debet; ergo Christus debuit habere scientiam infusam scientia Adami excellentiorem.

In Corpore. S. Thomas ita procedit. 1) Ex ratione superius in art. 2. exposita ostendit, Christum ad modum angelorum debuisse a Verbo recipere in anima intellectuali impressas species omnium cognoscibilium. 2) Confert ad invicem hanc utramque scientiam Christi de rebus in Verbo et in seipsis.

Adverte duo in *Corpore:* 1) rationem propinquitatis summae, vel unionis, quam S. Doctor tangit his verbis: « per Ver-

[1] De hac scientia Adamo infusa recentiores quidam scriptores catholici depressius sentiunt; imo eam veluti recusare videntur. At rursus quocum profectu sanae doctrinae, prorsus non video.

« bum Dei animae Christi *sibi personaliter unitae* ». Etenim si iam ratio maioris illuminationis superiorum angelorum est ipsa propinquitas maior ad Verbum; quanto magis in Christo hypostatica unio exigit summum gradum lucis a Verbo in animam Christi effluentis.

2) Ultima verba per species intelligibiles *humanae menti proportionatas,* alludunt ad quaestionem inferius movendam, in Quaest. XI. a. 4, de comparatione ratione perfectionis inter scientiam infusam Christi et scientiam angelorum. (Vide hoc loco dicenda.)

Resp. ad 2^m. Optime notat Card. Caietanus, in exemplo adducto ex via ad scientiam, S. Thomam primo vocare *opinionem,* id quod mox, acquisita scientia, *cognitionem* nuncupat; quatenus, dum probabilis suasio erat solum via ad scientiam, nonnisi opinio erat; firmata autem mente in possessione veritatis, iam cessat opinio cum errandi timore, et cognitionem nutrit illud ipsum suasivum, quod prius nonnisi opinionem producebat [1].

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS HABUERIT ALIQUAM SCIENTIAM ACQUISITAM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Argumentum huius articuli difficultate non carere, ex hoc solo constat, quod de eodem S. Thomas aliter sensérit in comment. Lombardi ac in Summa Theologica.

Audiatur Angelicus ibi: « Intellectus habet se ad phan-
« tasmata dupliciter: Uno modo sicut accipiens a phantasma-
« tibus scientiam, quod est in illis qui nondum scientiam
« habent, secundum motum qui est a rebus ad animam. Alio
« modo secundum motum qui est ab anima ad res, inquan-
« tum phantasmatibus utitur quasi exemplis in quibus inspi-
« cit quod considerat, cuius tamen scientiam prius habebat
« in habitu. Similiter etiam est duplex collatio: una qua homo
« procedit ex notis ad inquisitionem ignoti: et talis collatio

[1] Cf. solutiones S. Th. in III. Sent. Dist. XIV, q. 1, a. 1.

« non fuit in Christo; alia secundum quam homo ea quae « habitu tenet in actum ducens, ex principiis considerat con- « clusiones, sicut ex causis effectus; et talis collativa scientia « fuit in Christo » [1].

Negata ob hanc rationem scientia acquisita seu experimentali, sequebatur, in Christo non dari nisi triplicem scientiam. En verba S. Thomae paulo superius: « Habemus tres « scientias Christi. Una est divina, quae est increata. Alia « quae cognoscit res in Verbo, et Verbum ipsum, quae est « scientia comprehensoris. Tertia quae cognoscit res in pro- « pria natura, quae competit ei secundum quod est homo in « solis naturalibus consideratus » [2].

Textus hosce S. Thomae consideranti apparet, ideo dumtaxat S. Doctorem negasse in Christo scientiam acquisitam, quia putabat, illam continere in se imperfectionem dissociabilem cum plenissima scientia infusa. Iam vero haec ratio non est cogens.

Etenim, si ex una parte probatur, acquisitam scientiam requiri, ne pars aliqua intellectualis facultatis sit frustra; et si ex altera demonstratur, cognitionem singularem successivam esse de essentia huius scientiae: quomodo posset ex his duobus oriri imperfectio? nisi imperfectio illa, quae sequitur naturam speciei inferioris, respectu ad naturam speciei excellentioris. Haec autem in Christo imperfectio esse nequit. Imo ex hoc ipso quod est homo perfectus, perfectio Christo est non carere operationibus quae specificae sunt hominis. Talis autem est cognitio per abstractionem a phantasmatibus. Ergo.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit scientiam experimentalem in genere, cum aliquo medio determinato ad illam obtinendam.

2. Obi. Non considerat duplicem motum qui proprius est scientiae infusae (ad superiora), et experimentalis (ad inferiora) - Hic enim habetur ordo in scientia Christi incipiendo a Deo: scientia increata, scientia beata, species infusae, intellectus possibilis, intellectus agens, phantasmata [3].

[1] III. Sent. Dist. XIV, q. 1, a. 3, sol. 3.

[2] Loc. cit. art. 1, sol. 5.

[3] Non huius loci est exponere, quomodo haec tria ultima se habeant ad invicem.

3. Obi. Procedit ac si eiusdem rationis esset habitus scientiae infusae ac habitus scientiae acquisitae; quod negandum est.

Sed contra est. Adverte sedulo praesentem doctrinam non parum ad hoc conferre, ut maior veritas et sinceritas accedat conversationi Christi inter homines. Ita, v. gr., quando Iesus dixit: « quis me tetigit? » secundum scientiam experimentalem loquitur; secundum quam sensit utique se tactum fuisse, quin viderit quisnam fuerit. Imo, quum scientia experimentalis de natura sua accipiat progressum, (secus experimentalis iam non esset), secundum eam optime explicatur locus difficilior Scripturae, in quo declaratur Iesum in sapientia *profecisse.* De quo loco ex professo sermo recurret in art. 2, Q. XII.

In Corpore. S. Thomas duo facit: 1) ostendit necessariam fuisse in Christo scientiam acquisitam; 2) confert eamdem cum scientia infusa.

1) Paucis ita in forma. Verbum assumpsit humanam naturam perfectam. Atqui ad perfectam humanam naturam pertinet intellectus agens. Ergo Verbum assumpsit intellectum agentem. Atqui repugnat hanc partem facultatis intellectivae frustra esse assumptam; frustra autem assumpta esset, nisi operationem propriam sibi exercuisset; operatio autem propria intellectus agentis est abstrahere a phantasmatibus, ut reddat species intelligibiles actu; species autem intelligibiles actu producunt scientiam acquisitam. Ergo Verbum debuit habere scientiam acquisitam.

2) Discrimen fundamentale inter utramque scientiam infusam et acquisitam in Christo in hoc residet, quod prior humana solummodo fuerit ex parte subiecti recipientis; altera insuper ex parte causae agentis, nimirum intellectus agentis. — Inde duplex aliud discrimen: *a*) scientia infusa habet motum ad superiora, acquisita vero ad inferiora; - *b*) scientia infusa est proportionata naturae angelicae, acquisita naturae humanae.

At, uti iam diximus, super utramque scientiam in Christo est alia duplex: scientia beata, quae soli Deo connaturalis est, potest tamen participari; et ipsa scientia increata, quae nec participari potest.

Resp. ad Obi.: ex dictis patent.

Appendix de Doctrina Cl. Schell.

I. Inquisiturus de perfectione scientiae Christi uti Doctoris humani generis *(Die Weisheit Iesu, des Menschensohnes und sein Lehramt)* [1], Cl. Schell praemittit quaedam principia iuxta quae de hac perfectione Iesu theologus prudens iudicare debeat. *(Allgemeine Grundsätze der theologischen Erkenntnis von der menschlichen Vollkommenheit Iesu)* [2]. Methodo nostra insistentes, quae catholicus iste scriptor de praesenti argumento exponit, sive probanda, sive minus recipienda, sincero ac benevolo animo proferemus, breviterque discutiemus.

Ab exordio monet, ipsos Evangelistas criterium nobis summum tradidisse, utpote qui melius ac profundius quovis subsequente scriptore sacro divinitatem Christi eiusque conditionem in gemina natura cognoverint. Sed in modo hoc criterium vindicandi, iam a vehementiori sermone - pro indole ingenii - vix continet. « Das Lebensbild, welches die speku-
« lative Verehrung für den Gottmenschen angemessen hielte,
« wäre gewiss nicht der thatsächliche Lebensgang Iesu. Was
« die Unerbittlichkeit der Thatsachen hinsichtlich des äus-
« seren und leiblichen Lebens Iesu nicht zulässt, wird darum
« hinsichtlich dessen versucht, wo die urkundlichen Berichte
« weniger Schranken setzen: im Gebiete des inneren und
« geistigen Lebens der Seele Iesu. Es giebt nämlich eine
« Wissenschaft, welche in den Thatsachen und Urkunden
« mehr lästige Schranken der Spekulation, als willkommene
« Hilfsmittel und Wegweiser sieht. Allein Gott selbst warnt
« vor solcher Theologie:, Siehe, das Wort Jehova' s haben
« sie verachtet; welche Weisheit besitzen sie denn? » [3].

Porro quum Cl. Schell in hac tota sua impugnatione doctrinam Scholae intendat, de S. Thoma deque aliis, - praetermittentibus scilicet verbum inspiratum, ut speculationes suas insequantur, imo Scripturas ad speculationum suarum placita detorquentibus, - olim prophetice dictum putat: « Ver-
« bum Domini proiecerunt, et sapientia nulla est in eis ».

[1] Op. cit., p. 104.
[2] Ibid., n. 105.
[3] Ibid., n. 106. IER., VIII, 9.

Hinc Cl. Schell insistit in veritatem, quae intra limites prudentis iudicii, omnino probanda est: mensuram scilicet donorum gratiae et illustrationis in Christo a libera voluntate Dei esse petendam. Insuper urget oeconomiam duplicis naturae in Christo, vi cuius Deus-Homo non est ad modum compositi, sed singulae naturae suas partes agunt, iuxta propria uniuscuiusque indolem ac leges. Secus in accidentalem vitam humanam Christi induceretur subtilis quidam Monophysitismus. « Den beiden Naturen in Christus entsprechen « die beiden Lebenskreise des göttlichen Lebens in den Kate« gorieen der Aseität, Ewigkeit, Unendlichkeit, Dreieinigkeit, « sowie des menschlichen Lebens in seinen Kategorieen der « Endlichkeit und Bedingtheit. Dieselbe göttliche Person lebt « in beiden Naturen und Lebenskreisen gemäss den Formen, « welche beiden entsprechen, ohne dass aus diesen zwei « Lebenskreisen ein dritter gottmenschlicher Lebenskreis « entstünde. Nur der freie Ratschluss Gottes bestimmt dem « Zweck der Menchwerdung gemäss die Art und das Mass « der Bereicherung, Verklärung und Vergöttlichung des « Menschlichen in Christus durch die Einflüsse aus der Gott« heit desselben Christus » [1]. Recte quidem, modo ex opposito Christus non veluti nestoriane dividatur, nec, specie oeconomiae Redemptionis, dona in Christo viatore a priori restringantur.

Porro, ait, plenitudo donorum quibus Deus assumptam a se naturam cumulat, non est necessarium consequens ipsius unionis hypostaticae, sed, quum haec possit sine illa stare, pendet a libero decreto divino et a fine per Incarnationem intento. « Es ist daher die Gabenfülle, mit der Gott die von « ihm angenommene Menschheit bereicherte und auszeich« nete, nicht eine naturnothwendige Folge der Personeinheit, « sondern durch den freien Ratschluss und die Zweckord« nung Gottes bestimmt » [2]. Sane negari nequit, unionem hypostaticam sine visione beata stare posse; sed non sufficit haec possibilitas, ut factum teneatur. Imo ad hoc factum requiritur ratio urgens, quam adversarii potius supponunt, quam demonstrant.

[1] Op. cit., n. 107.
[2] Ibid.

Iam vero, si Cl. auctori credas, haec perfectio Christo competens magis residet in *modo,* quam in *re.* Vitium fuit Scholasticorum hoc non percepisse, et in Christo perfectionem neglexisse quae ex propria activitate profluit, ut unice illam ponerent quae ab initio possidetur. « Allein, wenn auch « feststeht, dass die angenommene Menschennatur die aller- « höchste Vollkommenheit im gesamten Schöpfungsbereich « besitzen sollte, so ist erst zu entscheiden, was unter Voll- « kommenheit zu verstehen sei. Es wird von der Scholastik « vorausgesetzt, Vollkommenheit liege unterschiedslos in « dem *Was* der Vorzüge, nicht ebenso in dem *Wie* derselben; « sie erschöpfe sich darin, dass man von Anfang-an alle Vor- « züge besitze und keinen zu erwerben brauche; dass sie « nicht durch selbstthätigen Fortschritt gesteigert, sondern « von vornherein unvermehrbar seien; kurz dass die Voll- « kommenheiten auch des freien Geistes ebenso wie sein « substantielles Wesen sein Naturbesitz seien, ihm nur von « Gott, nicht aber auch durch sich selbst gegeben seien » [1].

Et postquam sat vehementer hunc conceptum sibi carissimum, imo totius theologiae suae cardinalem evolvit, - applicando theoriam suam de excellentia, quam in omni ordine, usque in ipso sanctuario divinitatis, secum fert auto-causalitas, - candide fatetur, se ideo in sensu litterali sumere quaecumque Evangelia de Christi progressu affirmant, ne meritum et nobilitatem huius profectus per propriam virtutem obtenti, Christo deneget. « Wenn wir also das Wort des Evangeliums « von dem Fortschritt Iesu wörtlich nehmen, so thun wir « dies nicht in dem Bestreben, möglichst gering, ärmlich und « sparsam von der intellektuellen und ethischen Vollkom- « menheit der menschlichen Natur Iesu zu denken, sondern « weil wir in der selbstthätigen Entwicklung vom Können « zum Thun ein ebenso wichtiges Moment der Vollkom- « menheit sehen, wie in dem Inhalt der Vorzüge selbst. We- « niges durch sich zu sein, so weit dies dem erschaffenen « Wesen möglich ist, ist edler, als vieles von Natur zu sein, « es sei denn, dass dieses Viele den Ausgangspunkt der « Entwicklung bilde. Die grössere Menge der angeborenen

[1] Op. cit., n. 107, sq.

« Vorzüge mag grössere Seligkeit sichern, an sittlichem Adel « steht sie hinter jedem selbsterrungenen Vorzug zurück. « Gott ist vollkommen, weil er die Unendlichkeit, und weil « er die Selbstwirklichkeit ist » [1].

Quid de ultimis verbis censeamus, alibi ex professo diximus [2]. Applicatio huius theoriae ad Christum nobis videtur, servatis servandis, eodem vitio laborare. Imo in urgenda perfectione, quam ens creatum per propriam activitatem sibi addit, veluti distinctam ab operatione divina, a qua eam accipit, videtur nobis aliquid haberi de fundamentali errore liberalismi. Unde Ecclesia ex adverso colit Deum « a quo est « totum, quod est optimum », et praedicat Deum « mirabilem « in sanctis suis ».

Quare ex opposito credimus, summam perfectionem esse Christo, quod ipsa unio hypostatica, ob suam infinitam celsitudinem, ab initio conceptionis Iesu tantum gratiae et luminis, veluti ex quadam necessitate exegerit. Nec minus inde colendus est Christus; imo magis, licet hanc perfectionem initialem sibi per activitatem humanam non adiecerit; secus, cur non adiicitur aliquid huiusmodi de ipsa unione hypostatica, ad modum positionis Nestorii?

II. Iam quaedam addamus de modo quo Cl. Schell vel minuit varias scientias praeternaturales et supernaturales in Christo, vel saltem rationes, quibus Christo passim fulciuntur, uti impares abiicit.

A) Et primo quidem de visione beata, licet ipse alio ordine de eadem tractet. Monet quidem ab initio Cl. auctor, se non tantum ipsam scientiam visionis negare, quam modum quo a Scholasticis in Christo vindicatur. « Die gottförmige selige « Anschauung Gottes und des Weltalls in Gott wird der « menschlichen Seele Christi für die gesamte Dauer seiner « irdischen Lebensbahn zugeschrieben, in einer Weise, wel- « che durch die hohen Aussagen der hl. Schrift nicht begrün- « det ist, und andererseits die Wahrheit und den Ernst des « irdischen Opferlebens Iesu aufzulösen droht. Es ist nicht « die Gottanschauung selbst, welche wir für die Zeit der

[1] Op. cit., p. 109.
[2] *De Deo Uno*, t. I, p. 229, sqq.

« irdischen Selbstentäusserung Christi in Frage stellen, son-
« dern zunächst nur die Art und Weise, sowie die Begründung,
« um derentwillen sie ihm für die ganze Dauer der Ernie-
« drigung zugeschrieben wird » [1].

1) Recusat rationem inde petitam, quod secus in Christo ponenda esset aliqua initialis imperfectio pugnans cum eius divina excellentia. In depellenda hac ratione vehementius agit contra Scholam, ac si ista nullam activitatis propriae intelligentiam habuerit. En verba sane parum modesta quibus facundus scriptor utitur: « Die scholastische Denkweise
« hat keinen Sinn für das Werden, sondern nur für den Be-
« sitz, nicht für den Erwerb, nur für die inhaltliche Fülle,
« die ruhende Beschaffenheit, nicht für die That, nicht für
« die Art ihrer Verwirklichung. Daher krystallisiert sie alle
« Vorzüge, welche sie für angemessen erachtet so gut es
« nur geht, bereits für den ersten Augenblick, und bezieht
« die durch die Thatsachen bekundete Entwicklung nur auf
« die äusserliche Übereinstimmung, Offenbarung und Dar-
« stellung. Darin ist sie mit dem spekulativen Zuge des
« griechischen Geistes verwandt, wie er in Plato ausgeprägt
« ist und bei den Kirchenvätern der spätalexandrinischen
« Schule hervortritt und schliesslich in dem populären Mo-
« nophysitismus seine Einseitigkeit auswirkt. Diesem Kultus
« der habituellen Form gegenüber, welche ein in sich ferti-
« ges, unabänderliches Sein, den unvermehrbaren und unver-
« minderbaren Begriff darstellt und nur durch den Wechsel
« accidenteller Nebenformen oder durch Aufhören zugunsten
« einer anderen Form eine Veränderung erlaubt, wurde von
« der realistischempirischen Richtung der Neuzeit der Wert
« des Werdens und Wirkens, der That und Entwicklung bis
« zur äussersten Einseitigkeit betont. Hier gilt das Streben
« und die Bewegung allein als wertvoll; der ruhende Besitz
« in der erreichten Zielvollendung wird der Erstarrung gleich-
« gesetzt » [2].

Quaero, suntne verba haec, quoad partem quae spectat ad traditionem Scholae, suntne theologi solide arguentis, an non potius gratuito exaggerantis, ne dicam, declamantis?

[1] Op. cit., p. 113.
[2] Ibid.

quasi sanae traditionis Scholae non fuerit haec duo componere: formas et formarum veram activitatem, τὸ esse et τὸ fieri, sub Deo creante, movente ac regente.

2) Alteram rationem inde petitam quod in Christo propter dignitatem hypostaticam admittendum sit aliquod ius initiale ad plenitudinem gratiae et luminis Cl. Schell ita formulat. « Als zweiter Grund wird angegeben, dass Christi « menschliche Seele als die Seele des Sohnes Gottes einen « *Rechtsanspruch* auf die innigste Theilnahme an Gottes « Erkenntnis, Leben und Seligkeit hatte, dem nur die sofor- « tige Gottanschauung entsprach. Kraft ihrer persönlichen « Einheit mit dem Sohne Gottes habe die menschliche Seele « Christi die höchste Würdigkeit und den unbedingtesten « Anspruch auf das glorreiche und selige Leben in der « Anschauung und dem Genusse Gottes (Scheeben 5, 916); « was für die übrigen Geschöpfe *Gnade* sei, wird als ihr « *Recht* erklärt » [1].

Rationem autem hanc uti Deo prorsus indignam reiicit, quia Deus est super omnem rationem obligationis et necessitatis. « Dieser Gedanke ist so unvereinbar mit dem christ- « lichen Gottesbegriff, dass er zurückgewiesen werden muss. « Sobald von einem Rechtsanspruch auf Göttliches gespro- « chen wird, ist eine Pflicht oder Notwendigkeit hinsichtlich « eines Endlichen auf seiten Gottes gegeben. Allein Gott ist « über die Kategorieen der Pflicht und (sittlichen) Notwen- « digkeit schlechthin erhaben - es sei denn in der Sphäre « des Unendlichen, aber nur als solches ». Bene quidem; at haec cum moderamine esse intelligenda, demonstrat ipse titulus charitatis, quae ex iustitia quadam mercedem expostulat, quin ullum inde detrimentum divinae independentiae obveniat. Ipse enim qui titulum contulit, virtutem eius servat; quam ut servet, sibimetipsi aliquo modo debet, ne sibi contradicat.

In casu agnoscit quidem Schell, argumentum speciem habere ex ipsa dignitate personae humanae Christi. « Die « obige Redeweise hat einigen Schein, so lange die unend- « liche Persönlichkeit des Gottmenschen als Sachwalterin für

[1] Ibid., n. 115.

« ihre angenommene Menschheit und als Trägerin der « Rechts-ansprüche gegenüber der Gottheit als Trägerin der « Pflicht vorgestellt wird ». Sed recusat argumentum ob communitatem consilii inter Patrem et Filium. Et pergit impugnans hoc tentamen inducendi ipsam humanitatem Christi tanquam medium ad ius aliquod strictum erga Deum extra Deum ponendum; unde concludit: « Wäre dies für die ange- « nommene Menschheit Christi möglich, so würde es auch « mittelst einiger *Axiome* für die Menschheit überhaupt « erreichbar sein, bzw. für die ganze Schöpfung, d. h. das « Christentum wäre unvermerkt in Heidentum umgewan- « delt ». — Immensum arguendi saltum heic corripere, vix operae pretium est. Quis expectasset, ex titulo divino quem Scholastici in Christo ad visionem beatam agnoscunt, viam sterni ad Pantheismum, et proin ipsum Christianismum destrui? Abstineatur ab huiusmodi excessibus, qui nonnisi ad lites acriores reddendas valent! Quando Scholastici hunc in Christo titulum extollunt, divinam in eo dignitatem prae oculis habent, quae sane visionem hanc in Homine-Deo expostulat, nisi fini Incarnationis obsit. Quare titulus stat pro Christo; unde negantibus hanc visionem incumbit onus suam negationem demonstrandi. Haec est Scholasticorum prope unanimis sententia. Contra quam vituperiis invehere, levis sane methodus est, ac subtilioris ingenii, quale Cl. Auctori recusare, iniuria foret, parum digna. — Longe aliter, uti vidimus, Petavius ille, libertate iudicii [1] ac patristicae eruditionis laude praecipuus.

B) Porro scientiam *infusam* perfectam Christo denegandam pariter putat Cl. Schell, maxime quia, admissa hac scientia, Christi vita, qualis in Evangeliis apparet, esset magis fictitia quam sincera. « Es ist schwer, bei dieser Auffassung die « biblische Darstellung und das Leben Christi ernst zu « nehmen; denn die innere Wahrheit würde beiden gleich- « mässig abgehen. Die Berichterstattung der Evangelisten « wie das Verhalten Christi wäre eigentlich nur auf die « Schaustellung eines menschenähnlichen Lebens und Lei- « dens angelegt, und würde von dem Zweck bestimmt, den

[1] Excipe casus praesertim tres, in quibus extrinsecam vim moralem in scriptis suis passus est.

« Eindruck zu machen, als ob Christus wahrer Mensch « gewesen wäre und als solcher gelebt, gewirkt und gelitten « hätte » [1]. Gravis sane animadversio, sed prorsus ultra limites protracta. Pauca verba sufficiant ad eius excessum ostendendum.

1) Christus, ut Homo-Deus, ob singularitatem τοῦ Ego, non potuit carere scientia Verbi. Unde quando Christus loquebatur, interrogabat, inter homines uti hominem se gerebat, non inde amittebat scientiam illam divinam, quae est ipsa substantia Verbi. Unde si urgeantur verba Cl. Schell Christus non potuit agere non fictitie, nisi in quantum destituebatur scientia Verbi, quod falsissimum est.

2) Inde iam sequitur, nullam dari repugnantiam inter scientiam infusam Christi et modum quo inter homines se gessit; si iste modus erat respondens oeconomiae et fini Redemptionis, quae erant ut Deus-homo, Sapientia Patris, fortiter et suaviter a fine ad finem, hoc est, a nativitate usque ad crucem attingeret.

3) Et sane, si urgeatur animadversio Cl. Schell, dicendum erit, Christum, quotiescumque inter homines colloquens aliquid rogabat, revera nondum id scivisse quod rogabat. Iam vero quis hoc ferat? Imo narratio Scripturae oppositum docet. Ita, ut unico saltem utar exemplo, in multiplicatione panum, Christus dixit ad Philippum: « Unde ememus panes, ut man- « ducent hi? » Et Evangelista addit: « Hoc autem dicebat ten- « tans eum: ipse enim sciebat, quid esset facturus » [2]. Ergone Christus scenicam personam egit, quia consilium suum sub familiari quaestione celavit? Idem prorsus dicatur de tot quaestionibus a Christo factis, quas si quis uti tot ignorantiae argumenta interpretaretur, nestoriano prope modo de Christo sentiret, Christum truncans et dividens.

4) Et re quidem vera, lege sine praeoccupata mente Evangelium, et Christus tibi apparebit etiam uti homo, omniscius. Ut ad prima Ioannis capita rem contraham, quid primus congressus cum Nathanaël revelat, nisi tanta scientia hominem praeditum, ut ille exclamarit mirabundus: « Rabbi, tu es Filius

[1] Op. cit., p. 111.
[2] Ioann. vi, 5, 6.

« Dei, tu es Rex Israël » [1]. — Nec erga Nathanaël dumtaxat ita Christus exhibetur, sed omnium apparet scrutator intimus: « Ipse Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse « nosset omnes; et quia opus ei non erat ut quis testimonium « perhiberet de homine: ipse enim sciebat, quid esset in « homine » [2]. Ergo quotiescumque quaestiones movebat, quasi vir discendi cupidus, ex oeconomia ita agebat, non ex ignorantia. Quando, v. gr., Lazarum excitaturus, Iesus rogat: « Ubi [3] posuistis eum? », quis dicat, id ex ignorantia petitum ab eo, qui aegrotantem et emortuum de longinquo viderat?

5) Quae consideratio sane augetur, si consideremus modum quo Christus iam redivivus cum discipulis se gerit. Familiari colloquio rogat quasi nesciens, licet omniscius: omniscium enim Christum gloriosum saltem concedent: « Habetis hic « aliquod, quod manducetur? » [4] « Simon Ioannis, diligis me « plus his? » [5] Iam vero haec omnia in Christo ponere fictionem, quae serietati narrationis sacrae noceat, nemo nisi rationalistice praeoccupatus dixerit.

6) Adde, ex scientia experimentali, quam in Christo tenemus, rationem accedere, ex qua his interrogationibus substratum aliquod veritatis subiicitur. Ita quando Iesus rogat: « Quis « me tetigit? » humano oculo nondum viderat mulierem retro ad se aggressam.

Ob hasce rationes putamus fundamento carere illud quod ex narrationis evangelicae indole contra humanam Christi scientiam infusam adducit Cl. Schell.

Nec maioris virtutis existimo animadversionem cuius ope reiicit argumentum a Scholasticis deductum ex dignitate Christi super angelos. « Hinsichtlich des ersten Grundes « erhebt sich das Bedenken, ob die menschliche Natur gewahrt « sei, wenn ein reingeistiges, in sich vollendetes Leben ange- « nommen, und die Leiblichkeit als äussere Zuthat nur zu « dem Zweck hinzugefügt wird, um den Schein einer Men- « schennatur zu erwecken. Ein Geist, der nebenbei auch einen

[1] Ioann. I, 49.
[2] Ibid. II, 24, sq.
[3] Ioann. XI, 34.
[4] Luc. XXIV, 41.
[5] Ioann. XXI, 15.

« Leib hat, auch wenn er ihn als Wesensform beseelt, ist « deshalb noch kein Mensch, höchstens ein Engel und Mensch « zugleich » [1].

Hic arguendi modus valeret utique, si Scholastici ponerent in Christo scientiam infusam per species angelicas; sed tantopere abest quominus ita arguant, ut expresse urgeant discrimen inter hanc Christi scientiam et scientiam angelicam. Unde nonnisi gratuito, ac veluti per ignorantiam elenchi hoc vitium Scholae tribuitur. Fuit scilicet scientia de angelica scientia habens, quod infusae sint ab exordio species non a rebus acceptae; at quoad specierum ambitum et indolem fuit omnino indoli humanae rationis adaptata.

C) Quid iam cl. auctor de scientia *acquisita* seu experimentali Iesu sentiat, ex dictis abunde patet. Quo magis de caeteris detrahit eo magis istam urget [2]. Quare vix operae pretium est ut eius doctrinam de hac ultima scientia penitius investigemus. Nos credimus hanc scientiam in Christo fuisse verissimam, cum successionibus et progressionibus sine quibus nonnisi fictitie poni potest. At credimus inter hanc scientiam et scientiam visionis et infusam, nullam nisi apparentem luctam dari.

III. Agens iam de modo quo homo Christus sui conscius factus est, Cl. Schell aliquam viam mediam inire conatur, inter duas sententias omnino oppositas, Scholae scilicet et neo-Agnoëtismi [3].

[1] Op. cit.

[2] Cf. p. 149, sq.

[3] Utramque sententiam presse ita describit. « Wie ist das Selbstbewusstein Iesu « innerlich begründet und entstanden? Diejenigen, welche sich mit dem Glauben an « die Gottheit Christi in die Tiefen seines Mysteriums versenken, zeigen die ver- « schiedenartigsten Auffassungen: Auf der einen Seite stehen diejenigen, welche die « Selbstentäusserung (die Kenosis) der Inkarnation auf den Logos beziehen, und Gott= « Sohn als solchen in menschlicher Beschränktheit aus kindlicher Bewusstlosigkeit « allmählich zum Messias-und Gottesbewusstsein erwachen lassen, einseitig von dem « Princip beherrscht, dass nur das eigene Ringen und Streben ein Verdienst erzeuge, « dass nur die volle Gleichheit der psychischen und physischen Entwicklungsum- « stände dem Leben Christi die Würde des Vorbildes und des Erlösungsverdienstes « sichere. Nur für den sei die Hingabe an Gott ein wahres Opfer von sittlichem « Wert, der sich Gott auch entziehen und versagen könne.

« Auf der anderen Seite stehen diejenigen, welche die vollkommenste Gott- « verklärung der Seele Christi als die notwendige Folge der hypostatischen Union « erklären und nur den sinnlichen oder niederen Seelentheil samt dem Körper Iesu « gegen den beseligenden Einfluss der Gottversunkenheit durch ein unbegreifliches

Apprime agnoscit Cl. Schell insufficientiam neo-Agnoëtismi, demonstrans, ex exordio epistolae S. Pauli ad Hebraeos, Iesum in mundum esse ingressum cum conscientia suae missionis ac dignitatis. Unde declarat, non dari posse instans temporis quo haec conscientia in Iesu inceperit et certo falsam esse doctrinam, quae hanc manifestationem ipsi Christo agnoscit caelitus factam in Iordane. « Es lässt sich kein Zeit-« punkt erkennen, in dem Iesus erst zum sicheren Bewusst-« sein seiner Gottessohnschaft gekommen wäre; die Theo-« phanie bei der Taufe wird zwar dafür angenommen, allein « im Widerspruch mit den Worten des Iesusknaben im Tem-« pel. Es ist künstliche Umdeutung, wenn man das Selbst-« bewusstsein des Sohnes in diesem Worte, insb. in dem « " meines Vaters " nicht bemerken will. Man hält es für « unvereinbar mit kindlicher Gesinnung und Heiligkeit, dass « ein Knabe sich in eigenartiger Weise für den Sohn Gottes « (und Gott selber) halte. Es hat dies nichts Bedenkliches, « wenn es der thatsächlichen Wahrheit entspricht, und infolge « dessen jeden Anflug von Geringschätzung derer ausschliesst, « welche von diesem Kinde nur im übertragenen Sinne als « Gotteskinder oder als berufen zur Gotteskindschaft erkannt « werden. Wenn aber in diesem Knaben das Bewusstsein « leuchtet, dass er, obgleich ewiger Gottessohn, deshalb ein « Menschenkind geworden sei, um die Gnade und den Geist « der Gotteskindschaft für die Seinigen wie für die ganze « Welt durch sein Leben in menschlicher Beschränktheit zu « verdienen, so kann kein Schatten die wahre und heilige « Kindheit des Iesusknaben verdunkeln » [1].

Optime quidem Cl. Schell conscientiam sui uti Dei cum aetate etiam maxime puerili in Iesu conciliat. Nec tantum affirmat, dari non posse instans quo haec conscientia in

« Wunder abschliessen. Wie bei jenen sogar der Logos und zwar ganz in den Fluss « der menschlichen Naturentwicklung hinabgezogen ist, so wird von diesen das See-« lenleben Iesu, so gut es die unerbittliche Thatsache seines äusseren Erdenlebens « erlaubt, von Anfang an in die ewige Gottvollendung hinaufgehoben. Beide Rich-« tungen sind durch spekulative Voraussetzungen genötigt, den thatsächlich vorlie-« genden Zeugnissen nicht ganz gerecht zu werden ». Iuxta praemissa, iudicet lector, utrum recte Cl. Schell has geminas sententias in paritate collocet, quoad modum quo a tenore verbi revelati recedunt. Absit ut huic iudicio subscribamus. Est tamen cl. auctor in eodem ferendo sibi constans.

[1] Op. cit., p. 129.

anima Christi inceperit, sed eam, et quidem claram, manifestam [1], ab ipso initio vitae mortalis Iesu admittendam esse proclamat. « Die menschliche Seele Iesu besass vermöge « göttlicher Erleuchtung von Anfang an eine vollkommene « Erkenntnis von dem Wesen, dem dreipersönlichen Innen- « leben und dem Heilsplan Gottes, so dass ihr Selbstbewusst- « sein aus diesem einsichtigen Gottesselbstbewusstsein volles « Licht empfing » [2]. Absit ut vim horum verborum recusem. At quaeram, quomodo haec tanta lux de divina essentia, de SS. Trinitate, ac ita de propria divina persona animae Christi obvenire potuit, nisi ex ipsa scientia visionis? Quaero, quomodo tantam certitudinem de his veritatibus Christus homo habuerit, quae non reliquerit locum fidei, - nam Cl. Schell, Christo fidem denegat: « Der Glaube hatte in Christo keinen « Platz; er war im einsichtichsten Wissen aufgehoben » [3], - nisi per visionis lumen? Nam nonnisi ipsa visio essentiae Dei atque SS. Trinitatis, nonnisi ipsa visio unionis hypostaticae potest de his veritatibus auferre fidem. Unde S. Th. non admittit in Christo fidem propter statum comprehensoris simul et viatoris. Quare inconsequens nobis haec doctrina Cl. scriptoris videtur. Aut admittat hunc statum comprehensoris in Christo, aut non auferat a Christo homine viatore fidem.

Non absimili vitio nobis laborare videntur, quae Cl. Schell scribit de ambitu scientiae Christi circa alia obiecta. Est sane grandiloquus sermo, nec desunt sesquipedalia verba. Imo sinceram pietatem sapiunt: est quippe Cl. auctor corde Scholae quam mente propior; quin et mente propior quam verbis. « Die menschliche Seele Iesu besass eine vollkommene « Erkenntnis des gesamten Wahrheitsgebietes, sowohl der « (sittlich-bedeutsamen) Heilswahrheiten als der zeitlichen « Thatsachen in Natur und Geschichte, in dem Weltganzen « wie in den Einzelseelen. All' dies, insb. die hl. Schriften « und Offenbarungen erkannte die Seele Iesu aus seinem gött- « lichen Grunde heraus, nämlich aus dem hl. Geiste und dem « göttlichen Heilsplan. Die Vollkommenheit dieser Weisheit « schliesst jene zeitweiligen Schranken nicht aus, welche das

[1] Lege optima verba p. 130, sq.
[2] Ibid., p. 131.
[3] P. 183.

« Evangelium bezeugt, welche zum Gegenstand der Selbstent-
« äusserung gehören und das sittliche Verdienst des Erdenle-
« bens Iesu bedingen. Die Ermöglichung dieses Erlösungs-
« verdienstes durch freien Gehorsam und siegreichen Kampf
« war das Mass, welches die Vollkommenheit der Erkenntnis
« Iesu bestimmte » [1]. Unica igitur limitatio admittenda in humana Christi scientia est ea, iuxta Cl. Schell, quam exigunt evangelica narratio, conditio exinanitionis Verbi, meritum morale Christi Redemptoris. Bene quidem, nec contradicunt Scholastici; sed in evolvenda minori huius argumenti residet vis.

Si iam sequentia verba Cl. Schell perpendimus, quibus contra neo-Agnoëtas claritatem scientiae Christi eiusque rationem immediatam eloquenter vindicat [2], iterum mentem lectoris urget quaestio de formalitate huius tantae scientiae, nec alia tantae excellentiae satis facere potest, nisi scientia visionis, cum scientia infusa, quam uno ore Scholastici Christo tribuunt. Quidni igitur haec doctrina maiori reverentia tractatur? imo quidni, sane intellecta, quoad maximam saltem partem a cl. auctore admittitur? [3].

Quae in hac appendice diximus, simul ostendunt quid censeamus de doctrina Klee [4], cuius examen docte instituit laudatus Stentrup [5].

[1] Op. cit.

[2] « Denselben Charakter besitzt Christi Gotteserkenntnis: unmittelbar, durch-
« sichtig, feststehend, den Vater und den hl. Geist mit inniger Vertraulichkeit um-
« fassend, eine Erkenntnis von dem Inneren Gottes heraus, nicht von der Welt aus
« durch Schlussfolgerung gewonnen. Das Gottesbewusstsein ist für Iesus in seinem
« ganzen Leben das Herz und die Mitte seines Denkens und Sorgens, Fühlens und
« Strebens, weil sein Selbstbewusstsein in ihm wurzelt, ohne den Wesensunterschied
« des Menschlichen und Göttlichen aufzuheben.

« Christi Gotteserkenntnis ist aus seinen Worten zu entnehmen: alle atmen die
« unmittelbare Einsicht, keines lässt den Ursprung aus einer Berechnung, Uberle-
« gung oder Betrachtung vermuten, welche wie die unsrige aus der Ferne mühsam
« nach der Wahrheit trachtet. Der Vaterbegriff Gottes ist nicht aus der Offenbarungs-
« geschichte abstrahiert, weder hinsichtlich der Vaterschaft Gottes für Iesum selbst,
« noch derjenigen für uns. In keiner Richtung entbehrt sie der alttestamentlichen
« Vorbereitung; trotzdem ist die innergöttliche Vaterschaft Gottes für Iesum als
« seinem eingeborenen Sohn, und die Gnadenvaterschaft für jede Seele eine Offen-
« barung Christi ». Ibid. p. 132.

[3] In hac appendice a vertendis sententiis in linguam latinam abstinuimus, tum ne originali sermoni quidquam] detraheretur, tum quia germanici idiomatis per peritia hodiedum apud bene eductos tirones iure supponitur.

[4] *Dogmat.* II, p. 428.

[5] Op. cit. th., LXIX.

Claudamus hanc simul quaestionem et appendicem cum gravissimis verbis *Leporii:* « Dici non licet, etiam *secun-* « *dum hominem* ignorare Dominum prophetarum » [1]; - *Eulogii Alex.:* « Quicumque vel divinitati ipsius (Christi) vel *huma-* « *nitati* ignorantiam adscribit, numquam certissimae temeri- « tatis crimen effugiet » [2]; - et *Gregorii Magni* ad Eulogium: « Res valde manifesta est, quia quisquis Nestorianus non est, « Agnoita esse *nullatenus* potest » [3].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Quum Verbum assumpserit naturam humanam perfectam, debuit habere ut homo scientiam distinctam a scientia increata, quam habet ut Deus; secus quoad intellectum fuisset in statu imperfectiori quam reliqui homines; imo frustra assumpsisset intellectum (a. 1).

Hoc posito, dignitas Christi ratioque capitis exigebant ut haberet, et quidem in gradu plenissimo, scientiam beatam, quae comprehensores facit (a. 2).

Nec satis: quum intellectus possibilis sit ad omne scibile, perfectio plenissima animae Christi requirebat, ut ab initio suae conceptionis per Verbi lumen species reciperet, quibus, ad modum infusae scientiae angelorum, licet secundum proportionem ad naturam humanam, plenissimam haberet omnium rerum scientiam (a. 3).

Nec ideo superflua fuit in ipso scientia experimentalis; quia haec requiritur ad operationem intellectus agentis, sicuti infusa ad perfectionem intellectus possibilis (a. 4).

Quatuor proin in Christo scientiae sunt: *increata* afficiens (saltem secundum nostrum modum intelligendi) naturam divinam; *creata beata,* afficiens immediate animam intellectualem; *infusa,* perficiens intellectum possibilem; *acquisita,* perficiens intellectum agentem.

[1] Libellus emendationis. — *P. L.* t. XXXI, col. 1229.

[2] Ap. Phot. cod. 230. n. 10. — *P. G.* t. CIII, col. 1084.

[3] L. X, Ep. 39, ubi paulo superius Agnoitas vel Agnoëtas vocat *haereticos.* — *P. L.* t. LXXVII, col. 1098. — Cf. ep. 35, ibid. col. 1091.

2) **De Scientia Christi in specie.**

A) DE SCIENTIA BEATA ANIMAE CHRISTI.

QUAESTIO X.

Ordo Quaestionis patet. Plenitudo scientiae beatae Christi consideratur *in se* (a. 1, 2, 3) et *relate* ad visionem cuivis alii creaturae concessam (a. 4).

Quam explicandam quaestionem aggredimur, illis adnumeranda est argumentis, quae theologi scholastici maiori cum voluptate tractavere. Ita, ut ad hos paucos sermonem contraham, praeter Doctores Angelicum et Seraphicum, Hugo Victorinus eam fusiori calamo perscrutatus est in opere cui titulus *De sapientia animae Christi*.

Praecipue hic solvenda sunt quaesita: utrum visio, seu scientia Christi fuerit, in rigore vocis, comprehensiva; utrum per eam Christus infinita cognoverit; utrum quae viderit, ea claritate viderit qua Verbum; utrum unico actu ope huius scientiae visionis omnia semper contempletur; utrum per eam Christus particeps factus sit omniscientiae Dei. Inde connectitur alia quaestio infra solvenda, cur non eodem gradu Christus factus sit particeps divinae omnipotentiae.

Audiatur quomodo Lombardus problema inducat ac solvat. « Hic quaeri opus est, quum anima Christi esset sapiens « sapientia gratuita, *utrum habuerit sapientiam aequalem Deo;* « sive omnium rerum scientiam habuerit vel habeat, id est, « *utrum omnia sciat quae Deus scit* ».

Ita posito problemate, prius suggerit responsum negans: « Quibusdam placet, quod nec cum Deo parem habeat scien- « tiam, nec omnia sciat quae Deus ». Et duplicem rationem affert: *a*) In nullo creatura aequatur Creatori. - *b*) In omni bono Creator debet habere maiorem sufficientiam quam eius creatura. Et afferuntur ex Scripturis verba: « Mirabilis facta « est scientia tua (Dei) ex me (Christo), confortata est, et *non*

« *potero ad eam* » [1]; et: « Nemo novit quae Dei sunt, nisi Spi-« ritus Dei, qui *solus* scrutatur omnia, etiam *profunda* « Dei » [2].

Sed haec sententia, utpote deficiens, non placet Lombardo: « Quibus respondendum dicimus, animam Christi per sapien-« tiam gratis datam in Verbo Dei, cui unita est (quod et per-« fecte intelligit), *omnia scire quae Deus scit, sed non omnia* « *posse quae Deus potest* ». Immediate tamen mitigat assertum: « Nec *ita clare ac perspicue omnia capit ut Deus;* et « ideo non aequatur Creatori suo in scientia, etsi omnia sciat « quae et ipse. Nec est eius sapientia aequalis sapientiae Dei: « quia illa multo est dignior, digniusque et perfectius omnia « capit quam illius animae sapientia ». Et confirmat doctrinam hanc de omniscientia Christi ex S. Ioanne, ubi Spiritus *sine mensura* [3], et ex S. Paulo, ubi *omnes* thesauri sapientiae et scientiae de Christo et in Christo praedicantur [4].

Quae doctrina paucis ita comprehendi potest. Christus habet scientiam visionis aequalem scientiae Dei *extensive,* sed non *intensive.*

Hanc Magistri doctrinam a S. Thoma non omnino probari, ex sequentibus articulis apparebit.

ARTICULUS I.

UTRUM ANIMA CHRISTI COMPREHENDERIT VERBUM, SIVE DIVINAM ESSENTIAM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Adverte textum ipsius tituli. Quum hypostatica unio, ex dictis, sit fundamentalis ratio propter quam animae Christi ab initio scientia visionis concedenda sit; haec visio est ipsi formaliter visio Verbi, et proin, propter identitatem, visio essentiae divinae.

Caeterum, pro quovis beato prostat ratio, cur visio beatifica visio Verbi dicatur. Verbum quippe est *lumen de lumine*. Iam vero visionem patriae psalmista describit: « *in lumine*

[1] Ps. CXXXVIII.
[2] I. COR. XI, 10.
[3] C. III, 34.
[4] COLOSS. II, 3.

« *tuo videbimus lumen* ». Et iure quidem. Beans enim visio est reditus perfectus creaturae in Creatorem. Oportet proin ut in ea quodammodo ordo inversus appareat ab eo ordine, qui in exitu rerum sese manifestat. Porro sicuti Pater per Verbum in Spiritu condidit universa; ita et Spiritus reddit animam visionis capacem, ut per Verbum essentiam divinam, seu Patrem cernat. Haec de articuli titulo.

2) Porro solutioni quaesiti praemittendum est principium supra iam expositum, ubi de plenitudine gratiae Christi. *Quidquid est creatum, simpliciter infinitum esse nequit.* Quum igitur scientia visionis Christi sit creata, nequit esse simpliciter infinita; esset autem infinita, si obiectum infinitum, id est, essentiam divinam, tam perfecte intueretur, ut illam comprehenderet. Ergo essentiam divinam non comprehendit.

3) Nec ideo neganda est *perfectio huius visionis;* sicuti supra vidimus, ex negato infinito absoluto de gratia Christi non sequi eiusdem gratiae imperfectionem seu non-plenitudinem.

4) Quid igitur visioni animae Christi defuit a comprehensione? Distinguendum heic est inter obiectum primarium et obiectum secundarium visionis. Primarium est ipsa essentia divina, de qua in praesenti articulo quaeritur; secundarium sunt reliqua visa in essentia divina, de quo obiecto in sequentibus articulis 2. et 3.

5) Iam vero obiectum primarium, quum sit omnino simplex, vel totum videtur, vel non videtur. Non autem si totum videtur, penetratur ita ut comprehendatur. Proinde huc facit distinctio Lombardi inter visionem extensive et intensive perfectam. Hanc ultimam utique haberet anima Christi, si non intrinsece repugnaret, creatam scientiam esse simpliciter infinitam. Hanc tamen plenissimam visionis mensuram possidet, quae de potentia Dei consequente creari potuit. Iteranda quippe occurrunt hic, quaecumque superius de gradu gratiae animae Christi diximus. Nam mensura gloriae est ipsa gratiae mensura. Quare eadem Scripturae loca iuvant ad utramque plenitudinem illustrandam atque demonstrandam.

II. **Ad Textum.** - *1. et 2. Obi.* Procedunt a confusione inter visionem et comprehensionem.

3. Obi. Intelligit dictum Augustini secundum communicationem scientiae, dum a S. Doctore de communicatione idiomatum per gratiam unionis intenditur.

Sed contra est. Intellige, S. Augustinum loqui hic de infinitate in sensu potius negativo, sine adiecta significatione perfectionis illimitatae sive absolute, sive relative [1]. En verba S. Doctoris. Quaestio titulum habet: *De intellectu:* « Omne « quod se intelligit, comprehendit se; quod autem se com- « prehendit, finitum est sibi. Et intellectus intelligit se. Ergo « finitus est sibi. Nec infinitus esse vult, quamvis possit; quia « notus sibi esse vult; amat enim se » [2].

Iam vero si ex hoc loco colligas haec duo: « Deus sibi « est finitus », et: « intellectus sibi potestesse infinitus.», ostendunt Hipponensem in hac quaestiuncula infinitum *negative,* sine adiecta significatione perfectionis illimitatae, intellexisse.

Recolendus hic est error Augustini de Roma, damnati in Concilio Basiliensi [3], dicentis, animam Christi videre Deum tam clare et intense quantum clare et intense videt Deus seipsum. Quem errorem damnavit etiam Card. Turrecremata in sua Summa de Ecclesia [4].

In Corpore. Confer cum hoc argumento brevissimo ea quae fusius scripsit S. Th. in comm. Lombardi [5], ubi evolvit minorem argumenti, sicuti in citato loco primae partis. Concilianda proin sunt haec duo: animam Christi 1) non comprehendisse essentiam Dei; et 2) nihilominus eamdem totam perfectissimo modo quo creatura possit, vidisse, imo videre. Lucide S. Th. in III. Sent.: « Non negatur Verbum « ab anima Christi comprehendi quia partem eius videat et « partem eius non videat; sed *quia non ita perfecte videt* « *sicut visibile est* ». Et paulo superius: « quia nihil est de « natura Verbi quod anima Christi non videat, nec tamen « ei adaequatur, potest dici quod anima Christi totam natu-

[1] Cf. dicta in art. 11, Q. VII.

[2] *De div.,* QQ. LXXXIII, a. 15. — *P. L.* t. XL, col. 14, sq.

Sess. XXII. Ex hoc concilio, sicuti et ex Constantiensi, ea dumtaxat suprema auctoritate pollent, quae in Bullis Nicolai V et Martini V confirmata sunt.

[4] L. I, c. 68. Quousque idem tenuerint Fulgentius, Alcuinus et Hugo Victorinus, in appendice huic articulo adnexa investigabimus.

[5] III. Sent. Dist. XIV, q. 1, a. 2, sol. 1.

« ram Verbi videt non tamen eam comprehendit, *quia eam « non totaliter videt* » [1].

S. Bonaventurae de hoc argumento discursum iuvat paucis compendiare. Ita Doctor Seraphicus [2]: 1) Aliqui voluerunt, omnes beatos comprehendere *essentiam* Dei, utpote simplicissimam; non autem eius *potentiam,* utpote ad infinita se extendentem. - Repugnat: tam infinita essentia, quam potentia. - 2) Aliqui animae Christi, utpote in infinitum sublimatae, privilegium unicum conferre voluerunt *comprehensionis* essentiae Dei. - Repugnat: dignitas personalis Christi infinita; anima vero, utpote creata, finita, ac proin infinitae scientiae impar. - 3) Stat ergo, essentiam Dei, etsi simplicissimam, et proin visam *totam*, a nullo intellectu creato *penitus* videri posse, nec ab ipsa anima Christi. Quae duo subtiliter ope triplicis exempli componere conatur. Sicut idem album a diversis oculis diversae aciei totum a singulis, sed diverso claritatis et splendoris gradu cernitur; sicut unum punctum per unam lineam attingitur totum, quin ideo non possint infinitae aliae lineae per idem traduci; sicut anima est tota in quavis parte corporis, quin ad illam limitetur: ita aliquo modo, ait S. Doctor, Deus totus videtur, sed non comprehenditur.

Si autem quaeritur undenam desumenda sit ratio huius diversae claritatis eiusdem visionis, respondet S. Thomas. « Claritas vel limpiditas visionis contingit ex tribus. Primo ex « efficacia virtutis visivae: quia qui sunt fortioris visus, magis « limpide vident. Secundo ex claritate lucis sub qua claritate « visibile videtur; sicut clarius videtur aliquid in lumine solis « quam in lumine lunae. Tertio ex comparatione visibilis, vel « eius in quo aliquid videtur, ad videntem, quia quod a remo- « tiore videtur, minus clare videtur. Et propter haec tria non « potest anima Christi ita limpide videre ea, quae videt in « Verbo, sicut ipsum Verbum. Primo quia non habet tantam « virtutem in intelligendo; secundo, quia lumen sub quo « videt, deficit a lumine increato; tertio quia essentia divina, « quae est exemplar rerum, in quo res videntur, est magis

[1] Cf. principia exposita in tractatu *De Deo Uno*. Q. XIII, art. 7. t. I, p. 457, sqq.
[2] III. Sent. Dist. XIV, a. 1, q. 2.

« coniuncta Deo quam alicui creaturae, quia est idem secun-
« dum rem » [1].

Resp. ad 1m. Celeberrimum hoc Isidori assertum S. Thomas triplici modo explicat [2]. Vel *a*) agitur de cognitione utrimque perfecta in genere cognitionis increatae et creatae; vel *b*) agitur de cognitione omnium rerum in SS. Trinitate; vel *c*) agitur de cognitione quae Christo competit prout Deus est.

Resp. ad 2m. Adverte, quam feliciter S. Thomas comparationem retorquet. Idem habet in Comm. Lombardi [3].

Reliqua patent.

Appendix de Sententia S. Fulgentii, B. Alcuini et Hugonis Victorini.

1) Quaestio sat subtilis hic agitatur de opinione S. Fulgentii relate ad perfectionem, qua Christi anima Dei essentiam videt.

Difficultatem movet diaconus Ferrandus, Fulgentii discipulus, quaerens a magistro: « Utrum anima Christi suscep-
« tricis deitatis plenam habeat omnino notitiam, et quemad-
« modum se invicem Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus;
« ita idem Filius seipsum per id, quod homo est, in eo quod
« Deus, noverit, ex utraque atque in utraque substantia totum
« capiens Patrem. An forte sicut oculis corporalibus Deum
« spiritum minime videt, ne non homini dignitas addita, sed
« natura credatur penitus commutata: sic rationalis animae
« quamvis pio intellectu, et corde mundissimo, non videri,
« neque comprehendi omnem divinitatis essentiam; ne quae-
« libet creatura inveniatur capere creatorem » [4].

Si Fulgentius tenuisset doctrinam, quam S. Thomas propugnat, respondere debuisset, Christi quidem animam essentiam Dei et SS. Trinitatis vidisse, non autem comprehendisse. Inspiciamus quid Augustini discipulus doceat.

Primo quidem tanquam inconcussum sternit, Christum

[1] III. Sent. Dist. XIV, a. 1, q. 2.
[2] Ibid.
[3] Loc. cit.
[4] Ep. XIII. — *P. L.* t. LXV, col. 393.

nosse et quidem plene nosse suam propriam deitatem, in qua iam continetur cognitio totius Trinitatis. « Cum autem de « anima Christi loquimur, de illo loquimur rationali spiritu, « ad quem non solum Deus per gratiam venit, sed quem « ipsa divinitas in unitate personae suscepit. Anima quippe « illa cum Verbo unus est Christus, anima illa cum Verbo « unus est Unigenitus Deus. Et quia Unigenitus Deus aequalis « est Patri, nec potest totum nosse Filium, qui totum non « noverit Patrem, caveamus ne, cum anima Christi totum « Patrem nosse non creditur, ipsi uni Christo ex aliqua parte, « non solum Patris, sed etiam sui et Spiritus sancti, cognitio « denegetur: perquam vero durum est, et a sanitate fidei « penitus alienum, ut dicamus, animam Christi non plenam « suae deitatis habere notitiam, cum qua naturaliter unam « creditur habere personam » [1].

Quo posito, Fulgentius ex testimonio Ioannis Baptistae ita arguit: Christus non ad mensuram Spiritum accepit; atqui hoc non dictum est de Christo, uti Verbo; ergo hoc dictum est de anima Christi per Spiritum sanctum illustrata. Minorem argumenti demonstrat hisce verbis: « Ipse est enim, qui « dat, ipse est qui accipit; et quia potens est ad mensuram « dare, ideo non potuit ad mensuram accipere. In forma enim « Dei manens, Spiritum dat; formam servi accipiens, Spiri- « tum accepit. Sed quia ipse ad mensuram dat, ideo non ipse « ad mensuram accepit; ipsum enim, quem ad mensuram « dat, totum accepit: ad mensuram quippe dat multis filiis, « sed non ad mensuram accipit unicus Filius; quia sic est « verus homo, ut verus sit Deus » [2]. Et conclusionem: « Restat « itaque ut anima Christi Spiritum sanctum acceperit, quem « tamen non ad mensuram accepit, sed totum accepit; ubi « enim mensura non esse dicitur, plenitudo perfectionis et « perfectio invenitur » [3].

Spiritum autem Sanctum hic intelligendum esse de Spiritu veritatis mentem collustrante, sequenti discursu declarat: « In « quantum enim Spiritus datur, in tantum cognitio divinitatis

[1] Ep. XIV. — Ibid. col. 416.

[2] Ibid. col. 417. Commendandus heic locus pulcherrimus de divinarum personarum aequalitate. Col. 418.

[3] Ibid. col. 419.

« accipitur; ubi autem Spiritus non est mensura, necesse est « ut plena sit divinitatis immensae notitia. Tota enim pleni- « tudo datur, ubi Spiritus non ad mensuram datur » [1]. Unde concludit: « Non ergo existimo illi animae in aliquo plenam « divinitatis deesse notitiam, cuius una est persona cum Verbo; « quam sic sapientia suscepit, ut eadem sapientia ipsa sit; « quae rerum omnium in tantum facta est domina, ut cum « ipsa divinitate sua, una sit in Trinitate persona, id est Chri- « stus crucifixus, quem Dei virtutem Deique sapientiam Paulus « apostolus praedicat » [2].

Et diserte ex hisce distinguens scientiam Christi secundum divinitatem et secundum humanitatem, haec inter alia scribit: « Christum non solum secundum divinitatem, sed « etiam secundum humanitatem vera fides totum altissimum « confitetur. ..... Si autem non plenam habet anima Christi « notitiam divinitatis suae, non pervenit ad altitudinem ple- « nam sapientiae et scientiae Dei. Non ergo totus, sed ex « parte Christus praedicetur altissimus, si anima eius infra « altitudinem divitiarum sapientiae et scientiae Dei a fide- « libus praedicatur » [3].

Unde totam hanc partem argumentationis hac brevi sententia absolvit: « Sicut ergo Christus homo singulariter habet, « ut Deus verus sit, sic totam divinitatem suam singulariter « novit » [4].

Si S. Fulgentius hic stetisset, vix dubium esset, eum in Christi anima comprehensionem divinitatis admisisse. Sed ecce ipse sibi difficultatem opponit, eamque talibus solvit verbis, quae prope sinunt Fulgentii doctrinam, licet subobscuram, ad Scholae sententiam trahi, quatenus admittit, Christi animam deitatem quidem totam vidisse, non tamen ita qualiter ipse Deus sese videt. En verba discipuli S. Augustini: « Possumus plane dicere, animam Christi habere plenam noti- « tiam deitatis suae; nescio tamen utrum debeamus dicere « quod anima Christi *sic* suam deitatem noverit, quemad- « modum se ipsa deitas novit, an hoc potius dicendum est,

[1] Ep. XIV.
[2] I. Cor. I, 24; ibid.
[3] Ibid. col. 419, sq.
[4] Ibid. col. 420.

« quia novit *quantum* illa, sed non *sicut* illa » [1]. Unde accipiendo comprehensionem in duplici sensu minus et magis stricto, potest dici, Fulgentium admisisse quidem sensum minus strictum, quia anima Christi videt totam suam deitatem; non autem admisisse sensum magis strictum, quia non videt eam tam perfecte quam ipsum Verbum, seu Deus.

Quidquid sit de excessu in hac doctrina Fulgentii contento, - quem tamen excessum ultima forte distinctio plenius salvat quam visum est Petavio [2], - certum est, in hac responsione ad Ferrandum contineri egregium documentum ad scientiam visionis in anima Christi vindicandam, ut Christus, tanquam homo, plenam possit propriae divinitatis cognitionem habere [3].

Porro doctrinam Fulgentii non adprobat modo, sed transcriptis ipsissimis verbis suam facit *B. Alcuinus* [4].

2) Media aetate in finem vergente, *Hugo Victorinus* fuso calamo in speciali opusculo de scientia animae Christi tractavit. Quaerens, utrum anima Christi habuerit scientiam cum divinitate aequalem, affirmative respondet, et quidem non tantum, uti Fulgentius, quia anima Christi plenitudinem Spiritus accepit, sed quia participat eamdem sapientiam qua Deus sapiens est, cum hoc dumtaxat discrimine quod anima Christi « sapiens est, quia *in ipsa* sapientia est ». Deus « autem sapiens est, quia *ipse* sapiens est ». En ipsa verba Hugonis. « Una, inquit, est sapientia Dei, qua sapiens est « anima Christi: nec participando sapiens est, ut hoc vel illud « in illa, et per illam sapiat: sed plenitudinem habendo, ut « totum possideat. Non ergo dicamus tanta, aut quanta; sed « dicamus, tota sapientia Dei in anima Christi est; et ex tota « sapientia Dei anima Christi sapiens est: nec tamen aequalis « Deo anima Christi est, quia sapientia Dei non est. Porro « longe aliud est, sapientia sapere, et aliud, sapientiam esse: « quia qui sapientia sapit, quod habet, aliunde accepit: qui « sapientia est, ex semetipso habet quod sapit. Illic gratia,

[1] Ep. XIV.

[2] Op. cit. l. XI, c. 3, 1-3.

[3] Insuper habentur in hac responsione praeclarissima testimonia de vera divinitate Christi, unius personae in gemina natura, et de gratiae plenitudine in Christi anima praeter ipsam gratiam unionis.

[4] *De Trin.*, l. II, c. 12.

« hic natura, et idem illic gratia, quod hic natura; nec tamen « illic gratia naturam ad immensitatem commutat: nec hic « natura ad mensuram gratiam coarctat. Qui ergo audet « dicere plenitudinem sapientiae non fuisse in anima Christi, « dicat plene sapientem non fuisse animam Christi. Tota igitur « sapientia Dei erat in anima Christi, quia tota sapientia Dei « unita erat, et corporata animae Christi: nec tamen aequalis « Deo erat anima Christi » [1].

Deceptio Hugonis fuit, confudisse gratiam ipsam *unionis,* quae animam quidem afficit, at non formaliter uti est facultas intellectiva, et gratiam *visionis* formaliter animam uti talem afficientis. Unde ait: « Quid ergo accepit anima Christi? Pleni- « tudinem divinitatis, plenitudinem sapientiae, plenitudinem « virtutis. Totum, quod Deus est, accepit. Quomodo accepit? « Non versibilitate naturae, sed firmitate personae. Accepit, « non quia in illud essentialiter mutata est, sed quia ineffa- « biliter illi unita est ».

Nec solum quoad scientiam, sed et quoad alias perfectiones divinas eamdem confusionem inducit. Nam animam Christi dicit etiam « immensitatem habere, et aeternitatem, et « habere omnia, per gratiam, quae Deus habet per naturam »; quin tamen inde sequatur, « quod aeterna, aut immensa esse « possit: sed quod aeterno, et immenso unita sit ».

Consequens est, iuxta celebrem Victorinum animam Christi omnium prorsus rerum habere scientiam, haud secus ac ipsum Verbum. Quare in art. sequenti videbimus S. Bonaventuram contra hunc excessum Hugonis directe et expresse disputantem.

Caeteroquin iste excessus iam reperitur apud Eusebium, qui ita Christum alloquitur: « In te fuit corporaliter et est « omnis plenitudo gratiae. Non enim data fuit tibi gratia ad « mensuram. Tua enim anima statim cum unita inseparabi- « liter fuit divinitati omnia perfecte scivit, et potuit, quia ipsa « scit, et potest divinitas ». In quibus ultimis verbis est manifesta confusio inter participationem divinitatis ratione subsistentiae, et ratione scientiae ac potentiae.

Quomodo autem Lombardus distinguat inter scientiam et potentiam, videbimus in Q. XIII.

[1] Op. cit.

ARTICULUS II.

UTRUM ANIMA CHRISTI IN VERBO COGNOVERIT OMNIA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Dilemma hic solvendum occurrit. Vel enim anima Christi in Verbo cognovit omnia, vel non cognovit omnia. Si hoc alterum, ubinam perfectio scientiae ipsi debitae? Si prius, quomodo potuit cognoscere vel videre infinita? - De *omniscientia* in Verbo agitur in articulo praesenti; de *infinitate* obiecti huius scientiae, in sequenti.

2) Quo clarior solutio appareat, quaedam sunt recolenda. Omnia, vel creata existentia, vel possibilia, prouti in essentia divina videntur, constituunt *obiectum secundarium scientiae.* Regula simul ac exemplar eiusdem scientiae est ipsa visio, quam Deus omnium rerum habet in seipso. Iam vero istae res, vel aliquo temporis instanti fuerunt, sunt, aut erunt, - et has cognoscit Deus *scientia visionis;* vel numquam in esse deducendae sunt, totaque earum ratio est a factibilitate, seu a possibilitate ut e potentia Dei exeant, - et has cognoscit Deus *scientia simplicis intelligentiae.*

3) Inter obiectum utriusque visionis duplex praesertim discrimen occurrit. *a*) Obiectum scientiae visionis, quantumcumque extendatur spatium saeculorum, est *finitum* [1]. E contra obiectum scientiae intelligentiae est *infinitum,* nullamque mensuram habet aliam, quam ipsam potentiam et veritatem Dei. Proinde *b*) comprehensio obiecti scientiae visionis, non implicat comprehensionem essentiae divinae; comprehensio autem obiecti simplicis intelligentiae supponit divinae essentiae comprehensionem.

4) Inter utrumque obiectum datur aliquod medium, nimirum visio omnium quae sunt in potentia, non quidem Dei, sed creaturae. Haec visio finita est, quia mensuram habet potentiam creatam, quae, utpote ab esse fluens, in creatura quavis est finita. Nihilominus eius obiectum habet aliquid infiniti, in sensu non limitationis. Hoc autem infinitum non

[1] Cf. dicenda art. 3. — Cf. et *De Deo Uno,* t. II, Q. XIV, art. 5, sqq.

est nisi relativum, ac proin non ponit infinitum simpliciter, seu absolutum. Potest proin finitâ scientiâ comprehendi.

His positis, iam ad S. Th. solutionem accedamus.

II. Ad Textum. - *1. Obi.* Verbis Christi hic adductis Arius et Eunomius olim abutebantur ut Verbi, sive Filii inferioritatem relate ad Patrem demonstrarent; pariter et Agnoëtae, ut in Christo homine ignorantiam fuisse probarent. De interpretatione huius loci infra in nota speciali agemus.

2. Obi. Concedenda est quoad scientiam simplicis intelligentiae, non autem quoad scientiam visionis.

3. Obi. Confundit quantitatem numeri cum quantitate intentionis, secundum quam, etiam in obiecto scientiae visionis, scientia animae Christi differt a scientia Dei.

Sed contra est. Adverte, quomodo in hoc textu sapientia Agni coniungatur immediate divinitati ipsius, uti fundamento.

Ad corroborandam doctrinam de universali scientia Christi efficaciter adducitur Iudicis officium Christo, tanquam *Filio hominis* a Patre commissum [1]. Quî enim hoc officium debite exercere posset, nisi omnium cogitationum maxime absconditarum perscrutator? Sed fatendum est, exercitium huius muneris spectare potius ad Christum triumphantem.

Indirecte huc facit stultus error Arnaldi asserentis, Christum assumpsisse humanitatem aequalem divinitati; tantum proin Christum valere qua homo est, quantum qua Deus. Quae haeresis, ad Christi scientiam applicata, facit animam Christi simpliciter omnisciam [2].

In Corpore. Doctrina *Corporis,* collata cum responsionibus, sequenti schemate comprehenditur:



[1] Ioann. v, 27. — Act. x, 42.

[2] Cf. appendicem praecedentem.

Ex hoc schemate vides, quare et quo sensu supra dixerimus, cum doctrina Lombardi non omnino Aquinatem concordare.

Porro doctrinam **S. Bonaventurae** cum Angelici doctrina conferre iuvat. En eam paucis collectam [1].

Animam Christi in Verbo omnia scire, alii simpliciter concedunt, alii distinguunt; utrimque variis modis.

	Sententiae exponuntur;	iudicantur.
A) **Sententiae concedentium:**	1) cognoscit *omnia*, quia haec cognitio Verbi *finita:*	est infinita secundum scientiam simplic. intelligentiae.
	2) cognoscit *infinita*, quia intuetur Verbum; item omnes beati:	repugnat in creato comprehensio infiniti.
	3) Christus non solum participat *sapientiam*, sicut alii beati, sed illam *possidet:* (sententia Hugonis Victor).	sapientia animae Christi non est sapientia increata, sed creata.
B) **Sententiae distinguentium:**	1) per gratiam *unionis* Christus videt omnia in Verbo, non autem per gratiam *comprehensionis:*	*a*) scientiae habitus in anima Christi est ipsa gratia comprehensionis; *b*) etiamsi alia esset, creata esset.
	2) videt omnia scientia *visionis*, non omnia scientiae simplicis intelligentiae: (sententia S. Thomae).	modus satis facilis est et rationalis; sed non ei standum: *a*) quid, si quid novi Deus moliretur, num lateret Christum? - *b*) quomodo eius scientia plena?
	3) *Sententia S. Bonaventurae:*	
	secundum cognitionem *habitualem* anima Christi omnia videt in Verbo:	Christus, homo intuetur *plene*, et Verbum nihil celat.
	non autem omnia secundum cognitionem *actualem:*	hoc solius Dei est.

Quid iam de illa S. Bonaventurae sententia? Audiamus, quid S. Thomas teneat de distinctione inter cognitionem habitualem et actualem omnium rerum in Verbo.

« Si aliqua cognoscuntur per unam speciem, illa nihil « prohibet simul cognosci; sicut homo intelligens quidditatem hominis, simul intelligit animal et rationale; et prop-

[1] III. Sent. Dist. XIV, a. 2, q. 3.

« ter hoc etiam intelligens propositionem, simul intelligit « praedicatum et subiectum, quia intelligit ea ut unum. Et « ideo cum anima intelligit omnia quae sunt in uno scilicet « Verbo, etiam simul et uno intuitu *omnia cognoscit actu.* « Et similiter est de aliis beatis quantum *ad omnia quae in* « *Verbo vident;* secus autem est de illis quae vident per spe- « cies diversas, quae simul videre non possunt » [1]. Negat proin S. Thomas principium distinctionis S. Bonaventurae.

Quid porro de duplici ratione a Seraphico contra Angelici distinctionem adducta? — *Resp.:* Prior non valet. Impossibile est, ratione immutabilitatis divinae, ut Deus incipiat velle opus ad extra, quod non ab aeterno voluerit. Quid mirum inde, si ex hypothesi impossibili, consequens impossibile sequatur? — Nec magis convincens altera ratio dicenda est. Si enim negatur visio omnium rerum quae in scientia simplicis intelligentiae continentur, non est quia facultas visiva animae Christi non usque ad ultimum completur, sed quia visio totius obiecti scientia simplicis intelligentiae secum fert comprehensionem potentiae, id est scientiae divinae, quae superat vires facultatis quantaecumque creatae. — Sententia proinde S. Thomae nobis praeferenda videtur, utpote simul « facilis et rationalis ».

Ex dictis apparet, nimis generaliter Scheeben [2] distinctionem inter visionem habitu et actu, tanquam tempore Seraphici, quem citat, receptam exhibere. Quare sint et sequentia.

1) Cum Seraphico stant Henricus Gandavensis [3] et Marsilius, [4] qui in anima Christi habitum visionis distinguit ab actu; et etiam Scotus [5], qui admittit distinctionem inter cognitionem habitualem et actualem, sed non ad modum alicuius habitus infusi. - Nec praetereunda est opinio, ad praecedentem prope accedens, Okkam [6] et Gabrielis [7], qui ponunt visionem *aptitudinalem.*

2) Inter eos autem qui reiiciunt distinctionem inter cogni-

[1] III. Sent. loc. cit.
[2] Op. cit. n. 961.
[3] Quodlib. V, q. 14.
[4] Q. X, art. 2.
[5] Dist. XIV, q. 2.
[6] IV. Sent. q. 12.
[7] III. Dist. XIV, q. un. art. 1.

tionem actualem et habitualem, variae adhuc sententiae prostant. *a*) Praeter sententiam Hugonis Victorini, de qua in praecedenti appendice dictum est, - *b*) Magister [1] et Alexander Halensis [2] admittunt plenam cognitionem obiecti sive scientiae visionis, sive etiam scientiae simplicis intelligentiae, non tamen usque ad comprehensionem: quia, licet nihil excipiatur quoad numerum, modus tamen sciendi non attingit ad eam perfectionem. - *c*) Durandus [3] sententiam proponit de more sat singularem, contendens Christi animam cognoscere omnia quae cognoscit Verbum quantum ad *quid* sint, propter visam ipsam Dei essentiam, non autem quantum ad *quod* sint, nisi iuxta mensuram divinae voluntatis. Sed haec distinctio supponere videtur, Deum alia a se cognoscere non in seipso, sed in ipsismet.

Toletus sibi sententiam conflat ex sententiis Lombardi et S. Bonaventurae: en ipsas conclusiones perdocti Cardinalis: « 1) Anima Christi in Verbo cognoscit omnia quae « cognoscit Verbum adeo, ut quoad numerum scibilium sit « aequalis. - 2) Anima Christi non cognoscit uno intuitu et « actualiter omnia quae Verbum cognoscit. - 3) Illa unica « visione, qua semper videt Verbum anima Christi, videt « creaturas, sive has quas modo videt; sive illas, quas vidit « aut videbit. - 4) Scientia animae Christi non est aequalis « scientiae ipsius Dei » [4].

Collige ex his, visionem *omnium* quae in scientia visionis continentur, esse specialissimum animae beatae Christi. Quantum ad scientiam simplicis intelligentiae, nullus intellectus creatus *tot* obiecta in ea intuetur. — Demum quoad utramque *claritas* visionis animae Christi omnem claritatem visionis creatae superat.

Appendix de interpretatione loci S. Marci, XIII, 32: « De « die autem illo (iudicii) vel hora, nemo scit, neque angeli « in caelo, neque Filius, nisi Pater ».

[1] Dist. XIV.

[2] III. Q. XIII. membr. 7.

[3] Dist. XIV, q. 2.

[4] Hoc loco. — Lege de argumento huius articuli et praecedentis Card. Franzelin (op. cit. th. XLII), et Cl. Stentrup (op. cit. th. LXXII); necnon scriptores aliatos a laudato Scheeben (op. cit. § 248).

1) Hoc loco non agi de ignorantia Filii, uti Verbi Patris, contra Arium, Eunomium aliosque apertum est. Praeter rationes ex divinitate Filii petitas, id apparet ex ipso textu. Etenim si Filius uti secunda Trinitatis persona hic consideraretur, debuisset nominari etiam Spiritus. Tunc enim, ex hoc pariter excluso, sequeretur *neminem* nosse hunc diem, *nisi Patrem.*

2) Igitur Filius, hoc loco, est *Filius hominis,* et quidem Filius ut homo, reduplicative ut in terra degit (quod suadetur ex verbis: neque angeli in caelo, neque Filius .. in terra). Sed oritur quaestio de quanam ignorantia heic sermo sit. Themistius et cum illo Agnoëtae et pseudo-reformatores saec. XVI contendunt, agi hic de vera ignorantia humana Christi. Sed eorum error, iam olim a Gregorio Magno, aliisque Patribus [1] damnatus est.

Et potest absurditas huius sententiae ostendi ex ipsa missione iudiciaria Filio hominis a Patre commissa. Quî enim ille, quem Pater constituit omnium Iudicem vivorum et mortuorum, diem iudicii ignoraret? Ita recte arguit S. Chrysostomus.

Non ideo tamen probamus rationem ab aliquibus allatam, quasi ille qui diem ultimum nesciret, neque penultimum, et ita nec praecedentes alios cognosceret. Non convincit. Et primo, si valeret haec argumentatio, non minus pro angelis valeret, qui tamen ignorare diem iudicii dicuntur. — Et re vera, aliud est, scire diem penultimum; aliud, illum scire uti penultimum; ignorantia quippe diei ultimi supponit obnubilationem in cognitione circa finem ipsum; quae obnubilatio potest facere ut penultimus dies, aliive cognoscantur, quin tamen sciatur eorum respectus ad ultimum.

3) Agitur proin in Christo de ignorantia *ratione officii;* quae ignorantia dupliciter intelligi potest: *a) secundum personam Christi Doctoris,* quatenus non est ipsi data missio hunc diem discipulis manifestandi; vel *b) secundum corpus mysticum,* quatenus Ecclesia ipsum ignorat; quae est interpretatio Origenis. Optime Augustinus exponit priorem sententiam *a)*: « Utiliter Deus latere voluit illum diem, ut semper

[1] Cf. notam de Agnoëtismo. — Cf. textus allatos p. 431.

« sit paratum cor ad expectandum quod esse venturum scit, « et quando venturum sit, nescit. Quia vero Dominus noster « Iesus-Christus *magister* nobis missus est, etiam *Filius « hominis* dixit nescire illum diem, *quia in magisterio eius « non erat* ut per eum sciretur a nobis » [1].

4) Improbabilis omnino et longe petita videtur interpretatio quam S. Thomas, secundum aliquos, in fine affert, quâ in loco Marci Filius esset filius adoptivus, non naturalis. Contextus nimis per hanc lectionem torquetur.

5) Explicatio quam n. 3. iuxta communissimam traditionem dedimus, per alium locum Scripturae corroboratur. Interrogantibus Apostolis: « Domine, si in tempore hoc restitues « regnum Israël? » respondit Iesus: « Non est vestrum nosse « tempora (ecce diem) vel momenta (ecce horam), quae Pater « posuit (h. e. retinuit) in sua potestate (ecce: nemo novit « nisi Pater) » [2]. Ubi adverte: « Non est vestrum ». Id est: Vobis non expedit et ad magisterium vestrum non pertinet. Quare, quum mensura magisterii vestri, vestrique boni, mensura sit et magisterii mei, uti ad vos directi; ideo, quod non est vestrum, neque meum est; et quod vos per consequens nescitis, neque ego uti Magister vester scire dicendus sum.

6) Cur autem dicitur Pater solus hunc diem nosse, in suaque potestate posuisse? Hic magnum quid insinuatur. Dies iudicii complet mysterium praedestinationis. Atqui mysterium praedestinationis, quo merita Filii applicantur, ex constanti appropriationis lege spectat ad Patrem. Quod ex variis Scripturae locis apparet. « Omne quod dat mihi Pater, ad « me veniet.... Haec est voluntas eius, qui misit me Patris, ut « omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo » [3]. « Pater meus, « quod dedit mihi, maius omnibus est, et nemo potest rapere « de manu Patris mei » [4]. « Manifestavi nomen tuum homi- « nibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos « dedisti » [5]. — Inde illud ad filios Zebedaei: « Calicem qui- « dem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam vel

[1] *Enarr. in Psal. XXXVI,* serm. 1, n. 1.

[2] Act. I. v. 7, — Similem restrictionem habes in verbis Domini: « Ego non ascendo ad diem festum ». Id est: « non manifeste, sed quasi in occulto » (Ioann. VII, 8, 10).

[3] Ioann. VI, 37-39. — Cf. ibid. 43, 45; 65, 66.

[4] Ioann. X, 29.

[5] Ibid. XVII, 6.

« sinistram, *non est meum* dare vobis, *sed quibus paratum* « *est a Patre meo* » [1]. Quanta similitudo sit inter hunc ultimum locum cum sententia Marci de qua quaerimus, cuivis apparet. Proinde intuitu eiusdem mysterii praedestinationis, quod ad Patrem uti proprium refertur, dicere potuit Iesus, se ignorare horam praedestinatam, qua illud mysterium complebitur. Neque angelis illam Pater manifestavit, ut ita ordinis sui reparationem per agmina beatorum hominum gratuitam fore agnoscerent.

ARTICULUS III.

UTRUM ANIMA CHRISTI IN VERBO COGNOVERIT INFINITA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Praemittenda sunt quaedam principia, ex quibus rite perceptis tota solutio quaestionis quasi effluit.

a) Obiecta *scientiae visionis,* quatenus haec respicit evolutionem temporum, omniumque quae quovis instanti temporis fuerunt, sunt, vel erunt, numero *finita* dicenda sunt. — *Infinitatem* tamen quamdam veram habent ex parte *aevi* et *aeternitatis,* ratione interminabilis successionis sine fine *actuum* beatorum angelorum atque hominum.

b) Infinitam seriem comprehendere formaliter per modum *seriei,* id est, per adiunctionem numericam productae, repugnat intrinsece; at per modum *unius,* sive multitudinis, non repugnat.

c) Discrimen quod ratione perfectionis interest inter infinitum negativum *relativum* et *absolutum,* exigit ut simul aliquid possit esse sub aliqua ratione relative infinitum, quin tamen sit infinitum sub alia ratione; v. gr. infinitum ratione latitudinis, finitum ratione profunditatis.

d) Per consequens summa plurium infinitorum relativorum, maior est unoquoque singulari; sed non secundum eam rationem, secundum quam dicitur unumquodque infinitum. V. gr., numeri pares iuncti imparibus plures sunt quam solum

[1] MATTH. XX, 23.

pares; licet pares infiniti sint, et impossibile sit huic infinitati in genere parium adiungere quidquam.

e) Inde rursus sequitur: quum non sit nisi unum infinitum absolute, id est, simul sub quacumque ratione, illud unum continet in se et superat infinite infinitates omnes relativas existentes vel possibiles.

2) Hisce praemissis, iam patet solutio.

a) In scientia *visionis* Dei, anima beata Christi α) non contemplatur infinita secundum substantias vel entia, quia tempus per quod multiplicantur est finitum; contemplatur autem infinita secundum accidentia, quia actiones angelorum et beatorum per totam aeternitatem sibi infinite succedent. β) Hanc autem successionem non contemplatur per modum seriei partium accessione acquisitae, sed per modum unius, sive multitudinis unum constituentis.

b) In scientia *simplicis intelligentiae,* quatenus respicit α) *potentiam Dei,* anima Christi non videt infinita, non quasi haec infinitas in se repugnaret, sed quia haec infinitas secum ferret comprehensionem obiecti infiniti, quod repugnat; β) quatenus autem respicit *potentiam creaturae,* videt infinita, at sub ratione multitudinis, non seriei.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit infinitum privative et negative. (Vide dicenda infra.)

2. Obi. Confundit infinitum negative relativum et absolutum.

3. Obi. Ex eadem confusione formulat falsum consequens quoad comparationem inter infinita.

Sed contra est. Supra vidimus, gratiam Christi propter effectum esse infinitam [1]; non quasi de facto effectus eius fuerit infinitus, quod negavimus; sed quia in potentia debuit esse ad infinita.

In Corpore. Discursus S. Th. est clarus; sed oritur difficultas de componenda doctrina hic tradita cum art. 12. Q. XIV. primae Partis *Summae Theologicae*, ubi legitur: « Necesse « est dicere, *quod Deus etiam scientia visionis scit infinita.* « Quia Deus scit etiam cogitationes et affectiones cordium,

[1] Q. VII, a. 11.

« quae *in infinitum* multiplicabuntur, creaturis rationabilibus « permanentibus absque fine ». Iam vero hic S. Doctor oppositum prorsus docere videtur: « Quantum ad scientiam visio- « nis, *anima Christi non scit infinita, quia non sunt infinita* « *in actu*.... unde *est certus numerus,* non solum eorum quae « sunt absque generatione, sed etiam generabilium et corrup- « tibilium ». Quomodo possunt tam contraria conciliari?

Solvit quaestionem Caietanus: Hoc loco S. Thomas loquitur de numero substantiarum, seu entium; dum in articulo citato loquitur insuper de accidentibus. Quare, complendo doctrinam *Corporis* iuxta doctrinam primae partis *Summae;* concedendum est scientia visionis Christum videre entia finita, actus autem infinitos. Cf. supra 1) *a*), ubi, etsi sub alia distinctione, eamdem doctrinam tradidim[illegible] - Cf. 2) *a*).

Nec arbitrariam quis vocet solut[illegible]m Caietani. Nam ratio, quam hic in *Corpore* S. Th. adducit, aperte ostendit, eum agere de multiplicatione entium seu substantiarum, non autem accidentium seu actuum. Generationis quippe et corruptionis est multiplicare substantias.

Resp. ad 1[m]. In forma ita:

Infinitum nequit cognosci, dist.:	1) infinitum *negative*, subdist.:	nequit cognosci, nego; nequit comprehendi, concedo.
	2) infinitum *privative*, »	per modum infiniti, concedo; per modum finiti, nego.

Resp. ad 2[m]. Duo animadverte in hoc responso. 1) S. Thomas agnoscit possibilitatem seriei infinitae generationum; sibi utique in hoc constans. Docet enim alibi, non demonstrari posse repugnantiam creationis mundi ab aeterno [1]. In quo non temerarie quis a S. Doctore recesserit. - 2) Obiectum creatum, cui competit sub aliqua ratione esse infinitum, a creata vi intellectiva comprehendi potest, non quidem secundum suum *modum* infinitum, sed secundum suum *esse* finitum.

Difficultatem quam S. Thomas solvit, distinguendo inter cognitionem infinitorum per modum finiti, qui conceditur, et

[1] I. Q. XLVI, a. 2.

infiniti, qui negatur, S. Bonaventura, sibi pariter constans, solvit distinguendo inter cognitionem in habitu, quam concedit, et in actu, quam negat.

ARTICULUS IV.

UTRUM ANIMA CHRISTI VIDEAT VERBUM, SEU DIVINAM ESSENTIAM CLARIUS QUALIBET ALIA CREATURA.

I. **De ipsa Quaestione.** - Nulla in hoc articulo difficultas occurrit. Solutio danda colligitur ex omnibus dictis hucusque de fundamento visionis beatae in Christo, de perfectione eiusdem visionis, et de modo quo obtinetur.

1) *De fundamento huius visionis,* quae est maxima propinquitas possibilis ad fontem luminis seu ad Verbum. Quare super omnes angelos et homines, non solum existentes, sed et possibiles, nisi simul sint Deus, oportet Christi animam visione illustrari.

2) *De perfectione eiusdem.* Finita necessario, quia creata, visio beata Christi, quum ex Dei sapientia et potentia respondeat titulo infinito, quo maior dari nequit, est de potentia consequente Dei maxima possibilis, licet de potentia absoluta antecedente maior concipi possit.

3) *De modo quo obtinetur. a*) Modus iste supernaturalis est non solum prae natura humana, sed pariter prae angelica. *b*) Porro pro utraque natura, et pro quovis individuo utriusque, est quidem unus; at non ideo eadem est in omnibus visio, quum a capacitate videntium pendeat gradus perceptionis eiusdem essentiae.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat hoc 3) *b*).

2. Obi. Non considerat 3) *a*).

3. Obi. Non considerat 2).

Sed contra est. Procedit per viam auctoritatis iuxta 1). Concedendum tamen est, argumentum ex hoc Pauli loco deductum, non valere per se ad probandum, Christum, *adhuc in vita mortali degentem,* habuisse visionem angelica visione excellentiorem. Agit enim ibi Apostolus de gloria, in quam Christus ingressus est redivivus: « Quam operatus est in

« Christo, suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexte-« ram suam in caelestibus ». Et sequitur locus citatus [1].

Nihilominus, quum supra demonstratum sit, Christo in terris degenti visionem beatam esse concedendam, deest ratio cur haec non plena concedatur; imo adsunt rationes, cur exigatur plena. Atqui - hic inservit locus citatus - haec plenitudo describitur super omnem visionem angelicam. Ergo.

Collige, non iuxta gradum visionis beatae intelligendum esse alterum locum Scripturae: « Minuisti eum paulo minus « ab angelis » [2]; sed vel secundum perfectionem specificam naturae humanae, vel secundum statum viatoris.

In Corpore. S. Thomas argumentum solvit ex fundamento visionis, quae est ipsa hypostatica unio.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Quum scientia visionis animae Christi sit creata, nihilque creati capax sit virtutis infinitae, visio quam anima Christi habet essentiae divinae - obiecti *primarii*, infiniti - nequit esse comprehensiva (a. 1).

Quoad obiectum *secundarium* visionis, id est, rerum omnium in Verbo, anima Christi videt omnia quae sunt in ea actu, seu obiectum scientiae visionis; quoad ea, quae in ea sunt in potentia, non videt omnia, quae sunt in potentia Creatoris (esset ipsum comprehendere); sed omnia, quae sunt in potentia creaturarum. Utrumque est singulare privilegium Christi (a. 2).

Iuxta hanc visionis scientiam, anima Christi non videt in actu substantias infinitas; infinitos tamen actus, at per modum non infiniti, sed multitudinis; quin et iuxta scientiam simplicis intelligentiae, qua penetrat potentiam creaturarum, infinita pariter per eumdem modum videt (a. 3).

Tam praecellens est haec scientia visionis, ratione propinquitatis summae ad divinam Verbi lucem, ut excedat visionem cuiusvis creaturae sive humanae, sive angelicae (a. 4).

[1] Ephes. I, 20, 21.
[2] Ps. VIII, 6.

B) DE SCIENTIA INDITA, VEL INFUSA ANIMAE CHRISTI.

QUAESTIO XI.

Ordo Quaestionis. - Facilioris huius Quaestionis ordo lucidissimus est.

1) Quaeritur de *extensione* huius scientiae (art. 1).

2) Quaeritur de *modo quo* Christus ea *utitur*, an *a*) convertendo se ad *phantasmata* (art. 2); - *b*) *collative*, vel discursive (art. 3). Hic conferendo inter se 1.m et 2.m, quaeritur de *perfectione* scientiae infusae Christi relate ad scientiam *angelicam* (a. 4).

3) Quaeritur de *modo essendi* huius scientiae; - *a*) utrum *habitualis*, vel actualis (a. 5); - *b*) et si habitualis, utrum secundum habitus *diversos* (a. 6).

ARTICULUS I.

UTRUM SECUNDUM SCIENTIAM INDITAM VEL INFUSAM CHRISTUS OMNIA SCIAT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Plenitudo cuiusvis scientiae remanet intra limites ordinis secundum quem considerari potest. Quum proin visio beata sit omnino extra ordinem scientiae infusae, patet nimis essentiam Dei per obiectum scientiae infusae non comprehendi. Sed per illud *omnia* titulo inscriptum S. Thomas intendit quaerere de omnibus, quae possunt per species infusas cognosci.

2) Iam vero possibilitas intellectus possibilis consideranda est non solum secundum ea, quae via ordinaria acquirere valet ope intellectus agentis; sed etiam secundum ea, quibus capax est ut, supra ordinem communem naturae, per Deum agentem instruatur. Ergo tum veritates ordinis naturalis, tum veritates ordinis supernaturalis ad plenitudinem scientiae infusae pertinent.

3) Unde, si detur anima, quae habeat tam excellentem titulum, ut non solum exigat intellectum excultum iuxta ea quae per intellectum agentem acquiri possunt, sed et insuper iuxta ea, quae solus Deus communicare valet, oportet ut in tali anima iuxta utramque scientiam tum naturalem tum supernaturalem plenitudo scientiae infusae praedicetur. Iam vero talis erat Christus, homo perfectus et Doctor divinus caelestis sapientiae. Ergo.

4) Haec autem scientia in Christo non solum speculativa esse debuit, sed et practica, ac proin ad singularia descendens. Nam prudentiâ insignem oportet esse societatis supernae conditorem, sapientiaeque magistrum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit possibile relate ad intellectum agentem et relate ad Deum. Si unica ratio ponendi in Christo scientiam infusam, esset quia intellectus possibilis debet excoli, difficultas utique valeret. Sed probavimus supra, perfectionem etiam relate ad scientiam angelicam, ratione eminentiae, in anima Christi requiri. Ergo oportet ut utroque modo per species infusas intellectus eius illustretur.

2. Obi. Procedit ac si in Christo non esset considerandus nisi status viatoris, quod falsum est. Remittimus pleniorem huius obiectionis solutionem ad articulum sequentem.

3. Obi. Soluta patet ex dictis 4).

Sed contra est. Mirare interpretationem ingeniosam huius loci Isaiae. Tria prima: *sapientia, intellectus, scientia* reducuntur graduum instar ad scientiam *speculativam:* scilicet divinorum, immaterialium, conclusionum. Quartum: *consilium,* scientiam *practicam* exprimit. - Parumper immutando hanc interpretationem, posset quis dicere, haec tria exprimere triplicem scientiam creatam Christi: visionem, scientiam infusam et scientiam acquisitam.

Prudentia Emmanuelis prophetatur in celeberrimo Isaiae oraculo: « Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum « et eligere bonum » [1].

In Corpore. Collige ex huius articuli argumento, Christum fuisse, utpote veri Salomonis instar, maximum omnium

[1] Is. VII, 15.

doctorum, qui apparuerint unquam. Praeditus quippe intellectu excellentissimo, eumdem ab initio conceptionis suae eminentissima plenitudine excultum accepit. Potuit inde, etiam iuxta scientiam suam infusam, auctoritate summa propriam divinitatem testari, atque de sublimissimis revelationis veritatibus facere sermonem. Nihilominus ex lumine visionis tum propriam divinitatem, tum divina passim, modo adhuc longe praecellentiori intuebatur.

Reliqua patent.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS HAC SCIENTIA UTI POTUERIT NON CONVERTENDO SE AD PHANTASMATA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Homo in statu vitae praesentis ita quoad partem intellectualem a corpore suo dependet, ut sine phantasmatibus ope intellectus agentis ab exterioribus acceptis nihil cognoscere valeat, neque acquisita hoc modo scientia uti, quin se ad eadem phantasmata convertat.

2) Haec autem dependentia non est de essentia naturae rationalis; unde post praesentem vitam anima magis fit independens quoad suam cognitionem, et in gloria, quando rursus post resurrectionem accipit corpus, eidem tantopere dominatur, ut possit intelligere quin eius ope indigeat.

3) Iam vero, quum Christus fuerit simul viator et comprehensor: viator praecipue quoad statum corporis, comprehensor quoad statum animae, sequitur Christum scientia sua infusa uti potuisse ad modum comprehensoris.

4) Eadem veritas indirecte demonstratur ex ipsa extensione scientiae infusae Christi. Etenim si per hanc scientiam Christus talia cognoverit, quae per phantasmata cognosci non possunt, ad phantasmata intellectus eius quoad ea non fuit alligatus. Atqui talia ipsum cognovisse, ex ipsa perfectione eiusdem scientiae constat. Ergo.

5) Hic iam adverte, iuxta modo exposita, cognitionem veritatum revelatarum aliter et aliter possideri ab illo qui est simul in statu comprehensoris, et ab illo qui simplex est viator. Hic cognoscit eas conferendo se ad phantasmata,

non minus quam pro cognitione naturali; ille autem modo immateriali intelligit obiecta immaterialia revelationis, uti substantias separatas, quia cognitio eius tota a phantasmatibus independens intelligit res - dempta divina essentia, quam hac scientia non videt, - prouti sunt, non iuxta modum imperfectum quo ipse eas cognoscere valet.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit medium et finem. Phantasma est cognitionis medium; color, visionis finis. Proin dari potest cognitio sine illo medio; sed non visio sine hoc fine. Plura quippe media ad unum finem conducere possunt.

2. Obi. Abstrahit a statu comprehensoris animae Christi.

3. Obi. Dupliciter solvi potest. 1) Negando sensus in Christo fuisse frustra, *a*) quia ipsi inserviebant ad scientiam experimentalem, qua non caruit; *b*) quia, abstractione facta ab hac scientia, poterat Christus convertere se ad phantasmata, quasi ad testimonia veritatis ipsius scientiae infusae. - 2) Negando unicum scopum sensuum esse ut nos cognoscere faciant. Solutio haec altera non totaliter obiectionem truncat. Solutio 1) *b*), quam etiam, imo primo loco, S. Thomas habet, plenior est. Verba « poterat tamen intelligere se convertendo « ad phantasmata », si propter scientiam acquisitam intelliguntur dicta, continent responsionem *a*), quae est efficacissima.

Sed contra est. Corroboratur praesens doctrina per omnia loca Scripturae et argumenta, quibus in Christo status comprehensoris demonstratur. De quo infra in Q. XV, a. 10.

In Corpore. En paucis argumentatio. Christus, uti simul comprehensor et viator, intellexit eo modo quo beati in caelo intelligunt. Atqui post separationem a corpore, animae beatae intelligunt modo independenti a phantasmatibus, nec post resurrectionem corporum illum modum amittent. Ergo anima Christi iam in vita sua passibili et mortali, uti comprehensoris, intelligere potuit iuxta scientiam infusam, quin ad phantasmata se convertere debuerit.

Doctrina sane subtilior, quae huic argumento tanquam fundamentum inservit, modus nimirum quo animae separatae intelligunt, et quem, saltem quoad elementum perficiens, - quod est independentia a corpore uti instrumento neces-

sario - conservant in gloria corporibus redivivis rursus unitae, haec, inquam, doctrina ex professo in tractatu *de Deo Creante* investigabitur [1]. Caeterum, in quantum respicit modum operandi beatorum per corpora gloriosa, spectat ad tractatum *de Novissimis*.

Resp. ad 1m. Adverte, hoc interesse inter phantasmata et species intelligibiles, quod hae sunt repraesentativae quidditatum, illa singularium.

Doctrinam huius articuli impugnat prae aliis Durandus, contendens infusam scientiam perfecisse animam Christi formaliter ut viatoris. Sed haec positio gratuita est, saltem est valde deficiens [2].

ARTICULUS III.

UTRUM HAEC SCIENTIA FUERIT COLLATIVA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Scientia infusa tum propter originem suam, tum propter suam independentiam a phantasmatibus, iure confertur cum scientia angelica. Sed hic oritur nova quaestio. De natura est cognitionis angelicae, ut non fiat per collationem, sive discursum, sed per immediatam intellectionem [3]. E contra de natura est cognitionis humanae, ut componendo et dividendo obtineatur, id est, ut sit collativa vel discursiva [4]. Quaeritur proin de scientia infusa, utrum quoad hoc participet privilegium cognitionis angelicae, an sese accommodet conditioni generali cognitionis humanae.

2) At hic occurrit obvia distinctio: alius est discursus, qui respicit scientiae acquisitionem; alius, qui respicit usum eiusdem. Infusam scientiam excludere acquisitionem eiusdem per viam discursivam, ex ipsa definitione infusionis divinae apparet. Sed de usu, quid? an intuitivus, an collativus? Ubi adverte duplici modo intelligi posse scientiam Christi fuisse

[1] I. Q. LXXXIX.
[2] Cf. Caietanum hoc loco.
[3] Cf. I. Q. LVIII, a. 3.
[4] Cf. ibid. Q. LXXXV, a. 5.

collativam: nimirum *a*) ita ut Christus *debuerit* ea uti per discursum; *b*) ita ut *potuerit.*

Solutio S. Thomae non se extendit ultra *posse,* uti recte advertit Caietanus.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit consilium quo acquiritur conclusio practica, et consilium quo notum suadetur faciendum.

2. et 3. Obi. Vitium aperte patet.

Sed contra est. Huc faciunt omnes auctoritates quae affirmant, animam Christi fuisse *rationalem.* Talia sunt imprimis verba Pauli: « In similitudinem hominum factus » [1]; necnon Symboli Athanasiani: « Perfectus homo ex anima rationali « et humana carne subsistens » [2].

In Corpore. Adverte vim argumenti. Christus poterat tum intuitive, tum discursive uti scientia sibi infusa, secundum finem quem sibi praestatuebat. Inde sermones eius interdum sunt superne videntis, auctoritative affirmantis; interdum subtiliter arguentis, deductiones profundissimas mira promptitudine ac luciditate ingenii proferentis. Recte igitur emissarii Pharisaeorum de ipso praedicare potuerunt, neminem unquam ita esse locutum.

Et sane quaecumque eloquentiae virtutem tribuunt atque splendorem, nervus argumentationis, imaginum varietas, apologorum ubertas, haec omnia, quae pro humano sermone collationem supponunt, suadent, Christum collativo modo etiam scientia sua dum loquebatur, usum esse.

Rationem collativae scientiae cum indigentia a phantasmatibus optime S. Thomas coniungit [3]. Indigentia quippe a phantasmatibus gignit scientiam collativam, ratione *acquisitionis;* non ideo tamen ratione *usus* independentia a phantasmatibus excludit facultatem processus collativi: excludit dumtaxat eiusdem indigentiam.

[1] Philipp. II.

[2] Huc recolenda sunt, quae superius in Q. V, exposuimus.

[3] III. Sent. Dist. XIV, q. 1, art. 3, sol. 3.

ARTICULUS IV.

UTRUM HAEC SCIENTIA IN CHRISTO FUERIT MAIOR SCIENTIA ANGELORUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quantacumque fuerit in Christo eminentia dignitatis, anima eius limites humanae naturae excedere non potuit. Quum ergo anima, ratione naturae cuius est forma, cedat necessario spiritui puro, oportet ut et in scientia infusa Christi, quatenus humanae naturae rationali est accommodata, respectus adsit sub quo angelicae scientiae cedat.

2) Iste autem respectus nequit inveniri quoad influxum a parte Dei, i. e., quoad lumen illustrationis tum naturalis, tum supernaturalis. Totus proin erit a parte subiecti.

3) Iam vero heic, praeter simplicitatem uniuscuiusque speciei, - quae maior est in natura angelica, potest tamen per multiplicitatem compensari [1], - duo consideranda occurrunt: *a*) respectus intellectus possibilis ad intellectum agentem; *b*) processus collativus sive discursivus.

4) Ratione prioris, quantumque intellectus humanus illustretur speciebus infusis, remanet tamen naturaliter ad intellectum agentem ordinatus, capax proin convertendi se, quando vult, ad phantasmata. - Ratione posterioris pariter, quantacumque lux intuitiva per infusas species praedicetur, anima poterit semper ea per discursum sibi proprie naturalem, ubi voluerit, uti.

5) Colligendo proin doctrinam articulorum 1. 2. 3. huius Quaestionis, habemus: quoad 1.^{m}, scientia Christi superat scientiam angelorum; quoad 2.^{m} et 3.^{m} e contra ipsi cedit. Nulla tamen inde in Christo imperfectio sequitur. E contra, quia homo est perfectus, ita de ipsius scientia, etsi ad modum angelorum infusa, praedicandum est [2].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Considerat dumtaxat dignitatem naturae.

[1] De quo in art. 6.

[2] Collige ex his, quam gratuita sit accusatio a Cl. Schell ex hoc fonte contra scientiam Christi infusam mota.

2. et 3. Obi. Considerant unice scientiae usum, sive scientiam a parte recipientis subiecti.

Sed contra est. Distingue sensum textus. Paulo minoratus ab Angelis Christus dici posset ratione naturae. Sed haec ratio esset permanens, et secundum illam eodem modo se haberet Christus post, quo ante passionem. Agitur ergo de ratione quae per triumphum resurrectionis sublata est. Imo S. Paulus qualis sit ostendit: propter passionem et mortem. Atqui haec minoratio non afficit scientiam infusam; ergo.

In Corpore. Schemate ita comprehende argumentum:

Scientia infusa Christi fuit:
- 1) respectu ad *causam* influentem: *maior* angelicâ
  - *a)* ratione multitudinis (a. 1),
  - *b)* » certitudinis;
- 2) respectu ad *subiectum* recipiens: *minor* angelicâ
  - *a)* » phantasmatum (a. 2),
  - *b)* » collationis (a. 3).

Eodem fere modo S. Thomas procedit in III. Sent. [1]. Scientia infusa Christi est angelicâ scientiâ maior ratione limpiditatis sive certitudinis; etiam ratione specierum plurium obiectorum; - minor vero ratione generis cognitionis, propter phantasmata.

ARTICULUS V.

UTRUM HAEC SCIENTIA FUERIT HABITUALIS.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Vidimus in art. 2. et 3. scientiam infusam Christi a nostra scientia differre per hoc, quod non *debuerit* se convertere anima ad phantasmata; cum nostra autem convenire in hoc, quod *potuerit* esse discursiva. Restat igitur ut habitus rationem in hac scientia consideremus.

2) Distinctionem quoad habitum et actum supra ad mentem Angelici reiecimus, ubi de extensione obiecti secundarii scientiae *visionis* quaerebatur. Hic autem de *scientia infusa* agentes, eam admittimus. Est enim de natura intellectus nostri ut, quoad omnia quae cognoscit, non semper sit in actu.

[1] Dist. XIV, q. 1, a. 3, sol. 2.

Nec tamen est simpliciter in potentia. Status ille medius *habitus* vocatur. Ergo in anima Christi quoad scientiam infusam ponendus est habitus.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad distinctionem faciendam quoad actum et habitum inter scientiam beatam, cuius est semper esse in actu - (vides, hic confirmari doctrinam supra expositam e Comment. Lombardi), - et scientiam infusam, quae, ut ad normam scientiae humanae existat, habitus esse debet.

2. Obi. Hic tria notanda occurrunt. 1) Quaeri primo hic potest de fundamento asserti, Christum scilicet per hanc scientiam infusam cognoscere infinita. Locus Q. X, ad quem aliquae editiones remittunt, non est ad rem, quum in hac quaestione agamus de scientia *infusa,* non de *beata.*

Solvitur quaesitum hoc modo. In articulo primo huius quaestionis vidimus, animam Christi infusa scientia omnia scire, quae sunt ordinis naturae et gratiae; omnia prorsus, dempta essentia divina. Ergo obiectum scientiae infusae se extendit tam late quam obiectum secundarium visionis beatificae, quoad scientiam visionis. Atqui hoc est infinitum. Ergo.

2) Adverte cum Caietano (loco praesenti), difficultatem hic motam non unico modo solvi posse. S. Thomas recurrit in responso ad liberam determinationem voluntatis, quae requirit ut scientia infusa se ad illa infinita applicare *possit.* - Sed insuper potest distingui inter species et quaecumque per species repraesentantur. Haec quidem infinita sunt; illae vero finitae. Ita Caietanus.

3) Adde tertium. Infinita multitudo, uti supra vidimus, nequit actu ita cognosci, ut singula singulis adiungantur, vel post singula considerentur; potest tamen sub respectu unius, nempe multitudinis formalis, considerari.

3. Obi. Modo crassiori haec obiectio confundit perfectionem substantialem cum perfectione accidentali. Nec valeret haec obiectio solum de scientia habituali, sed et de actuali, quae et ipsa, dum habetur transiens, perficit, et si possidetur permanens, adhuc magis perficiens est.

In Corpore. Adverte ex ultimis verbis, - argumentum de

caetero patet, - Christum habuisse liberrimum atque expeditissimum huius habitualis scientiae usum. Consequens est, in nullo unquam homine talem exstitisse scientiam, quae scilicet tam assidue in actum constantem deduceretur et tantae esset intensitatis ac luciditatis. Inde tot parabolae, tot apologi, tot argumenta subtilissime stringentia a Christo ex tempore prolata, qualia nullus alius poeta nec orator, ne celebratissimus quidem antiquae recentiorisve aetatis, unquam protulit.

ARTICULUS VI.

UTRUM HAEC SCIENTIA FUERIT DISTINCTA PER DIVERSOS HABITUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Contulimus ad invicem in articulo 4. scientiam infusam Christi et angelorum quantum ad extensionem et usum; restat ut inter se conferantur quantum ad *habitum*. Quod praestatur in hoc ultimo articulo, ubi de diversitate habituum scientiae infusae Christi quaerimus.

2) Porro adverte, non minus angelis quam hominibus scientiam esse habitum; salva pro utrisque scientia visionis, quae semper est in actu. « Quantum ad cognitionem Verbi », ait S. Thomas [1], « et eorum quae in Verbo videt, numquam ange-« lus est in potentia, quia semper actu intelligit Verbum et « ea quae in Verbo videt. In hac enim visione eorum beati-« tudo consistit. Beatitudo autem non consistit in habitu, sed « in actu, ut dicit Philosophus in I. *Ethic.* (c. 8) ».

3) Si iam diversitas habituum scientiae attenditur, dicendum est, hanc pendere a specierum generalitate. Quo magis enim angeli hierarchice sublimantur, eo generaliores ac proin pauciores recipiunt infusas species naturae suae specificae commensuratas. Quum igitur homo, sub hoc respectu, sit natura angelis inferior, « species intelligibiles humanae menti « proportionatas » [2] oportet esse minus universales [3].

[1] I. Q. LVIII, a. 1.

[2] Cf. S. Th. Q. IX, a. 3, in fine *Corporis*.

[3] Quod discrimen certo non attendit Cl. Schell, quando reiicit doctrinam Scholae, quasi Christum faceret Angelum-hominem.

4) Iam vero ratio constituens diversos habitus scientiae praecise est in hoc, quod cognitiones secundum diversa cognoscibilium genera distribuuntur. Quare de natura cognitionis humanae est, ut plures habitus constituat quam cognitio angelica.

5) Attamen, si speciebus minus universalibus Christus cognovit, non ideo ambitus eius scientiae fuit minor; nam *numerus* specierum uberrima infusione compensavit defectum universalitatis naturae humanae inhaerentem.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Dupliciter peccat. *a*) Confundit perfectionem scientiae a parte infundentis et a parte recipientis; - *b*) in perfectione a parte recipientis confundit extensionem et modum cognitionis. Quoad hoc ultimum Christi cognitio infusa, utpote humanae naturae accommodata, cedere debuit angelicae.

2. Obi. Non considerat, fidei cognitionem inniti uni fundamento, nempe veritati Dei. Concedendum ergo est, quae fidei sunt, unius habitus rationem habere; non autem quae sunt cognitionis seu scientiae naturalis. Oportet tamen hic considerare, in Christo, propter lumen visionis superius acceptum, cognitionem supernaturalium veritatum infuse acceptam non potuisse rationem fidei habere, quin tamen ideo amitteret rationem unius habitus, ob relationem ad veritatem Dei revelantis.

3. Obi. Instantia est, hoc pacto. Si ea quae fide tenentur, rationem habent unius habitus, quia innituntur uni primae veritati: omnia quae infuse cognoscuntur, unum pariter habitum constituere debent, quia omnia cognita sunt unico lumine divinitus infuso. Solvitur difficultas per distinctionem in *Corpore* art. 1. factam. Valet obiectio pro scientia infusa secundum intellectum possibilem relate ad Deum supernaturalia revelantem; non valet pro scientia infusa secundum intellectum possibilem relate ad intellectum agentem; haec enim scientia, obiective naturalis, accommodatur conditioni naturae cognoscentis.

Sed contra est. Huc faciunt etiam efficaciter, licet indirecte, varia auctoritatis argumenta, quibus natura humana Christi per omnia nostrae naturae similis ostenditur. De quibus abunde nec semel supra egimus.

In Corpore. Confer cum doctrina huius *Corporis* ea quae S. Thomas habet in I. Q. LXXXIX. de speciebus, quibus animae separatae cognoscunt. Sicuti enim hae species cedunt speciebus angelicis; ita et in anima Christi, ratione discriminis inter naturas, quoad universalitatem eisdem cedere debent.

Fatendum tamen est, doctrinam huius *Corporis* aliquantulum contradicere doctrinae, quam Angelicus in Comment. III. Sent. exposuit [1]. Ibi, arguens ex perfectissima scientia infusa prae omni cognitione angelica, concludebat ad species maxime universales, ac proin ad habitum unicum. En ultima verba huius solutionis: « Quia ergo anima Christi habuit « scientiam magis universalem quam aliquis angelus, ideo « *non habuit diversos habitus* quibus cognosceret, sed *uno* « *habitu* omnia cognovit quae ad hanc scientiam pertinent, « quamvis diversis speciebus ».

Doctrinam hanc minus profundam esse quam doctrinam *Summae*, patet ex duplici distinctione *a*) inter universalitatem ratione extensionis, et universalitatem ratione specierum; rursus *b*) inter scientiam infusam obiective supernaturalem et naturalem.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Ope scientiae infusae anima Christi cognovit omnia scibilia tum in ordine naturae, tum in ordine gratiae seu revelationis. Non autem hac scientia cognovit essentiam Dei (a. 1). - Ita fuit haec scientia simul perficiens et humanae naturae appropriata, ut Christus ea uti potuerit sine conversione ad phantasmata (a. 2), et nihilominus, ad ipsius nutum, collative seu discursive (a. 3).

Quare scientia infusa Christi si conferatur cum scientia infusa angelorum, praestat huic quoad extensionem et certitudinem, id est, ex parte infundentis; cedit autem eidem quoad modum cognoscendi, seu ex parte suscipientis, propter collationem et conversionem possibilem ad phantasmata

[1] Dist. XIV, q. 1, art. 3, sol. 4.

(a. 4). - Cedit insuper ratione universalitatis specierum; ex qua scientia infusa, per se habitus, constituit insuper, in quantum obiective naturalis, plures habitus quam sunt secundum eamdem scientiam in intellectu angelico. Unum tamen habitum constituit scientia infusa obiective supernaturalis (a. 5. 6).

C) DE SCIENTIA ANIMAE CHRISTI ACQUISITA.

QUAESTIO XII.

Ordo Quaestionis liquet. Quaeritur primo de *extensione* scientiae acquisitae (a. 1). Dein, dato quod plena sit, quaeritur, utrum talis sit eius plenitudo, quae excludat *progressionem* (a. 2). Concessa progressione, quaeritur demum utrum Christus, secundum hanc scientiam progressionem, *ab aliis* acceperit, sive *hominibus* (a. 3), sive *angelis* (a. 4).

ARTICULUS I.

UTRUM SECUNDUM HANC SCIENTIAM CHRISTUS COGNOVERIT OMNIA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vox *omnia,* quae in titulo ponitur, non accipienda est secundum significationem absolutam, sed cum relatione ad medium quo haec scientia acquiritur, nempe ad intellectum agentem.

2) Iam vero huius intellectus est, ex obiectis sensibilibus ope phantasmatum abstrahere species intelligibiles; circa quas componendo, per synthesim vel analysim ad causas vel effectus progrediendo, vires occultas penetrando, contraria ex contrariis colligendo, mens eo promptius et plenius sibi de quacumque re scibili iudicium efformat, quo maiori pollet acie. Iam vero aciem intellectus possibilis Christi fuisse maxime penetrantem, evidenter tenendum est. Ergo potuit

Christus per medium intellectus agentis plenissimam scientiam acquirere.

3) At ne hanc plenitudinem ultra limites urgeas, duo adverte: *a*) ita accipienda est, ut aliquod tempus exegerit, antequam sese evolvere potuerit. Est enim hoc de essentia huius modi cognitionis. *b*) Insuper haec plenitudo non intelligitur de singularibus, quae non possunt sensibiliter nisi oblata sensibus cognosci; sed de quidditatibus, legibusque naturae universae.

4) Porro veritas et sinceritas huius scientiae acquisitae, ac proin etiam progressio vera quoad eamdem, nullatenus minuuntur per amplitudinem altioris scientiae, puta beatae, vel infusae. Unde quaecumque Scripturae de Christo in scientia progrediente asserunt, possunt de eadem intelligi; imo, uti mox videbimus, quae apud Patres de hac progressione dicta occurrunt, quasi semper cum hac limitatione intenduntur.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Falso supponit, scientiam per collationes varias n. 2. expositas acquisitam, non se extendere ultra obiecta quae singulariter aliquis experitur.

2. Obi. Haec obiectio valet quidem ad probandum aliquam temporis evolutionem ad plenitudinem huius scientiae exigi, usquedum numerus phantasmatum suffecerit ad colligenda, quae ad scientiam perfectam requiruntur. Non autem valet ad hoc quod intendit. Eodem enim vitio laborat, quo obiectio praecedens.

3. Obi. Falso sensu intelligit in titulo verbum *omnia*. Addendum: quae per lumen intellectus agentis sunt homini cognoscibilia. Vide responsa.

Sed contra est. Adverte, hoc argumentum ita intelligendum esse, ut cum doctrina art. 2. conveniat. Quare non agitur heic de perfectione ab initio accepta, uti pro scientia infusa.

In Corpore. Nulla difficultas, modo proportio debite teneatur inter capacitatem utriusque intellectus. Insuper adverte, hic non occurrere distinctionem, quae in quaestione praecedente facta est, inter infusionem scientiae naturalis et supernaturalis. Scientia enim experimentalis non patitur aliud obiectum quam naturale. Modus tamen illud percipiendi potest solitas naturae vires excedere.

Resp. ad 3^m. Collige ex hisce scalam quadruplicis scientiae Christi.

1) Scientia divina *increata* Christi omnia prorsus continet;
2) » humana creata *visionis beatae* amplectitur essentiam divinam, et *in ea* omnia quovis tempore existentia, et de potentia creaturae possibilia intuetur;
3) » » *infusa* non videt essentiam Dei; reliqua videt *in seipsis* omnia (modo dicto);
4) » » *acquisita* solum se extendit ad omnia quae per intellectum agentem cognoscibilia sunt.

Animadverte autem heic, spatio distantia se habere ad hanc scientiam eodem modo quo praeterita et futura. Naturaliter, uti in se singularia sunt, non possunt cognosci; possunt tamen secundum similitudinem, iuxta illud Ecclesiastis: « Quid est « quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum « est? ipsum quod faciendum est » [1].

Quaeres de certitudine doctrinae in praesenti articulo a S. Thoma expositae, quoad universalem perfectionem huius scientiae acquisitae. — Placet afferre verba Card. Toleti, viri sane ingenii sinceritate clarissimi. « Dubium est, an Christus « omnium rerum, quae naturaliter sciri possunt virtute intel- « lectus agentis, habuerit scientiam. — S. Thomas enim putat « quod sic; contrarium tamen tenent Marsilius [2], et Gabriel [3] « et Durandus [4]. Hi tenent, quod multa cognovit per expe- « rientiam, a quibus multa alia suo mirabili ingenio deduxit; « non tamen omnia, quae naturaliter sciri possunt. Et pro- « fecto ista sententia mihi placet; nec in opinione S. Thomae « ego video necessitatem ullam, aut probabilitatem sufficien- « tem ». Et pergit negando *a*) necessitatem, ex scientia beata et infusa Christi, necnon ex perfectione ipsius scientiae acquisitae; – *b*) probabilitatem, ex disproportione inter tam universalem scientiam et media quibus Christus eam acquirere potuisset; insuper discurrendo per varias artes et etiam, cum Marsilio, per nonnulla, quorum experimentalis scientia cum

[1] Eccl. I, 9.
[2] Q. X, art. 2, dub. ult.
[3] Dist. XIV, q. un., art. 2, concl. 4.
[4] Dist. XIV, q. 4.

sanctitate status Christi pugnabat. — Sed in hoc arguendi modo, praesertim quoad ultimum, confunditur ipsa singularium per sensus experientia, cum notione ope analogiae seu collationis ex aliis deducta. Putamus igitur non esse rationem cur tantopere a sententia divi Thomae recedatur, dummodo haec ipsa sententia non ultra limites indiscrete et curiosius protrahatur.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS IN HAC SCIENTIA PROFECERIT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Tam lucide **S. Bonaventura** argumentum praesentis articuli circumscribit, ut ab huius Doctoris expositione exordiri lubeat, licet ab Aquinatis sententia in fine deficiat. « Praeter scientiam quam anima Christi « habuit in Verbo, duplicem habuit cognoscendi modum...., « habuit enim cognitionem simplicis notitiae in intellectu, et « cognitionem experientiae in sensu. Cognitio simplicis noti- « tiae consistebat in habitibus et speciebus ipsi animae Christi « inditis a primordio suae conditionis ex beneficio Conditoris. « Cognitio vero experientiae consistebat in usibus sensuum « exteriorum. Quoniam ergo habitus et species impressae fue- « runt ipsi animae Christi in omnimoda plenitudine, hinc est « quod Christus proficere non potuit cognitione simplicis « notitiae. Quia vero sensus exterior ad aliquid convertebа- « tur de novo, ad quod prius conversus non fuerat, hinc est « quod cognitione experientiae proficiebat. Iuxta quod dicit « Ambrosius quod in eo sensus proficiebat humanus » [1]. Paulo inferius Doctor Seraphicus discrimen inter talem profectum in Christo et in nobis ostendit his verbis. « Ille autem profectus « scientiae experimentalis in Christo in duobus differebat a « profecto cognitionis nostrae. In uno videlicet quod Christus « non proficiebat veniendo in notitiam rei prius incognitae; sed « quod prius cognoscebat uno modo, scilicet per simplicem « notitiam, cognoscebat alio modo, scilicet per experientiam. « In alio etiam differebat: quia profectus noster est secun-

[1] III. Sent. Dist. XIV, a. 3. q. 2.

« dum existentiam, profectus vero Christi erat solum secun- « dum apparentiam ».

2) Porro adverte, *profectum* intelligi posse dupliciter: *a*) secundum meram successionem perceptionum, *b*) secundum cognitionem scientificam inde acquisitam. *a*) Prior profectus est de essentia perceptionis per sensus, et staret cum scientia experimentali perfecta ab initio, si haec dari posset. Nisi enim perceptio per sensum veram notitiam communicet naturae percipientis accommodatam, non est nisi mechanica fictio perceptionis. — *b*) Alter profectus scientificus est, de quo directe in hoc articulo quaeritur. Hunc alterum profectum Seraphicus negat.

3) Iam vero ratio admittendi hunc profectum (*b*) est duplex. α) Prior est naturalis organorum evolutio, quae aliquid temporis exigit, et secundum quam in Evangelio *sapientia* unitur *aetati,* ubi pueruli Iesu profectus describitur [1]. - β) Altera ratio est sufficiens phantasmatum diversorum perceptio, ut intellectualis vis etiam maxime expedita scientiam plenam ex illis efformare valeat. Haec ratio praecipua est; imo secundum quaedam usque ad finem vitae Christi Domini valuit. Secus non recte ad acquisitam scientiam Christi affirmandam S. Thomas superius argumentum sumpsisset ex verbis S. Pauli: « Didicit *ex his quae passus est,* obedientiam » [2]. - Hanc rationem Cl. Billot non omnino satis considerasse videtur.

4) Iure igitur dici potest, scientiam acquisitam Christi usque ad plenitudinem aetatis eius, id est, usque ad eius mortem progressu naturali crevisse, propriamque perfectionem attigisse.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Gratuito procedit. Confundit causam efficientem, quae diversa est in scientia acquisita, talisque generis, ut repugnet ipsi perfectio ab initio.

2. Obi. Confundit perfectionem simpliciter, cum perfectione secundum quid; quae rursus potest considerari secundum naturam agentis, vel secundum tempus. Sufficit perfectioni

[1] Luc. II. — Difficultates ab hac organorum evolutione petitas non pauci theologi, inter quos Vasquez, etiam pro infusa scientia urgent. Remittimus hanc partem argumenti usque ad Q. XXXIV.

[2] Hebr. V, 8.

Christi ut habuerit in quovis tempore totam perfectionem, quam scientia acquisita secum ferre poterat.

3. Obi. Confundit progressum secundum scientiam infusam et secundum scientiam acquisitam.

Sed contra est. Iuxta hanc scientiam acquisitam intelligenda sunt, quae S. Patres de augmento scientiae sive sapientiae Christi scribunt. Ita *S. Ambrosius* progressionem veram agnoscit: « Quomodo proficiebat sapientia Dei? Doceat te « ordo verborum. Profectus est aetatis, et profectus sapien- « tiae, sed humanae est. Ideo aetatem ante praemisit, ut « secundum hominem crederes dictum. Ætas enim non divi- « nitatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat aetate hominis, « proficiebat sapientia hominis », etc. [1]. Ne autem putes, ideo eumdem doctorem in Christo homine altiorem scientiam non agnovisse, accipe sequentia verba ex sermone in Ps. XXI. desumpta: « Vestem autem eius, quae non erat consueta, « sapientiam eius caelestem possumus approbare, quia erat « desuper contexta. Nostra enim sapientia, hoc est humana, « consuitur. Asseritur enim cum liberos damus ad studia « grammaticis, tradimus philosophis; erudimus eos, ut sapien- « tia in illis, quae non erat, acquiratur. Domini autem sapientia « non asserta est, non quaesita. Non enim didicit a Magistro, « sicut ipsi Iudaei dicunt: " Quomodo hic litteras novit, quum « non didicerit? " Et ipse dicat: " Mea doctrina non est mea, « sed eius qui misit me " [2]. Hoc est quod ait, desuper con- « texta ». Porro hic non agi de scientia Christi uti Verbi, sed uti a Verbo illuminati, ex contextu patet.

Idem valet de *S. Fulgentio,* quem supra usque ad excessum quamdam scientiam visionis in anima Christi extulisse vidimus. Et tamen ille idem de Christi scientia acquisita scribit: « Sicut carnis est aetate proficere, sic est animae sapien- « tia et gratia profecisse; quae tamen in sapientia nullatenus « proficeret, si naturalem intelligentiam, quae hominibus

[1] *De Incarn.,* c. VII, n. 72. *P. L.* t. XVI, col. 872. — Et applicans ad hoc argumentum verba Isaiae: * « Priusquam sciat puer patrem aut matrem, accipiet vir- « tutem Damasci et spolia Samariae », ait: « Sapientiam enim Dei futura et occulta « non fallunt. Expers autem agnitionis infantia, per humanam utique imprudentiam, « quod adhuc non didicit, ignorat ».

[2] IOANN. VII, 16.

* Versio antiqua, VIII, 4.

« rationis causa concessa est, non haberet » [1]. Unde apparet, S. Fulgentium, - scribebat enim ad Trasimundum regem Vandalorum, - ex hoc testimonio Scripturae argumentum et quidem efficacissimum desumpsisse ad geminas in una Christi persona perfectas naturas vindicandas [2].

Eadem ratio impulit alios Patres ut eidem textui Scripturae insisterent. Ita contra Apollinaristas *S. Epiphanius* scribit: « Quippe si ab humana mente vas illud alienum exstitit, « quomodo in sapientia procedebat? Et si mentis expers fuit, « quomodo sapientia ipsa in anima procedebat et corpore? » [3]. - Nec aliter *Proclus:* « Ipse est unus et solus filius, qui ante- « quam esset Abraam, extitit, et novissimis temporibus pro- « cessit sapientia et aetate secundum carnem. Etenim illius « divinitas semper id obtinet, quod perfectum est » [4].

Simili modo contra Eutychen arguit *Vigilius:* « Non enim « naturae Verbi est confortari, cum ipsa sit virtus; nec cre- « scendi augmenta suscipere, cum perfecta sit in seipsa; nec « sapientia impleri, cum ipsa impleat omnia, etc. Quia ergo « Verbi naturae ista non conveniunt in Christo, carni eius « congruant necesse est: secundum quam iure dicitur servus « electus, iure confortatus, iure sapientia impletus, iure cre- « visse... » [5]. Et contra Eunomium *S. Cyrillus* Alex.: « Qui enim « progressionem ullam caperet; aut quomodo imperfectus « esset ille, qui est aequalis Deo? Necesse est enim et illum « esse imperfectum, cui est aequalis, si sic habet Filius eius, « ut vos dicitis » [6]. Quam argumentationem suam fecit postea *Rupertus* noster. Citato Isaïae textu de Spiritu super Christum quiescente, ait: « Quia ille in quem haec dicuntur, cum non « tantum homo, sed et Deus sit, licet secundum humanita- « tem, sapientia, aetate, et gratia profecerit: attamen secun- « dum id quod est et erat Deus, nullum profectum habuit:

[1] *Ad Trasim,* l. I, c. 8. — *P. L.* t. LXV, col. 231, sq.

[2] Eodem modo probabilius concilianda sunt, quae Leontius Byzantinus habet l. II, ctr. Nest. et Eutych. (*P. G.* t. LXXXVI, col. 1321), ubi in Christo viatore visionem beatam agnoscit; et alibi, de Sectis, art. 10, ubi magis Agnoëtarum placitis indulgere videtur.

[3] *Haer.,* 77. n. 26. — *P. G.* t. XLII, col. 680.

[4] Epist. ad Armen. — *P. G.* t. LXV, col. 869.

[5] *Ctr. Eutych.,* l. V. — *P. L.* t. LXII, col. 143.

[6] *Thesaur.,* 28. — *P. G.* t. LXXV, col. 424.

« sed cum esset ipsa sapientia, de superius suis ad ima nostra « descendit. Verum creatura non solum humana, sed et ange- « lica profecit » [1].

Imo S. Cyrillus ulterius progrediens necessitatem inducit oeconomiae secundum quam Christus ita profecit: « Facile « hoc fuisse Deo, ait, admirabilem quandam ab infantia in « assumpto homine sapientiam exhibere: sed hoc monstri « simile futurum fuisse, et ab Incarnationis rationibus alie- « num. Quippe mysterium ipsum tacite ac sine strepitu gere- « batur. Itaque dispensatione quadam permittebat, ut in seipso « humanitatis praescripta valerent » [2]. At penitius verba ponderanti apparet, haec verba non esse intelligenda ad exclusionem altioris scientiae a Verbo immediate animae Christi collatae [3]. Unde falso argueret quis ex huiusmodi sententiis ad impugnandam ex patristica traditione scientiam visionis, quae a theologis unanimi consensu tempore Scholae in Christo praedicatur.

In Corpore. Schema sequens contrahit totum argumentum:

Profectus scientiae in Christo

- 1) secundum *effectum* seu manifestationem: — omnino *admittendus;*
- 2) secundum *habitum scientiae:*
  - *a)* in scientia *infusa negandus;*
  - *b)* in *acquisita, concedendus* non solum quoad experientiam, sed et *quoad essentiam.*

Quo ex *Corpore* duo fluunt. 1) S. Thomas ulterius progreditur quam S. Bonaventura. Etenim discrimen alterum quod Seraphicus affirmat inter nostram cognitionem acquisitam et cognitionem Christi, Angelicus reiicit. Sanctus Bona-

[1] In *Genes.*, l. I, c. 21. — *P. L.* t. CLXVII, col. 218.

[2] Dial. de uno Christo. — Cf. Pasch. orat. 17.

[3] Quin et ipse Cyrillus suggerit aperte solutionem postea a scholasticis scriptoribus probandam: « Quia magis eum in dies homines admirabantur, illorum potius « de Iesu opinio, quam illius perfecta crescebat gratia » *. Quod directe de gratia dictum, de sapientia quoque valere idem textus suadet. Et S. Ioannes Damascenus dicere non veretur: « Qui proficere ipsum dicunt sapientia et gratia, et horum « accessionem additionemque subinde suscipientem, non secundum hypostasim adorant « unionem » **.

* In Ioann., l. I, c. 17.

** (Lib. III, c. 22). — Cf. S. Beda (hom. I post Epiph.).

ventura non admittit scientiam acquisitam nisi *apparentem;* S. Thomas eam admittit insuper secundum essentiam.

2) Minus dicit appellatio *scientiae experimentalis,* quam *scientiae acquisitae.* Hanc alteram, eamque veram et sinceram cum S. Thoma tenemus.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS ALIQUID AB HOMINE DIDICERIT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Si cum S. Bonaventura tenes scientiam Christi experimentalem fuisse *dumtaxat apparentem,* iam hac ipsa affirmatione praesens quaesitum solvis. Christus scilicet apparenter se accommodavit disciplinae, nihil autem ab illa accepit. Si autem cum S. Thoma admittis scientiam acquisitam *secundum essentiam,* difficultas vera tibi superest solvenda.

2) Etenim vel negas, Christum accepisse ab homine, etiam a matre; vel concedis. - Si concedis, quomodo salvas dignitatem Summi Magistri? - Si negas, cur admittis institutionem per medium magis indignum, et quomodo impedis efficaciam medii inevitabilis? Insuper, quomodo salvas narrationem Scripturae?

3) Ad dilucidandum hoc problema adverte primo, non repugnare, imo concedendum esse, Christum sese accommodasse disciplinae humanae, etsi nihil ab ea realiter didicerit. Pertinebat enim hoc ad oeconomiam Incarnationis, qua Messiam in omnibus se gerere tanquam verum filium hominis oportebat.

4) Nec negari debet, esse de natura colloquii humani ut per prolatos sonos mentes conceptibus illustret. Sed id non producit per se nisi impressionum successionem; non autem acquisitionem alicuius veritatis nondum in hac vita cognitae [1].

5) Concedendum est proin, fieri posse ut homo cum hominibus modo solito conversetur, quin tamen unquam ab aliis notionem cuiusvis rei acquisitâ scientiâ adhuc ignotae acceperit. Dummodo ille talis ex una parte maxime expeditum

[1] Cf. in art. praecedente 2) a.

ingenium possideat ad uberrima colligenda ex phantasmatibus per sensus acceptis; ex alia parte sit maxime potens, ut impediat se unquam talibus in adiunctis poni in quibus ab alio aliquid addisceret.

6) Ut autem ita agat, requiritur ratio magni ponderis. Haec autem in quaestione nostra praesto est: dignitas videlicet Summi Magistri. Utrum autem haec dignitas excludat omnem scientiam acquisitam ut talem per viam hominum, maxime per viam Matris Deiparae, in dubium vocari potest [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Haec obiectio ex narratione evangelica petita non considerat sequentia verba textus, quae ostendunt, Iesum doctrina doctores longe superasse, nedum ab ipsis acceperit. Insuper negligit, quod n. 3. supra exposuimus, scilicet oeconomiam Incarnationis.

2. Obi. Procedit ac si humana disciplina fieret per immediatam scientiae magistri communicationem ad intellectum discipuli, quod falsum est. Per signa quippe, uti media, magister doctrinam manifestat. Iam vero quaenam signa digniora: creatio mentem Verbi reserans, an loquela mentem hominis manifestans? Sunt tamen quae creationis operibus nequeunt addisci, uti idiomata. Ad haec autem addiscenda sufficit collatio ex memoria et auditu, quin, saltem directe, disciplina accedet humana, praesertim in eo, qui scientia infusa, - ne alias superiores tangam, - perfecta pollet.

3. Obi. Subtilis haec obiectio solvitur rursus per oeconomiam Incarnationis. Cf. responsum.

Sed contra est. Confirmari potest doctrina *Corporis* per loca Scripturae in quibus Christi officium Magistri directius exhibetur. Verbis Nicodemi: « Rabbi, scimus quia a Deo « venisti *magister* » [2]; et mulieris Samaritanae: « Scio quia « Messias venit; cum ergo venerit ille, *nobis annuntiabit* « *omnia* » [3]: « Nec vocemini magistri, quia Magister vester « unus est, Christus » [4]. Corroboratur etiam indirecte ex modo quo Christus ut Magister egit erga B. Virginem et S. Ioseph

[1] Cf. dicenda in *Corpore*.
[2] Ioann. III, 2.
[3] Ioann. IV, 25.
[4] Matth. XXIII, 10.

in templo, necnon erga Matrem in nuptiis Cana. Corroboratur demum per verba turbarum: « Quomodo hic litteras scit, « quum non didicerit ? » [1].

In Corpore. Non urgenda videtur huius argumentationis vis. Est suasiva potius, quam stricte demonstrativa. Aliud quippe est, quod in ordine missionis suae Christus a nemine didicerit; aliud, quod experimentali scientia aliquid ab hominibus quibuscum conversabatur, acceperit; praesertim in his quae, utpote signa non naturalia, ab humana institutione ac disciplina per se pendent. Sed et in his non dicendum est Christum simpliciter didicisse, quum hoc modo accepta iam eminentius, idque triplici ex fonte cognoverit.

Resp. ad 2^m. Huc facit distinctio inter signa *naturalia* et *artificialia*. Natura valet ad instruendum de omnibus quae naturae sunt; non autem ad ea quae humana institutione sunt inducta; v. gr. idiomata, loquelâ et scriptione composita. Potest tamen ea aliquis, iuxta dicta superius, per experimentalem scientiam absque disciplina acquirere.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS ALIQUID ACCEPERIT AB ANGELIS.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Primo intuitu subtilior videtur haec quaestio quam praecedens, quatenus naturali ordine angeli praesunt hominibus; unde, sicut Christus assumpsit naturam angelicae inferiorem, nonne ita debuit accipere ab angelis?

2) Nihilominus solutio huius quaestionis longe facilior est, dummodo inter varios sensus vocis *accipere* recte distinguatur.

a) Primo sensu latiori *accipere* sumitur secundum quodvis genus iuvaminis, quod ab uno alteri praestatur. Hoc sensu Christum ab angelis accepisse, concedendum est. Patet enim ex traditione et Scripturis. α) Vixdum natus, per ministerium angelorum ab Herode liberatus est; β) custodem

[1] Ioann. vii, 15.

habuit, iuxta traditionem, principem militiae caelestis; γ) in deserto est ab angelis post ieiunium recreatus; δ) in horto ab angelo robur accepit; ε) legionem caelestem ad sibi succurrendum paratam in passione testatus est. Ergo de illa ab angelis acceptione dubitare non licet.

b) Strictiori autem sensu ab aliquo *accipere* dicit ab eo *instrui*. Quae acceptio a Christo relate ad angelos facile removetur. Superiores quidem angeli angelos inferiores hominesque instruunt, secundum species infusas quas in perfectiori gradu possident. Haec enim sola est angelicae illustrationis ratio. At supra vidimus, Christum, secundum infusam scientiam, fuisse ab initio conceptionis suae plenissime a Deo immediate instructum. Ergo talis acceptio ab angelis inaniter superadditur. — Nec quis dicat, species angelicas praeesse speciebus infusis Christi, quia universaliores. Nihil inde contra praesentem thesim sequitur. Etenim neque illustratione, si admitteretur, possent illae species communicari prout universaliores sunt, sed solum quatenus nondum notas veritates continent. Atqui per Christi plenam scientiam infusam substratum huic novarum veritatum acceptioni negatur. Ergo.

3) Patet ergo - quod ab initio monebamus - facilius solvi hanc quaestionem quam praecedentem, quia magis liquet independentia animae Christi ab angelica locutione secundum scientiam suam infusam, quam a locutione humana secundum acquisitam.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Mirandum sane, tantam vim passim huic obiectioni tribui. Posita distinctione inter duplex *accipere*, evanescit tota. Confer dicenda inferius, ubi de agonia Christi in horto Olivarum ex professo agetur.

2. Obi. Quae Dionysius hic ponit, pertinent ad *accipere* in sensu latiori.

3. Obi. Haec difficultas sane maior est. Procedit tamen a falsa hypothesi: eodem scilicet modo Christus quoad animam fuisse humiliatum, quo quoad corpus. Id autem negandum est. Vidimus enim supra, statum viatoris Christi praesertim corpus eius respicere.

Sed contra est. Huc facit dignitas Capitis relate ad ipsos choros angelicos. Sicut enim dedecet, Magistrum humani

generis ab homine doceri; ita quoque caput membris subiacere indecorum est.

In Corpore. Argumentum est manifestum. Vis eius residet, uti sat liquet, in *immediata* instructione animae Christi a Verbo species ipsi infundente [1]. Imo ex maiore propinquitate animae Christi ad Verbum, sequitur uberior et quasi magis immediata infusio.

Conclude ex doctrina huius articuli, missionem angeli custodis humanitatis Christi aliam fuisse quam aliorum angelorum ad alios homines. Nos accipimus non solum gubernationem externam pericula removentem, sed et internam, qua mens et cor ad veritates et bonos influxus accipienda iuvantur. Christus autem a custode suo nullam in anima illustrationem veram accipere potuit.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Per scientiam acquisitam veram - non solum experimentalem - anima Christi debito tempore perfectissime cognovit, quaecumque ope intellectus agentis acquiri possunt (a. 1). - Quum autem de essentia huius scientiae sit, ut non tota ab initio existat, quoad hanc scientiam admittendus est in anima Christi progressus verus, non solum secundum manifestationem sive effectum, sed secundum essentiam seu habitum (a. 2).

Non ideo tamen Christus, licet inter homines excrescens, ab hominibus accepit. Disciplinae externae iuxta oeconomiam Incarnationis se accommodare visus est; attamen, utpote Magister omnium, a nullo homine vere accepit (a. 3). - Neque ab ullo angelo; caput quippe angelici ordinis, immediate ab ipso Verbo sibi personaliter unito Christus omnium rerum scientiam infusam angelicae scientiae superiorem edocebatur (a. 4).

[1] Cf. Q. IX, a. 3 corp.

C) - DE POTENTIA ANIMAE CHRISTI.

QUAESTIO XIII.

Ordo Quaestionis. - 1) Primo quaeritur, utrum anima Christi habuerit omnipotentiam *simpliciter* (a. 1).

2) Hac negata, quaeritur de triplici gradu omnipotentiae *secundum quid: a*) respectu *immutationis rerum,* quae rursus secundum universalitatem negatur (a. 2); - *b*) respectu *proprii corporis,* quae sensu debito conceditur (a. 3); - *c*) respectu *executionis propriae voluntatis,* quae rursus, imo magis conceditur, at cum alia quadam distinctione (a. 4).

ARTICULUS I.

UTRUM ANIMA CHRISTI HABUERIT OMNIPOTENTIAM SIMPLICITER.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Uti iam diximus in exordio Quaest. X, Scholastici tam alte sentiebant de scientia animae Christi, ut quaestionem moverent, cur ipsi non eodem gradu omnipotentia collata sit, quo omniscientia.

a) Respondet *Lombardus,* quia anima per illustrationem divinam capax est recipiendi omniscientiam, non autem capax est portandi omnipotentiam. Quam sententiam dure explodit Petavius [1]. Et sane dupliciter peccat: α) nimis concedit, Dei omniscientiam animae Christi tribui; β) urget nimis discrimen inter utramque perfectionem.

b) Cautius inde *S. Thomas* commentans Magistrum [2], in articulo cui titulus: « Utrum anima Christi habuerit omni- « potentiam sicut et omnium scientiam », distinctionis rationem clare exponit his verbis: « Universalitas possibilium Deo « mensuratur divinae essentiae; quia secundum hoc infinita « potest, quia habet esse non limitatum. Sed universalitas

[1] Loc. cit.
[2] III. Sent. Dist. XIV, q. 1. a. 4.

« eorum quae scit scientia visionis, non commensuratur essen-« tiae eius ». Aliis verbis, aliquo modo negatur suppositum comparationis: Omniscientia Christi non est omniscientia simpliciter; proin nil mirum, si anima Christi neque sit omnipotens.

c) Iisdem quasi terminis quaestionem inductam, *S. Bonaventura* solvit his verbis profundae doctrinae: « Sicut soli « Deo convenit summa stabilitas, summa simplicitas, summa « etiam immensitas: sic etiam omnipotentia, quae necessario « requirit ista tria. Et ideo omnipotentia communicari non « potest alicui creaturae, nec animae Christi, nec alii ».

Quid autem de comparatione secundum Seraphicum? Posse scire omnia, est potentia passiva; posse facere omnia est potentia activa. — Sed sibi obiicit: « Scire non tantum « est pati, verum etiam agere ». Optima obiectio, quam, iuxta doctrinam supra minus probatam, ita solvit: « Hoc est verum « de scientia actuali,.... sed non est verum de cognitione habi-« tuali » [1].

2) Nos tenemus, scientiam quae simpliciter omniscientia est, supponere vim intellectualem infinitam, quae non minus repugnat in creatura quam omnipotentia. Magis tamen haec altera repugnantia percipitur, quia ab omnipotentia directe ad essentiam infinitam concludimus; dum ab omniscientia nonnisi mediante actu infinito ad eam pervenimus.

3) Quo melius autem doctrina pateat hac tota quaestione contenta, prae oculis habenda est distinctio eamdem complectens. Anima Christi considerari potest vel *a*) uti est in se viribus naturalibus instructa, *b*) uti a Verbo tanquam instrumentum operationis assumitur. In quaestione de scientia animae Christi simile quid occurrit. Acquisita scientia est animae Christi propriis viribus relictae; infusa vero ac imprimis beata sunt eiusdem animae supra modum naturalem a Deo illustratae. Optime proin S. Th. in resp. ad 2^{m}. potentiam instrumentalem confert cum scientia infusa. - Non ideo tamen haec comparatio adaequata censenda est. Potentia enim instrumentalis magis habet de ratione transeuntis quam scientia infusa.

[1] Loc. cit., a. 3, q. 2.

4) Etsi n. 2. diximus, perfectam omniscientiam non minus requirere ens infinitum, quam simpliciter dictam omnipotentiam, non tamen inde sequitur, omniscientiam *secundum quid* non latius patere quam omnipotentiam. Rationes ad hoc alterum negandum sunt sequentes. *a*) Omniscientia intelligi potest intensive et extensive; omnipotentia hanc distinctionem non accipit. - *b*) Omnisciens secundum quid potest scire seipsum; omnipotens secundum quid non dicitur relate ad seipsum. - *c*) Creationis actus aliqualiter ab omnisciente cognosci potest; non autem nisi Deo possibilis est. - (At e converso adverte, potentiam esse posse ad annihilandum, scientiam vero in nihilum non dari, nisi de modo quo res in nihilum redigatur). - *d*) Scientia continet speculativa et practica; potentia est de practicis tantum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Haec obiectio intelligit verba Ambrosii secundum naturam assumptam; dum intelligenda sunt secundum personam in natura assumpta. Ita iam optime Lombardus eumdem locum solverat.

2. Obi. Vide dicta superius, necnon infra complenda.

3. Obi. Supponit, tam late se extendere scientiam speculativam quam practicam, quod falsum est: tum *a*) ratione extensionis, quae maior est in speculativa; tum *b*) ratione intensionis, quae maior est in practica, nisi pro Deo.

Sed contra est. Adducenda hic sacra orandi formula: « *Omnipotens sempiterne Deus* ». Quae sane formula tam solemnis non usurparetur, nisi omnipotentia solius esset Dei. — Insuper huc faciunt loci, in quibus Christus ex omnipotentia, qua simul cum Patre operatur, divinitatem suam demonstrat. « Pater meus ... operatur, et ego operor » [1]. Quae argumentatio iam minus esset directe fundata, si quoad animam Christus esset omnipotens. Indirecte tamen adhuc valeret, quum ratio huius participatae omnipotentiae esset ipsa unio hypostatica. Imo a Christo in discipulos transit ad manifestandam apertius sublimitatem in capite [2].

In Corpore. Praemittit S. Thomas, hanc quaestionem sol-

[1] Ioann. v, 17.

[2] « Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, « et maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado » (Ioann. xiv, 12).

vendam esse iuxta distinctionem utriusque naturae in Christo. Hinc vides, cur Augustinus de Roma, ponens naturam humanam in Christo esse personam Verbi, Christum ut hominem omnipotentem dicere debuerit.

Caeterum argumentum Angelici ad hoc reducitur:

1) Demonstrat, potentiam activam consequi naturam. - 2) Ex hoc axiomate ostendit: *a*) omnipotentiam consequi naturam divinam, quia se extendit ad omnem rationem entis; *b*) non autem consequi naturam humanam, quae non se extendit ad totam rationem entis; nec proin consequi animam Christi, quae pars est ipsius naturae humanae.

Resp. ad 2^m. Hoc ordine S. Th. in abigenda obiectione incedit. 1) Affert rationem quae negat paritatem inter scientiam et potentiam activam, eamque discussam reiicit. - 2) Aequiparat scientiam Christi cum eius potentia, quatenus utraque deficit: *a*) scientia, quoad modum cognitionis, et quoad universalitatem eiusdem; *b*) potentia, quoad universalitatem et virtutem. - 3) Correcta ita ratione insufficienti in 1° exposita, ostendit discrimen verum inter scientiam et potentiam. Scilicet nullum est obiectum quod, ut aliquo modo cognoscatur, virtutem exigat infinitam. Quoad potentiam vero tale datur: nempe creatio, et imprimis creatio sui ipsius.

Attamen si consideretur ille respectus qui divinae scientiae proprius est, nempe causalitas eiusdem, nexus paritatis inter divinam scientiam et potentiam arctior apparet. Tunc enim omnis scientia divina, saltem illa approbationis plus minusve de creatione participat.

ARTICULUS II.

UTRUM ANIMA CHRISTI HABUERIT OMNIPOTENTIAM RESPECTU IMMUTATIONIS CREATURARUM.

I. De ipsa Quaestione. - 1) De rigore logico, vi praecedentis articuli, uti maxime ex resp. ad 2^m. patet, videtur ab animae Christi potentia dumtaxat excludi productio rerum ex nihilo. Unde posito quod omnipotenti virtute Dei res productae sint, quaecumque immutatio creaturarum existentium limites potentiae animae Christi non excedere videtur.

2) Sed haec instantia dupliciter peccat. Etenim *a*) conservatio rerum in existentia, eamdem virtutem supponit ac productio earumdem; - *b*) pariter reductio rerum in nihilum correspondet eductioni earumdem ex nihilo. Igitur quoad haec duo praesenti quaesito respondendum est iuxta doctrinam articuli primi.

3) Quid autem quoad immutationes reliquas?

Huc recolenda et complenda distinctio iam supra indicata. Virtus animae Christi est triplex: *a*) naturalis, *b*) gratuita, *c*) instrumentalis sub actione Verbi.

Quoad *a*) et *b*) eatenus patet potentia animae Christi, quatenus se extendunt effectus qui sunt animae convenientes secundum utrumque naturae et gratiae ordinem. - Quoad *c*) potentia animae Christi se extendit ad quaecumque portentosa quae ad Incarnationis finem conducere possunt.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Duo in hoc textu explicanda occurrunt: *a*) Qua ratione Christus dicere potuerit, se omnem potestatem in caelo et in terra habere; *b*) cur hoc post resurrectionem dixerit. Quaedam sint de utraque quaestione.

a) Si verba « omnis potestas, in caelo et in terra » intelliguntur α) dicta de vera omnipotentia simpliciter, referenda sunt ad Christum ratione personalitatis divinae [1].

Si autem β) intelliguntur dicta de omnipotentia secundum quid, instrumentali scilicet, se ad omnia extendente, quae in caelo et in terra ad opus Incarnationis spectant, referenda sunt ad Christum uti est Homo-Redemptor.

b) Atqui opus salvificum Christus per mortem suam quoad partem expiatricem, et per resurrectionem suam quoad partem instauratricem complevit; ergo post resurrectionem suam decuit ut Christus, regnum suum constituturus, ad omnipotentiam suam appellaret. Proinde « in caelo et in terra » idem in hoc loco significat ac in investitione Petri: claves quippe regni caelorum aperiunt et claudunt in caelo et in terra.

2. Obi. Confundit motionem cum qualicumque mutatione; iam vero haec altera latius patet. Vide infra in resp. dicenda.

3. Obi. Duplici vitio haec obiectio peccat: *a*) non distin-

[1] Cf. art. 1, resp. ad 1.

guit inter virtutem propriam animae Christi et virtutem instrumentalem sub agente Verbo; *b*) insuper procedit ac si miracula sese prorsus ad omnia extenderent. Prius vitium in resp. corripitur; alterum in *Corpore.*

Sed contra est. Vis huius loci ad Hebraeos est in hoc, quod S. Paulus demonstrat divinitatem Christi, afferendo de ipso testimonia quae nonnisi Deo convenire possunt. Imo v. 3. qui citatur, ad Filium applicat formaliter uti in sinu Patris est. — Huc quoque facit testimonium Dei apud Isaiam: « Glo- « riam meam alteri non dabo » [1]. Ergo oportet quod Deus sibi soli quaedam operabilia reservet; nec operabilia modo sed ipsam operandi virtutem, uti propriam.

In Corpore. En schema doctrinae heic ab Angelico expositae.

1) Ex parte *transmutationis creaturarum:*
- *a*) alia *naturalis* transmutatio: a proprio agente;
- *b*) » *miraculosa:* a supernaturali agente;
- *c*) » quoad convertibilitatem in *nihilum.*

2) Ex parte *animae Christi:*
- *a*) secundum *propriam* virtutem:
  - α) naturalem } omnia quae utroque
  - β) gratuitam } modo animae sunt;
- *b*) prout est *instrumentum Verbi:*
  - α) omnia portentosa ad finem Incarnationis conducentia;
  - β) non autem rerum conservatio, nec in nihilum reductio.

Resp. ad 2m. Habes ex hac responsione, animam Christi secundum utramque suam virtutem, propriam et instrumentalem, esse magis potentem quam supremum angelorum. Idem docet S. Thomas in Comment. Lombardi: « Credo quod omnis « potentia quae alicui creaturae communicari potest, Christi « animae communicata fuit multo abundantius, ut scilicet « materia elementaris magis obediret sibi ad nutum quam « activis qualitatibus (en 1) *a*) et *b*) schematis), vel etiam vir- « tuti caelesti; et quod magis potuisset movere caelum quam « aliquis angelus; si tamen angeli movent orbes » [2].

Resp. ad 3m. Adverte ex doctrina huius responsionis, tantopere Christum fuisse instrumentum coniunctum Verbi quoad

[1] C. XLVIII, 11.
[2] Loc. cit.

animam in ordine ad patranda miracula, ut gratiam miraculorum potuerit et in alios transfundere.

Nota. - Potestas miraculosa, sive supernaturalia producendi, quinque gradus comprehendit. Est enim:

1) Potestas sacramentalis habitualis per characterem;

2) potestas actualis per gratiam actualem gratis datam;

3) potestas habitualis per gratiam habitualem gratis datam;

4) potestas supereminens per gratiam unionis, ob rationem instrumenti coniuncti;

5) ipsa potestas divina.

Christi proin anima ratione huius potestatis quartae, quae praecedentes continet, sicuti ratione scientiae, gradum sublimissimum singulariter occupat.

Investigationem de ipsa potentia instrumentali qua Christus miracula operatus est, remittimus ad quaestionem XLIII, ubi de miraculis Christi ex professo erit agendum.

ARTICULUS III.

UTRUM ANIMA CHRISTI HABUERIT OMNIPOTENTIAM RESPECTU PROPRII CORPORIS.

I. De ipsa Quaestione. - 1) In *Corpore* praecedentis articuli vidimus, potestatem animae Christi naturalem se habere ad ea omnia ad quae anima potest. Iam specialis movetur quaestio de potestate animae Christi in proprium corpus. Quae potestas in reliquis hominibus non excedit gubernationem et ordinationem corporis, in ordine ad exercitium membrorum et facultatum, conservationemque virium per alimenta et somnum. In quibus quantopere anima ex defectu potentiae deficiat, nimis apparet, quum nec corporis staturae vel speciei, nec, saltem in pluribus, valetudinis ipsius nec longaevitatis domina sit. Quid iam de morte? quid de corporis ad animam reditu?

2) Sed in anima Chisti non sola virtus naturalis considerari debet. Adest et supernaturalis, instrumentalis sub agente Verbo. Quaeritur proin, utrum illa se extenderit ad omnia quae corpus proprium respiciunt, etiam reassumendum.

3) Porro locus prostat in hac inquisitione celeberrimus. « Ego ponam animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo « tollit eam a me; sed ego ponam eam a meipso, et pote- « statem habeo ponendi eam: et potestatem habeo iterum « sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo » [1].

Quibus ex verbis hoc modo arguitur. Christus ut homo mandatum accepit, ut animam suam poneret; ergo ut homo mandatum accepit, ut eam sumeret. Pariter: potestas ponendi animam de potestate Christi hominis intelligenda est; ergo potestas sumendi eam est ipsius ut hominis. Valet igitur laudatus textus S. Ioannis ad demonstrandum, Christi animam secundum unitae divinitatis virtutem, causam esse suae resurrectionis. Utrum autem virtute communicata ipsi instrumentaliter, quaeretur infra, ubi directe de Resurrectione Christi ex professo sermo erit [2]. Quare in praesenti articulo ab hac quaestione abstrahimus.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit utramque in Christo voluntatem; vel etiam utramque in Christi anima potentiam.

2. Obi. Supponit gratuito, Adamum in statu innocentiae habuisse quoad corpus suum illam, de qua quaeritur, omnipotentiam. Inde ab hac obiectione S. Th. occasionem desumit, ut distinguat, quid de triplici statu *innocentiae, culpae,* et *gloriae* Christus acceperit. Adverte tamen sedulo, immunitatem a peccato aliter et aliter in statu innocentiae et in anima Christi sese habuisse. Illic fuit talis, quae non excluderet possibilitatem peccandi; in Christo e contra tanta fuit, cum qua peccandi possibilitas prorsus repugnaret.

Confer heic dicta cum ultimo capite libri *De duabus naturis,* ubi Boëthius in Christo aliquid reperit triplicis status: *a)* in quo Adam conditus est: usum, scilicet alimentorum et somni; - *b)* ad quem pervenisset, si perseverasset in bono: immunitatem a voluntate peccandi; - *c)* in quem per lapsum decidit: passibilitatem et mortem.

Adverte insuper, distinctionem superius ex S. Bonaventura allatam de triplici cognitione animae Christi iuxta tri-

[1] Ioann. x, 17, sq.
[2] Q. LIII, a. 4.

plicem statum [1], non esse omnino adaequatam. Etenim cognitio per sensibilia non respondet naturae lapsae per se; sed solum quatenus ratio sinit, se per sensibilia in vitia detrahi.

3. Obi. Falso procedit, ac si influxus imaginationis ad omnes vires physicas sese ostenderet. Hodierni materialistae, ut argumentum ex miraculo deductum infirment, in idem vitium logicum cadunt. Fatendum quidem est, cum ipso S. Thoma, maximam esse imaginationis vim in corporis operationes. Imo concedendum est, ignotas nobis remanere virtutes naturales, a quibus procedere possunt quidam effectus, qui a vulgo uti portentosi solique Deo operabiles iudicantur. Nihilominus, cum eodem Angelico firmiter tenendum est, imaginationis efficaciam limitibus circumscribi. Quare, v. gr., accessum repentinum cruris novi, vel cuiusvis organi absentis, innatae virtuti imaginationis tribuere, est peccare contra sensum communem, et affirmare gratuito, quin debita proportio adsit inter causam et effectum. Conclude: cautum sit utique, imo cautissimum de miraculo singulari iudicium; firmissimum e contra de existentia eiusdem in genere et de insufficientia virium naturae ad producenda omnia. Caeterum una vere mortui resurrectio vera sufficit ad totum spiritualismum demonstrandum.

Sed contra est. Conclude ex hac doctrina, verissimas fuisse passiones frigoris, famis, lassitudinis, etc., quas Christus Dominus in humanitate sua admisit, permittendo ut vis naturae sese libere exerceret; quam vim anima actione sua propria naturali impedire non potest. Secus non esuriret, nisi qui vellet; quod quantopere falsum sit, miseria ingravescens in hac Italia, eheu! docet nimis, quum tot millia hominum cogat amoenissimum deserere caelum, ut inter borealia frigora sibi suisque, patrio solo pulsi, victum frontis sudore lucrentur.

In Corpore. Adverte, cur S. Thomas in prima parte distinctionis non loquatur de virtute naturali *et gratuita,* sicut fecit in *Corpore* articuli praecedentis, sed dumtaxat *de naturali.* In articulo praecedente agebatur in genere de quavis immutatione creaturarum; unde illustratio mentium, secundum scientiam gratuitam sive supernaturalem, erat adnumeranda

[1] Q. IX, a. 2.

inter operationes animae virtute propria, id est, non instrumentali Verbi possibiles. Hic autem quaestio circumscribitur ad ea quae respiciunt corpus. Unde nihil illae dotes ad praesentem rem conferunt.

Reliqua patent.

ARTICULUS IV.

UTRUM ANIMA CHRISTI HABUERIT OMNIPOTENTIAM RESPECTU EXECUTIONIS SUAE VOLUNTATIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - Semper magis restringitur quaestio. In praecedenti articulo actio iam considerabatur intra limites humanae naturae. Hic adhuc arctius intra ipsam animam perpenditur.

1) Iam vero hic introducenda est alia distinctio. Quae anima Christi vult, ad potentiam eius *directe* vel *indirecte* referri possunt. Directe, si commensuratio fit immediate cum ipsa potentia; indirecte, si cum alia facultate vel qualitate, quae regat aequationem inter velle et posse.

2) Haec autem qualitas rursus duplex est: *sapientia* et *sanctitas* animae Christi, quarum prior magis respicit ordinem naturalem; altera ordinem supernaturalem. Ratione quippe sapientiae, Christi anima nequit velle facere, quod facere non potest. Ratione sanctitatis, nequit velle facere, quod Deus non fieri vult.

3) Sed hic animadverte: quum ipsam Christi potentiam considerare oporteat naturaliter (cum duplici gradu supra expresso), et supernaturaliter seu instrumentaliter, oratio secundum priorem modum facta non excludit potentiam secundum alterum modum; neque potentiam habitualem, qualem Christi animae, utpote instrumento coniuncto, concedere decet.

4) Insuper, quotiescumque in Christo simul homine singulari, virtutis cultore, et homine publico, regni caelorum praecone, aliquid occurrit intentum iuxta priorem respectum, quod tamen propter alterum respectum non fiat; potest dici, ipsum voluisse aliquid, quod factum non est, quin tamen aliquid dematur potentiae ipsius in a seipso volitum. Difficultates

nonnullae ex Scripturis peti solitae peccant contra has distinctiones n. 3. et 4. positas.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat, quid intersit inter aliquem ultro ad evangelizandum populum gentilem prodire, et privatos quosdam huius populi ad se venientes non respuere. Porro Christum publicam praedicationem fidei apud Gentes non inchoasse ipsum, sed apostolis reservasse, in confesso est.

2. Obi. Non considerat distinctionem expositam sub n. 4.

3. Obi. Negligit dicta sub n. 3.

Sed contra est. Quantopere voluntas Christi cum voluntate Patris semper conforma fuerit, ac proin nil voluerit, nisi quod intuitu huius voluntatis potuerit, manifeste expressum habemus in oratione, quam Christus, Lazarum e mortuis suscitaturus, alta voce protulit: « Pater, gratias ago tibi quoniam « audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed « propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu « me misisti » [1]. Quibus ex verbis collige insuper, Christum in multis quoad publicam agendi rationem se accommodasse, « populo qui circumstabat », id est, adiunctis locorum et personarum in ordine ad fidem sibi, homini simul et Deo, plene conciliandam.

Eamdem voluntatis conformitatem, adiuncta apertissime utriusque distinctione, Christus expressit aliis verbis: « Meus « cibus est ut faciam voluntatem eius, qui misit me ». - « Non « sicut ego volo, sed sicut tu » [2].

In Corpore. Comple dicta in prima parte *Corporis* iuxta supra exposita n. 2. ex ratione *sanctitatis.*

In secunda parte habes solutionem quaesiti moti in articulo praecedenti de resurrrectione proprii corporis. De quo fusius, ubi hoc mysterium data opera tractabitur.

Quaeres. - Quomodo cum hac potestate animae Christi conciliatur locus ille, ubi, agens de apostolatu Iesu apud concives suos, S. Marcus dicit: « Et non poterat ibi virtutem « ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit,

[1] Ioann. xi, 41, sq.
[2] Ioann. iv, 34. — Matth. xxvi, 39.

« et mirabatur propter incredulitatem eorum » [1]. Quonam sensu interpretanda sunt haec verba *non poterat?*

1) Referendo simpliciter ea non ad potentiam Christi per se, sed ad potentiam propter substratum, haberemus: quum ibi non essent in Nazareth nisi pauci infirmi, non potuit virtutem ullam aliam facere. Evanesceret ita omnis difficultas. Sed haec interpretatio non videtur cum serietate huius sententiae convenire, nec cum ultimis verbis: « et mirabatur, etc. ». Unde investigemus sub hac locutione aliquid profundius.

2) Et re quidem vera miraculorum finis erat conversio ad fidem. Quare rebellante contra fidem obstinato populo, non erat cur Christus apud illum plura miracula patraret. Curatis proin paucis istis infirmis, videns incredulitatem huius populi, non potuit alia signa agere nisi inaniter, quod ipsum dedecuisset. Et sane, sicuti a se sanatis Christus dicere solebat: « Fides tua te salvum fecit, » ita deficiente fide, deficiebat, ut ita dicam, sanationi substratum.

3) At, instabis, si haec est ratio, nonne saltem sequitur, Christum non potuisse quod vellet, quum concives suos mutare non valuerit? - *Resp.*: Duplex Christi voluntas: alia humana, alia divina. Rursus divina voluntas relate ad salutem hominum alia antecedens, alia consequens. Dicendum proin, animam Christi humana voluntate ita voluisse salutem illorum ad quos praedicabat, sicuti Deus eamdem volebat, i. e.: voluntate antecedente, salutem omnium prorsus; consequente, crediturorum. Quo modo autem hoc intelligendum sit, vide ubi de divina praedestinatione et de voluntate Dei salvifica ex professo egimus [2].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Omnipotentia simpliciter, sicuti omniscientia simpliciter, solius est Dei. Sicut proin anima Christi non comprehendit Dei essentiam, nec in ea totum cognoscit obiectum scientiae simplicis intelligentiae, ita potentia ipsius non se extendit ad ea, quae creationis, conservationis in esse et reductionis in

[1] C. VI, 5, sq.

[2] *De Deo Uno*, t. II, 252, sqq.; 399, sqq.

nihilum sunt. — Nihilominus, potentiâ naturali et gratuita complectitur omnia, quae sunt animae revelatione illustratae; potentiâ vero instrumentali sub actione Verbi, complectitur omnia, quae ad opus Incarnationis spectant (a. 1. et 2).

Relate ad proprium corpus, potentia naturalis habet limites eos, quos ipsi dedit natura; nullos vero potentia instrumentalis (a. 3). Nullos insuper neutra - nec ipsa naturalis, at ratione sapientiae et sanctitatis, - relate ad executionem propriae voluntatis (a. 4).

§ II. — De coassumptis pertinentibus ad imperfectionem.

Accedimus ad alteram partem huius Capitis. Absoluta consideratione eorum quae assumpta ad perfectionem pertinent, iam ad ea quae imperfectionem per se constituunt, et quidem: A) quoad Corpus (Q. XIV), B) quoad Animam (Q. XV).

A) - De Defectibus Corporis assumptis a Filio Dei.

QUAESTIO XIV.

Ordo Quaestionis. - Primo quaeritur de necessitate pro Filio Dei assumendi corporis humani defectus (a. 1). Qua necessitate affirmata, quaeritur utrum haec necessitas ita intrinseca fuerit ut naturalis debeat praedicari (a. 2). Quo rursus concesso, instatur, et quaeritur utrum contractio vocari possit, sicuti est pro caeteris hominibus; quod negabitur (a. 3). Determinata proin, ut ita dicam, intensione huius assumptionis defectuum, quaeritur demum de eius extensione (a. 4).

ARTICULUS I.

UTRUM FILIUS DEI IN HUMANA NATURA ASSUMERE DEBUERIT CORPORIS DEFECTUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quum in praesenti quaesito agatur simul de necessitate et de convenientia, iterandae heic sunt considerationes, quas in art. 2. Quaestionis I. evolvimus, ubi de Incarnationis ipsius necessitate quaerebamus.

2) Paucis itaque rem conficere liceat. Quemadmodum ibidem distinctum est inter rationes ad *esse* et ad *bene esse*, ita heic fiat oportet. Cum hoc tamen discrimine, quod ibi agebatur de necessitate totius oeconomiae Incarnationis; heic autem solummodo de passibilitate Dei-incarnati. Supponitur proin non solum incarnatio, sed incarnatio-redemptio; seu

reparatio generis humani per viam strictae iustitiae ; in quo superius diximus excellentiam vere divinam ac infinitam Incarnationis consistere.

3) Iam vero difficultates, quae contra passibilitatem (liceat hoc nomine complecti defectus corporales, de quibus hic agatur), corporis Christi moventur, procedunt ex quadruplici fonte: *a*) ex *impossibilitate*, ratione influxus animae comprehensoris in corpus; - *b*) ex *indecentia*, ratione disproportionis inter animam et corpus; - *c*) ex *gratuitate*, ratione absentiae causae, scilicet peccati contracti; - *d*) ex *inconvenientia*, ratione nimis absconditae divinitatis.

4) Uti satis obvie apparet, omnes istae difficultates negligunt id, quod in quaestione est summum, et a quo pendet totum: finem dico ipsum Incarnationis, expiationem scilicet per strictam debiti solutionem. Quare S. Thomas optime hanc necessitatis rationem primo loco in *Corpore* ponit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit ex *indecentia* (*b*), ex disproportione inter corpus et animam; vel, si magis placet, ex contradictione quod unionis gratia tantum efficiat in animam, et tam parum in corpus. Quae contradictio solvitur per rationem adductam utrimque. Retorquetur insuper victoriosissime, si ipsa eadem ratio demonstretur exigere utrumque: ratio quippe satisfactionis per corpus passibile ab anima dignissima perfectissimo actu praestitae.

2. Obi. Procedit secundum rationem *impossibilitatis* (*a*). Est instantia urgens. Responsio qua S. Thomas recurrit ad voluntatem divinitatis, parum differt a doctrina, quam mox iuxta S. Anselmum exponemus.

3. Obi. Petitur ex *gratuitate* (*c*). Solvitur autem distinguendo inter culpam personalem illius qui poenam patitur, et culpam alterius, sive personae, sive generis, pro quo satisfacit patiens.

4. Obi. Petitur ex *inconvenientia* (*d*). De triplici ratione hic allata singillatim dicemus, ubi de responsis.

Sed contra est. Argumentum hoc modo procedit: Christus venit ut nobis auxilium afferret, teste Psalmista. Atqui, teste Paulo, non auxiliari potuit, nisi pateretur. Ergo Christus debuit venire passibilis.

Huc pertinent omnia Scripturae documenta ex quibus constat, veras fuisse Christi passiones. Quae satius erit remittere usque ad Christi passionem directe contemplandam; item ad hunc locum remittimus errores circa hanc doctrinam, necnon documenta Ecclesiae eosdem profligantia. — Confer complenda in Appendice art. 5 Quaest. seq. adnexa.

In Corpore. Argumentum procedit secundum gradationem descendentem. Principalissima ratio est ex *fine* Incarnationis; dein ratio ex *fide* in ipsam; demum ratio ex *exemplo.*

1) Porro *prima ratio* duplicem respectum importat: *conditionem* Redemptoris, et *opus salvificum.* Heic potius alter exhibetur. In *Summa ctr. Gentiles* S. Thomas priorem ita inducit: « Hoc etiam *mediatoris officium* requirebat, ut com-« munem haberet nobiscum passibilem carnem et mortalem, « cum Deo vero virtutem et gloriam, ut auferens a nobis « quod nobiscum commune habebat, scilicet passionem et « mortem, ad id nos duceret quod sibi et Deo erat commune; « fuit enim mediator ad iungendum nos Deo » [1]. Quam rationem unice, sed fusius, Angelicus evolvit in Comment. III. Sent. [2]; eamque paucis Lombardus comprehendit, ubi ait: « Suscepit enim de nostro, ut de suo nobis tribueret, et ut « nostrum tolleret defectum » [3].

2) *Secunda ratio* primo loco exhibetur a Magistro his verbis: « Ut probaretur verum corpus habere, suscepit defectus « corporis, scilicet famem et sitim, et huiusmodi; et ut veram « animam probaretur habere, suscepit defectus animae, sci-« licet tristitiam, timorem, dolorem et huiusmodi ». Unde per passiones Christi in corpore et in anima convelluntur omnes haeretici de veritate alterutrius dubitantes.

3) *Tertia* generica *ratio* est; nempe pertinet ad indolem argumentorum quae S. Thomas iam superius attulit, agens de Incarnationis necessitate.

Nec praetermitti debet hic alia ratio, quam S. Thomas in *Summa ctr. Gentiles* affert. « Per hoc magis ad spem immor-« talitatis erigimur, quod ipse de statu carnis passibilis et « mortalis mutatus est in impassibilitatem et immortalitatem

[1] L. IV, c. 55.
[2] Dist. XIV, q. 1, a. 1.
[3] Ibid.

« carnis; quod etiam de nobis sperare possumus, qui carnem « gerimus passibilem et mortalem. Si vero a principio car- « nem impassibilem et immortalem assumpsisset, nulla dare- « tur occasio immortalitatem sperandi his, qui in seipsis mor- « talitatem et corruptibilitatem experiuntur » [1].

Complebuntur hae considerationes per ea, quae infra de Christi passione dicemus.

Resp. ad 1m. Sicuti a Verbi divinitate Christus habet ut possit esse verus mediator, solutionem strictae iustitiae Patri pro peccato offerens; ita humana eius expiatio ab excellentia ipsius animae, liberrimo sanctissimoque actu corpus tradentis, dignam cum divinitate proportionem habebat.

Resp. ad 2m. Collige ex his, mortem Christi fuisse actum ab ipso moriente non solum voluntate resignationis acceptatum, sed imo voluntate impedire valentis, quin et mortem possibilem reddentis, iuxta ea quae habet hic S. Thomas, cum S. Damasceno, et quae mox S. Anselmum audiemus diserte edocentem. Ad iubentis Dei voluntatem alludit ipse Christus in passione sua, ubi Pilato respondet: « Non haberes pote- « statem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper » [2]. Non tamen iste unicus est huius loci sensus.

Resp. ad 3m. Alludit ad hanc doctrinam Lombardus quando ait: « Simplam accepit ille (Christus) vetustatem, id est poenae, « ut nostram duplam consumeret, idest poenae et culpae ». Quod dici nequiret, nisi poena suscepta esset poena culpae in illo, pro quo culpae expers, poenam suscipiens, solvit.

Resp. ad 4m. Per partes solve ita. 1) Intuitio dolorum primo aspectu obest agnoscendae maiestati: conc.; sed maxime iuvat ad agnoscendam efficaciam operis salvifici, uti ex ipso contextu Isaiae per verba sequentia abunde constat; agnita enim vi passionis mediatoris divini, per eius ignominiam cum eodem propheta in eiusdem vaticinii fine mens ad gloriae triumphum transit [3].

2) Fortitudo porro a populo iudaico, carnaliter spiritualia intelligente, expectabatur quidem externa, apparens sensibus; sed ab ipsis Prophetis, spiritualis.

[1] Loc. cit.
[2] Ioann. xix, 11.
[3] V. 10-12.

3) Utrumque verum est, sed sub diverso respectu: Deum per *infirmitatem* et per *virtutem* passionis superasse diabolum: per infirmitatem, si respicias ipsa tormenta in se; per virtutem, si animum omni dolore fortiorem, quo patiens ea superavit. - Cf. de hoc ultimo argumento S. Bonaventuram in loco mox citando, resp. ad 4m, ubi distinguit egregie inter virtutem *naturalem* (quae in casu nihil conferebat) et virtutem *moralem,* quae totum egit; inter fortitudinem *iustitiae,* quae emicuit in pugna, et fortitudinem *potentiae,* quae emicuit in praemio.

De Doctrina S. Anselmi et S. Bonaventurae.

Ex quatuor difficultatibus superius n. 3. allatis maiorem aliis iure primam (*a*) vocaveris. Quam Anselmus noster eloquenter exponit ac solvit in opere iam saepius laudato *Cur Deus homo* [1]. Postquam ad reparationem strictae iustitiae requiri simul hominem et Deum demonstravit, atque immunitatem a peccato in divina Virginis prole luculenter ostendit [2], unde concludere poterat: « Dicamus ergo quia mori non « debebit, quoniam non erit peccator », - Sanctus Anselmus ita novum instaurat quaesitum: « Nunc autem restat inda- « gare, utrum possit mori secundum humanam naturam: « nam secundum divinam incorruptibilis semper est ».

Boso mirabundus quod Magister de re tam patenti inquirat, subito prorumpit in responsum: « De hoc cur dubitare « debemus; cum ipse vetus homo futurus sit, et omnis homo « naturaliter mortalis sit? ». - Sed audacter Anselmus: « Non « puto, mortalitatem ad puram, sed ad corruptam hominis « naturam pertinere ». Quod assertum evolvit hoc sensu, quod ab origine aeque *per se* ad definitionem hominis se habuerit esse mortalem vel esse immortalem [3]; per peccatum autem hoc alterum ab eo fuerit exclusum. Unde concludit: « Quare « non sufficit ad demonstrandum, illum hominem debere mor-

[1] L. II, c. 11. — *P. L.* t. CLVIII, col. 410, sq.

[2] De quo fusius in Quaestione sequenti, et in Q. XVIII.

[3] Quam profunda sit haec doctrina, modo rite percipiatur, alibi directe evolvemus, ubi conditionem originalem hominis investigabimus.

« talem esse, hoc quia verus homo erit ». Quid iam Boso? Quanta ab exordio pronitate ac certitudine, tanta nunc timiditate: « Quaere ergo tu, inquit, aliam rationem, quia ego « illam nescio si tu nescis, qua ille probetur posse mori ». Et profunde rursus Anselmus: « Dubium non est, quia *sicut* « *Deus erit, ita omnipotens erit* ». - Et Boso: « Verum est ». - Anselmus: « Si ergo volet, poterit animam suam ponere « et iterum sumere ». Et pergit evolvendo quomodo datio sui-ipsius ex potestate ad obediendum Patri, sit in illo Homine-Deo excellentissima ratio oblationis.

Adverte, quantopere haec doctrina S. Anselmi ad verbum sequatur sententiam Salvatoris supra allatam [1]; nisi quod in textu Ioannis potestas Christi expressius exhibetur uti humana instrumentalis.

Insuper adverte, data hac explicatione totius mysterii passibilitatis Christi, omnipotentiam Christi sese, aliquo modo, eo magis exprimere, quo magis influxum divinitatis et animae beatae refraenando passionem in corpus suum et in partem inferiorem ipsius animae liberius agere sinebat.

Optime **S. Bonaventura** [2], postquam primo loco posuit rationem de pretio nostrae salutis (de fine Incarnationis), duas alias adducit: « propter exemplum virtutis, et propter fulci- « mentum nostrae fragilitatis ». Virtutes enumerat humilitatem, patientiam et pietatem, tanquam specialius per passibilitatem humanae naturae Redemptoris illustratas, « quibus « mediantibus pervenitur ad caelum, et in quibus Christus « voluit nos imitari ipsum, secundum illud: " Discite a « me, " etc. ».

Audi, quam egregie alteram fulcimenti rationem exponat: « Tertia ratio est propter fulcimentum nostrae fragilitatis, ob « quam natura rationalis habet in se difficultatem ad creden- « dum vera, et irascibilis ad sperandum ardua, et concupi- « scibilis ad amandum bona. Et ideo voluit Christus non « tantum nobis similari in natura, sed etiam in defectibus et « poenalitatibus, ut manifestando in se veritatem humanae « naturae, praeberet fulcimentum nostrae rationali ad cre-

[1] Ioann. x, 18.
[2] Ibid., a. 1, q. 1.

« dendum (en secunda ratio S. Th.); ostendendo nihilominus « immensitatem suae misericordiae per susceptionem nostrae « miseriae, praeberet irascibili fulcimentum ad sperandum; « ostendendo magnitudinem suae benevolentiae, praeberet « concupiscibili incitamentum ad se amandum ».

N. B. - De variis erroribus seu opinionibus excessivis circa passibilitatem seu corruptibilitatem corporis Christi dicemus in articulo quarto Quaestionis sequentis, ne separare cogamur quae in hoc argumento usque ad animae passionem assurgunt.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS NECESSITATEM HIS DEFECTIBUS SUBIACENDI ASSUMPSERIT.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Doctrina quam supra ex S. Anselmo praeoccupavimus, hic penitius discutienda superest. Si enim Christus suscipiendo nostram naturam non suscepit mortalitatem, nisi quia non repugnat omnipotentiae ipsius ut ab eo accipiatur, non dicendus est horum defectuum suscepisse *necessitatem;* si autem suscipiendo nostram naturam, suscepit eam uti in nobis est, at absque peccato, tunc, quum in nobis sit mortalis poenalitatibusque subiecta, hos quoque defectus per consequens suscipere *debuit.*

2) Quaestio autem praesens non est de necessitate antecedente, sed de necessitate consequente ad talis naturae assumptionem. Neque quaestio est de possibilitate, sed de facto. Iam vero, ubi agitur de facto, documenta consulenda sunt ac imprimis ipsa inspirata oracula. Audiatur proin Paulus Apostolus: « Filium suum mittens in *similitudinem* « *carnis peccati* » [1]. Porro quaenam est conditio propria carnis peccati, nisi mortalitas, corruptibilitas, passibilitas?

3) Proinde concilianda sunt haec duo: 1) Christum assumpsisse carnem naturaliter, et eatenus necessario passibilem; 2) nihilominus gratias animae beatae Christi fuisse tantas,

[1] Rom. VIII, 3.

ut corpus per se passibile impassibile reddidisset, nisi per divinam voluntatem iste animae in corpus influxus esset impeditus,

4) Quid iam de doctrina S. Anselmi supra exposita? Non ipsam S. Thomas admittit simpliciter; negat enim Beccensis quod Aquinas in hoc articulo defendit: *necessitatem* scilicet contractionis horum defectuum, quum eam restringat ad *possibilitatem*.

Ergone simpliciter Bosoni concedenda erit prima responsio, quam refellit Anselmus? — Prima pars concedenda est: Christum futurum mortalem « cum ipse vetus homo « futurus sit », consonat enim affirmationi Apostoli; alteri parti « et omnis homo naturaliter mortalis est » aliquid forte demi potest; de quo non est hic locus ex professo disserendi.

Discrimen inter doctrinam S. Anselmi et S. Thomae praesertim est in hoc, quod in doctrina Angelici maior apparet humiliatio Filii Dei et efficacior eius mediatio.

E contra textus Ioannis, in quo positio et reassumptio animae eidem potestati tribuuntur, in sententia S. Anselmi interpretationem accipit magis stringentem; nihilominus, vi rationis in resp. ad 2.m art. praec. allatae, in sententia S. Thomae veritatem suam tenet.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit necessitatem naturalem a necessitate coactionis.

2. Obi. Eodem vitio laborat.

3. Obi. Non distinguit in anima Christi inter virtutem propriam et virtutem superiorem, instrumentalem vel supernaturalem; insuper non distinguit inter potentiam absolutam et potentiam relative ad effectum determinatum.

Sed contra est. Vides ex hoc S. Pauli loco *factum* secundum doctrinam S. Th. affirmari; quin positioni S. Anselmi *possibilitas* auferatur. Confer complenda in appendice art. 5. Quaestionis sequentis adnexa.

In Corpore. En schema huius argumenti.



Adverte sedulo, S. Thomam arguere simpliciter ex natura corporis, quin appellet ad eum statum, in quem per culpam est redactum. Ratio est, quia per culpam amisit omnia quae fuerant ei supra puram naturae exigentiam gratuito collata. Vides proin, sub hoc respectu S. Thomam quasi ad verbum cum Bosone convenire.

Resp. ad 3m. Iteratur hic, quod supra haud semel dictum est, nimirum connaturalem fuisse corpori Christi impassibilitatem, ratione divinae contemplationis qua anima eius iam gaudebat. Non autem introducenda est ratio ex unione hypostatica petita. Etenim hic agimus de necessario consequentibus assumptam *naturam,* non personam assumentem.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS DEFECTUS CORPORALES CONTRAXERIT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vidimus in articulo praecedenti, ita Christum nostram assumpsisse naturam, ut debuerit ex naturae necessitate in ea esse passibilis. Quaestio iam movetur, utrum hos defectus, qui in nobis sunt effectus peccati originalis non minus quam naturae, cum eadem relatione assumpserit. Si affirmas, ecce in Christo *debitum peccati,* ac perit sanctitas ipsius immaculata. Si negas, iam eximis ipsum a necessitate eosdem defectus contrahendi, et destruere supe-

rius exposita videris; insuper, quomodo potest offerri solutio per aliquod cui demitur relatio ad culpam destruendam?

2) Omnia optime conciliantur statuendo sequentia.

a) Accipiens humanam naturam in perfecta puritate status innocentiae, Christus *ius habebat* ad eamdem assumendam cum omnibus dotibus praeternaturalibus quibus tunc ornata erat. - *b*) A fortiori talem humanam naturam assumere *potuisset.* - *c*) *Voluit* tamen illam assumere *nudam,* cum passibilitate et corruptibilitate sibi naturali, ex qua sequebatur necessitas patiendi in illa. - *d*) Eo fine id voluit, ut per istas passiones *posset satisfacere* pro generis culpa, cuius hae passiones sunt insuper poenae. - *e*) Quam poenalitatis rationem, etsi in se admittere non potuit, uti homo erat singularis, nihilominus, uti familiae humanae *membrum,* non recusare dignatus est. - *f*) Non ideo tamen eas passiones, sive hos defectus *contraxisse* dicendus est; nam con-trahere dicit trahere vel sumere sibi aliquid cum alio, uti effectum cum causa. Iam vero, dicente Apostolo, causa mortis est peccatum. Ergo Christus nequit dici mortem contraxisse. - *g*) Instabis: nonne S. Thomas supra probavit, Christum *necessario* mortem subiisse, vel mortis *necessitatem* assumpsisse? Cur autem, nisi natura nostra esset talis, cuius mors esset effectus? Nonne igitur mortalitatem contraxit, qui *causam* eius assumpsit? — Subtilis haec instantia solvitur per distinctionem inter causam *remotam* et causam *proximam* [1].

Causa quidem mortis est, humana natura; at causa remota dumtaxat, quae effectum suum non produxisset, nisi intervenisset peccatum. Quare peccatum est mortis causa *proxima* dicente Apostolo: « Et per peccatum mors » [2].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Remittimus ex toto hanc obiectionem ad partem tractatus ubi de *Mariologia.* Satis hic notasse sit, B. V. Mariam, etsi ab originali culpa immunem, nihilominus, utpote communi naturae via ab Adamo ortam, debitum [3] saltem remotum peccati contraxisse; quod sufficit ut ea defectus naturae lapsae contraxisse dicatur.

[1] Cf. *resp. ad 3.*

[2] Rom. v. 12.

[3] Quo sensu hoc debitum intelligendum sit, ibidem investigabimus.

2. Obi. Non considerat, causam mortis proximam esse peccatum, remotam dumtaxat causam esse naturam. Proin vox *contrahere* per prius ad peccatum quam ad naturam referenda est, ac proin de Christo vitanda.

3. Obi. Confundit qualitatem rei cum eiusdem causa.

Sed contra est. Verba S. Pauli directe probant ea quae supra sub littera *g*) dicta sunt, in quibus ultima quaesiti solutio reperitur.

Huc faciunt loca Scripturae in quibus praedicatur absoluta segregatio Christi a peccatoribus. Talia sunt inprimis verba S. Pauli: « Tentatum per omnia... absque peccato » [1]; « Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus » [2]. — Ad rem quoque verba Concil. Florentini: « Sacrosancta « Romana Ecclesia firmiter credit, profitetur et docet,... quod « (Christus) sine peccato conceptus, natus et mortuus, humani « generis hostem, peccata nostra delendo, solus sua morte « prostravit » [3].

In Corpore. Vides, doctrinam huius articuli inclinari aliquantulum in sententiam supra ex S. Anselmo expositam, quatenus necessitas quae in articulo praecedenti ponebatur, arctis limitibus in praesenti continetur.

Sicuti supra vidimus, sententiam S. Bonaventurae se habere respectu ad augmentum acquisitae scientiae animae Christi, ita hic sententia S. Anselmi de suscepta passibilitate ex potentia, se habet ad articulum de eiusdem contractione vel simplici susceptione. Negando enim necessitatem, Anselmus ipsum substratum quaesiti de *modo* necessitatis negavit.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS OMNES DEFECTUS CORPORALES HOMINUM ASSUMERE DEBUERIT.

I. **De ipsa Quaestione.** - Hucusque habemus Christum defectus *corporales* (a. 1) *debuisse* (a. 2) *assumere* (non contrahere (a. 3); iam quaeritur, utrum assumere debuerit *omnes*.

[1] Hebr. iv, 15.
[2] Ibid. vii, 26.
[3] *Decret. pro Iacob.* (Denzinger, op. cit., n. 602).

— Vide ex his, quam adaequate titulus quaestioni inscriptus totum argumentum comprehendat.

1) Iam vero Damascenus, loquendo in genere de passionibus quas Christus in se habuit, quae passiones partim in anima sunt, uti mox videbimus [1], egregie eas duplici epitheto contrahit: *naturales, indetractibiles.* Utrum duplex hoc epitheton respiciat defectus corporales, an prius dumtaxat, ex sequentibus patebit.

2) Porro adverte, duas dari species defectuum corporalium. Etenim dantur *a*) *naturales,* qui consequuntur ipsam naturam assumptam ut talem et ad totum genus extenduntur; *b*) non naturales, sed *personales,* qui causantur in individuis, idque vel α) ex culpa *nativa,* uti defectus alicuius membri, vel β) ex culpa *personali,* uti morbus ex inordinatione passionum contractus.

3) Christo primam speciem non detrahere, iam supra vidimus; alteram speciem constituere defectus *detractibiles,* ex sola analysi ipsorum causae apparet. Christus enim, de Virgine operante Spiritu conceptus et natus, corpus debuit habere perfectissime ordinatum [2]; nec quid inordinati in victu suo admittere potuit, quo mirabilis harmonia corporis minueretur.

4) Non isti solum defectus personales constituunt passiones detractibiles, quas Damascenus a Christo removet. Praeter nativitatem sublimem et perfectam vivendi normam, oportet in Christo perpendere plenitudinem sanctitatis et scientiae. Unde removenda ab ipso insuper sunt, quaecumque huic plenitudini contrariantur. Sunt autem pronitas in malum et ignorantia [3].

5) Hic autem quaeri potest, utrum hae passiones detractibiles, de quibus Damascenus, praeter naturales defectus (*a*), ad corporis, an ad animae defectus pertineant. Quam quaestionem solvemus in commentario argumenti *Corporis.*

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit ac si in aliis defectus *personales* (*b*) non haberent suum fundamentum in defectibus

[1] Q. XV.
[2] De hoc argumento in proxima appendice.
[3] Cf. III. Sent. Dist. xv, q. I, a. 2.

naturalibus (*a*). Quod falsum est. Etenim in lapso genere *b*) supponit *a*); non autem *a*) exigit *b*).

2. Obi. Procedit ac si eadem ratione Christus perfectiva in anima et defectiva in corpore assumpsisset. Quod rursus falsum est. Perfectiva assumpsit propter ipsamet, quia requisita ad absolutam perfectionem. Defectiva non propter ipsamet, sed solum in ordine ad expiationem. Unde perfectiva absque limite, defectiva vero cum necessitatis limite assumpsit.

3. Obi. Non considerat discrimen ratione originis inter defectus naturales et personales.

Sed contra est. Est argumentatio ex absurdo. Fatendum tamen, eam non undequaque solvere difficultatem. *Omnes* enim non solum significat omnes defectus singulos, sed etiam omnes defectuum species. Imo hic potius sensus est quaesito dandus, ne absurdum sonet nimis.

In Corpore. In prima sententia S. Th. ponit principium. Nam, uti patet ex sequentibus, semovendi defectus alii excluduntur quia contrariantur dignitati satisfacientis; alii quia satisfactioni nihil prosunt, - praeterquam quod assumentis perfectioni a parte corporis abessent.

Quo praemisso, en argumentationis schema:

Christus non omnes corporales defectus assumpsit:

1) non defectus qui obsunt perfectioni
   - *a) scientiae:* non ignorantiam;
   - *b) gratiae:* non α) pronitatem ad malum, nec β) difficultatem ad bonum.

2) nec defectus, qui non simpliciter consequuntur culpam primam:
   - *a)* vel culpam personalem, uti certi morbi;
   - *b)* vel imperfectionem generativae virtutis, uti deformitates.

3) sed defectus ita consequentes hanc culpam, ut sint simul simpliciter
   - *a)* mere *naturales*, et
   - *b) indetractibiles.*

Quaeritur relate ad 1), utrum priori loco enumerati defectus - scilicet ignorantia, pronitas ad malum et difficultas ad bonum, - pertineant ad animam, an ad corpus.

Card. Caietanus putat, agi hic de ignorantia considerata a parte corporis. Non autem eam intelligit ignorantiam quae provenit a dispositione corporali, qua minus aptus aliquis fit ad doctrinam; sed eam ignorantiam, quae naturaliter sequitur inclusionem animae in corpore, quatenus excludit illustrationem a superioribus. - Sed, si hic unice sensus intenderetur, quomodo Christus non dicendus esset in corpore accepisse hoc naturale consequens vitae animae in corpore, saltem eo gradu quem secum fert doctrina superius exposita de evolutione scientiae acquisitae?

Putamus igitur, S. Thomam hic generalius quaestionem tractare quam articulus per se ferret, et principia ministrare secundum quae iudicandum est de defectibus assumptis a Christo, sive sint simul in corpore et in anima (uti defectus primi gradus), sive in corpore tantum (uti defectus secundi gradus, licet et ipsi in animam redundare possint, uti dementia ex culpabili morbo producta). Ita intelligendum esse praesens *Corpus,* suadetur *a*) ex comparatione huius articuli cum articulo III. Sent. supra citato, ubi de defectibus indiscriminatim agitur, et ignorantia de defectu animae intelligenda est; *b*) ex applicatione sententiae Damasceni, quae non magis distinguit inter defectus corporis et animae; *c*) ex quaestione sequenti, in qua art. 2. respondet defectui dissociabili cum *gratia,* et art. 3. defectui dissociabili cum *scientia.* Putamus proin, defectus primi gradus esse defectus simul et corporis et animae, licet potius considerentur a parte corporis.

APPENDIX

De speciosa Forma Corporis Christi.

Quaestio hic moveri potest, utrum inter corporis defectus a Christo assumptos adnumeranda sit deformitas corporalis, sive pulchritudinis absentia.

Gloriosum quidem Christi corpus omni splendore sanctoque decore renitere, praeter omne dubium est. Ait enim Apostolus: « Nostra conversatio in caelis est; unde etiam Salva« torem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui « reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum cor-

« pori claritatis suae » [1]. Et Christum de morte triumphantem intuens Isaias exclamat: « Iste formosus in stola sua » [2].

Sed de specie corporis Christi mortalis quaestio moveri potest. De qua, ut ordine incedat disputatio, investigabimus breviter 1) quid doceant Scripturae, 2) quid Patres, 3) quid subsequentes scriptores, 4) quid Liturgia, 5) quid demum ratio theologica.

1) Ex *Scripturis* habemus *a*) in favorem pulchritudinis corporis Christi, α) testimonium Psalmistae: « Speciosus forma « prae filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis... Specie « tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede et « regna » [3]. Quae tamen verba non sunt ita urgenda, ac si sufficientem virtutem habere non possent, dicta de pulchritudine divinitatis [4], aut de pulchritudine animae [5], aut de pulchritudine corporis, at gloriosi [6]. Sed sensus obvius videtur sane et hanc pulchritudinem sine exclusione stadii mortalis continere. - β) Accedit Canticum canticorum, in quo gratia etiam externa sponsi celebratur: « Ecce tu pulcher es, dilecte mi, « et decorus..... Dilectus meus candidus et rubicundus, etc. « etc. » [7]. De quibus locis valet animadversio de textu Psalmistae superius facta.

b) In oppositam sententiam primo intuitu militare videntur verba Isaiae Christum prophetice contemplantis: « Non est « species ei neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus » [8]. Sed totus contextus ostendit, vatem vidisse Christum in ignominia passionis, quando corpus eius erat vulneribus vibicibusque deturpatum.

2) Fatendum nihilominus est, nonnullos *Patres* antiquos ex hoc Isaiae textu Christo mortali tribuisse corpus deforme, praecipue apud Graecos Origenes et Clemens Alexandrinus et Origenes; apud Latinos Tertullianus.

[1] Philipp. III, 20, sq.

[2] C. LXIII, 1.

[3] Ps. XLIV, 3. 5.

[4] Ita interpretantur ea S. Basilius, S. Ambrosius, S. Fulgentius, S. Cyrillus Alexandrinus, ipseque S. Augustinus.

[5] Ita Theodoretus et Isidorus Peleusiota.

[6] Ita S. Irenaeus.

[7] C. I, 15; V, 10, sqq., etc.

[8] C. LIII, 2.

a) De vera disserens pulchritudine *Clemens* ait: « Chri-
« stum Dominum ipsum aspectu deformem fuisse, per Isaiam
« testatur Spiritus. Et vidimus eum et non habebat speciem,
« nec pulchritudinem; sed forma eius indecora praeter homi-
« nes. Et quis est Domino praestantior? Verum non carnis
« pulchritudinem, quae specie quadam illudit; sed veram ani-
« mae corporisque pulchritudinem ostendit; animae quidem,
« beneficentiam; carnis vero, immortalitatem » [1]. Imo ratio-
nem ostendit, ob quam Christus corpore deformis esse voluerit, dicens: « Caput ipsum Ecclesiae Christum in carne specie
« carentem et deformem transiisse; ut nos doceret ad divini
« principii expertem speciei et corporis statum respicere » [2].
Et alibi: « Dominus non frustra voluit vili uti forma corporis;
« ne quis elegantiam et pulchritudinem admirans, ab iis quae
« dicuntur absistat » [3].

b) Non aliter sensisse *Origenem,* apparet ex modo quo obiectionem Celsi solvit. Improperabat iste Christo « corpus
« pusillum et deformem ac minime generosum ». Reponit Origenem « extra controversiam scriptum esse, Iesu corpus
« deforme fuisse; non tamen minime generosum, ut exponit
« ille » [4].

c) *Tertullianus* autem non solum Christo denegat corporis formam, sed inde magis opera eius extollit. « Sed carnis ter-
« renae non mira conditio. Ipsa erat quae caetera eius miranda
« faciebat, cum dicerent: " Unde huic doctrina et signa ista?
« etiam despicientium formam eius haec erat vox. Adeo nec
« humanae honestatis corpus fuit, nedum caelestis clari-
« tatis " ». Idque quasi a priori demonstrat: « Tacentibus
« apud vos quoque Prophetis de ignobili aspectu eius, ipsae
« passiones, ipsaeque contumeliae loquuntur: passiones qui-
« dem humanam carnem; contumeliae vero inhonestam pro-
« bavere. An ausus esset aliquis ungue summo perstrin-
« gere corpus novum, sputaminibus contaminare faciem,
« nisi merentem » [5]. Debilis sane argumentatio; nam agoniae

[1] *Paedag.*, l. III. c. 1. — *P. G.* t. VIII, col. 558, sq.
[2] *Strom.*, l. III, c. 17. — *P. G.* t. VIII, col. 1208.
[3] Ibid. l. VI$_4$ c. 17. — *P. G.* t. IX, col. 381, sq.
[4] *Ctr. Celsum*, l. VI, 75. — *P. G.* t. XI, col. 1409, sq.
[5] *De carne Chr.* c. 9. — *P. L.* t. II, col. 817. — Cf. *Ctr. Iudaeos,* c. 14.

squalor faciem Christi iam immutaverat. Insuper quoties in martyrum actibus legimus, formosos iuvenes, virgines intemeratas omni immanitate a carnificibus laceratos. Malitia quippe inhumani cordis in deturpanda specie veluti alimentum saevitiae belluanaeque voluptatis reperit, nedum ab ea detineatur.

d) Longe aliter, et sane melius *S. Chrysostomus,* utrumque testimonium Psalmistae et Isaiae componit: « Multi quippe, « inquit, ipsi haerebant amore et admiratione capti, atque « ipsum videre assidue cupientes. Quis enim discedere voluis- « set ab eo talia miracula patrante, quis non vultum eius « simpliciter aspicere et os talia loquens? Non enim tantum « ex prodigiis erat admirandus, sed etiam solus eius con- « spectus gratia multa plenus. Quod propheta indicans dice- « bat: " Speciosus forma prae filiis hominum ". Quodsi Isaias « dicat: " Non habebat speciem neque decorem ", aut ita loqui- « tur, ut qui occultam divinitatis inexplicabilemque gloriam « spectet, aut ut qui ea, quae perpessus est aliquando Deus, « exponat, tum ignominiam, quam subiit, dum ageretur in « crucem, tum parsimoniam et tenuitatem, quam tota vita in « omnibus adhibuit..... Ut enim in monte non modo concio- « nanti aderant, sed etiam silentem sequebantur, ita etiam « nunc non miracula edenti tantum haerebant, sed etiam, eo « ab hoc opere desistente, ex eius vultu magnam carpebant « utilitatem. Nam si Moyses gloria splendentem, Stephanus « angelicum vultum habuit, cogita, qualem apparentiam com- « munis Dominus habuerit. Atque forte nunc multi cupidi- « tate apparentiae eius videndae accensi sunt, sed si velimus, « ipsa longe adhuc splendidiorem videbimus. Nam si cum « fiducia et virtute vitam peragamus, in nubibus ipsum exci- « piemus, obviam ipsi venientes in immortali et incorrupti- « bili corpore » [1]. Et in Ps. XLIV, obiiciens sibi Prophetae verba, ait: « Non dicit de deformitate, absit; sed de eius con- « temptione (οὐ περὶ ἀμορφίας λέγων, μὴ γένοιτο, ἀλλὰ περὶ « τοῦ εὐκαταφρονήτου). Quum enim semel humanam naturam « suscepisset, quaecumque erant vilia et contemptibilia per- « vasit, ut qui nec sibi matrem reginam asciverit, nec tem-

[1] Homil. 27 (al. 28) in Matth. — *P. G.* t. LVII, col. 346.

« pore incunabulorum in lecto aureo positus sit, sed in prae-
« sepi, nec in magnifica domo fuerit educatus, sed in fabri
« lignarii humili domuncula.... Quoniam ergo nihil magnifi-
« cum nec gloriosum prae se ferebat, nec ullos comites habe-
« bat, nec satellites, imo vero nonnunquam etiam solus cir-
« cuibat, sicut quilibet e populo, propterea ille quidem dicit:
« Vidimus ipsum et non habuit speciem nec pulchritu-
« dinem » [1].

e) *S. Hieronymus* pluries agnoscit in facie Christi splendorem quemdam, veluti divinitatis irradiationem. Obiiciebant Porphyrius et Iulianus levitatem qua in Evangelio plures Christo adhaesisse narrantur. Reponit Hieronymus: « Certe « fulgor ipse et maiestas divinitatis occultae, quae etiam in « humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere « poterat adspectu » [2]. Unde de Christo patiente interpretatur illud, quod Isaias de vili Christi adspectu ait [3]. Conciliat ergo utrumque textum Vatis et Psalmistae, quum « ibi « ignobilitas corporis propter flagella et sputa et alapas et « clavos et iniurias patibuli commemoratur, hic pulchritudo « virtutum in sacro et venerando corpore » [4]. At virtutum pulchritudinem laudat quia maior, non quia deerat illa corporis. « Non quo divinitas Christi hominibus comparata for-
« mosior sit; haec enim non habet comparationem; sed
« absque passionibus crucis universis pulchrior est Virgo de
« virgine, qui non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est.
« Nisi enim habuisset et in vultu quiddam oculisque sidereum,
« numquam eum statim secuti fuissent Apostoli, nec qui ad
« eum comprehendendum venerant, corruissent » [5]. Ad eumdem splendorem recurrit, ut demonstret quo modo Christus, repentinam maiestatem induens, profanatores templi eiicere potuerit. « Mihi inter omnia signa, quae fecit, hoc videtur
« mirabilius esse, quod unus homo, et illo tempore contemp-
« tibilis, et intantum vilis, ut postea crucifigeretur, scribis et

[1] Verum est hoc loco S. Chrysostomum non extollere pulchritudinem physicam Christi, sed illam spiritualem, altiorem; modus autem quo obiectionem abigit, ostendit evidenter, eum nullam in Christo deformitatem agnovisse.

[2] *In Matth.*, c. IX, 9. — *P. L.* t. XXVI, col. 57.

[3] Ad cap. LIII. Isaiae.

[4] Epist. ad Principiam (65), n. 8. — *P. L.* t. XXII, col. 627.

[5] Ibid.

« pharisaeis contra se saevientibus, et videntibus lucra sua « destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam eiicere « multitudinem, mensasque subvertere et cathedras confrin- « gere et alia facere, quae infinitus non fecisset exercitus. « Igneum enim quiddam atque sidereum radiabat ex oculis « eius, et Divinitatis maiestas lucebat in facie » [1]. Putamus proin, S. Hieronymum nullo modo Christo denegasse corporalem speciem; imo potius pulchritudinem physicam in eo agnovisse, ita tamen ut pro adiunctis magis vel minus eluceret.

f) Quid *S. Augustinus?* Certum est, magnum Hipponensem verba Psalmistae pulchritudinem Christi extollentis de sublimiori Christi pulchritudine intellexisse, scilicet de divina dignitate, de forma Dei, prae qua hominis forma, licet in se speciosa, non est nisi foeditas ac veluti exinanitio dignitatis. Hoc sensu utrumque Scripturae locum in commentario evangelii Ioannis interpretatur et conciliat. « Quomodo inveni- « mus pulchrum Iesum? Speciosus forma prae filiis hominum, « diffusa est gratia in labiis tuis. Unde? Item videte, unde sit « pulcher, " speciosus forma prae filiis hominum ": quia " in « principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et « Deus erat Verbum ". Quia vero carnem suscepit, quasi foe- « ditatem tuam suscepit, idest mortalitatem tuam, ut aptaret « se tibi et congrueret tibi et excitaret te ad amandum intus « pulchritudinem. Unde ergo invenimus, quia foedus et defor- « mis est Iesus, sicut invenimus, quia pulcher et speciosus « forma prae filiis hominum? Unde invenimus, quia et defor- « mis? Isaiam interroga: " Et vidimus eum et non habebat spe- « ciem neque decorem ". Illae sunt duae tibiae quasi diverse « sonantes, sed unus Spiritus ambas inflat » [2]. Quando autem pressius verba Isaiae interpretatur, de livore passionis eadem intelligit; pulchritudinem autem huic opponit quae in ipsa deformitate passionis salvatur, quaeque in opere Christi consistit, quatenus quodcumque in Christo agnoscit fides, pulchritudine rutilat. Ita in praeambulo ad psalmum XLIV haec celeberrima habet, quae, licet longiora, ex integro afferre placet, quia intimam Augustini mentem egregie exprimunt.

[1] Op. cit., c. xxi, v. 15.
[2] Tract. ix, n. 9.

« Ecce ipse sponsus praecedat nobis. Amemus illum; aut si « invenerimus in eo aliquid foedi, non amemus. Ecce ipse « invenit multa foeda, et amavit nos. Si aliquid foedi inve- « nerimus in eo, non amemus: quia hoc ipsum quod carnem « indutus est, ut de illo etiam diceretur: " Vidimus eum, et « non habebat speciem neque decorem ". Quare? Quia non in « intellectu. Intelligentibus autem, " et Verbum caro factum « est " magna pulchritudo est. " Mihi autem absit gloriari ", « dixit unus amicorum sponsi, " nisi in cruce Domini nostri « Iesu Christi ". Parum est ut non inde erubescas, nisi etiam « glorieris. Quare ergo non habuit speciem neque decorem? « Quia *Christus crucifixus,* Iudaeis quidem scandalum, genti- « bus stultitia. Quare autem et in cruce habuit decorem? Quia « " quod stultum est Dei, sapientius est quam homines; et quod « infirmum est Dei, fortius est quam homines ". Nobis ergo « credentibus, ubique sponsus pulcher occurrat. Pulcher Deus, « Verbum apud Deum; pulcher in utero Virginis, ubi non « amisit Divinitatem, et sumpsit humilitatem. Pulcher natus « infans Verbum; quia et cum esset infans, cum sugeret, cum « manibus portaretur, caeli locuti sunt, angeli laudes dixe- « runt, magos stella direxit, adoratus est in praesepi, cibaria « mansuetorum. Pulcher ergo in caelo, pulcher in terra, pul- « cher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in « miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, « pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, « pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro, « pulcher in coelo, pulcher in intellectu ». Quae verba sane demonstrant, Augustinum praeter humiliationem crucis de nulla corporali deformitate Christi cogitasse, nec a pul- chritudine Christi non corporalem formam exclusisse. Alibi Christi pulchritudinem, quam livori passionis opponit, intel- ligit miram foecunditatem operis salvifici: « Passus est, humi- « liatus est, consputus est; non habebat speciem; homo appa- « rebat, quum Deus esset. Sed quomodo radix non est pul- « chra, sed intus habet vim pulchritudinis suae. Attendite « fratres mei, videte misericordiam Dei. Attendis arborem « pulchram, amoenam, foliis virentem, fructibus opulentam: « laudas. Delectat aliquid de fructu carpere, sub umbra eius « sedere, et requiescere ab aestu; laudas totam illam pul-

« chritudinem. Si radix ostendatur tibi, nulla pulchritudo in « ea est... Crevit Ecclesia, crediderunt gentes, victi sunt terrae « principes sub nomine Christi, ut essent victores in orbe « terrarum. Positum est collum eorum sub iugo Christi. Per- « sequebantur ante Christianos propter idola; persequuntur « idola propter Christum... Unde haec tanta pulchritudo? » [1]. Imo pulchritudinem Christi intelligit in sensu pleno, illam scilicet quam in futuro saeculo beati intuentur: « Quid est per « speciem? Speciosus forma prae filiis hominum. Quia in prin- « cipio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus « erat Verbum. Qui diligit me, inquit, mandata mea custodit; « et qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam « eum. Et quid illi dabis? Et ostendam me ipsum illi. Haec « erit species, quando faciet quod dixit: Et ostendam me « ipsum illi... Ergo quum viderimus eum sicuti est, iam transiet « peregrinatio nostra; postea vero gaudebimus gaudio ange- « lorum. Haec enim via quid est? Fides est. Propter fidem « tuam factus est deformis Christus, manet autem speciosus « Christus. Speciosus forma prae filiis hominum videbitur « post peregrinationem. Modo autem fide qualis videtur? Et « vidimus eum et non habebat speciem neque decorem, sed « vultus eius abiectus et deformis positio eius, hoc est virtus « eius; despectus et deformis positio eius, homo in plaga « positus, et sciens ferre infirmitates. Deformitas Christi te « format. Ille enim si deformis esse noluisset, tu formam, « quam perdidisti, non recepisses. Pendebat ergo in cruce « deformis, sed deformitas illius pulchritudo nostra est. In « hac ergo vita deformem Christum teneamus. Quid est, defor- « mem Christum? Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini « nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, « et ego mundo. Haec est deformitas Christi. Numquid dixi « me aliquid scire in vobis, nisi viam? Haec est via, credere « in Crucifixum » [2].

Ex his omnibus locis apparet, S. Augustinum ex una parte pulchritudinem Christi passim in sensu altiori contemplatum esse, quin tamen corporalem denegaret; ex altera

[1] Serm. 44 (al. hom. 36. ex hom. 50). — *P. L.* t. XXXVIII, col. 258, sq.
[2] Serm. 27 (al. serm. 20. de verb. Ap.). — *P. L.* t. XXXVIII, col. 181.

parte deformitatem intellexisse quidem iuxta assumptam carnem, sed pressius ob ignominiam passionis. Quare optimo iure dici potest, nullam prostare rationem ob quam thesis, cui subscribendum omnino credimus, Christum scilicet etiam in hac vita mortali fuisse corpore formosum, imo formosissimum, menti S. Augustini contraria praedicetur. Imo oppositum dicendum putamus.

3) Ex *subsequentibus scriptoribus* citare iuvat *a*) pro media aetate S. Bernardum et S. Anselmum; *b*) ex florido tempore Scholae S. Thomam et S. Bonaventuram.

a) *Aetate media* α) *S. Bernardus* diserte exponit sententiam nostram: « Legimus in Evangelio hodie, ait, quoniam « videns turbas Iesus ascendit in montem. Praedicantem « enim Dominum de civitatibus et castellis populi seque« bantur; quorum salvabat animos, sanabat corpora; et hae« rebant ei, affatu pariter et aspectu illius delectati, cuius « nimirum vox suavis et facies eius decora, sicut scriptum « est: " Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est « gratia in labiis tuis " » [1].

β) *S. Anselmus* eodem prorsus modo sentit. Pulchritudinem Christi gloriosi pluries in orationibus suis invocat atque describit: « Domine Iesu Christe, dulcissime, suavissime, pul« cherrime, speciosissime, desideratissime, Dominus meus et « Deus meus, post resurrectionem tuam quadragesimo die « vidente piissima matre tua Virgine et ineffabiliter gaudente, « videntibus amicis tuis apostolis et ineffabiliter de tua glo« rificatione laetantibus, benedicens eis ascendis in caelum « et sedes ad dexteram Patris » [2]. « Dulcissime, benignissime, « amantissime, charissime, potentissime, desideratissime, pre« tiosissime, amabilissime, pulcherrime, tu melle dulcior, lacte « et nive candidior, nectare suavior, gemmis et auro pretio« sior, cunctisque terrarum divitiis et honoribus mihi cha« rior » [3].

Iesum appellans suspirat « .... ut post te expedite in odo« rem unguentorum tuorum currens [4], usque ad tuae pulchri-

[1] Serm. 1, in fest. Omn. Ss., n. 9.
[2] Oratio 37. — *P. L.* t. CLVIII, col. 930.
[3] Oratio 17. — ibid. col. 894.
[4] CANT. I, 3.

« tudinis visionem efficaciter satiandus, quantocius te quoque « duce merear pervenire » [1]; « ... donec te in caelesti thalamo « merear videre dilectum et pulcherrimum Sponsum meum, « Deum et Dominum meum, ut ibi videns gloriosam, admi- « rabilem et pulcherrimam faciem tuam, omni dulcedine ple- « nam, cum iis quos elegisti, maiestatem supplex adorem, et « illic tandem caelesti et ineffabili repletus iubilo aeternae « exsultationis exclamem cum diligentibus te, dicens: Ecce « quod concupivi iam video, quod speravi iam teneo, quod « desideravi iam habeo » [2].

Sed et passum Iesum Anselmus talibus verbis describit, quae manifesto ostendunt, eum de formosissima specie Christi nullatenus dubitasse. Ita pie interpellat Patrem: « Numquid « non attendis, pie Pater, adolescentis Filii charissimum caput, « nivea cervice deflexa, pretiosissimam resolutum in mortem? « Aspice, mitissime Conditor, dilectae sobolis humanitatem, « et miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet « nudatum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, « decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent « brachia, pendent crura marmorea, rigat terebratos pedes « sacri sanguinis unda. Specta, gloriose Genitor, gratissimae « prolis lacerata membra, et memorare benignus, quae mea « est substantia » [3].

b) Tempore *Scholae* α) *S. Thomas* disertissime thesim nostram exponit ac vindicat. In ps. XLIV, commentans versum: « Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia « in labiis tuis », ait: « Duo sensus vigent in homine principa- « liter, scilicet visus et auditus: unde per haec duo aliquis « gratiosus apparet: per pulchritudinem visus, per gratiosum « verbum auditus. Unde haec duo praecipue fuerunt in Christo: « unde in Cant. II. " Ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua « in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora ". « Ipse enim pulcher fuit, et eloquens in his quae decuit suam « eloquentiam ».

Aggrediens iam per partes ad utramque gratiam illustrandam, in verbis « speciosus forma » quatuor Christi pulchritu-

[1] Ibid. col. 897.
[2] Oratio 19, col. 902.
[3] Oratio 2, col. 860.

dines expressas reperit: 1) secundum formam divinam [1], 2) secundum iustitiam et veritatem [2], 3) secundum conversationem honestam [3], 4) secundum pulchritudinem corporis [4]. Quam ultimam ita describit, vindicans simul Christo speciem corporalem, et ostendens qualis ista concipi debeat, ne veluti quaedam muliebris gratia Iesu tribuatur. « Pulchri-« tudo consistit in proportione membrorum et colorum. Et « ideo alia est pulchritudo unius, alia alterius; et sic hanc « pulchritudinem Christus, secundum quod competebat ad sta-« tum et reverentiam suae conditionis, habuit. Non est ergo « intelligendum, quod Christus habuerit capillos flavos, vel « fuerit rubeus, quia hoc non decuisset eum; sed illam pul-« chritudinem corporalem habuit summe quae pertinebat ad « statum et reverentiam, et gratiositatem in aspectu; ita quod « quoddam divinum radiabat in vultu eius, quod omnes eum « reverebantur, ut Augustinus dicit » [5].

Has quatuor pulchritudines Christi alibi, sed ordine parumper diverso, exhibet. In verba Isaiae: « Iste formosus, etc. » haec scribit [6]: « Christus est formosus, primo quia rutilans « splendore divinitatis. Cum sit splendor gloriae, et figura « substantiae eius. - Secundo quia figuratus conformitate « unionis. Speciosus forma prae filiis hominum. - Tertio quia « distinctus diverso colore virtutis. Dilectus meus candidus, « et rubicundus.... inter ubera mea commorabitur. - Quarto « quia vestitus honestate conversationis. Esto gloriosus, et « speciosis induere vestibus » [7].

Porro verba Psalmistae et Isaiae modo allata cum aliis eiusdem prophetae verbis hoc modo componit: « Primo osten-« ditur eius humilitas quantum ad absconsionem maiestatis. « Non est ei species, quantum ad affluentiam interiorum bono-« rum; neque decor, quantum ad affluentiam exteriorum: spe-

[1] Philipp. II, 6; — Coloss. II, 9; — Hebr. I, 3; — Sap. VII, 26.

[2] Ierem. XXXI, 23; — Ioann. I, 14.

[3] I. Petr. III, 3; II, 22.

[4] Cant. I, 15.

[5] In his verbis non immerito veluti tessera reperitur illius austerioris gratiae quae artem sacram condecet. — Cf. concionem nostram « *L'onction dans la louange divine* ». Namur, Delvaux. 1894.

[6] *In Is.* c. LXIII.

[7] Iob XL, 5.

« cies enim proprie respicit pulchritudinem quantum ad com-
« mensurationem membrorum; sed decor quantum ad con-
« venientiam coloris, et aliorum circumadiacentium. Habebat
« siquidem speciem, " quia speciosus forma prae filiis homi-
« num "; sed latebat propter infinitatem assumptam. Habebat
« decorem, quia " fortitudo et decor indumentum eius " [1]:
« sed latebat propter paupertatem servatam. Unde: " Sonet
« vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua
« decora " » [2].

Caeterum thesis nostra fluit ex doctrina *Corporis* huius articuli quarti. Deformitas enim corporis non est defectus simpliciter naturalis, quia non simpliciter provenit a primo parente; secus omnes homines deformes nascerentur. Iam vero S. Thomas in Christo non agnoscit nisi defectus omnino naturales, et quidem indetractibiles; ergo non admittit, Christum fuisse corpore deformem. Imo quum perfectionem corporis Christi tribuat virtuti Spiritus Sancti, formam speciosissimam in Christo agnoscit.

β) Nec aliter *S. Bonaventura*, a quo satis erit desumere doctrinam in Dist. XV. III. Sent. exhibitam. Ita in *Sed contra est* art. 2. habet: « In nobis videmus defectus membrorum « et aliquorum sensuum exteriorum, sicut visus et auditus; « sed talis Christus non assumpsit, nec decuit eum assumere, « ergo non decuit ipsum assumere omnes defectus nostros « poenales ». Et in *Corpore* reiicit a Christo defectus personales, « qui respiciunt aliquas personas simpliciter, sicut « diversae aegritudinum species ». Et in resp. ad 4.m rationem affert ob quam isti defectus, etsi humiliant, a Christo non assumpti sint. « Quia de aliquibus defectibus rationale « non erat, ut Christus se per eorum assumptionem humi-« liaret, quia se potius ex illa humiliatione inutilem quam « utilem reddidisset, sicut si fuisset caecus, vel gibbosus, et « huiusmodi ». Quid id « huiusmodi » post vocem « gibbosus », significat, nisi corporales deformitates?

Conclude, Card. Toletum rectissime paucis verbis scribere potuisse: « Deformitatem corporis non assumpsit, quae ex

[1] Prov. ult.
[2] *In Is.* c. LIII.

« indebita complexione et generatione est: fuit enim omnium « hominum speciosissimus » [1].

4) Porro *Liturgia* cum doctrina quam defendimus, aperte concordat.

a) Et primo quidem *ars sacra,* Ecclesia stimulante, semper Iesum repraesentat venustissima facie amabilem atque renitentem; ita ut Christi vultus, qualem artis traditio veluti sancivit, sit nobilissimum virilis pulchritudinis exemplar.

b) Sed et *orandi* formulae venustatem corporis Christi in hoc mortali stadio celebrant. Satis sit ex variis Passionis Domini Officiis quasdam locutiones veluti spicas colligere. Adducit quidem Ecclesia et urget usu frequenti verba, quibus Isaias Christi patientis humiliationem livoremque describit; at insimul pulchritudinem divini corporis tormentis cruciati veneratur; discrete tamen ac veluti per transennam, ne devotionem nimis naturalem nutriat, mentemque a pulchritudine altioris ordinis avocet. In Officio SS. Sindonis canit: « Salve caput cruentatum - spinis, cuius dul- « cis vultus - immutavit suum florem, - quem caeli tremit « curia » [2]. In Officio Quinque Plagarum dolens contemplatur « manus eius tornatiles » [3]. In Officio Pretiosissimi Sanguinis exclamat: « Frontem venustam, proh dolor! - corona « pungit spinea ». Quae locutiones evidenter supponunt, tanquam extra dubium, speciem corporis Christi fuisse formosissimam.

5) Accedunt demum *rationes theologicae.*

a) Prima petitur ex ipsa pulchritudinis corporalis notione. Etenim si ridiculum est, corporis venustatem ita urgere, ut haec prae aliis qualitatibus mentis cordisve, imo gratiae extollatur; absonum est quoque, eam ita despicere, quasi in se non esset perfectio. Vocatur quidem *fallax* in ipsa Scriptura, quia videtur esse indicium bonitatis, quae in subiecto saepius deest; vocatur *vana,* quia velociter transit, quin aliquid post se relinquat. In Christo autem nec fallax fuit nec vana, utpote excellentiae morali eam habentis apprime respondens et usque ad perfectam aetatem adaucta. Iam vero quum pul-

[1] Hoc loco.
[2] Hymn. ad Laudes.
[3] Resp. 5. lect.

chritudo in se perfectio sit, deberetur ratio gravis assignari posse, ob quam Christo esset deneganda.

b) Imo haec pulchritudo Christo medium fuit coadiuvans apostolatus exercitium. Quemadmodum orator promptius sibi conciliat gratiam, si vocis blandimento gaudeat; ita quoque ad se facilius attrahit turbas, qui corporis amoenitate non destituitur; non illa utique amoenitate, quae, muliebrem mollitiem evocans, sensualis amoris veluti laqueos circumtendit; sed ea decoris gravitate, quae, dum maiestatem sanctitatemque redolet, castum amorem cum pia reverentia immittit ac nutrit.

c) Nec satis. Pulchritudo debuit esse consequens ipsius miraculosae Christi Nativitatis. Quis dubitet, Mariam Virginem fuisse speciosissimam [1]? Porro quomodo Christus operante Spiritu Sancto de « pulcherrima mulierum » ortus, non eamdem pulchritudinem participasset, imo sublimiorem ex gemino fonte hausisset?

d) Adde rationem dignitatis novi Adami. Primum hominem de manu Conditoris pulcherrimum, formosissimamque de latere viri primam mulierem prodiisse, citra omne dubium est. Iam vero si Maria Evam specie vincit, Christus Adamo cederet? Absit. Imo si forma viri praestat formae mulieris [2], et si excellentia Christi prae Adamo longe exsuperat excellentiam Mariae prae Eva, quaenam, quaeso, corporis venustas titulos Christi adaequare unquam poterit? Equidem agnosco, hanc rationem plenum suum valorem expandere de corporibus Christi et Mariae gloriosis, sed et de stadio mortali valent, nisi oppositum aliunde probatur. Quae probatio deest.

e) Imo narratio Evangeliorum suadet, Christum fuisse corpore pulchrum. Etenim α) a priori haec pulchritudo in Filio Dei iure supponitur, nisi contrarium exprimatur. Iam vero

[1] « O pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, quo evadis capacitatem cordis mei? » Ita S. Anselmus. — (Oratio LII., t. LI., loc. cit. col. 955).

[2] Praestat forma viri: tum quia praestat dignitas, cui ex perfecta operum Dei ordinatione decor respondere debet; tum quia vir est opus magis immediatum Dei. Quare putamus per comitatis abusum sexum debiliorem saepe vocari pulchriorem. Habet quidem gratiam sibi peculiarem mulier, uti alias cordis mentisque dotes; unde stultissima et contra naturam eductio est, quae sexuum discrimina tollit. Sed, omnibus perpensis, pulchritudinem viri maiorem esse putamus. Unde in operibus artis, in statuis tabulisve virilis repraesentatio passim magis arridet.

nusquam legitur, Christum physice deformem fuisse, sive statura pusillum, sive vultu ignobilem, sive luscum, gibbosum, aut aliquid huiusmodi. Imo sunt narrationes in quibus hoc utiliter dictum fuisset, si res ita sese habuisset. V. gr., in historia Zachaei, si Christus fuisset statura exiguus, addidisset narrator sacer, non solum Zachaeum, sed et Christum ipsum hoc vitio laborasse, ac inde nonnisi cum summa difficultate circumdatum turba videri potuisse. - β) Narrat Scriptura, puerum corfortatum esse; porro robusta constitutio secum fert bonam membrorum evolutionem, in qua pars magna pulchritudinis residet. - γ) Si Christus fuisset corpore deformis, haec sane imperfectio fuisset ab adversariis ei obiecta dicentibus, v. gr.: Quomodo tu contendis, te esse Filium Dei, quum tantam corporis deformitatem ostendas? Nam si verba Isaiae citra passionis deturpationem intelligenda essent, Christus non solum non physice formosus, sed undequaque fuisset deformis. - δ) Audebo addere, historiam Mariae Magdalenae faciliorem esse intellectu, si haec mulier sensuali venustati dedita nimis, adiuvante, at prorsus altiori pulchritudine Christi, ad castum fuerit amorem provocata.

f) Quas rationes opponunt patroni sententiae oppositae, facili negotio solvuntur. α) Vanitatem pulchritudinis proclamat Scriptura; ergo, aiunt, satius est eam Christo denegare. - Denegetur utique Christo vanae pulchritudinis vanissimus cultus; at non illa forma superius descripta. Caeterum nonne vana quoque corporis valetudo? Nonne vana scientia inflans? - β) Decuit Christum gerere corpus deforme, in solamen eorum quos natura tales edidit. - Ergo debuit nasci in solamen caecorum caecus, surdorum surdus, claudorum claudus, quovis morbo aegrotantium omnibus morbis affectus. - γ) Si Christus fuisset corpore formosus, castitas eius per colloquium cum muliere Samaritana in suspicionem venisset [1]. - Quasi haec ipsa mulier non in propriae famae detrimentum prima totum colloquium evulgasset. Caeterum pulchritudinis absentia non est argumentum castitatis, quum historia exhibeat homines vultus non minus quam morum ignominia celebres. In commercio autem Christi tanta fuit pudicitiae claritas, ut

[1] Ita inter alia Vavassor, quem fusius confutat Stentrup (op. cit. t. LXI).

ipsa eius species famam virtutis duplicaret. - δ) Reponunt, pulchritudinem, utpote libidinis hamum, decentius a Christo semoveri. - Datur quidem pulchritudo periculis plena, carnem anhelans et provocans; sed et datur pulchritudo veluti spiritualis atque divina, sensus ipsos in altiora provehens [1]. Iam vero nihil cum sensuali pulchritudine commune habuit formosa species Christi, utpote caelesti gravitate temperata, laborum austeritate et castimonia perfectissima gravis. De ea valebat illud Augustini: « Forma tanto magis amanda « atque miranda, quanto minus corporea pulchritudine » [2]. - ε) Instant. Sed quo spectant laudes Christo de physica forma redditae; nonne amor inde desumptus Christo indignus? - Si inde desumeretur unice, indignus esset prorsus; si autem hic titulus, ordine servato, maioribus titulis superadditur, nihil habet quod non omnino deceat. Caeterum ipse amor altiori fonte haustus movet ut et haec perfectio, licet minoris dignitatis, Christo perfecte tribuatur.

Putamus proin, Christum uti hominem fuisse etiam in mortalis vitae stadio vultu, gestu, voce, incessu, comitate, modestia, verbo totius personae gravitate atque fragrantia, omnium hominum amabilissimum simul atque dignissimum, iuxta illud Cantici: « Trahe me: post te curremus in odo- « rem unguentorum tuorum! » [3].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Christus genus nostrum per viam satisfactionis, ope fidei in ipsum et exempli virtutum redempturus, *debuit* assumere naturam nostram cum defectu passibilitatis ac mortalitatis (art. 1).

Imo *necessario,* necessitate utique consequente, hos defectus assumere debuit, utpote per se a nuda nostra natura inseparabiles (art. 2).

[1] Hanc arte sua vere superna excolebat Angelicus ille pictor a Fesulis, instauratoque paganismo prope pulsam vindicare studuit Savonarola. Illa, heu! levitatum ferax, non in plasticis disciplinis modo, sed et in musica nomine sacra saepe triumphans, utinam tandem, quin, ni sponte cedat, funibus e templo pellatur!

[2] *Civit. Dei,* XVII, 16.

[3] CANT. I, 3.

Non ideo tamen illos *contraxisse* dicendus est, quum nullo modo illos assumpserit cum causa cuius sunt effectus, nempe cum peccato; sed libere voluit naturam nostram assumere nudam, quum ratione eminentis suae sanctitatis potuisset eam assumere cum dotibus originis integram (art. 3). - Haec autem defectuum assumptio *restringitur* ad simplices defectus *naturales*, quorum assumptio requirebatur propter rationes a. 1. allatas, ac indetractibiles utpote quo excellentiae animae Christi nullo modo derogabant.

B) **De defectibus animae a Christo assumptis.**

QUAESTIO XV.

Ordo Quaestionis. - Tota haec Quaestio complectitur tres partes, quibus adnectitur conclusio finalis. *Prima pars* quaestionis directe agit de defectibus qui excellentiae sanctitatis et scientiae animae Christi *vere* contrariantur; et sunt *peccatum* vel *a*) in *actu* (a. 1), vel *b*) in *fomite* (a. 2), et *ignorantia* (a. 3). Solutio huius partis erit *negativa*. - *Secunda pars* agit de his quae nonnisi *apparenter* huic perfectioni obsunt, de facto autem resultant ex defectibus corporis naturalibus in sua relatione ad activitatem animae. Primo agitur de principio *passibilitatis* (a. 4); dein ex hoc principio consequentia educuntur, quoad passibilitatem utriusque generis: (i. e.) *corporalem* seu sensibilitatem (a. 5), et *animalem* (a. 6. et 7). - *Tertia pars* agit de duplici passione quae videtur perfectioni scientiae et sanctitatis obstare; de *admiratione* (a. 8) et de *ira* (a. 9).

Conclusio quaestionis simul comprehendit totam hanc tractatus partem, proclamando Christum simul *comprehensorem et viatorem* (a. 10).

Et ita fit transitus ad ea quae unionem consequuntur.

ARTICULUS I.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT PECCATUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Peccatum dicitur *proprie* vel *improprie*.

a) *Proprie* peccatum est offensa Dei considerata vel α) in suo actu, et est peccatum *actuale;* vel β) in statu quem inducit cum relatione ad actum a quo est, et est α') peccatum *habituale* simpliciter, si actus ad quem refertur est personalis

peccatum habenti, β') *originale,* si refertur ad actum capitis generis.

b) Improprie dicitur multipliciter: α) inclinatio ad peccatum; β) natura ex peccato in peccatum prona; vel γ) simplex natura per peccatum lapsa; δ) hostia pro peccato; ε) ipse seipsum hostiam offerens.

4) Neutro ex propriis sensibus peccatum in Christo esse potuisse, ex ipsa dignitate et missione Christi abunde patet. Oportet proin ut omnes locutiones Scripturae in quibus ipsi peccatum tribuitur, uno ex modis impropriis conveniant.

5) Neque omnes isti modi improprii Christo convenire possunt, sed solum tres ultimi.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat ultimum sensum indicatum sub 3.

2. Obi. Supponit Christum ab Adamo ortum seminali via traduxisse, quod falsissimum est.

3. Obi. Auxilium tentato afferre discitur, non tentationi cedendo per peccatum, sed resistendo per victoriam, vel tollendo peccatum per satisfactionem. Obiectio proinde optime retorquetur.

4. Obi. Confundit sensum improprium peccati cum sensu proprio.

5. Obi. Procedit, ac si culpa personalis esset de essentia exempli quod ad poenitentiam alios provocet. Quod rursus falso asseritur. Imo ex voluntaria expiatione, quam innocens ad placandum Deum suscepit, efficacissime nocentes stimulantur, ut poenitentia ducti pro propriis culpis faciant satis.

Sed contra est. Textui a S. Thoma allato adde praecipuos sequentes: « Qui *peccatum non fecit,* nec dolus inventus est « in ore eius » [1]. - « Tentatum per omnia..., *absque peccato* » [2]. - « Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, « impollutus, *segregatus a peccatoribus,* etc. » [3]. - Et testimonium duplex ipsius Domini, non iam ad Iudaeos de se ab ipsis non accusando, sed ad discipulos propriam innocentiam expresse affirmantis: « Venit princeps huius mundi, et *in*

[1] I. Petr. II, 22.
[2] Hebr. IV, 15.
[3] Ibid. VII, 26.

« *me non habet quidquam* » [1]. En factum; accipe rationem: « Quia ego, quae placita sunt ei (Patri), *facio semper* » [2].

Haec omnia testimonia libertatem absolutissimam Christi a peccato *directe* demonstrant. *Indirectum* habes testimonium ex verbis Baptistae: « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit pec- « catum mundi » [3]. De quo textu audi Chrysostomum egregie disserentem: « Quia illud erat baptisma poenitentiae et in « accusationem peccatorum inducebat, ne quis putaret quod « et Christus tali proposito ad Iordanem veniret, Ioannes « praemonuit hoc, agnum certe illum ac redemptorem vo- « cando, ab omni immunem, quod in toto erat orbe, peccato. « Qui enim cuncta humani generis poterat peccata delere, « absque omni erat ipse peccati delicto » [4]. - Contra hanc certissimam doctrinam peccarunt olim 1) Iudaei [5], imo impii hodiedum Christum de variis vitiis accusantes. - 2) Augustinus de Roma, asserens de Christo, utique intendens de Christo mystico corpori suo unito, « Christus quotidie peccat, « et, ex quo fuit, Christus semper peccavit ». Qui error in Concilio Basiliensi [6] damnatus est. - 3) Implicite illi qui Christo divinitatem ac proin impeccabilitatis princeps fundamentum denegant. De hac impeccabilitate diserte disseremus, ubi agemus de humana Christi voluntate.

In Corpore. Ex rationibus tribus supra allatis ad probandum, Christum debuisse defectus suscipere corporales, probatur e converso, ipsum nullum potuisse defectum suscipere moralem. Prima ratio tangit totam oeconomiam redemptionis: etenim per indebitam solutionem ab innocente nocentium debitum compensatur; - 2ª tangit ipsum constitutivum redimentis: quomodo enim Deus esset ille homo, qui indiguisset pro seipso satisfacere? - 3ª tangit fructum redemptionis, nempe ut per ducis exemplа humanum genus ad beatitudinem perveniat: quomodo enim sequendus esset, qui et peccatum commisisset?

Species quaedam adest obiectionibus 2. et 3. Sed facile

[1] Ioann. xiv, 30.
[2] Ioann. viii, 29.
[3] Ioann. i, 29.
[4] Hom. xii, sup. Matth. — *P. G.* t. lvii, col. 202, sq.
[5] Cf. Ioann. ix.
[6] Sess. 22.

confutantur. Etenim pro 2.ª concedendum quidem est, eum qui peccat, se ostendere hominem, sed non quasi peccatum pertineret ad ipsam naturam. Caeterum Incarnationis dogma non est solum de homine, sed de homine-*Deo*.

Pro 3) tentatio et poenitentia non consistunt in culpa, sed exemplum sumitur ex vi resistentiae et ex zelo placandi Dei. Cf. dicta superius.

Resp. ad 4m. Ex loco allato Isaiae LIII. corroboratur doctrina huius *Corporis*. Ideo enim propheta primum non agnovit Christum in apparitione hominis dolorum, quia sciebat in ipso peccatum esse non posse. Postea tamen, ipsum mysterium penitius penetrans, agnovit in Christo victimam innocentem, languores nostros, non suos, libere suscipientem, et per hanc oblationem spontaneam sibi gloriam summam ac nomen aeternum consequentem.

Doctrinam S. Anselmi [1] de praesenti argumento investigabimus ubi de impeccabilitate Christi disseremus.

ARTICULUS II.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT FOMES PECCATI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quid sit *fomes*, S. Thomas infra clare definit his verbis: « Fomes nihil aliud est quam inor-« dinata concupiscentia sensibilis appetitus; habitualis tamen, « quia actualis concupiscentia est motus peccati. Dicitur autem « concupiscentia sensualitatis esse inordinata, inquantum « repugnat rationi; quod fit inquantum inclinat ad malum, « vel difficultatem facit in bono » [2].

2) Fomes iste peccatum vocari potest dupliciter. *a*) Quia est *a peccato*. Etenim primi parentes nostri nesciebant inordinationem in appetito sensibili; quae solum est exorta, quando pars animae superior sese inordinate a Deo per inobedientiam averterat. Proin tam arcte ille fomes, qui κατ' ἐξοχήν vocatur concupiscentia, cum peccato iungitur, ut axioma

[1] Praecipue in libro *Cur Deus homo*, l. II, c. 10.
[2] Q. XXVII, art. 3.

fuerit apud Patres, originalem culpam per concupiscentiam traduci [1].

b) Vocatur etiam peccatum, quia in plerisque est *ad peccatum:* α) quia de facto peccatum *inducere* solet, quum nonnisi paucissimi concupiscentiae suae perfecte dominentur; et β) quia in omnibus, etiam in his qui, ut Paulus, contra illam pugnant, in peccatum habitualiter *inclinat.*

3) Ex isto duplici sensu *peccati* fomiti dato, apparet duplex ratio propter quam, utique praeter ipsam dignitatem divinam, fomes in Christo repugnat: *a*) conceptio miraculosa ex Virgine de Spiritu Sancto; *b*) perfecta virtus moralis ipsas inferiores passiones plena dominatione gubernans. Ratio *a*) affertur in *Sed contra est;* ratio *b*) in *Corpore.*

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Subtilis est haec obiectio. Procedit tamen ex falso, ac si passibilitas corporis et concupiscentia eodem se modo haberent ad originalem culpam. Discrimen est in hoc, quod inferiores vires animae per se obedibiles sunt rationi; dum e contra caro est per se nata subiici elementis physicis et non voluntati. Inde passibilitas corporis nihil habet quod non deceat Christum, et ex opposito concupiscentia ipsum maxime dedeceret.

2. Obi. Non distinguit inter concupiscentiam ordinatam et inordinatam. Prior est perfectio, altera defectus. Prior erat in Adamo innocente, altera cum peccato hominem lapsum invasit; quae, propter suam maiorem violentiam, vocatur concupiscentia κατ' ἐξοχήν.

3. Obi. Procedit eo modo quo supra, ubi de virtute temperantiae in Christo agebatur. Quare pari via retorquetur.

Sed contra est. Doctrinam praesentem ex ratione supra primo loco exposita, fulciunt verba Symboli Nicaeni: « Et « incarnatus est *de Spiritu S., ex Maria Virgine* ».

Quare vides, directe contra hoc argumentum agere quotquot conceptum virginalem de Spiritu S. impiissime oppugnant. Vides insuper, quam profunde in Lucae Evangelio dicatur: « *Spiritus Sanctus* superveniet in te et virtus Altis- « simi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur *ex te*

[1] De hac quaestione fuse agetur, ubi de conditione originali et de lapsu primi hominis disputabimus.

« *Sanctum*, vocabitur Filius Dei ». Quibus verbis simul colliguntur et origo de Virgine per Spiritum Sanctum, et absoluta sanctitas prolis inde ortae.

Christum immunem a fomite vitiatae nostrae naturae scriptores sacri passim praedicant. Ex Graecis *S. Basilius* ait: « Itaque Dominum liquet naturales quidem affectus admi-« sisse et assumpsisse, ad confirmandam verae et non imagi-« nariae Incarnationis fidem: quae autem ex peccato existunt « passiones, quibus vitae nostrae integritas inficitur, eas « tanquam immaculata divinitate indignas repudiasse. Ideo « scriptum est ab Apostolo: In similitudine carnis peccati « natum esse Christum » [1].

Et ipse *Eusebius* Caesariensis, cuius testimonium hac in re maius veluti pretium habet, quia ipse auctor, utpote Arianis favens, Christo potius detrahebat: « Quoniam per homi-« nem mors intravit in mundum, ut ait Apostolus, oportebat « utique per eundem hominem dispensari de morte victoriam, « et corpus mortis corpus effici vitae, ac peccati regnum, « quod in mortali corpore operabatur antea, subverti; ut non « amplius ei peccatum, sed iustitia dominaretur. Cum autem « per peccata carnis longe antea omnes homines cecidissent, « merito per immunem a peccato, et ab omni vitio intactum, « de hostibus victis trophaea constituta sunt » [2].

Ex latinis Patribus, ecce praeclarum testimonium *S. Augustini*: « Non enim in iniquitate conceptus est (scil. Chris-« tus) quia non de mortalitate conceptus est. Nec eum in « peccatis mater eius in utero aluit: quem virgo concepit, « virgo peperit: quia fide concepit, fide suscepit. Ergo ecce « Agnus Dei. Non habet iste traducem de Adam: carnem « tantum sumpsit de Adam; peccatum non assumpsit. Qui « non assumpsit de nostra massa peccatum, ipse est qui tollit « nostrum peccatum » [3]. - *S. Leo Magnus* eloquenter haec duo composuit, Christum scilicet de Virgine, operante Spiritu Sancto traxisse veram carnem et quidem nostram, at nihilominus omnino liberam a iugo peccati. « Nativitas enim « Domini, inquit, secundum carnem, quamvis habeat quae-

[1] Epist. 261. — *P. G.* t. XXXII, col. col. 972.
[2] *De demonstr. evang.*, l. VII, c. 1. — *P. L.* t. XXII, col. 493.
[3] *In Ioann.* tr. IV, c. 1. — *P. L.* t. XXXV, col. 1410.

« dam propria, quibus humanae conditionis initia transcendat; « sive quod solus ab inviolata Virgine sine concupiscentia « est conceptus et natus; sive quod ita visceribus matris est « editus, ut et foecunditas pareret, et virginitas permaneret: « non alterius tamen naturae erat eius caro, quam nostra; nec « alio illi, quam caeteris hominibus, anima est inspirata « principio, quae excelleret non diversitate generis, sed « sublimitate virtutis. Nihil enim carnis suae habebat adver- « sum, nec discordia desideriorum gignebat compugnantiam « voluntatum. Sensus corporei vigebant sine lege peccati, et « veritas affectionum sub moderamine Deitatis et mentis, « nec tentabatur illecebris, nec cedebat iniuriis. Verus homo « vero unitus est Deo, nec secundum existentem prius ani- « mam deductus est e caelo; nec secundum carnem creatus « ex nihilo, eandem gerens in Verbi Deitate personam, et « tenens communem nobiscum in corpore animaque natu- « ram » [1]. Et *S. Gregorius Magnus,* discrimen inde ostendit inter tentationes quas nos patimur, et quas Christus subire dignatus est: « Sciendum nobis est, quia tribus modis ten- « tatio agitur, suggestione, delectatione, et consensu. Et nos « cum tentamur, plerumque in delectationem, aut etiam « in consensum labimur; quia de carnis peccato propagati, « in nobis ipsis etiam gerimus, unde certamina toleremus. « Deus vero, qui in utero Virginis incarnatus, in mundum « sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso « tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed eius « mentem peccati delectatio non momordit. Atque ideo omnis « diabolica illa tentatio foris, non intus fuit » [2].

In Corpore. Duplex lectio datur: « Virtus moralis quae « est in *irrationali* parte animae », et « quae est in *rationali* « parte animae ». Verba sequentia: « eam facit esse *rationi* « subiectam », exempla quae afferuntur, necnon ipsa concu- piscentia vel fomes de quibus sermo, pro prima lectione militant.

Argumentum proin reducitur ad hoc. Contraria contrariis curantur. Passiones inordinatae in parte inferiore animae vir- tutibus contrariis sanantur. Quo maior haec virtus, eo magis

[1] Ep. 35. sub fin. — *P. L.* t. LIV, col. 807, sq.

[2] Homil. XVI in Evangel. — *P. L.* t. LXXVI, col. 1135.

passionem debilitat. Virtute ergo perfectissima tollitur prorsus; non ita dumtaxat ut cedere cogatur, sed ut neque esse vel fuisse sinatur. Atqui in Christo fuit virtus perfectissima; ergo in ipso locus fomiti dari non potuit.

Consideratio quae in ultima linea adiungitur, novum argumentum continet, hoc pacto. Eos tantum Christus in se defectus admisit, qui aliquid ad satisfactionem conferrent. Atqui nedum ei fomes iuvisset, potius obfuisset. Ergo Christus eum non admisit.

Conclude, doctrinam huius articuli arctissimo nexu colligari cum doctrina articuli 4. Quaestionis praecedentis, quemadmodum ibidem breviter indicavimus. Etenim modus quo S. Doctor definit defectus primi gradus, *detractibiles* scilicet, - ut a Damasceni terminologia non discedam, - demonstrat, eum apprime intendere ignorantiam, de qua mox, et concupiscentiam, de qua in articulo praesenti. Ait enim: « Sunt « enim quidam defectus qui repugnant perfectioni *scientiae* et « *gratiae:* sicut *ignorantia, pronitas ad malum et difficultas « ad bonum* » [1]. Atqui haec ultima verba semper recurrunt apud S. Thomam et theologos passim ubi concupiscentiae fomitem describunt. Ergo recte contra Caietanum defectus huius primi gradus de defectibus non tantum corporis sed imprimis animae interpretati sumus.

ARTICULUS III.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT IGNORANTIA.

I. **De ipsa Quaestione.** - De defectibus gratiae detrahentibus in gemino articulo praecedente egimus. De defectu contrariante scientiae dicendum superest. Breviter quidem, quum iam fuse de Christi scientia disputatum sit.

1) Dignitas Filii Dei exigit per se plenitudinem participationis luminis divini. Non enim convenit, ut ille qui est in sinu Patris Lumen de Lumine, non hanc lucem communicet facultati intellectuali assumptae, si haec communicatio non solum non obest Incarnationis fini, sed et huic fini inservit.

[1] Cf. III. Sent. Dist. XV, q. 1, art. 2.

2) Iam vero nulla ratio afferri potest ob quam finis Incarnationis per hanc irradiationem lucis impediretur. Imo hic finis per eamdem mire stimulatur. Etenim per hanc lucem perfectam, quae visionis est, Christus-homo fit perfecte conscius sui, atque missionis sibi superne commissae. Per hanc lucem Christus-homo capax redditur docendi humanum genus veritates salutis. Ad hoc natus, ut testimonium perhibeat veritati [1], nisi luce sit perfusus ut homo, hoc testimonium plenum reddere nequit.

3) Non ideo tamen haec plena scientia Christo tribuenda est secundum omnem scientiae modum, nisi proportionaliter ad adiuncta. Quare perfectissima Christi scientia stare potest cum illo incremento successivo scientiae acquisitae, quale superius vindicavimus.

4) Nec oportet ut omnium scientiam habeat per experientiam facti. Aliud enim est, acquirere scientiam experimentalem; aliud est, in seipso experiri quae per scientiam acquiruntur. Imo, ubicumque haec experientia personalis defectum importat detractibilem, haec scientia in Christo repugnat. Talis esset scientia peccati per ipsum peccatum personaliter commissum. Actuosam utique Christus habuit scientiam virtutum, utpote qui ex his quae passus est, obedientiam didicit; at vitiorum, absit! nihilominus vitia scivit per oppositas virtutes, et per notitiam actuum malorum a peccatoribus commissorum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit in Christo illud quod est ex natura humana *in se* considerata, et *ex dignitate personae* propter hypostaticam unionem.

2. Obi. Confundit *notitiam* cum *experientia.*

3. Obi. Abstrahit a scientia acquisita.

Sed contra est. Confirmatur praesens doctrina per verba cantici Simeonis: « Lumen ad revelationem gentium ». Huc omnia refer testimonia et argumenta, quibus superius ostensum est, animam Christi perfusam esse plenissima scientia creata, scilicet beata, infusa et acquisita.

In Corpore. Ex modo quo S. Thomas hic arguit, corrobo-

[1] Cf. verba Iesu ad Pilatum. IOANN. XVIII, 37.

ratur interpretatio nostra articuli 4. Quaestionis praecedentis. Detractibiles defectus, quia repugnant perfectioni scientiae et gratiae, sunt iidem qui hic excluduntur ut oppositi plenitudini gratiae et virtutis, atque scientiae. Ergo sunt defectus non in corpore tantum, sed et in anima.

Resp. ad 3m. Adverte hoc loco simul affirmari *a*) scientiam acquisitam Christi, *b*) progressum in illa scientia, *c*) scientiam plenam per altius principium ab initio acceptam (quomodo enim auferret inscius fortitudinem Damasci et spolia Samariae?), *d*) triumphum Christi de Gentilibus et de schismaticis populi Israel.

S. Anselmum iuvat de hac quaestione audire pulcherrime disserentem [1].

« *Boso.* Verum in hac similitudine quam habere debet « cum hominibus, dic utrum ignorantiam quoque, sicut alias « infirmitates nostras, habiturus sit? - *Anselmus.* Quid dubi- « tas de Deo, utrum sit omnia sciens? - *B.* Quia, quamvis sit « immortalis futurus ex divina natura, mortalis tamen erit « ex humana. Nam cur non similiter poterit illis homo esse « vere ignorans, sicut vere mortalis erit? - *A.* Illa hominis « assumptio in unitatem personae Dei non nisi *sapienter a* « *summa sapientia fiet;* et ideo *non assumet* in homine quod « *nullo modo utile, sed valde noxium* est ad opus quod idem « homo facturus est. Ignorantia namque ad nihilum illi utilis « esset, sed ad multa noxia; quomodo enim tot et tanta opera, « quae facturus est, faciet sine summa sapientia, aut quomodo « illi homines credent, si eum scient nescium? Si autem « nesciunt, ad quid erit ei utilis ignorantia illa? - Deinde, si « *nihil amatur nisi quod cognoscitur:* sicut nihil erit boni « quod non amet, ita nullum bonum erit quod ignoret. Bo- « num autem nemo perfecte novit, nisi qui illud a malo sciat « discernere: hanc quoque discretionem nullus scit facere, qui « malum ignorat. Sicut igitur ille, de quo loquimur, omne « perfecte sciet bonum; ita nullum ignorabit malum. Omnem « igitur habebit scientiam, *quamvis eam publice in hominum* « *conversatione non ostendat.* - *B.* Hoc in maiori aetate ita « videtur, sicut dicis; sed in infantia, sicut non erit tempus

[1] *Cur Deus homo,* l. II, c. 13. — *P. L.* t. CLVIII, col. 413.

« congruum, ut in illo appareat sapientia, ita non erit opus, « et ideo non congruum ut illam habeat ». Est non solum instantia, sed quasi retortio argumenti. - « *A.* Nonne dixi quia « sapienter fuit illa incarnatio? Sapienter namque assumet « Dei mortalitatem; qua sapienter, quia valde utiliter, utetur. « *Ignorantiam vero non poterit assumere sapienter:* quia « nunquam est utilis, sed semper noxia: nisi forte cum per « eam mala voluntas, quae nunquam in illo erit, ab effectu « restringitur. Nam etsi aliquando ad aliud non nocet, hoc « solo tamen nocet, quia *scientiae bonum aufert.* Et ut bre- « viter absolvam quod quaeris: ex quo homo ille erit, plenus « Deo semper, ut seipso erit, unde numquam erit sine eius « potentia, et fortitudine et sapientia ».

Haec sane optime dicta sunt, licet ultima verba non satis distinguant inter scientiam increatam et creatam animae Christi.

ARTICULUS IV.

UTRUM ANIMA CHRISTI FUERIT PASSIBILIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quaestio quae in hoc articulo et in sequentibus agitatur, veritatem consequitur assumptae nostrae naturae.

Quare tota continetur brevissima Ambrosii sententia: « Suscepit animam meam, suscepit corpus meum » [1], et altera S. Augustini: « Neque enim in quo verum erat hominis corpus et verus hominis animus, falsus erat humanus affectus » [2].

Sed hic iam ostendendum est, quid passionis nomine intelligatur, et quotuplex sit passionum species vel gradus.

2) Passio, a verbo *pati,* dicitur affectus alteratione sentientis productus. Alteratio proin se habet quasi materiale, formale vero est ipsa sensatio vel ipse affectus. Haec autem alteratio est vel *a*) *principium* a parte corporis laesi sive acti quomodocumque, et tunc passio, seu affectus inde sequens, est *passio corporalis.* - Vel *b*) alteratio est *effectus* ipsius motus in anima existens, id est, in parte inferiori animae, et tunc *passio* est *animalis.*

[1] *In Luc.* Q. X, c. XXII, n. 61. — *P. L.* t. XV, col. 1911, sq.
[2] *De Civit. Dei,* l. XIV, c. 9, n. 3. — *P. L.* t. XLI, col. 415.

3) Utraque passio, praesertim autem animalis, esse potest et de bono et de malo, de irascibili et de concupiscibili; maior tamen passio de malo, de irascibili dicitur, tum quia alteratio maior, tum quia affectus maiorem vim infert.

Imo ex hac violentia quae affectum passionis sequitur, passio transfertur usque ad partem superiorem animae, sive sit effectus passionis inferioris, sive ab ipsa parte superiore ortum habeat.

Inde factum est, ut passio intelligatur perfecta, quae rationi dominatur, imperfecta quae sistit in appetitu sensitivo. Hae vocantur *propassiones,* illae passiones κατ' ἐξοχήν.

4) His positis de triplici gradu passionum, in corpore (adiuncta sensibilitate) [1], in parte inferiori animae, et in parte superiori, quid in Christo?

Principium generale statuatur sequens: Christus omne habuit quod in passionibus perfectivum est; nihil quod imperfectionem inducit. Nec obiicias, hoc principium peccare cum imperfectione quam a parte corporis in Christo admisimus. Nam si corpus quidem passibile est imperfectius corpore impassibili glorioso, ex corpore passibili resultans passio perfectio est.

Applicando hoc principium ad singulas passiones habemus: *a*) *Passionis corporalis* habuit Christus α) complexionem maxime delicatam in ipso corpore, et β) maximam sensibilitatem inde fluentem, ita tamen ut γ) dolor nunquam animae dominari potuerit, sive ut passio non fuerit nisi propassio.

b) *Passiones animales* pariter summo gradu expertus est quoad potentias naturae maxime in anima Christi evolutas; attamen α) obiectum earum semper fuit ordinatum; β) promptitudo earum numquam rationem praevenit; γ) demum limites propassionum numquam excesserunt.

c) *Passionem in anima superiori* cognovit Christus eam, quae contrariatur obiecto ordinatissime amato; non autem eam quae contra propassionem distinguitur [2].

[1] Et inde post ea quae vidimus in art. 1. Quaest. praecedentis, locus remanet considerandi passiones corporales.

[2] Diximus supra passionem corporalem initium sumere a corpore quovis modo acto; animalem a parte inferiore animae; non ideo tamen negare intendimus nec passionem corporalem posse inducere passionem animalem, nec animalem inducere posse corporalem. Imo inter utramque nexus intimus est.

II. **Ad Textum.** - Triplex obiectio optime tangit tres rationes propter quas passiones in Christo dedecere videntur: *a*) *inferioritatem* quam inducunt, *b*) *aegritudinem* quam includunt, *c*) *peccatum* a quo sunt.

1. Obi. Gratis supponit, Christum non potuisse dominari ita passionibus, ut eas tolleret vel impediret; quod falsum est. Voluntarie quippe sustulit eas, sicut voluntarie factus est homo. Imo voluntarie non solum ut Deus, sed ut homo, propter dignitatem summi comprehensoris.

2. Obi. Procedit secundum doctrinam Stoicorum, quam ipse Tullius alibi explodit. De quo optime Augustinus: « Omnino non dolere dum sumus in hoc loco miseriae, pro- « fecto, sicut quidam etiam apud saeculi huius litteratos sensit « et dixit, non sine magna mercede contingit, *immunitatis* « in animo, *stuporis* in corpore... Porro si ἀπάθεια illa dicenda « est, cum animum contingere omnino non potest ullus « effectus, quis hunc stuporem non omnibus vitiis iudicet esse « peiorem? » [1].

3. Obi. Confundit motus ordinatos et inordinatos.

Sed contra est. Optime heic eligitur psalmorum textus summum dolorum et passionum exprimens. - Adiunge huic loco testimonia evangelica quibus apparet, Christum in corpore et in anima passum esse.: « Nunc anima mea turbata est » [2]. « Videns civitatem, flevit super illam » [3]. - « Circumspi- « ciens eos cum ira, contristatus est super caecitate cordis « eorum » [4]; etc. De variis erroribus circa passiones Christi fusius in appendice dicemus.

In Corpore. En schemate comprehensam totam doctrinam.

In Christo fuerunt passiones
- 1) *corporales,* ratione corporis mortalis, attamen voluntariae, (quod non in nobis).
- 2) *animales* — in affectionibus appetitus sensitivi, sed non uti in aliis:
  - *a*) quantum ad obiectum — ordinatum;
  - *b*) quantum ad principium — a ratione;
  - *c*) quantum ad effectum — propassiones.

[1] *De Civit. Dei,* l. XIV, c. 9, n. 4. — *P. L.* t. XLI, col. 415.
[2] IOANN. XII, 27.
[3] LUC. XIX, 41.
[4] MARC. III, 5, — Cf. IOANN. XI, 35; — LUC. XXII, 15; — MATTH. XXVI, 38, etc. et

Pulchre alibi S. Thomas [1]: « Anima Christi media fuit « inter Divinitatem et carnem. Et quia beatitudo inerat illi « animae ex Divinitate, corpus autem eius erat passibile; « ideo passibilitas inerat illi animae ex parte illa qua coniun- « gibilis erat corpori; beatitudo autem ex parte illa qua « coniungebatur Divinitati. Coniungebatur autem corpori « dupliciter: scilicet secundum essentiam, inquantum est « forma, et secundum potentias, non tamen omnes, sed quas- « dam; unde anima Christi secundum essentiam tota patie- « batur ex laesi corporis passione; sed quantum ad potentias « patiebatur quidem passione imperfectionis, secundum ope- « rationes virium affixarum organis; secundum alias vero « vires, quibus anima convertebatur in Deum, qualiter pate- « retur, dicetur infra ».

ARTICULUS V.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT DOLOR SENSIBILIS.

I. **De ipsa Quaestione.** - Per partes nunc de passionibus quaerendum est. Hic de passione *corporali*. Ideo articulus inscribitur de dolore *sensibili*. Est quippe alius dolor, imo duplex: animalis et rationalis, de quibus mox.

1) Ad rem Augustinus: « Non corpus sentit, sed anima per « corpus, quo velut nuntio utitur ad formandum in seipsa « quod extrinsecus nuntiatur » [2]. Inde *laesioni* corporis correspondet in anima *sensus* laesionis, qui sensus debet esse doloris, quum anima uti forma corpori uniatur, et quodvis ens in bonum sui tendat.

2) Distinguenda autem heic occurrunt dolor et necessitas doloris. Rursus in hac necessitate distinguenda, ex praedictis, necessitas naturalis a necessitate coactionis. Posito quod Christus assumpserit nostram naturam passibilem, necesse erat, illam naturam pati, si in corpore laederetur. Attamen ex dotibus quibus aliunde gaudebat, haec natura impedire poterat tum laesionem ipsam, tum laesionis sensum; imo nequibat pati, nisi ex condescendentia beatitudinem supe-

[1] III. Sent. Dist. xv, q. 2, a. 1, sol. 3.
[2] *De genesi ad litt.* l. xii, c. 24. — *P. L.* t. xxxiv, col. 475.

riorem refrenante, ne tanta copia in inferiora redundaret, ex qua vel sensus absorberetur, vel laesio impediretur.

3) Rursus necessitas doloris ex natura sequitur in nobis dupliciter; *a*) ex peccato proxime, *b*) ex ipsa natura remote. Prior necessitas in Christo excludenda est; altera autem admittenda [1]. Qua posita, dolor ex causa extrinseca inde fluens non amplius imperfectio est, sed perfectio, praesertim in eo qui dolorem, si velit, impedire possit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit in Christi passione voluntarium et verum. Potuisset haec tolerari materialiter, quin pateretur formaliter. Non ideo tamen semel ac pati voluit, minus vere passus est. De opinione autem S. Hilarii dicemus in proxima appendice.

2. Obi. Non attendit ad dicta n. 3.

3. Obi. Non considerat quae diximus n. 2. in fine.

Sed contra est. Contra hanc doctrinam peccarunt Manichaei, Albanenses, Cerdon et alii quotquot negarunt veritatem corporis Christi, ac proin passionum ab ipso in corpore admissarum. - Inde canimus in Symbolo: « Passus sub Pontio « Pilato... et sepultus est ». Quare Christus, ut fidem in se redivivum provocaret, stigmata clavorum et lanceae in glorioso corpore servavit. - Confer dicenda mox in appendice.

In Corpore. Simili modo S. Th. alibi concludit solutionem primam. « Cum in corpore Christi fuerit vera *laesio,* quia fuit « divisio continui per clavos, et fuerit ibi verus *tactus;* de « necessitate oportet dicere quod fuerit ibi verus *dolor* » [2]. Tria quae ibi distinguit: laesionem (principium), tactum (medium), dolorem (finem), hic ad duo contrahit: laesionem, et sensum laesionis; in hoc altero duo, nempe tactum et dolorem complectens.

Resp. ad 3m. Audi S. Thomam ibidem hanc obiectionem ita solventem: « Non potest esse tanta vis contemplationis, « quod dolorem sensibilem in laesione corporis tollat, si corpus « laedatur, nisi per eam abstrahantur vires inferiores omnino « a suis actibus, per modum quo una potentia intense ope- « rans abstrahit aliam a suo actu; et hoc modo accidit in

[1] Cf. art. 3. Quaestionis praecedentis.

[2] III. Sent. Dist. xv, q. 2, a. 3.

« raptu Pauli. Sed in Christo una vis non tollebat aliam a « suo actu, nisi secundum quod ratio et Deitas coniuncta « ordinabat: et ideo perfectio contemplationis dolorem sen- « sibilem non tollebat ». Ex quo rursus vides, quanta profunditas sit in doctrina S. Anselmi superius allata. Etenim si in Christo contemplatio non impediebat sensum doloris, hoc proveniebat a perfectione virtutis, qua Christus singulas potentias regebat atque sustentabat. Quare, posita in Christo viatore fruitione comprehensoris, dolor viatoris erat argumentum potentiae, nedum infirmitatis.

Consequens negationis doctrinae hoc articulo contentae **S. Bonaventura** egregie ostendit [1]. Postquam veritatem laesionis et sensus, eodem modo quo Angelicus, probavit, ita prosequitur: « Nam si aliquis aliter dicat secundum quod qui- « dam haeretici dicunt, - est error antiquus Saracenorum, - « quod Christus, etsi videretur pati et dolere, non tamen vera- « citer habuit dolorem et passionis sensum; is non solum « evacuat fidem Christi et Christi Evangelium, sed etiam « evacuat redemptionem nostram et dicit, Christum non esse « Christum. Dum enim dicit, ipsum non fuisse veraciter pas- « sum; dicit, ipsum non satisfecisse, ac per hoc non genus « humanum esse redemptum. Dum vero dicit ipsum simu- « lasse se pati, dicit ipsum esse mendacem, et ita nec vere « fuisse Filium Dei, nec Dei nuntium, et ita nec mediatorem, « sed potius deceptorem. Et propterea qui dicunt Christum « non veraciter doluisse, vel passum fuisse, etsi videantur « ipsum exterius honorare, secundum veritatem blasphemant « ipsum impiissime ».

APPENDIX.

De praecipuis Erroribus sive Excessibus circa Passibilitatem Christi.

Remisimus ad hunc locum penitiorem quamdam investigationem de praecipuis erroribus sive excessibus circa passibilitatem Christi, et quidem complectendo in una appendice quae a parte corporis et quae a parte animae de hoc argu-

[1] III. Sent. Dist. XVI, art. 1, q. 1.

mento dicenda sunt propter intimam inter utrumque elementum compenetrationem.

Ordo disputationis erit sequens. In prima parte loquemur de scriptoribus haereticis, in altera de catholicis.

I. Doctrina de passibilitate et passione Christi totam oeconomiam fidei de Christo velut involvit, quatenus a vera divinitate Christi pendet passionis infinitus valor, a vera Christi humanitate veritas passionis ipsius. Remittimus hic Arianos, Nestorianos, aliosque, qui Christo propriam divinitatem aut singularitatem divinae personae denegant. Remittimus et illos qui, utpote Trinitatem negantes, passionem ipsi divinitati aut Patri tribuebant, inde Patripassiani nuncupati, de quibus infra sermo recurret, ubi data opera de passione Christi agetur.

De Doketis magis et de variis Eutychianorum sectis hic sumus solliciti.

A) *Doketas* passim veritatem passionis negasse, manifestum est. Inter eos autem saltem in hoc convenientes hic afferendi sunt Saraceni, quos modo S. Bonaventuram confutantem audivimus. Hi, teste S. Damasceno, Christum dicunt esse Dei verbum ac spiritum, sed creatum atque servum. Quem quum Iudaei sacrilego ausu cruci affigendum apprehendissent, nonnisi umbra eius patibulo adhaesit; Deus enim carissimo sibi pepercit, eumque, quin crucem nec mortem subiret, in coelum transtulerat [1]. Unde Saraceni, licet veritatem humanitatis Christi tenentes, quoad umbratilem atque mere imaginariam Christi passionem cum Doketis conveniunt.

B) *Eutychiani* aliter et aliter in praesenti argumento errant. Utique, necessitate logica, quod fatum vocari potest erroris, qui unam prorsus in Christo naturam tenebant, scilicet divinam passim, in quam humana veluti absorpta erat, cogebantur accedere ad doctrinam Doketarum, quum tota humana Christi natura esset veluti fictitia. Qui autem, *Acephali* [2],

[1] *De Haeres.*, n. 101.

[2] Acephali (ἀκέφαλοι) Petrum Mongum Patriarcham Monophysitam Alexandrinum dereliquerunt ob confectum ab ipso cum Acacio et imperatore Zenone edictum Henotixon (ann. 482), a Papa Felice quoque damnatum. Postea (ann. 513) sese partibus patriarchae Severi Antiocheni coniunxerunt.

scilicet, potius compositam naturam fingebant, ex una parte naturae Patris, ex altera parte naturae nostrae consubstantialem, cogebantur accedere ad Patripassianismum, quemadmodum strenue contra eos inter alios urget Ferrandus [1]. Imo in hoc dogma devenisse sectam monophysiticam *Fullonianorum*, etiam *Theopaschitarum* dictam, superius iam commemoravimus [2].

Porro Acephalorum secta in bifariam divisa est ob diversum modum quo considerabant conditionem corporis Christi, aliis in unum excessum, aliis in alium abeuntibus.

1) *Severiani*, auctore Severo Antiocheno, corruptibile corpus Christi proclamabant, non solum quatenus erat mortale, sed etiam quatenus post mortem dissolutioni fuit expositum, ac nonnisi per resurrectionis virtutem incorruptibilitatem acquisivit. Inde, uti diximus, vocabantur etiam *Corrupticolae* [3] seu *Phartolatrae*. Erat excessus per modum nimis naturalem de Christo sentiendi. Corruptionem sepulchri corpus Christi ignoravit, ut loco suo ostendemus. Erat confusio inter duplicem corruptibilitatem, aliam laesionis ac mortis, aliam dissolutionis in putredinem. Quae duo S. Fulgentius in responsione ad Reginum, qui directe eum rogaverat: « Utrum caro Christi corruptibilis, an incorruptibilis « fuerit », sedulo distinguit: « Fuit quippe in corruptione mor« tis, sed non in corruptione putredinis » [4].

2) Ex opposito *Iulianistae*, ducibus Hallicarnensi Iuliano, a quo nomen, et Gaiono, Christi corpus undequaque incorruptibile etiam ante mortem fuisse docebant, inde nuncupati *Incorrupticolae* seu *Aphthartodoketae*. Inter quos multi tenebant, Christum hanc praerogativam carni Matris suae de ea nascendo tribuisse. Imo non defuerunt qui contenderent, Christum « corporalem magnitudinem non habuisse secundum « carnem; sed absque mole, et incorporaliter eum super « mare ambulasse ». Quam sententiam in Lateranensi Synodo Martinus primus fuisse Theodori Pharanitae Monothelitae testatus est.

[1] *Epist. ad Anat.*, n. 7.
[2] P. 73. Comple illic dicta per praesentem appendicem.
[3] Ita p. 73 legendum est.
[4] *Epist.* XVIII, *ad Reg.*, c. 4, n. 7. — *P. L.* t. LXV, col. 495.

Porro dum Theodosius hos excessus improbans, in sententiam Severi abiit, scimus ex Leontio Byzantino, qui eos docte confutat, nonnullos catholicos, caeterum de duplici Christi natura recte sentientes, sententiam *Aphthartodoketarum* quoad incorruptibilitatem carnis Christi esse amplexos. Urgebant enim inter alia conditionem primi Adami a Christo reassumptam; imo a passione ad corruptibilitatem argui non posse, contendebant exemplo adducto tormentorum a quibus corpora damnatorum cruciantur. Quam ultimam instantiam his verbis egregie confutat Leontius: « Horum « enim non est proprium naturam subiectam corrumpere. « Si enim audacter dicendum est, conferunt etiam aliquid « tortis, et cruciatis ad permanendum, etc. Humanae vero « et naturales passiones carnis, quas Dominus suscepit, « quodammodo erant natura aptae ad debilitandam carnem, « et defatigandum, ac dolore afficiendum, et denique ad dis- « solvendum; quod quidem in cruce factum esse cognovi- « mus. Dissolutionem vero, quantum in natura est, corruptio « sequitur » [1].

Contra excessum Aphthartodoketarum praeter Byzantinum theologum placet adducere praeclarum testimonium Tertulliani contra Marcionitas disputantis: « Iam nunc, inquit, « ut et caetera compendio absolvam, quaecumque adhuc, ut « pusilla, et infirma, et indigna colligitis ad destructionem « Creatoris, simplici et certa ratione proponam: Deum non « potuisse humanos congressus inire, nisi humanos et sensus « et affectus suscepisset; per quos vim maiestatis suae into- « lerabilem utique humanae mediocritati, humilitate tem- « peraret, sibi quidem indigna, homini autem necessaria, « et ita iam Deo digna, quia nihil tam dignum Deo, quam « salus hominis, etc. Si enim Deus, et quidem sublimior; « tanta humilitate fastigium maiestatis suae stravit, ut etiam « morti subiiceret, et morti crucis; cur non putetis nostro « quoque Deo aliquas pusillitates congruisse, tolerabiliores « tamen iudaicis contumeliis, et patibulis, et sepulcris? » [2].

[1] *Ctr. Nestor. et Eutych.*, l. II. — *P. G.* t. LXXXVI, col. 1337. — Alias responsiones lege breviter collectas a Petavio (op. cit., l. X, c. 3).

[2] *Ctr. Marcion.*, II, c. 27. — *P. L.* t. II, col. 343, sq.

Nec aliter S. Athanasius [1], S. Ambrosius [2], S. Leo [3], S. Fulgentius [4].

Brevissime Augustinus contra Faustum Manichaeum ait: « utique vulnerabile atque mortale corpus habuit » [5]. Imo docet, nisi intercidisset praematura per vim illata mors, Christum ad mortem per senectutem pervenire potuisse. « Sed quia « in eo erat similitudo carnis peccati, mutationes statum « perfecti voluit, ab ipsa exortus infantia: ut ad mortem » videatur etiam senescendo illa carne pervenire potuisse, « nisi iuvenis fuisset occisus ».

Nihilominus inter conditionem carnis Christi et caeterorum hominum magnum discrimen agnoscit, quod S. Thomas tam alte post Augustinum inculcat: « Quae tamen mors in « carne peccati inobedientiae debita redditur; in similitudine « autem carnis peccati obedientiae voluntate suscepta est » [6]. Quo sensu quoque intelligendus est Theodorus Abucara: « Corpus, inquit, Adami ab omni labe purum effinxit Deus, « cui nulla ex naturalibus, et inculpatis affectionibus neces- « sitate dominabatur, veluti mors, et quae mortem antece- « dunt, ac sequuntur. Verum postquam sponte sua, et volun- « tate, Adamus idem divinum praeceptum transgressus est, « seque peccato subiecit, et inquinavit, tum demum natura- « libus et inculpatis illis affectionibus, tanquam servus, ob- « noxius esse coepit, nempe morti caeterisque morti praeeun- « tibus, aut eam sequentibus. Hinc Adamus esurire, sitire, « ac mori necessitate quadam est coactus: et post obitum, « corruptela eius corpori dominata est tum alia iis similia. « Porro sempiternus Dei Filius Adamaeum corpus assumpsit; « hoc est ipse sibi, ex purissimo sanctissimae Virginis Mariae « sanguine, illibatum et ab omni macula peccati liberum « finxit. Ob id nullum ius in ipsum mors habuit: nec illa quae « mortem antecedunt: uti fames, ac reliquarum culpa caren-

[1] *De Incarn.*: « Corpus Christi communem habens cum caeteris substantiam: « quippe corpus erat humanum; tametsi novo et inusitato miraculo ex sola Virgine « conflatum: nihilominus mortale cum esset itidem ut alia similia, mortem obiit ».

[2] *In Luc.*, l. VII.

[3] Serm. 1. de Nativ.

[4] *De Incarn.*, c. 8; *ad Tras.*, III; *ad Reg.*, c. 2, 3, 4.

[5] *Ctr. Faust.*, XIV, 2. — *P. L.* t. XLII, col. 296.

[6] *De peccato mer.*, II, 29.

« tium multitudo passionum, ut iam ostendimus. Sed neque « mortem consequens corporum corruptio: de qua Dei pro- « genitor ille David in 15. Psalmo ista praedixit: Non dere- « linques animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum « videre corruptionem » [1].

Et haec de scriptoribus haereticis satis [2].

II. Iam ad scriptores *catholicos*. 1) Hic inprimis nobis occurrit **S. Hilarius,** de cuius genuina sententia celebris est apud theologos disputatio. Primus Hilarii opinionem de passibilitate corporis Christi improbavit aperte Claudianus Mamertus, cuius haec verba investigationi nostrae praemittere iuvat. Asserit enim, Pictaviensem episcopum « inter complura « praecelsarum disputationum suarum, quiddam secius sen- « tientem, duo haec veris adversa disseruisse: Unum, quod « nihil incorporeum creatum dixit; aliud, nihil doloris Chri- « stum in passione sensisse. Cuius si passio vera non fuit, « redemptio quoque nostra vera esse non potuit. Sed quando « beatus Hilarius opinionis huiusce vitium virtute confessio- « nis abolevit, sic sustinet reprehensionis stilum, quod non « patitur detrimenta meritorum » [3]. Fatetur igitur Claudianus, Hilarium non solum circa veritatem passionis dominicae errasse, sed et ipsum errorem hunc retractasse. Eodem quasi modo de excessu Hilarii iudicant Ioannes Praepositus in sua controversia cum Philippo abbate Bonae Spei, Berengarius, Baronius [4], Petavius [5], etc. Sed alii, imo plures, ab errore quovis Hilarium immunem defendere conantur: Lanfrancus, laudatus Philippus, Petrus Lombardus, S. Thomas, S. Bonaventura, auctor praefationis generalis editionis Maurinae operum S. Doctoris, et inter recentiores theologos fusius Stentrup, cuius thesis de hoc argumento ita sonat: « Iniuria « Aphthartodoketarum errori adscribuntur certae quaedam « Hilarii sententiae, quibus is tristitiam, dolorem passionem- « que a Christo removere prima fronte videtur » [6].

[1] Opusc., 4. — *P. G.* t. XCVII, col. 1520.
[2] De errore quodam Valentini dicemus mox, ubi de Clemente Alexandrino.
[3] *De statu an.*, l. II.
[4] Ad ann. 563, n. 4.
[5] Op. cit., l. X, c. 5.
[6] Op. cit., th. LVI.

In hac nostra brevi investigatione sequentem ordinem tenebimus, *a*) ex integro locum adducemus, qui maiorem difficultatem parit; *b*) solutiones adducemus a praecipuis theologis Hilario faventibus allatas; *c*) iudicium nostrum proferemus.

a) In opere de Trinitate, de quo dixit ipse: « Loquemur « exsules per hos libros et sermo Dei, qui vinciri non potest, « liber excurret », sunt enim directe contra Arianam haeresim conscripti; in libro X., refellens haereticorum instantias contra divinitatem Christi ex ipsa passione desumptas, haec habet. « Homo itaque Iesus Christus, unigenitus Deus, « per carnem et Verbum, ut hominis filius; ita et Dei Filius, « hominem verum, secundum similitudinem nostri hominis « non deficiens a se Deo, sumpsit: in quem, quamvis aut « ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurre- « rent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem haec impetum « passionis, non tamen dolorem passionis inferrent: ut telum « aliquod aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut « aëra vulnerans. Omnes quidem has passiones naturae suae « infert, ut perforet, ut compungat, ut vulneret: sed naturam « suam in haec passio illata non retinet; dum in natura non « est vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aëra vulnerari: « quamvis naturae teli sit et vulnerare, et compungere, et « forare. Passus quidem est Dominus Iesus Christus, dum « caeditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur; « sed in corpus Domini irruens passio, nec non fuit passio, « nec tamen naturam passionis exseruit: dum et poenali « ministerio illa desaevit, et virtus corporis sine sensu poe- « nae, vim poenae in se desaevientis excepit. Habuerit sane « illud Domini corpus doloris nostri naturam, si corpus « nostrum id naturae habet, ut calcet undas et super fluctus « eat, et non degravetur ingressu, neque aquae insistentibus « vestigiis cedant, penetret etiam solida, nec clausae domus « obstaculis arceatur. At vero si dominici corporis sola ista « natura sit, ut sua virtute, sua anima feratur in humidis, « et insistat in liquidis, et extructa transcurrat; quid per « naturam humani corporis conceptam ex Spiritu carnem « iudicamus? Caro illa, id est, panis ille de caelis est; et homo « ille de Deo est. Habens ad patiendum quidem corpus et

« passus est; sed naturam non habens ad dolendum. Naturae « enim propriae ac suae corpus illud est, quod in caelestem « gloriam conformatur in monte, quod attactu suo fugat « febres, quod de sputo suo format oculos » [1].

Et paulo inferius quasi omnia dicta recapitulans, ait: « Ubi, « rogo, in passione timor? ubi infirmitas? ubi dolor? ubi con- « tumelia? Timere ab impiis dicitur? Sed ipse pati velle se « praedicat. Infirmus esse contenditur? Sed se potentem dum « consternatis persecutoribus obvius non sustinetur, ostendit. « Dolere vulnera carnis arguitur? Sed in eo, quod carnem « auris reddit ex vulnere, caro ipse cum sit, extra carnalem « tamen naturam dolendi vulneris reperitur: quia dum et « manu truncam aurem attingit, manus illa de corpore est, « et dum manus aurem producit ex vulnere, non esse manus « illa corporis significatur infirmis » [2].

Alter locus adducitur ex commentario in Matthaeum c. XXXI, ubi pariter confutat obiectiones ab Arianis contra divinitatem Christi motas ex tristitia et oratione Christi in horto agoniae. Sed longe minor est difficultas inde petita, quum magis appareat, Hilarium ibi loqui de Christo secundum eius naturam divinam.

b) Videamus igitur, quomodo S. Hilarii in hac parte defensores allatum textum ex libro X. de Trinitate interpretentur. Non solum Claudianus Mamertus asserit, S. Hilarium sese retractasse, sed et Gulielmus Parisiensis, testibus Alberto Magno, Bonaventura et Thoma, affirmavit, sese librum huius retractationis perlegisse. Haec est igitur prima responsio, quam unicam adhibet Petavius, quippe existimans allatum textum per se salvari non posse.

In hoc autem non conveniunt plures, - inter quos, ex Magistris Scholae, Lombardus, S. Bonaventura et S. Thomas; ex recentioribus, editor Maurinus et Stentrup, qui ipsum praecitatum textum cum doctrina plene orthodoxa componere conantur.

Sed primo reponam. Quid, si S. Hilarius nullibi sese retractasset? Num ideo sensus huius loci melior esset? Porro si potuit, fatentibus illis, in re tanti momenti sese retractare

[1] Loc. cit. n. 23. — *P. L.* t. x, col. 362, sq.
[2] Ibid. n. 32, col. 369.

debere, potuit et haec scripsisse, quin sese retractasset. Quare ex hac sive vera, sive fictitia retractatione, contra plenam defensionem huius loci oritur sane praeiudicium.

Quaenam autem sunt solutiones a Scholae principibus datae? Duae praesertim.

a) Prima est, Hilarium loqui non secundum naturam humanam assumptam, sed secundum personam assumentem, imo secundum naturam personae asssumentis. Quam interpretationem sat plausibilem habet S. Bonaventura [1]; S. Thomas autem, parum solidam iudicat, dicens: « Sed huic non « consonant verba auctoritatis, quae faciunt mentionem de « Christi carne » [2].

b) Altera responsio distinguit in ipsa passibilitate secundum humanam naturam. Hilarius, aiunt, non negat passionem et dolorem Christi; sed vel α) meritum, vel β) necessitatem, sive causam eiusdem; prius tenet Lombardus; utrumque afferunt S. Thomas et S. Bonaventura.

Stentrup autem, qui editorem Maurinum ad gressum sequitur, nulla retractatione admissa, S. Hilarium defendere conatur, tum indirecte, tum directe.

α) *Indirecte* dupliciter: α′) Primo quia Aphthartodoketae auctoritatem Hilarii in partes suas non traxerunt, quod certe facere non omisissent, si revera iste Doctor eorum docuisset errorem. At, praeter distantiam temporis, regionis et sermonis, quid si, quam Claudianus narrat, retractationem, ipsi quoque cognoverint? - β′) Dein ex aliis locis, in quibus S. Doctor veram in Christo passibilitatem et dolorem admittit. Qui loci praecipue desumuntur ex commentario in psalmos LIII [3], LIV [4], et LVIII [5], in quo ultimo Petavius Hilarii retractationem reperiendam esse existimat. Et sane, qui hanc psalmi illustrationem sine praeiudicio legit, non cogitat de excessu, qui in libro X. de Trinitate saltem obvio sensu occurrit. - Imo iuxta Stentrup, in ipso hoc libro sententiae reperiuntur, quae et alia ad veram doctrinam trahenda esse

[1] Dist. XVI, art. 1, q. 1. « Et hoc quidem confirmatur, etc. ».
[2] III. Sent. Dist. XV, expos. text.
[3] N. 4, 7. — *P. L.* t. IX, col. 339.
[4] N. 6. — Ibid. col. 360.
[5] N. 3, 4, etc., 23. — Ibid. col. 472, sq. 484.

demonstrent. Sed penitius inspecti id vix hi loci suadent; imo potius cum praemisso textu harmonice conspirant [1].

β) *Directe* laudatus theologus modum loquendi S. Hilarii ad doctrinam communem trahit ope quarumdam regularum circa stylum huius Patris. α′) Et quidem, ait, Hilarius conciliat haec duo: Verbum esse *passum* et tamen esse *impassibile:* « Pati potuit et passibile esse non potuit, quia passi- « bilitas naturae infirmis significatio est; passio autem est « eorum, quae sunt illata, perpessio » [2]. - β′) *Natura,* uti in hoc ipso loco, apud Hilarium significat naturam divinam. Non quasi assumptam naturam humanam Christi neget, sed eam ut quid assumptum non stricte Deo naturale cogitat; unde dicere potuit: « Non fuit ergo in Unigenito Deo naturalis « infirmitas, sed assumpta » [3]. Quem Hilarii usum non satis perspexit Erasmus in hunc locum exclamans: « Quomodo « non naturales ei, qui naturam assumpsit? » - γ′) Pariter *virtus* ab Hilario intelligitur virtus divina, uti in loco praecitato: « virtus corporis sine sensu poenae vim poenae in se « desaevientis excepit ». - δ′) *Spiritus* quoque apud Hilarium significat non raro divinitatem, dum corpus totam naturam humanam significat. At haec lex non est constans. Ita ex una parte, in n. 56. eiusdem libri, distinguit in Christo Deum, animam et corpus [4]. Et in n. 12, quem integrum citare iuvat, spiritus et corpus dicunt humanam animam et corpus. « Sed forte humanae ignorantiae timiditate hanc ipsam mo- « riendi in se timuit potestatem; ut licet ab se mortuus sit, « tamen hoc ipsum, quod moriturus esset, timuerit. Et si forte « erunt, qui ita existimabunt; constituant cui rei existiment « mortem fuisse terribilem, Spiritui, an corpori. Si corpori; « anne ignorant, quod Sancto corruptionem non visuro [5], intra « triduum corporis sui templum esset suscitaturus? Si vero « Spiritui mors terribilis est; Lazaro in Abrahae sinibus lae- « tante, infernum chaos Christus timeret? Haec stulta atque « ridicula sunt, ut in potestate ponendae animae ac resu- « mendae mori timeret, ad sacramentum vitae humanae sub

[1] N. 36, 39, 42, 48, 54, sqq. 63, 66, sq.
[2] *De Syn.,* n. 49. — *P. L.* t. x, col. 516.
[3] In ps. LXVIII, n. 9; cf. n. 18. — *P. L.* t. IX, col. 475.
[4] De Trin. lib. x, col. 388.
[5] Ps. XV, 10.

« voluntatis suae libertate moriturus. Non est in voluntate « morientis et potestate non diu mori timor mortis; quia et « voluntas moriendi et potestas reviviscendi extra naturam « timoris est, dum timeri mors non potest et in voluntate « moriendi et in potestate vivendi » [1]. - ε') Adde his, Hilarium, utpote Arianorum malleum, insistere quam maxime unitati personae Christi. Inde Christus supponit passim pro Verbo. Quod tantopere verum est, ut interdum Hilarius in excessum abeat. Ita in principio textus superius allati asserit, hominem Iesum assumpsisse hominem, hoc est, illum, qui ob unitatem personae homo est Iesus, assumpsisse naturam humanam. His prae oculis habitis, Stentrup in salvando modo loquendi S. Hilarii maxime insistit secundae interpretationi S. Thomae et S. Bonaventurae, iuxta quam S. Doctor passionem et dolorem unice removet a Christo secundum naturam divinam, non autem secundum naturam humanam.

c) Quid ergo? Fateor, rem esse arduam valde. α) Ex una parte vix credibile videtur, Hilarium in expositione psalmorum sese revera retractasse, quin ipse hoc expresse dixerit, quum ageretur de argumento tanti momenti. - β) Ex altera autem parte quomodo heic ex toto negasset passionem, quam tamen alibi sat expresse tenere videtur? - γ) Nihilominus, qui modus datur tantam violentiam inferendi contextui, ut, quod prorsus negant verba, sensus affirmet?

Stando huic tertio, puto, rationes a Stentrup, optimo quidem fine allatas, non sufficere ad totam mentem S. Hilarii exprimendam. Quod ut manifestius fiat, necessarium duximus, integra verba afferre per quae textus supra allatus introducitur. Parcat lector fusiori expositioni, quippe quam momentum simul ac difficultas argumenti suadent.

En quomodo Hilarius quaestionem de dolore carnis Christi inducit. « Sed forte penduli in cruce corporis poenae et « colligantium funium violenta vincula, et adactorum clavo- « rum cruda vulnera sunt timori? Et videamus cuius cor- « poris homo Christus sit; ut in suspensam, et nodatam, et « transfossam carnem dolor manserit » [2].

Hic non agi de natura divina, sed de ipsa natura corporis

[1] Op. cit., col. 351, sq.
[2] Ibid., n. 13.

Christi sub ratione passibilitatis, evidens puto. Iam vero antequam quaesitum solvat, Hilarius de ipsa corporum natura, sed de dolore per sensus investigat. « Ea enim natura cor-
« porum est, ut ex consortio animae in sensum quemdam ani-
« mae sentientis animata, non sit hebes inanimisque materies:
« sed et attacta sentiat, et compuncta doleat, et algens rigeat,
« et confota gaudeat, et inedia tabescat, et pinguescat cibo.
« Ex quodam enim obtinentis se penetrantisque animae
« transcursu, secundum ea, in quibus erit, aut oblectatur,
« aut laeditur. Cum igitur compuncta aut effossa corpora
« dolent, sensum doloris transfusae in ea animae sensus
« admittit. Denique vulnus corporis usque ad hos dolet,
« et digiti excidentium (alias excedentium), ex carne unguium
« praesegmina nesciunt. Et si quando accedente vitio pars
« aliqua corrupta membrorum, sensum vivae carnis amise-
« rit; ea cum vel desecabitur vel uretur, dolorem quisquis
« esse potuisset, non manente in ea animae permixtione, non
« sentiet. Aut cum gravis necessitas recidendi corporis manet,
« medicato potu consopitur vigor animae, et in emortuam
« sensus sui oblivionem mens succis violentioribus occupata
« conficitur. Ac tum doloris nescia membra caeduntur, et
« omnem alti vulneris plagam sensus carnis emortuus, sensu
« animae in se torpentis evadit. Affert itaque dolorem per
« animae infirmis admixtionem, in infirmum sensum suum
« corpus animatum » [1].

Adverte hic duplicem partem. In prima Hilarius exponit normalem statum in quo ordinarium corpus cum doloris sensu patitur. In altera quasdam exceptiones inducit. In ultima sententia concludit.

Porro, si Hilarius simpliciter tenuisset, corpus Christi passibile et mortale uti nostrum, et impassibilitatem Christi unice a divina natura repetiisset, quo spectaret hic incedendi modus? E contra quae sequuntur, methodi rationem magis manifestant. In his S. Hilarius rationem discriminis ostendit inter corpus Christi et nostrum, id est, altissimam rationem ob quam Christi corpus etiam sub passione a naturali passionis vi eximitur. - « Si igitur homo Iesus Christus per initia
« corporis atque animae nostrae vixit in corpore, et non ita

[1] Op. cit., n. 14.

« ut corporis sui, sic et animae suae princeps Deus, in simi-
« litudinem hominis constitutus, et habitu repertus ut homo
« natus est; dolorem senserit corporis nostri, animae nostrae
« et corporis, ut conceptu, ita et initio animatus in corpore.
« Quod si assumpta sibi per se ex Virgine carne, ipse sibi,
« et ex se animam concepti per se corporis coaptavit; secun-
« dum animae corporisque naturam, necesse est et passio-
« num fuisse naturam. Evacuans se enim ex Dei forma, et
« formam servi accipiens, et filius Dei etiam filius hominis
« nascens, ex se suaque virtute non deficiens, Deus Verbum
« consummavit hominem viventem ». Adverte vim horum ultimorum verborum ad unionis hypostaticae principium exhibendum.

« Nam quo modo filius Dei hominis filius erit natus; vel
« manens in Dei forma, formam servi acceperit: si non potente
« Verbo Deo ex se et carnem intra Virginem assumere, et
« carni animam tribuere, homo Christus Iesus ad redemptio-
« nem animae et corporis nostri perfectus est natus; et cor-
« pus quidem ita assumpserit, ut id ex Virgine conceptum,
« formam eum esse servi effecerit? Virgo enim non nisi ex
« suo sancto Spiritu genuit quod genuit. Et quamvis tantum
« ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se feminae
« edendorum corporum susceptis originibus impenderent; non
« tamen Iesus Christus per humanae conceptionis coaluit
« naturam. Sed omnis causa nascendi invecta per Spiritum
« tenuit in hominis nativitate quod matris est; cum tamen
« haberet in originis virtute quod Deus est » [1].

Haec verba summi momenti nobis esse videntur ad pleniorem Hilarii intelligentiam. Ostendunt enim, S. Doctorem specialem in Christi corpore et anima tenuisse indolem, imo quasi naturam, ex origine peculiari corporis concepti a Virgine per operationem Spiritus Sancti; unde passibilitas corporis Christi est diversa a passibilitate corporis nostri, quia conceptum est de Virgine et Spiritu. Quae consideratio eo validior est, quo magis Hilarius unionem hypostaticam Verbi cum corpore intelligit immediatam, imo antecedentem ad unionem animae ad corpus [2]. Unde in sequentibus Hilarius et de

[1] Op. cit., n. 15, col. 353, sq.
[2] Saltem logice.

corpore Christi intelligit dictum: « qui de caelo descendit » [1], et « secundus homo de caelo » [2]; « ego sum panis vivus qui « de caelo descendi » [3]; ita ut « per panem suum, de caelo « descendentem, et per carnem ac sanguinem filii hominis, « et conceptae de Spiritu Sancto, et natae ex Virgine carnis « intelligatur assumptio » [4].

Audi iam quomodo concludit ad unitatem Iesu filii Dei et filii hominis: « Huius igitur corporis homo Iesus Christus « et Dei filius et hominis est filius, et ex forma Dei se exi- « naniens formam servi accepit. Non alius filius hominis, « quam qui filius Dei est: neque alius in forma Dei, quam « qui in forma servi perfectus homo natus est: ut, sicut per « naturam constitutam nobis a Deo originis nostrae principe, « corporis atque animae homo nascitur, ita Iesus Christus « per virtutem suam carnis atque animae homo ac Deus « esset, habens in se et totum verumque quod homo est, et « totum verumque quod Deus est » [5]. Quae verba conformia utique Symbolo Athanasiano simili comparatione utenti [6], apud S. Hilarium habent peculiarem vim, quia, uti vidimus, magis insistit in immediationem unionis naturae divinae cum carne.

Pergamus. Postquam demonstravit Christi animam a Deo esse, maiori titulo quam in aliis hominibus, affirmat in Christo identitatem perfectam personae. « Itaque quum Iesus Chri- « stus et natus et passus, et mortuus et sepultus sit, et resur- « rexerit [7], non potest in his sacramentorum diversitatibus « ita ab se dividuus esse ne Christus sit: cum non alius « Christus, quam qui in forma Dei erat, formam servi acce- « perit; neque alius, quam qui natus est, mortuus sit; neque « alius, quam qui est mortuus, resurrexerit; neque alius, « quam qui resurrexit, sit in caelis; in caelis autem non « alius sit, quam qui descendit ante de caelis » [8]. Haec quidem quoad singularitatem personae egregia prorsus.

[1] Ioann. III, 13.
[2] I. Cor. XV, 47.
[3] Ioann. VI, 51.
[4] N. 18, - col. 357.
[5] N. 19, - col. 357.
[6] Non tamen haec formula habenda est eadem, uti in Quaest. XVII, ostendemus.
[7] Ita putamus legendum ac periodum extruendam.
[8] N. 22, - col. 360, sq.

Rediens iam ad difficultates ab Arianis motas, quomodo respondere debuisset Hilarius, si quam S. Thomas de passibilitate corporis Christi sententiam docet, ipse simpliciter tenuisset? Concedo passibilitatem et dolorem, imo concedo Christum filium Dei passum, at non in natura divina, sed in natura humana, ita tamen ut, propter singularitatem personae, patiens sit Deus. E contra in n. 43, uti supra vidimus, subtiliter disserit de speciali qualitate corporis Christi prae aliis humanis corporibus, et quidem ita, ut corpori huic prorsus singulari non minus tribuat ambulare super aquas, et operari portenta, quam clavis perforari. Qui arguendi modus recurrit in sequentibus ubi agit de aliis passionibus in Christo, de metu, de tristitia, etc. Ita, v. gr., quaerens de metu, sibi obiicit: « Sed forte dolorem vulnerum timuit ». Et reponit: « Quam, rogo, penetrantis in carnem clavi habuit « horrorem, qui excisae auris carnem solo restituit attactu? ».

Et concludit: « Quod si haec in Christi corpore virtus « fuit, qua, rogo, fide naturaliter infirmus fuisse defenditur, « cui naturale fuit omnem humanarum infirmitatum inhibere « naturam? » [1]. Et in recapitulatione ait: « Ubi, rogo, in pas- « sione timor? ubi infirmitas, ubi dolor? ubi contumelia? « Timere ab impiis dicitur? sed ipse pati velle se praedicat ». Et ita pergit vix distinguens quae utriusque naturae sunt [2].

Et inferius conferens modum quo caro Christi se habuit in passione, cum modo quo corpora trium puerorum in camino ignis: « Non vis, impie haeretice, ut transeunte palmas clavo « Christus non doluerit, neque vulnus illud nullam acerbi- « tatem teli compungentis intulerit. Interrogo, cur pueri ignes « non timuerint, nec doluerint; aut quid in eorum corpo- « ribus naturae fuerit, ut naturam ignis excederet? ». Et paulo ante dixerat: « Quod si per spiritum fidei terrena corpora, « id est, secundum elementa causarum communium initiata, « neque uri potuerunt, nec timere; quae ergo per fidem « Dei in homine contra naturam sunt, ea in Deo secundum « virtutem Spiritus ad naturae originem inchoata, non sunt « naturaliter aestimanda? » [3].

[1] N. 28, col. 368.

[2] N. 32, col. 369. Vide integrum hunc textum superius citatum.

[3] N. 45, col. 378, sq.

Haec omnia in sententia quam vindicat S. Thomas, sunt magni subtilesque passus extra viam; nec possunt ad hanc sententiam trahi nisi per continuum verborum veluti martyrium. E contra fluunt, et quidem consequentur, si, praeter animadversiones criticas a Stentrup suggestas, sequentia prae oculis habeantur. 1) S. Hilarius ex conceptione de Virgine ex Spiritu Sancto carnem Christi veluti altioris naturae considerat. 2) Unionem divinitatis ad carnem concipit immediatam, imo veluti logice saltem anteriorem ad animam [1]. 3) Per consequens in analysi doloris aliarumque passionum in Christo minus attendit ad partes animae humanae. 4) Imo in ipso elemento divino non satis distinguit respectum naturae et respectum personae. 5) Inde quae doloris et passionum sunt in Christo, veluti terminat ad divinam Christi naturam; ac proin passionem materialem quidem concedit, formalem autem negat. Hanc, salvo aequiori iudicio, existimo esse genuinam Hilarii sententiam, quam nescio ubinam unquam retractaverit; unde ad eius normam intelligenda puto, quae alibi de passione Christi simpliciter concedit, potius quam e converso. Longe enim facilius est, alios locos ad horum normam interpretari, quam doctrinam hic fuse expositam ad communem sententiam Scholae deflectere. Credimus proin, mentem S. Hilarii ab Aphthartodoketarum excessu non tantopere distare.

2) Æquius salvatur doctrina *Dionysii Alexandrini,* qui contra Paulum Samosatenum agens, affirmat, ea quae de Domini Iesu agonia dicuntur, eo modo esse intelligenda, sicut passiones quae figurative Deo in Scripturis tribui solent. Etenim contra divinitatis Christi hostem scribens, intendit dolorem in Christo negare quoad naturam divinam.

3) Nec tacendus est hic *Clemens Alexandrinus,* qui, nimis ad mentem Hilarii appropinquans, putat, Christum necessitatibus corporis sese tantum submisisse, ne secus de veritate eius incarnationis dubitaretur. « In Salvatore, ait, corpus « tanquam corpus, necessaria postulare ministeria, ridicu- « lum fuerit. Manducabat enim, non propter corpus, quod « divina virtute sustentabatur; sed ne illis qui versabantur

[1] Inde urget compositionem Christi ex virtute divina, carne et anima; potius quam ex duplici natura (n. 19, col. 357).

« cum ipso, in mentem veniret aliter de eo sentire » [1]. Simile quid reperitur apud haereticum Valentinum: « Tanta « vis in eo (Christo) continentiae fuit, ut in eo non corrum- « peretur alimentum; quando nec ipse corruptelae capax « erat » [2].

Contra quos statuendum est cum S. Damasceno [3], fuisse quidem in Christo omnes istas passiones voluntarias, attamen non ideo minus veras; insuper cum S. Basilio [4], Christum quidem in his omnibus egisse in exemplum perfectae conversationis, at nihilominus ex conditione passibili quam assumpsit, has actiones ei fuisse naturales iuxta leges physicas humano corpori proprias [5].

4) Addendum hic est verbum de controversia sat celebri inter Philippum Abbatem Bonae Spei et Ioannem Praepositum sub fine aetatis mediae mota. Philippus enim, doctrinae S. Hilarii veluti instaurator, tantam corpori Christi tribuebat ratione conceptionis de Spiritu Sancto excellentiam, ut dolorem aliasque passiones nedum naturales, miraculosas esse contenderet. « Christum vero naturae tanta potentia praeditum « ab ipso conceptu fuisse dicit, ut posset evitare molestiae « poenas occurrentis, etc. Passiones igitur suam in illum non « potuerunt naturam exercere, dum eius voluntati nihil potue- « runt contrarium admovere: et cum ille cuncta videretur

[1] *Strom.* VI, c. 9. — *P. G.* t. IX, col, 292.

[2] Epist. ad Agathop.. — Clem. Alex. Stróm. III, c. 7. — *P. G.* t. VIII, col. 1164.

[3] « Quocirca naturales nostrae passiones, et secundum naturam, et supra natu- « ram in Christo fuerunt. Secundum naturam enim in ipso commovebantur, quando « carni permittebat, ut quae sunt eius propria, pateretur. Supra naturam vero, quo- « niam non antecedebant in Domino quae naturalia erant, illius voluntatem. Nam « nihil coactum in eo consideratur: sed voluntaria omnia. Itaque volens esuriit, « volens sitivit, volens timuit, volens est mortuus ». (Op. cit. l. III, c. 20).

[4] In homilia de gratiarum actione ait in initio: « Christum manducasse, ac « bibisse, non cibo ac potu indigentem ipsum, sed ut nobis necessariarum huiusmodi « affectionum animae mensuras ac terminos praefiniret: quemadmodum et flevisse, « ut in gemitum, luctumque propensorum immoderatos affectus, nimiumque deiectos « corrigeret ». Et mox addit: « Quemadmodum igitur famem suscepit Dominus, « exhausta per expirationem solidiore alimonia: et sitim admisit, humore in corpore « consumpto: et lassatus est, musculis ac nervis nimium ex ambulatione distentis: « non divinitate ipsa labore fracta, sed corpore ex natura consequentes affectiones « admittente: sic etiam lacrymas suscepit, naturalem affectum ad carnem accidere « permittens ».

[5] Ab ista lege non exclude alimentorum residua, naturali vix ex organismo expellenda. Quare circa hoc per excessum rursus erravit Theodorus Pharaita.

« occurrentia sustinere, tamen nihil horum adversus illum « potuit praevalere. Tantae quippe fuerat firmitatis, ut privari « non posset iure proprio voluntatis: nec primatum in eo « naturalis nostra infirmitas, vel infirma necessitas obtine- « ret: sed sua in omnibus voluntas permaneret. Ea propter, « sicut natus est quando voluit, sic passus est quae voluit, « afflictus ut voluit: non habens naturam, ut sicut nos dolere « cogeretur; sed habens voluntatem, ut condolendo nostris « doloribus mederetur » [1].

Ioannes vero thesim oppositam propugnabat: Hunaldus autem quidam per eruditas epistolas ad Ioannem directas litem composuit [2].

5) Excessum demum, sed ex alia parte committunt, quotquot in Christo naturam tantopere passibilem praedicant, ut nullum discrimen agnoscant inter conditionem corporis Christi et nostri. Ubi varii occurrunt gradus. *a*) Minus enim peccant, qui in corpore Christi illum influxum negant, quem sibi relicta, exercuisset fruitio visionis beatifica. - *b*) Gravius autem deficiunt, qui passiones proprie dictas, non solum propassiones in Christo ponunt. - *c*) Gravissime demum, qui has passiones usque ad moralem inordinationem adfuisse blasphemant. De quibus ultimis sermo redibit, ubi de impeccabilitate Christi discurremus.

Iam hanc dissertationem claudamus per sequentes brevissimas propositiones. 1) Christi corporis, si mere consideratur divinitas personae et conceptus de Spiritu Sancto ex Virgine, status naturalis fuisset impassibilis et gloriosus. - 2) Insuper fruitio beatifica per se impedivisset dolorem, si sese plene evolvisset. - 3) Potuit tamen Christus esse vere passibilis propter potentiam summam, quacum potuit haec divinae originis iura et hanc fruitionis beatae redundantiam moderari. - 4) Debuit hac potentia uti, ut non fictitie, sed verissime, per passionis satisfactionem humani generis scelus expiaret. - 5) Quare verissima fuerunt in eo dolor et reliquae passiones, imo eo veriores, quo inter corporis delicatissimi et animae

[1] *P. L.* t. CCIII, col. 40, sq.

[2] Lege apud Petavium (l. X, c. 4, n. 3, 4) interpretationem sententiarum, quibus S. Augustinus (in Ioann. tract. LX, sub fin.) et S. Maximus (Hom. 1. de ieiun. quadrag.) Christi passiones potestati tribuunt.

tenerrimae perfectior erat harmonia. - 6) Non ideo tamen desinebant haec eadem ob radicem divinitatis esse voluntaria, et insuper ob gratiae perfectionem ordinatissima.

ARTICULUS VI.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT TRISTITIA.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) In articulo 5. quaesivimus de dolore sensibili, scilicet de passione corporali. Nunc de tristitia, seu de passione animali, scil. de propassione. Nam passionem vere dictam in superiori parte animae non fuisse formaliter ut ratio est, partim iam est praeoccupatum, partim clarius praesenti articulo explicabitur.

2) Porro, quid intersit inter dolorem, et tristitiam, S. Thomas egregie exposuit in comm. Lombardi [1]. « In dolore et « tristitia duo inveniuntur; scilicet contrarietas contristantis « dolorem inferentis ad contristatum et dolentem, et percep- « tio eius; et quantum ad haec duo tripliciter differunt. Primo « quantum ad *contrarietatem:* quae quidem in dolore atten- « ditur quantum ad ipsam naturam dolentis, quae per laesi- « vum corrumpitur; sed in tristitia quantum ad repugnan- « tiam appetitus ad aliquid quod quis odit. - Secundo quan- « tum ad *perceptionem*, quae quidem in dolore semper est « secundum sensum tactus, ut dictum est; in tristitia autem « secundum apprehensionem interiorem. - Tertio quantum « ad *ordinem istorum duorum:* quia dolor incipit in laesione, « et terminatur in perceptione sensus, ibi enim completur « ratio doloris; sed ratio tristitiae incipit in apprehensione et « terminatur in affectione; unde dolor et in sensu sicut in « subiecto, sed tristitia in appetitu. Ex quo patet quod *tri-* « *stitia est passio animalis,* sed *dolor est magis passio cor-* « *poralis* ».

Brevius iam dixerat S. Augustinus, quem hoc loco citat S. Bonaventura: « Duplex est dolor in anima. Unus qui inest « animae secundum se, alius qui inest animae ex carne » [2].

3) Quaerere proin, utrum in Christo fuerit tristitia, idem

[1] III. Sent. Dist. xv, q. 2, a. 3, sol. 2.
[2] *De Civit. Dei,* l. xv, c. 15.

est ac quaerere, utrum anima Christi potuerit apprehendere aliquid tanquam nocivum, et circa illud moestitia affici.

Iam vero dubium nequit esse, quod, sicuti sensum doloris anima tota percipiebat ex corporis laesione, ita ex apprehensione passionis, in imaginatione simul ac in ratione inferiori tristitiam expertus sit. Et quod dicitur de passione apprehensa, etiam dicatur de quocumque obiecto contrariante appetitui sensitivo, in quo tanquam in subiecto tristitiam esse, n. 1. vidimus.

4) Ast illa obiecti nocivi apprehensio nunquam a propassione facta est passio in parte rationali superiori, in qua Christus semper ea voluit, quae fini Redemptionis inservirent, et simul semper vidit, passionem suam et ardua quaeque sibi subeunda, in hunc finem ex ordinatione Patris mirabiliter conducere.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit propassionem (tristitiam) a passione.

2. Obi. Procedit a falsa imaginatione Stoicorum, qui non viderunt, perfectionem non esse in hoc quod naturales appetitus absint, sed quod rationi non dominentur. Malum proin solum intellexerunt de malo partem superiorem animae rationalis afficiente, quod iure in sapiente removerunt. Sed supersunt malum corporis et malum appetitus, quae, etsi in ordine suo inferiore, vere mala sunt, a quibus natura recte refugit, et de quibus proin sine ulla imperfectione doletur ac tristatur.

3. Obi. Confundit malum culpae, quod in tristitia esse potest, et malum poenae, quod prius de natura sua secum fert.

4. Obi. Non advertit subordinationem quae inest volitis vel non volitis. Ubi iam adverte, quod - mox clarius apparebit, - in ipsis non volitis gradus dari posse ascendentes usque ad partem superiorem animae, non tamen pro homine submisso Deo usque ad supremam animae partem, in qua voluntas ut ratio dominatur.

Sed contra est. Ex allato Scripturae loco vides, quaestionem praesentem non esse liberae discussionis, quoad existentiam alicuius tristitiae in anima Christi. Quaestio autem

moveri potest, tum de *parte animae* in qua fuit, tum de *gradu intentionis eiusdem*. Quam quaestionem satius usque ad finem articuli reservamus, quum ibi quaedam dicenda sint, quae tum dolorem, tum tristitiam respiciunt.

Ad hunc articulum, necnon ad duos articulos praecedentes, faciunt verba Concilii Romani sub Papa Damaso, quibus anathemate percellitur « qui dixerit, in crucis passione dolorem « sustinuisse Dei Filium divinitate ipsa, et non carne, ani- « maque rationali, quam assumpsit in forma servi, ut Scrip- « tura sacra loquitur » [1]. Ergo Christi caro vere passa est; ergo Christi anima vere dolorem et tristitiam iuxta Scripturas sustinuit. Haec enim omnia continentur in verbis S. Pauli ad Hebraeos: « Unde debuit Christus per omnia fratribus assi- « milari, ut misericors fieret, et fidelis Pontifex ad Deum, ut « repropitiaret peccata populi. In eo enim in quo passus est « ipse et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxi- liari » [2].

Unde constantissime est haec doctrina apud scriptores et sacros Patres. Origenes haec habet: « Si, ut ait Celsus, nihil « doloris ac molestiae Iesus sensit per illud tempus, quonam « pacto, qui postea secuti sunt, Iesum adhibere potuerunt in « exemplum patiendi laboriosa quaelibet ac molesta propter « pietatem, si humana non est revera, sed sola specie per- « pessus? » [3]. Nec aliter Tertullianus [4]. S. Hieronymus presse ait: « Qui vero languores nostros et peccata portavit, et pro « nobis dolet, non putative, id est, τὸ δοκεῖν, ut nova et vetus « haeresis suspicantur [5]; sed vere crucifixus est, vere doluit » [6]. Et S. Augustinus praeclare: « Noli putare, non fuisse tristem « Dominum. Si enim hoc dixerimus, quia non erat tristis, cum « Evangelium dicat: " Tristis est anima mea usque ad mor- « tem ": ergo et quando dicit Evangelium: dormivit Iesus, « non dormivit Iesus; et quando Evangelium dixit: mandu- « cavit Iesus, non manducavit Iesus. Surrepit vermiculus « putredinis, et nihil sanum relinquet, ut dicatur, quod et

[1] Epist. syn. ad Paulinum Antiochenum.
[2] Hebr. II, 17, sq. — Cf. c, IV.
[3] *Contr. Cels.*, II.
[4] *Ctr. Marc.*, lib. III, c. 8. — *P. L.* t. II, col. 359,
[5] Cur vetus, cur nova, vide in appendice praecedente.
[6] *In Is.*, lib. XIV. c. LIII, v. 4. — *P. L.* t. XXIV, col. 525.

« corpus non erat verum, et carnem veram non habuit. Quid- « quid ergo de illo scriptum est, fratres, factum est, verum « est. Ergo tristis fuit? prorsus tristis, sed voluntate susci- « piens tristitiam, quomodo voluntate suscipiens carnem. Quo- « modo voluntate carnem veram; sic voluntate tristitiam « veram » [1]. Cum hoc tamen discrimine, quod carnem suscepit voluntate divina, non humana, quae cum assumpta carne esse coepit; tristitiam autem suscepit voluntate simul divina et humana.

In Corpore. Praemittit S. Thomas oeconomiam specialem in anima Christi existentem, quatenus delectatio contemplationis non impediebat actionem sibi propriam potentiarum inferiorum. Factum affirmat, quin modum facti exponat. De quo in ultimo articulo huius Quaestionis specialius dicemus.

Ex hoc facto S. Doctor concludit ad existentiam tum doloris sensibilis, tum tristitiae in anima Christi. Hic sedulo adverte sensum sententiae: « *Sicut dolor sensibilis est in appetitu, ita « et tristitiae* ». Falso quis haec verba ita intelligeret, ac si S. Thomas non poneret dolorem inter passiones corporales et tristitiam inter animales. Principium distinguitur; dolor incipit a parte corporis quod laeditur; tristitia ab appetitu. Subiectum proin prioris est proprie sensus; alterius, appetitus. Quare tristitia *immediate* est in appetitu, dolor *mediate.*

Circa verba « *motivum doloris est nocivum* », sequentia duo considera:

a) Latius patet obiectum tristitiae quam doloris. Etenim

α) obiectum doloris est semper afflictio *corporalis;* tristitiae autem obiectum potest esse *morale,* v. gr. honor, gratia, tentatio. Unde possunt quidem tristitia et dolor esse de eodem, nempe de tormento corporali. Tristitia tamen saepe erit de obiectis circa quae dolor impossibilis est.

β) Obiectum doloris semper respicit *malum proprium;* obiectum tristitiae est etiam *malum aliorum.* Sed istud malum aliorum propter zelum et charitatem consideratur ut proprium. Et ita β) redundat in α).

γ) Tristitia potest esse de dolore praeviso [2], aut per memoriam revocato; dolor est de malo praesenti.

[1] *In Psalm.* XCIII.

[2] Proprie tamen sub hoc respectu vocatur timor.

b) Applicando haec agoniae Christi in horto, invenimus in ea triplicem gradum, qui optime respondet triplici orationi Domini, necnon verbis *pavere, taedere, moestum esse,* quibus Scriptura hanc agoniam moralem simul et physicam describit.

α) Prima tristitia fuit de praevisa *passione,* cuius horrores iam instantes per praescientiam et imaginationem coram sistebantur: inde *pavor.* - β) Secunda tristitia fuit de *susceptis peccatis* totius mundi, quorum intuitu Christus fiebat in oculis Patris maledictus: inde *taedium.* - γ) Tertia tristitia fuit de fructu tantae reparationis, scilicet de tot hominibus quibus ex malitia sua non essent profutura tot tormenta, et de paucioribus [1] qui ex misericordia divina per illa salvarentur: inde *moestitia.*

Malum autem aliorum fuisse animae Christi obiectum tristitiae, habes ex lacrimis quas super Lazarum et super Ierusalem effudit [2].

Quaeres I. - Utrum dolor et tristitia in anima Christi *usque ad superiorem rationem pervenerint.*

Ad solvendum hoc quaesitum, Scholastici distinxerunt inter rationem *ut naturam* et rationem *ut rationem;* et responderunt, dolorem et tristitiam animae Christi pervenisse ad rationem ut natura est, non autem ut est ratio. Ita S. Bonaventura cum S. Thoma, in commentariis Lombardi.

Sed hic optime advertit Angelicus, hanc formulam posse diverso modo intelligi. - Primo sensus est. Quum omnes potentiae radicentur in anima uti natura est, tum dolor, qui afficit totam naturam animae, tum tristitia, cuius subiectum est appetitus, pertingunt usque ad rationem, prout ratio natura est. Quem sensum alii aliter reddentes, dicebant, animam Christi dolorem passam esse « ut est natura corporis, non « autem ut est principium humanorum actuum, et sic etiam « inferior ratio compatiebatur et ut est natura, et ut est ratio ». (Primum de dolore, alterum de tristitia dictum quisque intelliget).

Alter sensus ita a S. Thoma exponitur. « Quamvis etiam « aliter possit intelligi distinctio qua distinguitur ratio ut

[1] Utrum absolute an relative pauciores, hic non quaerimus.

[2] Cf. textus allatos in *Sed contra est* art. 4.

« natura et ut ratio: quia ratio ut natura dicitur secundum « quod iudicat de eo quod est secundum se bonum vel malum, « naturae conveniens vel noxium; ratio autem ut ratio, secun- « dum quod iudicat de eo quod est bonum vel malum in ordine « ad alterum ». Et allato exemplo de medicina, quam quis, in se malam, vult in ordine ad sanitatem, pergit: « Et sic « etiam mors Christi erat quidem in se mala, inquantum erat « nocumentum naturae; in ordine autem ad finem redemptio- « nis humani generis, erat optima; et sic etiam ratio inferior ut « ratio non tristabatur de morte, sed solum ut natura: et sic « dicta distinctio erit de ratione secundum quod comparatur « ad obiectum » [1]. Hic alter sensus magis arridet, quum clarius ostendat, quomodo iuxta gradus possit simul stare in anima tum repulsio quoad obiectum, inquantum consideratur non solum ut malum physicum et proprium, sed etiam ut morale et aliorum; tum volitio, in quantum cum altiori harmonia divinorum consiliorum concordat.

Quaeres II. - Utrum magnitudo doloris ac tristitiae animae Christi fuerit *omnium maxima*. Satis sit de hac quaestione afferre sententiam S. Thomae et S. Bonaventurae.

Respondet Angelicus [2], dolorem sensitivum et animalem Christi fuisse maximum omnium viatorum, non autem damnatorum. Quam doctrinam, brevitatis causa, hoc schemate contractam accipe.

Maximus fuit in anima Christi dolor:

- 1) sensibilis, seu *dolor* proprie dictus:
  - *a*) ex *natura* passionis:
    - α) *complexio* temperatissima;
    - β) *genus* poenae in sensibilissimis;
    - γ) *multitudo* passionum.
  - *b*) ex *puritate* doloris: quaevis mitigatio ex contemplatione impedita.
  - *c*) ex *voluntate* patientis: voluntarie excessum, ut faceret satis, accepit.
- 2) animalis, seu *tristitia:*
  - *a*) ex rationibus *b*) et *c*);
  - *b*) ex turpitudine mortis;
  - *c*) ex dilectione vitae omnium optimae;
  - *d*) ex magnitudine ipsum laedentium;
  - *e*) ex defectibus humani generis.

[1] III. Sent. Dist. xv, q. 2, a. 3, sol. 2.
[2] Loc. cit., sol. 3.

Paululum aliter *S. Bonaventura* [1].

Acerbissimus fuit Christi dolor:

1) ex *causa* passionis: *a*) pro culpa aliena, *b*) pro inimicis, *c*) pro ingratis praevisis; } *tristitiae* argumenta.

2) ex *modo* patiendi: *a*) in omnibus membris, *b*) diutissime durissima; } *doloris* sensibilis argumenta.

3) *qualitas* patientis: *a*) maxima corporis aequalitas, *b*) sensus vivacissimus. } »

Et concludit Seraphicus Doctor verbis quibus hisce sex articulis finem imponere lubet: « Christo gratias quantas possumus et supra quod possumus referamus, si quo modo donetur nobis, ut tam graviter patienti compatiamur! ».

ARTICULUS VII.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT TIMOR.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Posito quod in anima Christi passio animalis fuerit, quin per contemplationis delectationem naturalis aversio a nocivo obiecto tolleretur, admittendae sunt in anima Christi eae passiones, quae non contrariantur alicui ex perfectionibus supra in eo demonstratis.

2) Quid iam de *timore?* Timor respicit malum *ut futurum.* De praesenti quippe tristitia vel dolor est. Iam vero futurum dupliciter aliquid considerari potest: vel *a*) quatenus nondum praesens est, abstrahendo aliquo modo utrum vitari possit necne; vel *b*) quatenus, licet nondum tempore praesens, tamen certitudine praescientiae uti praesens menti ponitur. Si priori modo consideratur, obiectum timeri potest; at quum ab eius futuritione abstrahat, timens optare potest ne fiat praesens. Si altero modo, non potest amplius in stricto sensu timeri, sed timor cedit tristitiae.

3) Evidens est ex dictis, in Christo, ratione praescientiae, locum timori non esse potuisse, nisi per abstractionem ab eadem praescientia factam. Ut futura nihilominus, modo dicto,

[1] III Sent. Dist. xv, a. 2, q. 3.

anima Christi non solum mala timere potuit, sed et votis deprecari; ita tamen ut hic timor limites propassionis nunquam excesserit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad limites propassionum.

2. Obi. Confundit timorem cum necessitate timendi, eo modo quo supra de tristitia vidimus.

3. Obi. Confundit ea quae dicuntur secundum virtutem humanam et secundum virtutem divinam.

Sed contra est. Sicuti supra vidimus, ineluctabili Scripturae testimonio tristitiam animae Christi demonstrari, ita hic de timore dicendum est. Agoniae enim angustiae non minus timorem quam tristitiam ostendunt. Praesertim autem oratio: « *Transeat* a me calix iste », debet intelligi iuxta affectum timentis et, quod timet, avertere volentis.

Huc spectant quoque verba Domini: « Nunc anima mea « turbata est » [1]. Optime S. Augustinus: « Sive ergo isto loco « ipsum Iudam pereuntem miserando turbatus est; sive « sua morte propinquante turbatus est, non est tamen ullo « modo dubitandum, non eum animi infirmitate, sed potestate turbatum: ne nobis desperatio salutis oriatur, quando « non potestate, sed infirmitate turbamur » [2]. Cur potestate turbatus est? Quia poterat impedire ne turbaretur, et quia volens turbatus est. Nihilominus vere turbatus est, quia sivit, leges passibilis status agere in ipsum, licet non ipsi dominari.

In Corpore. Duo agit S. Doctor. 1) Philosophicam notionem timoris exponit, discrimen ostendens inter tristitiam et timorem. 2) Applicat hanc notionem ad quaesitum, demonstrans quo sensu anima Christi timorem cognoverit, quo sensu timor ab omniscio sit removendus.

Adverte hic: sicuti mens, futurum malum apprehendens potest a certitudine, licet cognita, eiusdem futuritionis abstrahere; ita potest abstrahere ab eadem certitudine quoad spem evasionis. Hoc modo explicatur oratio Christi in horto agoniae.

[1] Ioann. xii, 27.

[2] *In Ioann.*, tract. lx, n. 5. — *P. L.* t. xxxv, col. 1799.

Resp. ad 3m. Verba: « *erant tamen inevitabilia,* etc. », applicantur ad malum culpae, de quo in obiectione agitur. Possibile quippe erat absolute loquendo, per adiutorium divinum omne malum culpae in humano genere vitari; sed « non de facili, secundum infirmitatem carnis ».

ARTICULUS VIII.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT ADMIRATIO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Duo consideranda sunt in admiratione: *a*) novitas obiecti, quod in notitiam mirantis pervenit; *b*) affectus admirationis, quem provocat in anima. Applicando utrumque ad animam Christi, solutio quaesiti sine labore obtinetur.

2) *a*) Omniscius, secundum scientiam beatam et infusam, modo supra exposito, Christus, ut homo, non potuit apprehendere obiectum novum, nisi secundum scientiam acquisitam. - *b*) Ita tamen, ut, propter praeviam cognitionem huius obiecti, licet alia via cogniti, illud novum non potuerit in animam Christi producere affectum, quem admirationem vocamus, quasi fuisset antea ignotum. - *c*) Nihilominus Christus potuit sese admirationi nostrae accommodare, iuxta doctrinam Augustini, ostendendo per admirationem suam, quid admiratione dignum a nobis quoque sit admirandum.

3) Porro quum admiratio in Christo secundum scientiam experimentalem fuerit, illud quod admirabatur, referri debet ad illam scientiam et non ad aliam, neque ad potentiam, sive divinam, sive instrumentalem.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit in Christo scientias. Adverte, S. Thomam in solutione obiectionum et in ipso *Corpore,* adhibere vocabulum scientiam *experimentalem* et non *acquisitam.* Ratio esse videtur sequens: ubi agitur de admiratione, propter rationem dictam superius 2) *b*), haec scientia potius limitatur ad experimentalem.

Sed contra est. Cf. dicta in praecedentibus articulis hoc

loco. Exclamatio Christi: « O mulier, magna est fides tua » [1], etiam admirationem sapit.

In Corpore. Adverte modum loquendi S. Th.: « Sic admi- « ratio esse potuit », et « assumpsit hunc affectum ad nostram « instructionem », quibus apparet, admirationem non eadem ratione competere animae Christi, qua scientiam acquisitam. Haec fuit ipsi necessaria propter activitatem perfectam intellectus agentis. Illa non fuit necessaria, sed ei sese accommodavit propter nostram doctrinam.

ARTICULUS IX.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT IRA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ira, uti alibi observat S. Thomas [2], tripliciter dicitur. *a*) Pro habitu vel actu inordinato, quod vitium est mansuetudini oppositum; *b*) pro voluntate vindicandi, quae non est passio proprie dicta, nec in irascibili, sed in voluntate; - *c*) pro motu irascibilis tendentis in destructionem obiecti apprehensi ut mali vel noxii; qui motus, si ordinatus est, bonus est; si inordinatus, cadit in primum.

2) Ex his iam patet, quaestionem hic solum moveri de ira in tertio sensu, et quidem ordinato, ac sine turbatione rationis.

3) Porro iste motus duplex elementum continet: *a*) tristitiam de obiecto noxio, *b*) desiderium destructionis eiusdem, sive per repulsionem, sive per vindictae compensationem. - Iam vero tristitiam in anima Christi esse potuisse, supra vidimus; nec adest ratio, cur alterum elementum, cum moderamine rationis et servata iustitiae aequalitate, in eadem esse non potuerit. Imo quum repulsio mali et repressio iniuriae per se bona sint, perfectio est, ut vis irascibilis moveatur in hanc repulsionem et repressionem, in qua consistit *zelus*.

4) Zelum proin bonum Christum habuisse omnino tenendum est. Malum autem zelum se abhorrere proclamavit,

[1] Matth. xv, 28.

[2] III. Sent. Dist. xv, q. 2, a. 2, sol. 2.

tum ubi redarguit « filios tonitrui » vindictam caelestem in civitatem Messiae surdam immoderato ardore provocantes; tum ubi Petri ardorem nimis bellicosum in horto temperavit; tum ubi e cruce persecutoribus suis nedum poenam sed misericordiam est deprecatus.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit de ira ultra limites propassionis progrediente usque ad seductionem rationis.

2. Obi. Arguit de ira sensu primo superius explicato.

3. Obi. Non attendit ad dominium perfectissimum, quod Christo in omnes potentias competebat, quatenus actus intensissimus unius non impediebat actum intensissimum alterius, etiam ubi oppositio inter illos esse videbatur, uti in delectatione contemplationis cum tristitiâ passionis. De qua harmonia mox in articulo sequenti.

Sed contra est. Praeter illam templi emundationem, quam zelo domus Dei aestuans gemina vice Salvator peregit, habes ad iram sanctam in anima eius probandam: « Et circum- « spiciens eos cum ira », et subito adiungitur, « contristatus « est super caecitate cordis eorum »; ubi collecta habes duo elementa, quibus zelus bonus componitur [1]; insuper duplicem aspectum quem describit S. Augustinus: « Qui omnia quae « forte ibi videt perversa, satagit corrigi, cupit emendari, « non quiescit; si emendare non potest, tolerat, gemit » [2].

Iram quoque ostendit Salvator ubi exclamavit: « O gene- « ratio incredula, et perversa, quousque ero vobiscum, usque- « quo patiar vos? » [3]. - Item ex pio zelo intellige Petro dictum: « Vade retro me, Satana! » [4]. - Confer et alios locos parabolarum, in quibus regi Christi figuram gerenti tribuitur ira.

In Corpore. Simplicissimus est processus. Decomposita ira in sua elementa: tristitiam et appetitum vindictae, quum de iustitia iam supra actum sit, ostenditur quo modo hic appetitus, utpote sine peccato, imo bonus, in anima Christi esse possit.

[1] Marc. III, 5.
[2] *In Ioann.* tract. X, n. 9. — *P. L.* t. XXXV, col. 1471.
[3] Matth. XVII, 16. — Cf. Marc. IX, 18; — Luc. IX, 41.
[4] Marc. VIII, 33.

ARTICULUS X.

UTRUM CHRISTUS SIMUL FUERIT VIATOR ET COMPREHENSOR.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ut quaestio praesens solvatur, oportet distinguere *factum* et *modum* facti; sive, ut utar locutione apud Card. Franzelin frequentissima, *an* sit, et *quomodo* sit.

2) *Factum* facile colligitur ex compositione elementorum hucusque probatorum. Quid est *viator?* qui tendit in beatitudinem. - Quid *comprehensor?* qui eam obtinet. - Ad quidnam spectat *beatitudo?* ad totum hominem, corpus et animam, iuxta plenitudinem boni cuius in utraque parte suae naturae possidendi capax est.

3) Quibus positis, iam soluta est quaestio; quoad animam, quam probavimus visione Dei fruentem, Christus fuit comprehensor; quoad corpus, quod vidimus passibile et mortale, fuit viator. - Hic autem sedulo animadverte, absentiam beatitudinis in corpore non sufficere ut quis viator sit: secus quid de animabus iustorum ante diem resurrectionis? sed requiri ex parte corporis statum in quo *a*) locus sit passioni ipsam animam afficienti, et *b*) usus membrorum meritorius in ordine ad gloriam.

4) En *factum,* ab omnibus concedendum, qui hucusque demonstrata tenent. Quid autem de *modo facti?* Aliis verbis, quomodo potest conciliari beatitudo comprehensoris cum maxima intensitate dolorum? Hac difficultate moti, aliqui ex recentioribus de statu comprehensoris Christi viatoris dubitaverunt et dubitant, imo visionem beatificam Christo passibili, imprimis patienti denegaverunt et denegant.

5) De conciliatione ergo utriusque in Christo status quaedam sint.

a) Quotiescumque plura elementa demonstrata sunt quaeque solido argumento ut unum ex istis elementis propter conciliationis difficultatem recusetur, oportet impossibilitatem conciliationis esse manifestam. Quare, qui conciliant, sunt uti in conditione possidentis: elementa quippe demonstrarunt;

conciliationem negantibus incumbit onus probandi eius impossibilitatem.

b) Posse simul stare gaudium et dolorem in anima, patet ex exemplis martyrum, et ex experientia cuiusvis cui contingit pro dilecto pati, vel pro desiderato fine ardua sustinere. Imo dolor potest esse materia gaudii, uti in poenitente, qui de ipso dolore quo peccata deflet, tanquam de argumento veniae et amoris gaudet.

Oportet proin ut ostendatur ratio incompossibilitatis.

c) Iam vero, uti alibi optime arguit S. Thomas [1], haec incompossibilitas inter gaudium fruitionis et dolorem ac tristitiam in anima Christi (propter quae simul comprehensor et viator Christus dicitur) proveniret vel ex *contrarietate*, vel ex *redundantia*. Atqui neutrum stat. Ergo non datur incompossibilitas. α) Ratio *contrarietatis* non valet, propter tria: α') *subiectum* utriusque affectus diversum est: ratio uti ratio pro fruitione; sensus et appetitus, pro dolore et tristitia, non ratio, nisi uti natura est; - β') *obiectum* insuper diversum est, quod abunde patet; - γ') imo dolor et tristitia erat materia fruitionis, propter bona summa ex passione oritura. - β) Neque valet ratio *redundantiae;* haec enim redundantia erat in arbitrio Salvatoris, ac proin ubi volebat, poterat impediri.

S. Bonaventura [2] eamdem conciliationem demonstrat refutando contrarietatem per argumenta α') et β'), quae unico argumento contrahit, parumper aliter illud exponendo; insuper per argumentum γ'). Addit tertium argumentum ex coniunctione utriusque status in Christo. Quod valet eo modo quo diximus supra (*a*), nos esse in possesso. Secus esset petitio principii.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit ac si secundum idem Christus diceretur comprehensor et viator.

2. Obi. Non attendit ad elementum secundarium quod plenam ad beatitudinem quoad corpus requiritur. Insuper, - et hoc habet commune cum obiectione tertia, - non animadvertit, ex ipsa passibili conditione corporis, oriri animae fon-

[1] III. Sent. Dist. xv, q. 2, a. 3, sol. 2 ad 5.
[2] Ibid. a. 2, q. 2, *in Corpore.*

tem dolorum et passionum ipsam animam afficientium. Unde nec ipsa anima, propter passibile corpus, habet plenitudinem suae fruitionis et requiei.

Sed contra est. Propter rationem viatoris, quam adhuc ex sua unione cum corpore mystico Ecclesia servat, Christus a morte redivivus Mariae Magdalenae apparuit in forma « coloni in terra », et discipulis Emaus in figura « viatoris « declinantis ad manendum ».

In Corpore. S. Thomas tria facit. 1) Dat definitionem utriusque status. - Ibi adverte, quam pulchre S. Paulus his duobus locis utrumque exprimat: « Sic currite », « sequor autem », en viatoris conditionem; « ut comprehendatis », « si quo modo « comprehendam », en terminum comprehensoris, finis utique beatitudinis, non ipsius essentiae divinae. - 2) Ostendit, perfectam hominis beatitudinem esse simul in anima et in corpore. - Ubi adverte discrimen quod est inter hoc quod beatae animae in caelo nondum fruantur corpore glorioso; et hoc quod anima, iam Deum intuens, corpori tamen passibili coniungatur. Primus status non ponit viatorem; obest tamen perfectioni comprehensionis, quoad beatitudinem secundariam, quae abest. - Alter status insuper ponit viatorem, id est tendentem, per dolorem et virtutum exercitium, ad ipsius corporis requiem et gloriam.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Ipsissimae rationes quibus ostensum est, Christum debuisse assumere in corpore defectus naturales, removent ab ipsius anima assumptionem cuiusvis *peccati* (a. 1). - Imo nec *fomitem* peccati in ipso ponere, convenit plenitudini gratiae ac virtutis, quibus anima eius instructa fuit (a. 2); pariter plenitudini scientiae ipsius repugnat quaevis *ignorantia* (a. 3).

2) Non ideo tamen ab anima Christi sunt removendae passiones, sive *corporales,* sive *animales,* servata libertate ac necessitate, et exclusa quavis imperfectione; quare animales passiones in eo nonnisi *propassiones* sunt (a. 4). - Proin *dolor sensibilis* fuit in anima Christi, imo maxime expeditus propter temperantiam ipsius corporis et tactus vivacitatem

(a. 5). - *Tristitiam* insuper ex obiecto secundum se nocivo anima eius in parte inferiori, in appetitu sensitivo cognovit, quin per eam ratio eius nec turbaretur nec a fruitione beatitudinis revocaretur (a. 6). - *Timorem* quoque de futuro malo expertus est, seclusa tamen ignorantia certae eiusdem futuritionis; quo timore commotus, potuit malum deprecari (a. 7). - Imo, iuxta scientiam experimentalem, Christus *admirationem* propter nostram instructionem in anima admisit (a. 8). - *Iram* insuper, qui zelus bonus vocatur, vindictam de malo ordinate appetentem, sensit.

3) Quare beatitudine iam fruens in anima, passibilis autem quoad corpus, Christus in terra comprehensor ac viator simul exstitit (a. 10).

SECTIO III.

(Q. XVI. - XXVI).

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM.

Ordinem huius Sectionis expressum consule p. 19.

I. MEMBRUM.

DE CONSEQ. UNIONEM SECUNDUM SE.

CAPUT I.

DE CONSEQ. UNIONEM SECUNDUM ESSE ET FIERI.

QUAESTIO XVI.

Ordo huius Quaestionis summi momenti schemate sequenti continetur.

- A) de Praedicatione *directa:*
  - 1) quoad *esse:*
    - *a*) de praedicatione
      - α) essentiali (a. 1. 2.),
      - β) denominativa (a. 3);
    - *b*) de communicatione idiomatum
      - α) vera (a. 4),
      - β) falsa (a. 5).
  - 2) quoad *fieri:*
    - *a*) ipsum fieri (a. 6. 7),
    - *b*) esse creaturam (a. 8),
    - *c*) incepisse (a. 9).
- B) de Praedicatione *reduplicativa:*
  - 1) quoad *fieri* (a. 10);
  - 2) quoad *esse* (a. 11. 12.).

ARTICULUS I.

UTRUM HAEC SIT VERA: DEUS EST HOMO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Primus et secundus articulus huius Quaestionis totum argumentum continent; unde ex recte perceptis reliqui ad modum corollariorum effluunt.

Neque in illis solvendis nova principia adhibenda sunt. Sufficiunt enim quae in Quaestionibus praesertim II. et III. superius vidimus. Et sane qui bene intellexerit, quid secum ferat unio personalis vel hypostatica, qua unica Verbi persona subsistit in duplici natura, in divina ab aeterno, in humana in tempore; consequentia de quibus hic investigatur, absque labore percipiet.

2) Primo igitur quaeritur de veritate praedicationis fundamentalis: « *Deus est homo* », cui respondebit adaequate in articulo sequenti: « *Homo est Deus* ».

Iam vero, ut formula quaedam in sua veritate servetur, oportet ut singula verba intelligantur in sua propria significatione; secus enim haberemus merum ludum verborum, et formulae non servirent nisi ad velandam veritatem, quum, admisso semel improprio sensu, ac proin vario, qui diversas sententias sequuntur, in eamdem nihilominus formulam convenirent.

3) Quaerendum igitur est, quid in formula « *Deus est homo* » significent singula verba. Cui quaestioni ita respondetur. Substantiva in concreto naturam communem exprimentia, supponunt necessario individuum eiusdem naturae, quando copulantur per particulam « *est* » utpote quae essentialem identitatem praedicat. Quare in formula « *Deus est homo* » dicit *Deus* suppositum in natura divina; *est* praedicat veram identitatem; *homo* dicit suppositum in natura humana.

Vera proinde erit formula « *Deus est homo* », si detur aliquod suppositum, quod simul subsistat in utraque natura divina et humana. Atqui tale suppositum dari vidimus: nempe Verbum, seu Filium Dei. Ergo secundum *catholicam* doctrinam vera est *in rigore naturali* verborum formula « *Deus est homo* ».

4) Per consequens, in quavis falsa Incarnationis intellectione, formula « *Deus est homo* » non potest servari, nisi cum mutilatione logica unius ex tribus vocabulis quibus constat, quod fusius exponetur in *Corpore*.

5) Inde iam validissimum argumentum ad corroborandam veritatem catholicae doctrinae. Etenim formula « *Deus est homo* » tam sacra est, ut totius christianae religionis quasi

synthesim exprimat. Atqui in sola catholica dogmatis Incarnationis intellectione haec formula est stricte vera ; ergo sola catholica intellectio est plene genuina.

II. **Ad Textum.** - 1) *Obi.* Procedit ac si in formula « *Deus est homo* » verba « *Deus* » et « *homo* » non possint supponere nisi pro *forma* ipsa naturae utriusque. Tunc esset propositio in *remota* materia; impossibile enim est, naturam divinam fieri naturam humanam.

Potest tamen fieri ut formae diversae conveniant in uno, non quidem ratione formae ipsius, sed ratione suppositi in quo sunt. Sed hoc dupliciter : *a*) *contingenter,* si formae suppositi insint ad modum *accidentis ; b*) *per se,* si ipsi insint sicut *natura* individua. Inde triplex affirmatio: in materia *remota,* in materia *contingenti,* in materia *naturali.* Haec tertia in casu occurrit, et talis praedicatio est verissima.

2. Obi. Non attendit, tres personas SS. Trinitatis praecise per hoc distingui, per quod praedicatur, Deum esse hominem, scilicet per rationem personalitatis.

3. Obi. Dupliciter peccat: 1) Confundit praedicationem abstractam cum praedicatione concreta. 2) Confundit copulationem ratione unius *naturae,* quae per constitutiva elementa *producitur;* et copulationem ratione unius *suppositi,* quod in utraque natura *est.*

4. Obi. Non attendit, Incarnationem, quum consistat in ipsa assumptione in unionem *personalem,* non iam dici *absolute.*

Sed contra est. Cf. locos Scripturae supra allatos, ex quibus apparet in Christo tum veritas divinitatis, tum veritas humanitatis in sensu rigorosissimo; unde sequitur veritas formulae nostrae.

Quam formulam Concilia IV, V, VI, etc. sacrarunt, affirmando: « Christum simul Deum verum et hominem verum ». Recentius eamdem primaevam doctrinam Concil. Florentinum, in constitutione super unione Armenorum solemniter reassumpsit, concludens his verbis: « Unus et idem, indi- « visus, utraque natura in suis proprietatibus permanente, « Deus et homo, Dei Filius et hominis Filius ».

In Corpore. En schemate doctrinam huius *Corporis* expressam:

A) *Excluditur explicatio falsa* formulae :
- 1) *Homo :*
  - *a*) Manichaei negantes veritatem corporis Christi :
  - *b*) negantes unionem vitalem corporis et animae.
- 2) *Deus :* participative, per gratiam (Photinus aliique haeretici).
- 3) *est:*
  - *a*) secundum affectum, etc. (Nestorius) ;
  - *b*) secundum personam, non autem secundum hypostasim (Felix).

B) Ponitur *vera explicatio :*
- 1) *Deus* dicit suppositum naturae divinae,
- 2) *homo* » » » humanae,
- 3) *est* » identitatem ratione suppositi.

Principium aequationis 1) et 2) est: « nomen significans « naturam communem in concreto, potest supponere pro « quolibet sub natura communi contento ».

ARTICULUS II.

UTRUM HAEC SIT VERA: HOMO EST DEUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Stando explicationi quam modo (a. 1). dedimus formulae « *Deus est homo* », evidenter patet veritas inversionis: « *Homo est Deus* ». Sensus proin est: « Aliquis subsistens in natura humana est aliquis subsistens « in natura divina ». Iam vero, si Christus est ille unus in utraque natura subsistens, affirmatio verificatur et formula est vera.

2) Notandum proin, praedicationem non ferre secum identitatem ratione naturae, neque in subiecto, neque in praedicato. *a*) Propter primum, nequit extendi illa affirmatio ad aliam quamvis cuiusvis naturae creaturam; *b*) propter alterum, nequit extendi ad aliam in SS. Trinitate personam. *c*) Proin utrobique suppositum ponitur in recto, natura in obliquo.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad *a*).

2. Obi. Non considerat *b*).

3. Obi. Negligit *c*).

Sed contra est. Pulchre S. Augustinus: « Notandum quod

« eadem de Filio Dei unigenito replicat, quae de Filio hominis « in cruce exaltato praemiserat dicens: " Ut omnis qui credit « in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aternam ". Profecto « idem conditor et Redemptor noster Filius Dei ante saecula « existens, filius hominis factus est in fine saeculorum; ut « qui per divinitatis suae potentiam nos creaverat ad per- « fruendam vitae perennis beatitudinem; ipse per fragilitatem « humanitatis nostrae nos restauraret ad recipiendam, quam « perdidimus, vitam » [1].

In Corpore. Totum reducitur ad hoc: principia interpretationis formulae « *Deus est homo* » valent eodem modo pro formula « *Homo est Deus* »; atqui prior est vera; ergo vera quoque altera.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS POSSIT DICI HOMO DOMINICUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - Subtilior haec quaestio est; unde nihil mirum, si admissam prius a se locutionem postea, ut minus adaequatam, Augustinus castigaverit.

1) S. Thomas in Commentario Lombardi [2] principium ponit: « Quod praedicatur de aliquo essentialiter, non potest de eo praedicari denominative », et veritatem huius principii ostendit in *Corpore* per analysim praedicationis denominativae. Nam

praedicatio denominativa dicit	vel 1) *participationem;*		
	vel 2) *possessionem*	*a*)	ratione effectus: verba dominica;
		b)	ratione partis: pes dominicus.

Iam vero patet, 1) sensum *participationis* non salvare unitatem in persona, propter quam subsistentialiter divinitas Christi praedicatur; neque 2) sensum *possessionis* sufficere, quum *homo* dicat ipsum *suppositum* in humana natura, et repugnet, assumptionem naturae humanae ad modum partis intelligere.

2) Si tamen in vocabulo « *homo* » abstrahatur ab adsignificatione suppositi, et intelligatur natura humana indivi-

[1] Homil. in Ioann. III.

[2] III. Sent. Dist. VII, q. 1, a. 2.

dua, tunc, uti ibidem observat S. Thomas, salvari potest expressio « *homo Dominicus* »; tunc enim nihil affirmat, nisi naturam humanam ad Dominum ita pertinentem, ut sit ipsius. Sed hic sensus est a naturali ac obvio alienus. Est ipse quem probabilissime Augustinus prius intenderat [1], ac postea recusavit.

3) In supra allato schemate S. Thomas non concedit appellationi « *dominicus* » nisi sensum possessionis vel participationis; non autem sensum *effectionis*, cuius *dominica* nota esset terminus. Ratio est, quia ipsa formatio vocabuli hunc sensum non prae se fert. Quare vocabula pervertit, qui vult inter se, quasi sibi respondentia, conferre *dominum* et *humanatum*. Oporteret esse *dominicatum*, vel *deificatum*. Sed ita correcto termino, patet, quam falsa esset eius significatio: supponeret enim, praecessisse hominem, eumdemque, postquam fuit simplex homo, ita factum esse Deum, ut illud quo homo simplex prius esset, fieret ipsum illud quo factus esset Deus; quod multipliciter repugnat. - Quare abunde patet, formulam « *homo dominicus* » nullo modo respondere formulae « *Deus incarnatus* », neque ex legitimitate huius alterius sequi ullo modo legitimitatem prioris.

4) Maior difficultas est in ostendendo, quid intersit inter usum vocis « *divinus* » et « *dominicus* ». Nonne eodem modo se habet *divinus* ad Deum sicuti *dominicus* ad Dominum? Iam vero si potest Christus vocari homo divinus, cur non et homo dominicus? - Resp. Distinguendum est inter *formationem* vocabuli et *usum* ipsius. Quoad formationem, concedendum est, in pari esse vocabula *dominicus et divinus*. Sed usus differt. *Divinus* sumitur simul in praedicatione essentiali et denominativa, dicimus enim de Christo personam divinam (essentialiter) et Cor divinum, vel melius verba divina (denominative). *Dominicus* e contra non sumitur nisi denominative, in sensu supra exposito. Ergo deest paritas.

5) Quid igitur? Pro quonam erit legitima formula « *homo dominicus?* » pro illo, qui reiiciens praedicationem essentialem « *homo est Deus* », eidem substituit praedicationem accidentalem, ratione participationis excellentioris. Quare convenit

[1] Cf. resp. ad 1.

haec formula haeresi Nestorianae; offendit autem veritatem catholicam.

Ad Textum. - *1. Obi.* procedit iuxta dicta in n. 2.

2. Obi. Non attendit ad rationes discriminis expositas in n. 3.

3. Obi. Similiter negligit usum diversum utriusque termini.

Sed contra est. Quum ratio repellendi hanc formulam sit dignitas *Domini,* quam Christus, ut homo, propter divinam personalitatem habet, apparet, huius *Corporis* doctrinam efficaciter probari per verba ipsius Christi: « Vos vocatis me « Magister et *Domine;* et bene dicitis: sum etenim. Si ergo « ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister, etc. » [1]. Unde argumentum: Christus ut homo essentialiter Dominus est; atqui *dominicus* praedicatur solum denominative, id est, per participationem aut possessionem, quod ab essentiali deficit; ergo Christus non est homo dominicus.

In Corpore. Paucis ita: Christus dicit suppositum aeternum; atqui hoc suppositum est essentialiter Dominus, sicuti est Deus; atqui homo dominicus non praedicat Dominum essentialiter; ergo deficit, et non convenit nisi haeresibus quae deficiunt, imprimis Nestorianismo. - E contra, natura humana non potest essentialiter dici divina, quum in naturam divinam nequeat commutari. Potest tamen ipsi uniri in supposito. Ergo non convenit ei praedicatio essentialis *dea,* sed praedicatio exprimens modum unionis, scilicet *deificata.*

Quod de Nestorianis affirmatur, extende quoque ad errorem Felicianum, dummodo « *homo* » formula intelligatur in sensu suppositi, non personae, iuxta distinctionem in hac sententia fundamentalem.

N. B. - De aliis Christi nominibus disseremus in altera Parte tractatus; de ipso nomine *Christus* in fine Quaestionis XVII.

[1] Ioann. xiii, 13, 14.

ARTICULUS IV.

UTRUM EA QUAE CONVENIUNT FILIO HOMINIS POSSINT PRAEDICARI DE FILIO DEI ET E CONVERSO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Lex *communicationis idiomatum* (ἀντίδοσις), cuius in hoc articulo genuinus sensus declaratur, et in sequenti falsus removetur, ab initio controversiarum circa hypostaticam unionem tanquam cardinalis habita est; unde abhinc in theologicis disciplinis maxima cum reverentia servatur. Continet enim modo practico, doctrinam simul ac pietatem excolente, dogma primarium unius suppositi in utraque natura. Duplex imprimis formula: « Filius « Dei mortuus est », et: « Maria est Mater Dei », totam hanc praedicationis veritatem exprimit.

2) Iam vero, ut principia circa hanc praedicationem bene intelligantur, et cum principiis applicationes multiplices, sint sequentia. *a*) Appellationes concretae ponunt suppositum, abstractae ponunt naturam: v. gr., « *Deus* » dicit personam in natura divina; « *divinitas* » dicit naturam ipsam; item sit de *humanitate*. - *b*) Appellationes concretae de Christo triplicis speciei sunt. α) Aliae cum supposito ponunt naturam divinam: « *Deus Verbum, Filius Dei* ». - β) Aliae cum supposito ponunt naturam humanam: « *homo Iesus, filius Virginis, hominis* ». - γ) Aliae cum supposito ponunt utramque, quia utrique conveniunt: « *Christus, Dominus* ». - *c*) Quicumque cum catholica veritate tenet dogma unionis hypostaticae, id est, unum suppositum utriusque naturae, tenet quoque communicationem idiomatum cum appellationibus α) et β), v. gr.; « *Verbum crucifixum est; Filius Mariae est aeternus* ». - E contra, qui cum Nestorio admittunt solummodo aliquam unionem moralem, qua duae naturae conveniunt, unice admittunt communicationem cum appellationibus tertiae speciei. - *d*) Non ideo tamen in communicatione cum appellationibus α) et β) confunditur ratio utriusque naturae; imo haec distinctio semper adsignificatur et subintelligitur. V. gr.: « *Verbum « passum est* » significat: « *Verbum, ut persona, secundum « naturam humanam passum est* ». - *Filius Mariae, est*

« *aeternus* » significat; *Filius Mariae, ut persona, secundum « naturam divinam est aeternus.*

II. **Ad Textum.** Obiectiones inde procedunt, quod non attendunt: *a*) communicationem fieri secundum rationem unius hypostaseos, non secundum rationem duplicis naturae ad invicem; imo *b*) in tali communicatione subintelligi sensum reduplicatum tribuentem formaliter utrique vel alterutri naturae, quod suum est.

Sed contra est. Doctrina praesentis articuli exprimitur in diversis locis Sacrae Scripturae. « Numquam *Dominum « gloriae crucifixissent* » [1]; « Ut autem sciatis, quia *filius « hominis* habet *potestatem* in terra *dimittendi peccata* » [2] etc. Ecce in primo casu crucifixio de Deo; in altero potestas divina de homine praedicata. Huc quoque referendum est argumentum superius allatum ex S. Augustino, ubi de Filio Dei et de filio hominis eadem praedicata inveniuntur [3].

Rursus ex *Symbolo* eamdem doctrinam confirmatam habes. Ibi enim unus et idem dicitur: « Deus de Deo, Lumen de Lumine, Deus verus de Deo vero », et postea « natus de Virgine, passus et sepultus ».

Rectissime proin definitur in Constitut. super unione Iacobitarum. « Unus et idem indivisus, utraque natura in suis « proprietatibus permanente, Deus et homo; Dei filius et « hominis filius; aequalis Patri secundum divinitatem, minor « Patre secundum humanitatem; immortalis et aeternus ex « natura divinitatis, passibilis et temporalis ex conditione « assumptae humanitatis » [4].

In Corpore. S. Thomas tria facit: 1) Exponit falsam doctrinam Nestorii restringentis communicationem ad appellationes γ). - 2) Exponit veram doctrinam extendentem illam ad appellationes α) et β) - 3) Ostendit quomodo haec communicatio integram distinctionem utriusque naturae salvet.

N. B. - Confer complenda de hoc argumento in appendice ad art. 1. Quaest. XIX, ubi de Περιχωρήσει in Incarnatione.

[1] I Cor. 2.
[2] Luc. v.
[3] In *Ioann.* III.
[4] Conc. Florent. sub Eugenio IV. (Denzinger, op. cit., n. 601).

ARTICULUS V.

UTRUM EA QUAE CONVENIUNT FILIO HOMINIS POSSINT PRAEDICARI DE DIVINA NATURA, ET DE HUMANA, EA QUAE CONVENIUNT FILIO DEI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vera lex praedicationis per communicationem idiomatum ea est, quae duo simul servat: *a*) singularitatem principii personalis, *b*) genuinam naturam. Porro sicuti in articulo praecedenti refellendus fuit Nestorius, qui deficit, quia elementum *a*) non in sua stricta veritate tenet; ita nunc agendum nobis est cum illis, qui elementum *b*) cum Eutychianis pervertunt.

2) Quum igitur nomina concreta ponant *a*), nomina vero abstracta ponant naturam; mutare praedicationem concretam in abstractam, est peccare contra *b*). Etenim talis locutio continet in se replicationem falsam, quam in ultima parte praecedentis *Corporis* exclusimus. Tunc quippe vera esset affirmatio: humana natura est aeterna, si affirmando de Christo: « homo est aeternus », dicere intenderemus: « homo « est *secundum suam naturam humanam* aeternus ». Atqui hunc sensum directe ibi exclusimus. Ergo falsa est haec: « Humana natura est aeterna ».

3) Observa tamen, hoc praedicationis vitium tunc solum in rigore haberi, quando agitur de appellatione quae importat *a*) proprietatem, eamque *b*) incommunicabilem.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Falso supponit, nullam prorsus dari in divinis distinctionem inter personam et naturam; atque ideo quodcumque de persona praedicatur, etiam praedicari de natura. Atqui utrumque falsum est; uti in tractatu de *Deo trino* ex professo probavimus [1].

2. Obi. Non attendit ad illud, quod habetur supra 3) *a*).

3. Obi. Pariter negligit, quod continetur supra 3) *b*).

Sed contra est. Habes hic confutatam blasphemiam Eutychetis, Dioscori, Acephalorum dicentium: Christi naturam divinam passam atque crucifixam; item Apollinaris dicentis:

[1] Maxime Q. XXXIX, art. 5, p. 673.

Christum passionem in divinitate sua sustinuisse ac suscepisse, ita ut divinitas cum humanitate mortua fuerit ac resuscitata. — Indirecte rursus confutatur hic Augustinus de Roma qui dicebat, humanam naturam in Christo esse verum Christum, et personam Christi, imo personam Verbi. — Demum error Ubiquistarum [1].

Confirmatur doctrina huius articuli per usum Scripturae, in qua *numquam* talis occurrit locutio, quae praesentem legem offendat; dum e contra variis locis lex in articulo 4. modo statuta, corroboratur.

In Corpore. Totum reducitur ad hoc. Propria unius non possunt de altero praedicari, nisi secundum quod in unum conveniunt utrumque, atque vicissim. Atqui in Christo duae naturae conveniunt in persona. Ergo propria alterutrius non possunt nisi secundum singularitatem personalem de Christo praedicari. Atqui praedicatio abstracta excludit hanc rationem communem singularis personae; concreta vero eam continet. Ergo legitima praedicatio concreta, falsa autem praedicatio abstracta.

ARTICULUS VI.

UTRUM HAEC SIT VERA: DEUS FACTUS EST HOMO.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Absolutis his quae spectant ad praedicationem simplicem *quoad esse,* transimus ad eam *quoad fieri,* incipiendo a formula fundamentali cum inversione eiusdem, sicuti supra fecimus *quoad esse.* Articuli proin 6. et 7. se tenent atque complent, sicuti supra de articulis 1. et 2. ostendimus.

2) Iam vero, si inter se confers utramque formulam: « *Deus est homo* », et « *Deus factus est homo* », non interest nisi quod prior abstrahit ab hoc, *utrum* Deus *semper* fuerit homo, necne; altera e contra praedicat, Deum *non semper* fuisse hominem, sed in tempore incepisse. Quum proin utrumque verum sit, Deum esse hominem, et non semper hominem fuisse, restat ut vera sit formula utrumque complectens: « *Deus factus est homo* ».

[1] Cf. dicenda de his in appendice ad Quaest. XVII.

3) Sed hic iam sedulo adverte, tunc solum esse genuinam formulam de qua quaeritur, si superaddat unice significatum effectionis in tempore, et de caetero servet omnino sensum catholicum formulae « *Deus est homo* ». Proin genuinus sensus formulae « *Deus factus est homo* », erit sequens: « *In tem-* « *pore factum est, ut suppositum naturae divinae esset simul* « *suppositum naturae humanae* »; vel magis proprie: « *Sup-* « *positum naturae divinae factum est in tempore simul sup-* « *positum naturae humanae* ».

4) Etenim, uti S. Th. alibi [1] habet, utraque formula: « *Deus* « *factus est homo* », et « *Homo factus est Deus* » potest tripliciter accipi [2]. *a*) Ita ut « *factus est* » afficiat totam propositionem: « *Factum est, ut Deus sit homo, ut homo sit* « *Deus* », et utraque vera est, sicuti vidimus supra formulas ambas: « *Deus est homo, Homo est Deus* » esse veras. - *b*) Ita ut « *factus est* » afficiat vel subiectum, vel praedicatum. Tunc enim continet positiones: « *Deus factus est...* », « *Homo factus est* » (monstrando Christum), et utraque *falsa* est. De *Deo,* propter suppositum et naturam; de *homine,* propter suppositum. - *c*) Ita ut « *factus est* » dicatur de subiecto in comparatione ad praedicatum. Hic tertius modus obvius et naturalis est. « *Deus factus est homo* » est vera. Altera « *Homo factus est Deus* » est falsa, quia ponit suppositum humanum in Christo ante τὸ fieri Deum, quod est falsum.

5) Nec te moveat, quod Deus dicatur aliquid *fieri.* Sicuti enim supra vidimus, unionem hypostaticam esse aliquid creatum, cuius relatio est *realis,* cum summa mutatione, a parte assumptae naturae; *rationis* tantum, cum servata immutabilitate, a parte personae assumentis; ita quoque in formula « *Deus factus est homo* » tota mutatio, quae per verbum *fieri* exprimitur, est ex parte hominis, et quidem unice ex parte naturae humanae hominis.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Dupliciter peccat. *a*) Non distinguit inter fieri simpliciter, et fieri secundum relationem ad novam naturam; nec *b*) inter effectionem novi totius hominis, et naturae solius.

[1] III. Sent. Dist. VIII, q. 2, a. 1. et 2.
[2] Cf. *Corpus* art. seq.

2. Obi. Non considerat exposita in n. 3.

3. Obi. Non attendit, in formula « *Deus factus est homo* » praedicatum non sumi solum in sensu suppositi, sed imo τὸ fieri dici relate ad naturam humanam, quae in praedicato consignificatur.

Sed contra est. Praeter locum Ioann. I. hic citatum, habes ad hanc formulam vindicandam illud Pauli: « In similitu- « dinem hominum *factus* » [1]; et illud: « Misit Deus Filium « suum, factum ex muliere » [2]. - Insuper habes textum Symboli: « *Et homo factus est* ».

In Corpore. Nulla difficultas occurrit in textu. Neque, post ea quae praeoccupavimus, in resp. ad obiecta.

S. Bonaventura hanc formulam aliquantulum aliter iudicat ac S. Thomas in Comment. Lombardi.

Praemissa triplici explicatione formulae *a*) *b*) *c*), quam n. 4. dedimus, Seraphicus Doctor sensum *b*) cum copulatione ad praedicatum: « *Deus est homo, qui factus est* », benignius explicat, quam fecerat Angelicus, qui illum tanquam Nestorianum reiecit. Sensum porro *c*), quem S. Thomas et ibidem et hic omnino concedit, S. Bonaventura non admittit nisi cum aliqua restrictione. « Habet tamen in se, ait, aliquid pro- « prietatis et improprietatis ». Quod sequenti consideratione explicatur. Etenim *fieri* tria involvit: 1) *antecessionem* a parte subiecti, 2) *inceptionem* ex parte praedicati, 3) *transmutationem* ex parte utriusque. Iam vero in formula « *Deus factus est homo* » 1. et 2. adsunt; tertium adest quidem a parte praedicati, sed deest a parte subiecti. Ita S. Bonaventura.

Quid de hac doctrina censendum? Putamus, sensum vocis *fieri* quoad tertium a S. Bonaventura nimis urgeri; unde potius subscribimus S. Thomae in resp. ad 2. hic dicenti: *Fieri* importare « quod aliquid praedicetur de novo de altero », et hoc quidem cum mutatione eius, si absolute de eo praedicatur; non necessario cum mutatione eius, si praedicatur relative. Atqui unio in natura humana est aliquid ordinis relativi in Deo; ergo. Credimus proin, abesse nihil, quominus formula « *Deus factus est homo* » in sensu *c*) omnino concedatur.

[1] Philipp. II, 7.
[2] Gal. IV, 4.

ARTICULUS VII.

UTRUM HAEC SIT VERA: HOMO FACTUS EST DEUS.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Primo intuitu viderentur tam bene posse inverti formulae *quoad fieri,* quam *quoad esse.* Sed ita non est, saltem quoad sensum magis obvium.

2) Etenim redeamus ad triplicem sensum in art. praecedenti expositum (4. *a. b. c*), quemque S. Doctor explicat in *Corpore* huius articuli, licet ordine diverso - ponit *b*) primo loco, et *c*) secundo. - *a*) Sensus « *factum est* » etc. aeque verus est pro utraque formula. Sed iste sensus, uti ibi notat S. Th., « non potest haberi secundum proprietatem locutionis: tum « quia non est de illis quae debent determinare compositio- « nem, sicut necessarium et contingens; tum etiam quia, « cum sit adiectivum masculini generis, requirit substan- « tivum ». - *b*) Sensus quo unitur « *factus* » absolute vel Deo vel homini, rursus idem est pro utraque formula, sed falsus. - *c*) Sensus naturalis, obvius: « *Homo - factus est - Deus* », pro hac falsus est, quum pro alia sit verus. - Habemus proin pro alia formula duos sensus veros; pro ista duos falsos.

3) Ratio autem cur sensus *c*) falsus sit, tangitur in doctrina superius iuxta S. Bonaventuram exposita. *Fieri* enim dicit primo prioritatem ex parte subiecti, de quo praedicatur factum esse aliud. Atqui, in casu, quum *homo* ponat pro persona vel supposito humano, falsum est; *hominem* fuisse antequam fieret Deus. Sensus proin formulae nostrae Nestorianismum sapit.

4) Nisi tamen *homo* sumatur in sensu vago, quo sensu verum est, hominem simpliciter, abstrahendo a determinata personalitate, non semper fuisse Deum. Hic sensus, cum alio sensu *a*), intelligi potest subesse locutionibus Patrum, quae favent formulae de qua investigamus. Reducitur quippe a S. Th. in *Corpore* ad sensum *a*), sed proprium.

II. Ad Textum. - *1. Obi.* Supponit gratis, verba « *qui factus est* » non referenda esse ad « *Filium suum* » ; quod falsum

est; sicuti apparet manifestius ex oppositione in textu graeco: περὶ τοῦ μίοῦ.. τοῦ γενομένου etc.

2. Obi. Modo intelligatur in sensu *a*), locutio S. Augustini nullam difficultatem parit.

3. Obi. Eadem solutio, posito quod « *deificari* » idem sit ac « fieri Deum ».

4. Obi. Supponit, subiectum ac praedicatum utrobique eodem sensu sumi. Sed hoc non est verum. In subiecto enim sumitur materialiter, et proin natura intelligitur in obliquo; in praedicato autem formaliter, et natura intelligitur in recto. Proin, quum *fieri* dicatur in Incarnatione secundum naturam humanam, ea formula vera est, in qua natura humana habetur in praedicato, id est: « *Deus factus est « homo* ».

Sed contra est. Hominem in Christo non praecessisse unionem hypostaticam, ipse Christus aperte declaravit, quando, interrogantibus se: Tu, quis es? respondit: « Prin- « cipium, qui et loquor vobis ». Quasi diceret: persona mea, de qua quaeritis, non alia est quam principium aeternum, Verbum Dei [1]. Hoc saltem, iuxta versionem Vulgatam; quomodo intelligendus sit textus originalis graecus, superius exposuimus. - Huc facit quoque sententia Christi de se affirmantis: « Antequam Abraham fieret, ego sum » [2].

In Corpore. Processus est valde simplex. S. Thomas examinat formulam de qua quaeritur iuxta tres modos quibus egit circa formulam art. praecedentis. Inde triplex pars.

1) Excluditur sensus quem supra ex Comment. Lombardi, secundo loco dedimus: « Homo factus - est Deus », « Homo- factus est Deus ». Ratio ultima cur prior forma falsa sit, identificatur cum illa propter quam negatur sensus *c*): suppositum unicum aeternum hominis in Christo.

2) Sensus « factum est » etc. verus est, sed longe petitus. Sensus huic a S. Th. adnexus, qui scilicet admittitur cum simplici seu communi, non personali suppositione vocis « homo », potest etiam tanquam pertinens ad formam *c*), sed cum alia significatione, considerari.

3) Sumendo sensum obvium, proprium, primo excluditur

[1] Ioann. viii, 25.
[2] Ibid. 58.

sensus catholicus; dein probatur sensus esse Nestorianus. Idem dic de prima ex tribus sententiis Lombardi, iuxta quam formula esset vera.

Ex sensu in hac formula concedendo explicatur, quomodo in III. Sent. (loc. cit. a. 2.) S. Th. obiiciat sibi contra *valorem* formulae; dum hic ex inverso obiicit contra *non valorem.* Magis placet hic alter modus, quum sensus magis naturalis sit falsus.

Corollarium. Ex dictis in hoc articulo vides, quid dicendum sit de formula « *Caro deificata* ». 1) Triplex praesertim his verbis subest sensus falsus: *a)* Monophysiticus, ponens naturam humanam Christi in divinam esse absorptam; - *b)* Apollinaristicus, negans assumptam humanam animam; - *c)* imo Nestorianus, affirmans praecessisse carnem, id est, hominem, antequam Deo uniretur. - 2) E contra duplex sensus catholicus subesse eidem formulae potest: *a)* inversio legitima formulae: Verbum caro factum est, id est: tanta est unio hypostatica in tempore facta, ut caro Christi vera sit caro Dei; qui sensus magis a Patribus contra Nestorianos intendebatur [1]; - *b)* per unionem carnis Christi in unitatem personae Verbi, nostra caro, ob solidaritatem humanam cum Christo, veluti deificata est; quo sensu supponit primum, quem mystice ad totum genus humanum applicat, vi communionis inter caput et membra.

ARTICULUS VIII.

UTRUM HAEC SIT VERA: CHRISTUS EST CREATURA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Omne quod in tempore factum est, creatura est. Ut igitur haec vera esset: « *Christus est creatura* », vera deberet esse haec altera: « *Christus factus est* ». Iam vero, in articulo praecedente reiecimus, tanquam nimiam, formulam « *Homo factus est Deus* »; ergo reiicienda erit a fortiori praesens formula: « *Christus est creatura* », utpote ulterius progrediens.

2) Non ideo tamen negandum est, aliquem sensum verum posse huic formulae subesse. Nempe si hoc modo eam intel-

[1] Cf. Petavium (op. cit., l. x, c. 1).

ligo: « *in Christo est aliquid, quod est creatura* »; vel reduplicative: « *Christus, secundum quod homo, est creatura* », (de quo sensu infra a. 10), verum profero. Sed, simpliciter, est falsa.

3) Cuius falsitatis ratio facile percipitur. Etenim, quum praedicatio *creatura* cadat in *esse* rei; esse autem *per se* non respiciat partem, naturam simplicem, aut accidens, sed *totum* subsistens; praedicatio creaturae de Christo *per se* cadit non solum in humanam ipsius naturam, sed in *totum esse ipsius,* id est, *in personam.* Quare ea solummodo praedicatio *creaturae* de Christo admittenda est, quae contrahit ad naturam vel excludit personam.

4) Quae lex eo magis est servanda, quo gravius ex falsa interpretatione praedicationis pèriculum imminet. Unde, quum adsint Ariani, omnesque impii divinitatem Christo adimentes, ne in tanta blasphemia qualicumque modo convenire cum istis videamur, supra rationem in 3) allatam adstruitur altera, oeconomia scilicet talem praedicationem interdicens. Utramque rationem S. Th. his verbis alibi comprehendit: « Christus non potest dici creatura, non tantum ad evitandum « errorem Arii, sed etiam ad evitandum falsitatem » [1].

S. Bonaventura [2] postquam demonstravit, quod « talis « sermo est propinquus, errori autem appropinquat et quia « male aliquando intellectus est ab haereticis arianis, et etiam « quia de se male est intelligibilis », ita in *Corpore* concludit: « Et quoniam sermo theologicus debet esse catholicus, et « usitatus, ab intellectu non dissonus, et rei, de qua loqui- « mur, consonus: propterea dictus sermo non recipitur, nisi « determinetur ».

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit, interdum brevitatis causa per contractionem aliquid dici simpliciter, quod nonnisi secundum quid est verum. Ad rem Lombardus: « Si « quando brevitatis causa simpliciter denuntietur, nunquam « tamen simpliciter debet intelligi ».

2. Obi. Adverte, non omnino eamdem esse praedicationem per adiectivum et per substantivum: praedicatio enim per

[1] III. Sent. Dist XI, q. 1, a. 2.
[2] Ibid. a. 2, q. 1.

substantivum magis afficit subsistentiam illius de quo praedicatur; unde magis indiget compleri per determinationem secundum naturam. Cf. dicenda ad responsa.

3. Obi. Confundit praedicationem certam cum incerta; veram simpliciter, cum vera secundum quid. Ratio est, quia per se *natus* dicit suppositum, et pariter *creatum* suppositum includit.

Sed contra est. Ex hoc textu S. Ambrosii vides, formulam « *Christus est creatura* » non solum Arianis convenire, sed etiam illis qui, uti Eutychiani, in Christo fingunt unam naturam compositam. Nestorius vero non simpliciter concedit formulam, magis tamen quam nos; dum concedit simpliciter formulam: « *Filius Mariae est creatura* ». Ille enim dicit: « In Christo est *aliquis, qui* creatura est »; nos autem Catholici dicimus: « In Christo est *aliquid, quod* creatura est». Quum autem creatura per se cadat non solum in *quid,* sed in *quem,* sensus Nestorii propinquior valde est, quam noster, ad formulam simpliciter intellectam.

In Corpore. En regulam a S. Doctore hic traditam: Quae a Christo praedicantur secundum naturam humanam, alia ita de ipso praedicantur, ut dubium nullum iniiciant, et illa praedicantur absolute: Christus passus est, etc.; - alia autem ita de ipso praedicantur, ut dubium esse possit secundum quamnam naturam dicantur, et illa non praedicantur absolute.

Si haec ratio est unica propter quam praesens locutio reiicitur, fatendum, esse potius rationem oeconomicam. Quid porro de ratione *falsitatis*, quam S. Thomas in III. Sent. [1] addit? Putamus illam valere, licet in hoc *Corpore* non directe adducatur.

Et re quidem vera, praedicata de Christo triplicis speciei sunt. 1) Alia conveniunt ei secundum divinam naturam et personam; - 2) alia secundum humanam naturam et personam; - 3) alia secundum humanam naturam tantum. Exempla habes: 1) Christus est aeternus; 2) Christus est passibilis; 3) Christus est creatura.

Unde lex sequens: quaecumque de Christo praedicantur

[1] Loc. cit.

modo 1) et 2), simpliciter de ipso praedicantur. Quae autem modo 3), non nisi secundum quid.

Quoad exempla in secunda parte allata, adverte cum Card. Caietano contra Durandum, ea huc unice spectare, ut illustrent legem praedicationis ad confusionem in humano sermone vitandam, non ut ex toto similitudinem affirment.

Adverte tamen, in exemplis allatis hoc insuper discrimen esse, quod Æthiops est crispus non solum quoad partem, sed quoad totum quod crispum esse potest. Etenim, si crispi essent solum capilli, non autem barba, iam non posset simpliciter crispus vocari. Pars quippe non debet sumi materialiter tantum, sed formaliter quoad totum illud quod capax est habendi qualitatem, quae praedicatur. Quis enim putabit, aliquem audire naso, vel pede videre? Sufficit ipsi utraque aure, utroque oculo optime instrui, ut ex toto audire et videre dicatur.

Resp. ad 2^m. Quae hic afferuntur, intellige cum limitatione supra exposita. Passibilis quippe Christus est non solum ut habens humanam naturam, sed ut suppositum eiusdem naturae. Quod non potest dici de ratione creaturae, quia haec non afficit suppositum, sed meram naturam humanam.

Insuper apprime distinguendum est inter appellationes *affirmativas* et *exclusivas*. Quando dico *Christum incorporeum,* removeo ab ipso corporeitatem, et excedo a veritate. A fortiori quando dico *Christum impassibilem,* removeo a persona eius passibilitatem. Unde in rigore ipsius termini haec praedicatio est falsa. E contra in rigore termini praedicationes affirmantes, non excludentes, sunt verae.

Dantur tamen praedicationes exclusivae materialiter, quin habeant per se formalem sensum exclusionis, nimirum praedicationes, quibus ope negationis summam de Deo perfectionem affirmamus. De illis non valet distinctio modo facta, saltem non eodem gradu.

ARTICULUS IX.

UTRUM HAEC SIT VERA : ISTE HOMO, DEMONSTRATO CHRISTO, INCEPIT ESSE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quod est creatura, esse incepit. Si ergo vera esset haec : « *Christus est creatura* », vera esset et haec : « *Christus incepit esse* » ; et a fortiori vera, quia distinguit : « *Iste homo,* demonstrato Christo, *incepit esse* ». Sed falsa est haec : « *Christus est creatura* ». Ergo eatenus solum vera esset haec : « *Iste homo incepit esse* », quatenus haec restrictio : « *iste homo* », demonstrato Christo, aequivaleret restrictioni : « *Christus, secundum naturam humanam* ». Sed hoc nequit sustineri.

2) Etenim in restrictione « *Christus secundum naturam* « *humanam* », removeo suppositum et non teneo nisi naturam. E contra, quando dico, demonstrando Christum : « *iste homo* », demonstro totum : et naturam hominis et habentem illam.

3) Nec instetur dicendo, verba « *iste homo* » aequivalere verbis « *Christus secundum naturam humanam* », quatenus « *iste* » idem est ac « *Christus* », et « *homo* » idem ac « *secun-* « *dum naturam humanam* ». Est destructio legis humani sermonis, in quo semper coniunguntur demonstrativum cum substantivo, ita ut scopus demonstrativi sit determinare individuum inter alia cui praedicatio substantivi convenire posset, quin mutet significatum ipsius substantivi, nisi illud contrahendo ad magis determinatum. Proin, in casu, « *iste* » demonstrat Christum, et « *iste homo* » demonstrat Christum personam humanam. Atqui persona Christi est unica, aeterna. Ergo dici nullo modo potest : « *iste homo incepit esse* ». Est enim formula Ariana simul et Nestoriana. Ariana, quia intellecta de supposito Filii, adimit ipsi divinitatem ; Nestoriana, quia intellecta de supposito humano, adimit ipsi identitatem cum supposito aeterno, et proin ponit in Christo suppositum duplex.

4) Sufficit autem transferre unum vocabulum in hac formula, ut vera fiat : « *Iste incepit esse homo* », quae aequivalet omnino formulae : « *Iste* vel *Christus,* vel *Filius Dei factus*

« *est homo* ». Etenim, ex oppositione quae exprimitur inter « *homo* », qui in praedicato sumitur formaliter pro natura, et « *iste* », qui ponit hypostasim, sensus manifestus est: *Haec persona incepit esse in natura humana.*

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Solvitur per animadversionem factam in articulo praecedente iuxta Lombardum.

2. Obi. Confundit *esse hominem* et *esse simpliciter*. *Esse simpliciter* est superius; *esse hominem,* inferius. Unde ab hoc ad illud non valet conclusio.

3. Obi. Supponit, *simpliciter* posse praedicari aliquid, quod non nisi *secundum quid* alicui convenit. Etenim « *iste homo* » demonstrat simul suppositum aeternum et naturam humanam in tempore creatam; ergo « *incepisse* » non toti simpliciter convenit.

Sed contra est. Confutatur hic haeresis Berylli dicentis, Christum quoad divinitatem non fuisse ante Mariam; item Cosmianorum dicentium: Christus et Deus, et mediator, et imago Dei, non fuit ante saecula. - Duplex veritas hic tanquam fundamentum sumitur: 1) in Christo non esse nisi unam personam; 2) hanc personam esse Patri coaeternam.

In Corpore. S. Thomas ostendit duplicem rationem propter quam est formula recusanda: 1) quia falsum dicit, praedicat enim incepisse de supposito aeterno: 2) quia, etiamsi ad verum sensum trahi posset, tamen propter haeresim Arianam ab illa esset abstinendum.

Vide alibi longiorem discursum quo S. Th. falsitatem eiusdem formulae ostendit [1].

ARTICULUS X.

UTRUM HAEC SIT VERA: CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO, EST CREATURA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Hucusque de praedicatione directa, nunc autem de reduplicativa, tum quoad *fieri,* tum quoad *esse.*

Iam vero duae animadversiones totam hanc doctrinam

[1] III. Sent. Dist. XII, q. 1.

continent. *a*) Vidimus in art. 4, ubi de communicatione idiomatum, hanc communicationem servare distinctionem quoad id, secundum quod unum et aliud de communi praedicatur. - *b*) Plures consideravimus in praecedentibus articulis formulas reiiciendas, quia praedicabant simpliciter, quum non haberent veritatem nisi secundum quid.

2) Inde iam duplex regula: *a*) Bona est praedicatio reduplicativa, si praedicationem simpliciter falsam contrahit ad praedicationem veram secundum quid. - *b*) Mala est praedicatio reduplicativa, si praedicationem simpliciter veram detorquet ad praedicationem falsam secundum quid.

3) Sed fieri potest, ut reduplicatio et ipsa duplicem sensum patiatur. Quid tunc? Standum est sensui magis obvio, iuxta leges humani sermonis. Ubi sedulo adverte, praedicationem reduplicativam continere sententiam ellipticam, ita ut substantivum reduplicative sumptum, sit huius sententiae praedicatum. Verbi gratia: « *Christus, secundum quod homo, est « Deus vel creatura* », aequivalet huic: « *Christus, secundum « quod est homo,* etc. ». « *Homo* » proin debet mensurari iuxta leges praedicati. Atqui praedicatum sumendum est formaliter; ergo « *homo* » sumitur in hac reduplicatione in sensu naturae potius quam suppositi. Atqui in sensu naturae vera est; ergo formula: « *Christus, secundum quod homo, est crea- « tura* », est vera.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit, *creaturam* natam esse sumi de concretis sicut de abstractis; quod non est de *natura humana.* Ergo creatura potest convenire praedicato de Christo, non autem natura humana.

2. Obi. Distinguendum in asserto. In hac: « *Homo Chri- « stus est creatura* », non magis concedendum est praedicatum de *homine* quam de *Christo,* quum utrimque sumatur ut suppositum. E contra in hac: « *Christus, secundum quod « homo* », magis concedendum est de homine, quia propter rationem supra datam, homo in hac propositione reduplicata, utpote elliptica, est praedicatum ac proin sumitur formaliter.

3. Obi. Vide dicenda in fine.

Sed contra est. Reduplicatio, quae veram reddit formulam sine illa reprobandam, convellit haeresim Metamorphi-

starum dicentium: corpus Christi, cum caelum conscendit, plane factum esse Deum; - insuper haeresim Monophysitarum, utramque in Christo naturam permiscentium; - demum absurdam affirmationem Augustini de Roma blasphemantis, naturam humanam in Christo esse personam Verbi veraciter Deum naturalem et proprium [1].

In Corpore. Ita procedit S. Thomas. *a*) Reduplicatio, de qua quaeritur, vera est, si *homo* sumitur formaliter; falsa, si materialiter. *b*) Quum autem propter ellipsim reduplicatio habeat rationem praedicati, sensus formalis praevalet. Quare, uti iacet, haec propositio reduplicata vera dicenda est. - *c*) Fieret tamen falsa, addendo vocabulum contrahens reduplicationem ad sensum materialem suppositi.

Resp. ad 3^m. Axioma, cui haec difficultas innititur, veritatem habet in communibus, non autem in homine Christo, propter esse personae divinae, quod habet rationem suppositi. Inde falsum est, hoc ipsi convenire secundum esse simpliciter aut per se, quod ipsi secundum humanam naturam convenit. Quare haec est falsa: « *Christus per se et simpli-* « *citer est creatura* », quia excludit esse suppositi increati. Haec autem est vera: « *Christus, secundum quod homo, est* « *creatura* », quia servat esse suppositi increati.

ARTICULUS XI.

UTRUM HAEC SIT VERA: CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO, EST DEUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quum in Christo esse creaturam et esse Deum non conveniant nisi secundum unum singulare suppositum, eatenus formula praesens posset stare cum formula praecedenti (cuius praedicatum est formaliter appositum), quatenus heic subiectum cum reduplicatione utrobique sumeretur in eodem sensu materiali, ponente in recto suppositum. Iam vero vidimus in articulo praecedenti, verba « *Christus, secundum quod homo* », idem significare ac: « *Christus, secundum naturam humanam* ». Ergo, quum

[1] Cf. Conc. Basil. Sess. 22.

nulla ratio adsit mutandi hanc significationem propter praedicatum, sequitur, formulam de qua quaeritur, esse falsam.

2) Fieret autem vera per illam mutationem, qua prior redderetur falsa: « Christus, secundum quod *iste homo,* est « *Deus* ». Additio enim vocabuli « *iste* » servat vocem « *homo* » in sensu materiali, suppositiitio, iuxta quem convenit *isti homini,* sicuti et *Christo* esse Deum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit terminum *a quo,* qui natura humana est, cum termino *ad quem,* qui, propter gratiam unionis, Deus est.

2. Obi. Praeter considerationem, quam in responsione S. Thomas facit circa potestatem auctoritativam et instrumentalem, adverte discrimen inter has duas sententias: « *Filius hominis* habet potestatem in terra dimittendi pec« cata », et « *Christus, secundum quod homo,* est Deus ».

3. Obi. Procedit ac si idem esset « *secundum quod homo* », et « *secundum quod iste homo* »; quod falsum est. « *Iste* » quippe trahit « *homo* » ad suppositum.

Sed contra est. Quum formula quam impugnamus, confundat in Christo utramque naturam, contra eius veritatem faciunt omnia quibus utriusque distinctio supra probata est.

In Corpore. Instauratur simpliciter argumentatio *Corporis* praecedentis articuli. Nihil superaddendum.

ARTICULUS XII.

UTRUM HAEC SIT VERA: CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO, EST HYPOSTASIS, VEL PERSONA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quum in reduplicatione terminus « *homo* » possit *per se* pro natura et pro persona vel supposito naturae intelligi, pertinet aliquo modo ad praedicatum indicare uter ex gemino possibili sensu intendatur. Iam vero in casu *persona* tam directe suppositum exprimit, ut vocabulum *homo* ad illius significationem trahi videatur. Ita explicata formula nostra absque dubio dicit verum.

2) Sed non sufficit in quaestionibus tam periculosis demonstrasse, aliquem verbis substare sensum genuinum. Sufficit,

sensum adesse aeque obvium ac falsum, ut formula reprobari debeat. Iam vero ita est in casu.

Sumendo enim « *homo* » in significatione *naturae,* quam ex supra dictis per se magis praefert; rursus duplex interpretatio dari potest formulae « *Christus, secundum quod homo,* « *est persona* », id est, *a*) « *natura humana Christi est uti* « *in persona* », et hic sensus est verus; - vel *b*) « *natura* « *humana Christi habet propriam personalitatem* », et hic sensus est falsissimus. Atqui magis obvius est iste sensus *b*) falsus, quam sensus *a*) verus.

3) Controversia proin, vel inquisitio hic paucis comprehenditur. « *Homo* » in formula nostra potius sumitur formaliter quam materialiter; et in sensu formali interpretatio magis obvia est haeretica. Ergo magis obvius sensus totius formulae haereticus est. Ergo, etsi possint dari *duo* sensus boni 1) et 2) *a*) - contra *unum* malum 2) *b*); - quum tamen iste malus praeemineat, formula damnanda est.

4) In III. Sent. [1] S. Th. simpliciter reiicit tres sequentes formulas: Utrum Christus, secundum quod homo, *sit persona;* utrum *sit individuum;* utrum *suppositum, vel res naturae.* Omnes enim tres in sensu pleno, obvio conducunt ad duplex subsistens in Christo principium. Sunt proin Nestorianae, vel ad minus erroneae, sicut prima ex tribus famosis sententiis Lombardi.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Arguit ex sensu 2) *a*), qui minus obvius est.

2. Obi. Abstrahit a notione *completi per se,* quae perficit individuum, ut suppositum seu persona dicatur. Cf. dicta supra in Q. II, et mox dicenda in Q. XVII.

3. Obi. Eodem vitio haec obiectio laborat. Etenim non considerat *subsistens per se, completum per se;* quo individua natura fit suppositum, res naturae.

Sed contra est. Vis huius argumenti in hoc est, quod, stando *formali* sensui reduplicati termini « *homo* », excluditur interpretatio vera, quae aliunde verbis subesse potest.

Huc revocentur omnia argumenta, vel auctoritatis documenta, quibus superius duplicem personam, vel duplex suppositum aut duplicem rem naturae in Christo negavimus.

[1] Dist. x, q. 1, art. 2.

In Corpore. En schema huius discussionis:

Si reduplicatio sumitur
- 1) in sensu *materiali:* → oritur sensus catholicus, — minus tamen naturalis;
- 2) in sensu *formali:*
  - *a*) ita ut mere praedicetur natura humana Christi esse in supposito vel persona, — sensus rursus bonus, sed longius pariter petitus;
  - *b*) ita ut praedicetur principium personale proprium naturae humanae in Christo, qui sensus *magis obvius;* — formula est *haeretica.*

Resp. ad 2^m. Adverte, quomodo S. Th. recurrat ad rationem completi, seu *totius.* De qua ratione in Quaestione sequenti plura dicemus, ubi absolvendum est argumentum iam superius inchoatum ac praeparatum de constitutivo formali personalitatis.

Claudamus expositionem huius Quaestionis solvendo duplex dubium, quod, licet proprius ad praecedentes articulos pertineat, ad hunc usque locum distulimus.

Quaeres. I. - Pluries in decursu huius Quaestionis vidimus, praedicatum sumi in sensu formali, non materiali. Quaeritur, quomodo hoc principium componatur cum interpretatione, quae in art. 1. et 2. data est formulis « *Deus est homo* », « *Homo est Deus?* ». - Resp. Optime quidem, nec ab hoc principio recessimus, nisi forte quoad apparentiam. Sumamus primam formulam « *Deus est homo* ». *Deus* sumitur materialiter, *homo* formaliter; ita tamen ut non excludatur ratio suppositi. Secus enim quomodo simplicissime praedicare posses, v. gr., *Petrus est homo?* Sensus proinde formulae est. « Suppositum divinae naturae est humanae natu- « rae (utique suppositum) ». Pariter alterius formulae sensus est: « Suppositum humanae naturae est divinae naturae (uti- « que idem suppositum) ».

Eadem veritas unius suppositi utriusque naturae in utraque formula continetur expressa. Est tamen inter illas hoc discrimen, quod, quum suppositum divinum sit illud idem naturae divinae, magis obvius est sensus formulae « *Deus* « *est homo* », quam « *Homo est Deus* ». Nam in priori vox « *Deus* » sumitur in sua significatione naturali: *suppositum*

divinum; e contra, in altera, subiectum « *Homo* » iam attrahitur ad exigentiam dogmatis; unde significat utique *suppositum humanae naturae,* sed *divinum.*

Quaeres II. - Nonne doctrinae, qua reprobavimus formulam *Christus est creatura*, opponuntur quae ipse Christus de seipso protulit aiens: « *Pater maior me est?* » [1] - Resp. Concessimus, formulae « *Christus est creatura* » subesse sensum verum secundum quid, ac proin, per additum quo ad hunc sensum verum contrahatur, eam fieri formulam simpliciter veram; v. gr. addendo « *Christus, secundum humanam « naturam, est creatura* ».

Item dicendum est de formula « *Pater maior me est* ». Cui, ut sit simpliciter vera, aliquid debet addi, quod eam trahat ad sensum verum, quem secus nonnisi habet secundum quid, v. gr. « *Pater* (secundum naturam divinam), *maior « est me secundam naturam humanam* ». Quod aequivalet huic inversioni: « *Ego, secundum humanam naturam, minor « sum Patre* ».

Porro animadverte, huiusmodi restrictionem posse dupliciter in sermone poni: vel *a*) *explicite,* in ipsa sententia; vel *b*) *implicite,* ex contextu. Iam vero talem implicitam restrictionem habemus in praecedentibus, in quibus Christus ostendit, se iuxta naturam humanam loqui. En verba, quae inducunt sententiam supra allatam: « Si diligeretis me, gau- « deretis utique, *quia vado ad Patrem* ». Atqui nonnisi *ut homo* Christus vadit ad Patrem; ergo quando adiungit: « *quia « Pater maior me est* », loquitur solummodo de se uti habente *naturam humanam.* Quare nulla prorsus ratione haec sententia opponitur iudicio, quod in art. 8. latum est de formula: « *Christus est creatura* ».

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum doctrina catholica de unione hypostatica teneat unum suppositum in utraque natura divina et humana, ita ut simul una et eadem persona sit perfectus Deus et perfectus homo, catholica doctrina, eaque sola, in vero, totali

[1] Ioann. xiv, 28.

sensu praedicat: « *Deus est homo* » et « *Homo est Deus* ». (a. 1. et 2.). Qui modus praedicandi tam *essentialis* est, ut quaevis *denominativa* praedicatio ab illa deficiat; quare *Dominus,* non *homo dominicus* Christus dicendus est (a. 3.).

Porro, ratione communicationis utriusque naturae in uno supposito, quaecumque secundum alterutram naturam eidem supposito conveniunt, possunt de ipso in quocumque nomine concreto praedicari (a. 4.); non autem nomine abstracto, quia concreta materialiter, abstracta formaliter intelliguntur, ac proin talis praedicatio per abstracta tolleret naturarum distinctionem, quae in praedicatione per concreta non solum servatur, sed et intenditur (a. 5.).

Haec de praedicatione directa *quoad esse.*

2) Quoad *fieri,* formulae « *Deus factus est homo* », « *Homo « factus est Deus* », sunt *a*) *ambae verae* in sensu *factum est,* etc. Sed hic sensus non est naturalis, nec convenit grammaticae structioni. *b*) *Ambae falsae* sunt in sensu « *Deus « factus - est homo* », « *Deus - factus est homo* », etc., quum *Deus factus* dici nequeat, neque de Homine-Christo *homo factus. c*) In sensu obvio naturali: « *Deus - factus est - homo* », etc. prima formula *vera* est, quum, super alteram veram: « *Deus est homo* », non addat nisi aliquid verissimum, nempe Incarnationem factam esse in tempore (a. 6). Falsa autem est formula « *Homo - factus est - Deus* », quia suppositum humanum non praecessit unionem hypostaticam. Ast verum diceret, si « *homo* » intelligeretur in sensu suppositionis vagae, abstrahendo a determinata personalitate Christi (a. 7).

Pariter reiicienda est formula « *Christus est creatura* »; tum *a*) propter falsitatem, quam simpliciter continet: *creatura* quippe in totam rationem entis subiecti cadit; tum *b*) propter errorem Arianorum, qui Filium dicunt simpliciter minorem Patre, atque creaturam (a. 8.). - Idem iudicium ferendum est de formula « *Iste homo* (demonstrato Christo) *ince- « pit esse* »; nam quum *iste homo* per se ponat suppositum humanum vel hominis, demonstrat naturam humanam cum aeterna persona divina (a. 9.). - Quum praedicatio *reduplicativa* aequivaleat propositioni ellipticae, terminus reduplicatus logice est praedicatum, atque proinde sumendus est *formaliter.* Quare formula « *Christus, secundum quod homo,*

« *est creatura* », etsi possit ad sensum falsum detrahi, tamen obvie sumpta vera est (a. 10.). - Ex opposito, propter eamdem rationem, formula « *Christus secundum quod homo,* « *est Deus* », in sensu magis obvio est falsa (a. 11.).

Neque sufficit duplex sensus verus, qui potest subesse formulae « *Christus, secundum quod homo, est hypostasis* « *vel persona* ». Nam sensus magis obvius, sumens « *homo* » formaliter, excludit sensum minus obvium praedicati, qui tribuit hypostasim homini ut tali, nempe hypostasim propriam humanam (a. 12.).

CAPUT II.

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM RATIONE UNITATIS. (Q. XVII. - Q. XIX).

Ordo Capitis patet ex tabella p. 19.

1) DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM CHRISTI QUANTUM *AD ESSE.*

QUAESTIO XVII.

Ordo Quaestionis. Patet gradatio inter geminos articulos. Quaeritur primo de *unitate* ratione personae vel suppositi; dein de unitate quoad ipsum *esse.*

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS SIT UNUM VEL DUO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Recolenda est doctrina hucusque demonstrata. 1) In Christo non est nisi *una persona,* et *una hypostasis.* 2) Sunt tamen in ipso *duae naturae* distinctissimae. Quaeritur proin, utrum elementum duplicis naturae, an unius personae praeemineat in praedicanda singularitate vel dualitate de Christo.

2) In comment. Lombardi S. Th. triplici argumento quaestionem solvit. *a*) Quidquid est, ideo est, quia unum numero est. Si ergo « Christus non est unum, nihil est, quod falsum « est. - *b*) Praeterea maior est convenientia naturae humanae « in Christo ad naturam divinam, quam accidentis ad subiec- « tum. Sed accidens cum subiecto non facit numerum. Ergo « nec naturae humanae et divinae dicitur Christus esse duo. « - *c*) Praeterea, ea quae non sunt unum, non possunt de se « invicem praedicari. Sed Deus praedicatur de homine Chri- « sto, et e converso. Ergo Christus est unum » [1].

[1] III. Sent. Dist. VI, q. 2, a. 1.

3) Ex hoc tertio argumento iam illico advertere lubet, propter nexum intimum inter communicationem idiomatum et unitatem Christi, eosdem adversarios nobis hic esse depellendos, quos confutabamus in art. 4. praecedentis Quaestionis. Etenim doctrina in hoc articulo 1. stabilienda dirigitur contra primam e tribus sententiis Lombardi; quum doctrina articuli 2. tertiam sententiam convellit.

4) Audiamus porro Boëthium argumentum primum evolventem. Agit contra Nestorium in libro de *persona et duabus naturis*. « Quae est igitur facta hominis Deique coniunctio? « Num ita, quasi cum duo corpora sibi opponuntur, ut tantum « locis iuncta sint, et nihil in alterum ex alterius qualitate per- « veniat? quem coniunctionis modum Graeci κατὰ παράθεσιν « vocant. Sed si ita humanitas divinitati coniuncta est, nihil « horum ex utrisque confectum est, ac *per hoc nihil est Chri- « stus*. At si duabus personis manentibus, ea coniunctio, « qualem superius diximus, facta est naturarum, unum ex « duobus effici nihil potuit: omnino enim ex duabus personis « nihil unquam fieri potest. Nihil igitur unum secundum « Nestorium Christus est, ac per hoc omnino nihil: *quod « enim non est unum, nec esse omnino potest; esse enim « atque unum convertitur, et quodcumque est, unum est;* « etiam ea quae ex pluribus coniunguntur, ut acervus, chorus, « unum tamen sunt. Sed esse Christum manifeste et vera- « citer confitemur: unum igitur esse dicimus Christum » [1].

5) Iam vero totam hanc doctrinam S. Th. educit ex hoc principio: Duae naturae praedicantur de Christo in concreto, id est, prout significantur in supposito; atqui hoc suppositum unum est; ergo Christus unus est.

Quum tota vis huius argumenti sita sit in maiori, huic demonstrandae insistendum: *Duae naturae praedicantur de Christo in concreto*. Hic autem distinguendum est. Etenim natura divina praedicatur et in abstracto, quum Verbum sit sua divinitas. Sed natura humana non potest praedicari in abstracto: Christus enim non est humana natura. Proinde, quum divina natura praedicetur utroque modo, humana autem non nisi concreto, consequens est, non simul posse

[1] C. 4.

utramque naturam praedicari nisi modo utrique communi. Atqui quando numerantur, simul praedicantur; ergo *duae* naturae non praedicari possunt nisi *in concreto.*

6) Quid iam sequeretur, si utraque abstracte praedicaretur? Vel Christum non habere nisi unam naturam, vel Christum esse duo, imo duos. Primum autem intrinsece repugnat. Ergo sequeretur et alterum.

Sequenti schemate vel figura haec doctrina elucidari potest.



7) Quo autem facilius solvantur subtilitates, quae contra hanc doctrinam unitatis Christi moventur, oportet quaedam animadvertere circa verba *alius* et *aliud; aliquis* et *aliquid.*

Principium S. Th. statuit: « Neutrum genus est informe « et indistinctum; masculinum vero est formatum et deter- « minatum; unde masculinum non praedicatur absolute nisi de « re perfecta subsistente; neutrum vero genus de re perfecta « subsistente, et de non perfecta: unde non potest dici, quod « albedo vel humanitas Petri est aliquis, sed quod est ali- « quid; de Petro autem possumus dicere, quod est aliquis « et quod est aliquid. Similiter in Christo de persona potest « dici est aliquis, et est aliquid; de natura autem quod est « aliquid » [1].

Discrimen simile est inter « *alius* » et « *aliud* ». « *Alius* » nullo modo praedicatur, nisi de diverso ratione suppositi. « *Aliud* » autem de diverso ratione substantiae. Sed hic advertit S. Th. [2], quum substantia dicatur non solum natura,

[1] Loc. cit.
[2] Resp. ad 7.

sed et suppositum, « *aliud* » dicitur simpliciter de supposito; secundum quid, de natura.

8) Nec omittendum hic, quid intelligi debeat *res naturae*. Ait compendiose S. Th. [1]. « *Res naturae* per se loquendo « est *quod* habet naturam ». Et arguit ita: « Res naturae est « completum subsistens in natura. Sed nullum tale est assump- « tibile, quamvis possit aliud assumi ad ipsum. Ergo si esset « in Christo aliqua res naturae praeter divinam personam, « non esset assumpta a divina persona, et ita nec unita ». Unde, quum *res naturae* pertineat ad *quod est;* multiplicare in Christo *res naturae,* esset destruere unitatem suppositi et cadere in Nestorianismum, vel ad minus in errorem Felicis.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Quae supra diximus de masculino et neutro, valent quoque pro voce « *utrumque* », quae hic ponitur pro natura humana et divina *in concreto.* Hoc sensu sententia Augustini nullam difficultatem habet. Etenim grammaticalis constructio est: « *Utrumque est Deus* », etc.

2. Obi. Quum *aliud* possit poni pro mera natura vel substantia, videndum est ex contextu, utrum suppositum adsignificetur, necne. Talis autem adsignificatio excluditur, quotiescumque *aliud* et *alius* sibi invicem opponuntur.

3. Obi. Evanescit difficultas considerando, *aliud* simpliciter adsignificare suppositum.

4. Obi. Cavillatio est. Quum *aliquid* possit sumi cum adsignificatione suppositi (simpliciter), vel sine illa (secundum quid), priori loco sumitur simpliciter; altero, secundum quid.

5. Obi. Ex hac obiectione vides, quam recte S. Th. in *Corpore* dicat: « Si ambae naturae in abstracto praedica- « rentur de Christo, sequeretur, quod Christus esset duo ». Schemate sequenti evidentior redditur ratio discriminis inter SS. Trinitatem et Incarnationem.



[1] Loc. cit. q. 1, a. 4.

6. Obi. Solvitur argumentum hoc modo. Christus habet duas naturas, ergo habet dualitatem; dist.: habet dualitatem *ipse in seipso,* nego; *in naturis suis,* subdist.: dualitatem *numeri,* propter distinctionem alterutrius ad invicem, concedo; dualitatem secundum *aliud* et *aliud,* rursus subdist.: in sensu secundum quid, concedo; in sensu simpliciter, nego.

7. Obi. Eodem vitio laborat, quo obi. 3.

Sed contra est. Ad corroborandam doctrinam de unitate Christi nonnulli citant ex Scriptura Domini verba: « Magister « vester *unus est Christus* » [1]. Sed improprie, quum nexus obvius sermonis sit: Magister vester est unus, scilicet Christus [2]. Pariter verba S. Pauli « *Divisus est Christus?* » [3]. Sed suasive tantum, quum ibidem Apostolus aliud intendat.

Efficacius, imo efficacissime unitas Christi demonstratur ex Symbolo Athanasiano: « Qui licet Deus sit et homo, non « *duo* tamen, sed *unus est Christus.* Unus autem non con- « versione divinitatis in carnem (exclud. Eutyches), sed « assumptione humanitatis in Deum (exclud. Nestor.). Unus « omnino, non confusione substantiae (ctr. E.), sed unitate « personae (ctr. N.). Nam sicut anima rationalis et caro unus « est homo, ita *Deus et homo unus est Christus* ». Imo ex Scripturis huc faciunt omnia testimonia quibus unio in persona demonstratur.

Damnata proin iure est haeresis Elceseorum affirmantium: Christum non unum, sed plures fuisse, sicut damnati sunt fundamentales errores Theodori Mopsuesteni, Nestorii, aliorumque, de quibus fuse actum est supra, ubi unionem geminae Christi naturae in unitate personae vindicavimus.

Inter Patres hanc Christi unitatem strenue vindicavit S. Hilarius. « Unus enim atque idem est Dominus Iesus Chri- « stus, Verbum caro factum » [4]. En affirmationem dogmatis; accipe rationem: « Non alius filius hominis, quam qui Filius « Dei est; neque alius in forma Dei, quam qui in forma « servi, perfectus homo natus est » [5].

[1] MATTH. XXIII, 10.
[2] Inde post verba *unus est,* ponenda est virgula.
[3] I. COR. I, 13.
[4] *De Trin.* l. X, n. 62. — *P. L.* t. X, col. 391.
[5] Ibid. n. 19. - col. 357. — Cf. n. 22, in fine, col. 359, sq.

In Corpore. Duplex pars habetur in hoc *Corpore:* 1) S. Th. principium demonstrat, unde solutio pendet. 2) hoc idem principium applicat.

1) Ad sternendam sibi viam Angelicus ostendit primo discrimen inter modum quo utraque natura de Christo praedicatur: divina abstracte, quia eam per se totum habet et est; humana, sicut est omnis natura creata, concrete uti de habente illam. Inde in promptu est conclusio, quae solutionem continet: *Duae naturae praedicantur de Christo* (idest in praedicatione simultanea) *in concreto.*

2) Applicatio iam patet. Si Christus unus est ratione suppositi, simpliciter unus est. Quare *a*) excluditur prima sententia Lombardi, affirmans de Christo *unum* masculine (ratione unius personae) et *duo* neutraliter (ratione duplicis suppositi). *b*) A fortiori excluditur Nestoriana haeresis ponens masculine *duos. c*) Declaratur doctrina catholica affirmans: Christus est *unum* et *unus.*

ARTICULUS II.

UTRUM IN CHRISTO SIT TANTUM UNUM ESSE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Sicut in articulo praecedenti confutatur prima ex tribus sententiis Lombardi; ita, uti iam diximus, in praesenti castigatur tertia.

2) Vidimus unitatem suppositi facere Christum unum. An ideo negatur natura duplex? Minime. Porro quum duae sint realissime distinctae, atque natura humana certe non sit nihil [1], quaeritur, utrum realitas huius naturae humanae distinctae a natura divina, multiplicet τὸ *esse* in Christo, necne. - Uti apparet, gradatio adest in investigatione; unde articulus praesens subtilius in argumentum penetrat.

3) Ut autem quaestio circumscribatur, adverte cum S. Th. [2] *esse* tripliciter sumi: *a*) pro veritate propositionis; *b*) pro ipsa essentia rei; *c*) pro *actu entis,* prout resultat ex principiis rei. Hic *esse* sumitur isto tertio sensu, iam ab ipso titulo.

[1] Cf. dicenda de hoc excessu in proxima appendice.
[2] Loc. cit. a. 2.

4) Applicando iam hanc notionem triplici sententiae Lombardi, habemus: *a*) in prima duplex *esse* substantiale (duo supposita); - *b*) in tertia duplex *esse,* unum accidentale, alterum substantiale; - *c*) in media, id est, catholica, *unum esse,* scilicet *substantiale.*

5) Quo magis solutio haec pateat, recolere iuvat, quae in praecedenti articulo de hypostasi diximus uti principio *quod est,* et de natura uti principio *quo est;* insuper quae supra vidimus de unione subsistentiali vel hypostatica, contra unionem naturalem et accidentalem distincta.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat, *esse* consequi per prius personam (quod est), quam naturam (quo est).

2. Obi. Non attendit, *quod est* aeternum fieri per assumptionem habens *quo est* temporale.

3. Obi. Soluta est in solutione obi. 3. articuli praecedentis. In divinis *quod est* et *quo est* non distinguuntur nisi ratione. Quae tamen distinctio sufficit ut una persona incarnetur, non incarnata alia. Contrarium impie tenuit Roscellinus.

Sed contra est. Ex collatione huius *Sed contra est* cum illo articuli praecedentis, vides, eamdem in utroque motam quaestionem, utrobique solvi per idem axioma, scilicet per convertibilitatem τοῦ *esse* et τοῦ *unum.* Quare falso intelligeres utrumque *Sed contra est,* si putares, alterum per alterum solvi: *unum* per *esse,* et *esse* per *unum.* Sed quum apud omnes in confesso sit *Christum esse,* ex *esse* ipsius arguitur ad eius unitatem, et ex unitate ad singularitatem ipsius *esse.*

In Corpore. Eumdem ordinem habes in hoc *Corpore* ac in praecedenti: 1) Ponuntur principia solutionis; 2) applicantur.

1) Triplex membrum in hac parte prima habetur.

a) Statuitur principium generale fluens ex unica persona et duplici natura Christi. - *b*) Declaratur quomodo *esse* simul pertineat ad *quod est* et ad *quo est.* - *c*) Examinatur penitius *esse* pertinens ad *quo est,* in sua relatione ad *quod est.* Hic sistendum, quia hic vis. En processus: *Quo est,* forma est. Forma autem dupliciter se habet ad *quod est.* Etenim vel non pertinet ad ipsum, et est accidentalis; vel pertinet ad ipsum, et est substantialis, vel hypostatice unita. Si prius, multiplicatio non repugnat; si hoc alterum, repugnat.

2) Applicatio iam patet. In qua S. Th. simul duo facit. *a*) Probat, in tertia sententia Lombardi dari duo *esse* in Christo: aliud substantiale divinum, aliud accidentale humanum; quum e contra in sententia catholica unum tantum sit *esse substantiale.* - *b*) Explicat exemplo, quomodo illud *esse* substantiale, aeternum sese extendat in tempore ad naturam humanam sibi hypostatice advenientem, sicut *esse* hominis se extendit ad membrum, quod, prius desideratum, postea corpori advenit. - Ita autem illud *a*) et *b*) se compenetrant, ut comparatio immediate primae parti *a*) adnexa viam sternat ad alteram partem, eamque in fine compleat.

S. Bonaventura eamdem doctrinam, licet modo aliquantulum diverso, habet. En summam eiusdem:

Unica quaestione Seraphicus utrumque Angelici articulum comprehendit, quaerens: *An Christus sit duo.* Iam vero Christum esse duo, tripliciter intelligi potest. 1) Christum esse *duas naturas;* quod nemo tenuit; patet enim nimis, Christum non esse naturam humanam. - 2) Christum esse *duas personas,* quod est aperte haereticum et Nestorianum. - 3) Christum esse *duo supposita,* quae est opinio prima Lombardi. In reiicienda hac tertia sententia, de qua caeteroquin sat mite loquitur, S. Doctor dicit, fautores huius positionis deceptos fuisse ex hoc, quod in supposito non distinxerint *quo est* et *quod est,* sive ut ipsis verbis Seraphici utar « *quod subiacet speciei,* et *quod substantificatur* ». Et praeclare concludit his verbis: « Res autem non numeratur « secundum supposita in subiiciendo et praedicando, sed « secundum numerum suppositorum in essendo et substan- « tificando. Quoniam ergo natura humana in Christo sub- « stantificatur in divina persona: hinc est, quod unum est « ibi suppositum, secundum quod attenditur numeratio rei « quantum ad esse in actu: et ideo Christus non debet dici « duo, sed unum » [1].

Responsa ad argumenta a Scoto, Durando, Aureolo, Ioanne de Neapoli, contra praesentis articuli quaestionem mota vide fusius apud Caietanum, hoc loco.

[1] III. Sent. Dist. VI, a. 1, q. 1.

APPENDIX.

De duplici Defectu et Excessu depellendo quoad Unitatem τοῦ Esse in Christo.

Superest ut quasdam opiniones tangamus quae sive per defectum sive per excessum peccant quoad unitatem τοῦ esse in Christo. I. Deficiunt, 1) saltem nostro iudicio, qui contendunt, in Christo dari *duplicem existentiam;* - 2) absque dubio deficiunt illi, qui humanitatem Christi dicunt esse *quasi suppositum.* - II. Ultra veritatem progrediuntur, 1) qui negant, humanitatem Christi esse *aliquid;* - 2) qui humanitati Christi tribuunt *ubiquitatem.* Contra hos omnes sint hae quatuor propositiones.

I. Prop. - **In Christo non est nisi una existentia proprie dicta substantialis.**

Non conveniunt theologi etiam catholici utrum in Christo existentia tenenda sit una an duplex. Thomistae passim, Angelico duce, unam existentiam tenent. Ita diserte Capreolus [1], Caietanus [2], aliique. — Alii tamen cum Scoto, Toleto [3], etc. tenent duplicem esse in Christo existentiam, aliam divinitatis, aliam humanitatis. Quid ergo?

Quemadmodum optime advertit Toletus, doctrina S. Thomae, cui adhaeremus [4], fundatur in hac doctrina, quod in substantiis perfectis existere est ipsum subsistere [5]. Unde quum Toletus hoc non admittat, quippe qui putat cum Sua-

[1] III. Dist. VI, Q. un. art. 1, concl. 1.

[2] III. a. 2, q. 17.

[3] En conclusiones Toleti: « 1. Concl. in Christo unica est subsistentia eaque divina, « qua natura divina et humana subsistunt. — 2. C. In Christo multiplex est existere « accidentale. — 3. C. In Christo humanitas suam propriam habuit existentiam « distinctam ab existentia personae divinae adeo, quod duae naturae, divina scilicet « et humana, propriis existentiis existentes in unica Verbi subsistentia seu persona- « litate unitae sint ».

[4] Equidem scio, opusculum *De unione Verbi* ab aliquibus in sententiam oppositam trahi; imo Caietanum de genuinitate huius operis inde dubitasse. Sed, re penitius inspecta, authentia huius operis potest sine timore defendi quin S. Thomas sibi contradicat.

[5] Lege de hoc brevem quidem sed lucidam thesim Cl. Gredt: « Subsistentia non « distinguitur realiter ab existentia naturae substantialis » (Op. cit., t. I, th. VII).

rezio, naturam quidem et existentiam non realiter differre, existentiam autem et subsistentiam non esse realiter idem [1]; non potest in praesenti argumento convenire nobiscum. A fortiori a nostra sententia discedunt quotquot cum Scoto, - uti Card. Franzelin, Stentrup et Cl. Palmieri [2] reiiciunt et reale discrimen inter naturam et esse. Ita Stentrup thesim suam formulat: « Improbanda est eorum opinio, qui negant, « humanae Christi naturae propriam, ab existentia Verbi « assumentis distinctam convenire existentiam » [3].

At miror, eruditum hunc theologum tanta ubertate textuum uti, quae revera contra adversarium, qui reale discrimen hoc tenet, a scopo prorsus deficit. Et sane omnes affirmationes sive Scripturarum, sive Patrum, quae declarant Christi humanitatem a nostra in nulla re fuisse dissimilem *absque persona,* nihil in re praesenti conficiunt; secus et probarent in Christo humanam naturam fuisse subsistentiam, quum subsistentiam habeat in nobis, et certe haec non sit peccatum. Abstineatur, quaeso, ab huiusmodi argumentationibus, quae non sunt ad rem. Putamus proin, Cl. Billot longe melius mentem S. Thomae esse assecutum, quando de Christo scribit: « non aliud in eo haberi esse existentiae secundum quod ab « aeterno est Deus Verbum, et aliud secundum quod in tem- « pore factus est homo » [4].

Ne autem lis moveatur de verbo potius quam de re, sequentia attendenda monemus. *Existentia* et *esse* sibi respondent: quod enim unum dicit verbaliter, alterum dicit substantive (misso sensu *esse* pro veritate propositionis) [5]. Ergo sicuti in Christo dicitur unum esse, ita quoque dici debet in eo una existentia. Si ergo sumitur *esse* (improprie quidem) pro ipsa natura, potest in Christo (improprie quidem) praedicari duplex esse, et duplex existentia; si autem (proprie) sumitur, pro

[1] Cf. mox dicenda in disertatiuncula.

[2] Cl. Palmieri thesim habet: « Falluntur certissime qui inter eamdem essentiam « realem (finitam) et eius existentiam distinctionem invehunt realem ». (*Instit. philos. Ontol.* c. 1. th. III.) Et in theseos evolutione sententiam, quam impugnat, dicit *evidenter falsam!* Ex opposito mitissime de hoc argumento inter Thomistas sentit Cl. Lepidi (*Elem. philos. Christ.* t. II, p. 166, sqq.). Cum Scoto e familia dominicana stant Natalis Hervaeus et Dominicus Soto.

[3] Op. cit., th. X.

[4] Op. cit., th. XXVI, p. 261.

[5] Cf. art. 2, n. 2.

actu essendi tanquam distincto ab ipsa forma substantiali existente, tunc (proprie) una est in Christo existentia substantialis, sicuti unum esse substantiale.

Stat igitur, iuxta doctrinam S. Th., veritas nostrae propositionis; « In Christo non est nisi una existentia proprie dicta « substantialis ».

In quo nobiscum convenit Cl. Ern. Commer in dogmatica oratione quam nuperrime habuit *De Iesu puero nato* [1], in qua inter alia haec leguntur: « Sic igitur Deitas absque informa- « tione humanitatem Christi cum singulis partibus facit sub- « stantiam eo, quod humanitatem illam singularem *severo* « *sensu existentem reddit*.... Formalis vero existentia quasi « fundamentum tutum illi humanitati substruitur ad operan- « dum; nam Aristotele auctore agit unumquodque, quatenus « est in actu, patitur autem quatenus est in potentia. Operae « igitur Christi hominis vere a sua humanitate eliciuntur, « vereque humanae quoque sunt operae, quamvis a persona « divina agantur, quia sunt operae huius hominis, qui exi- « stit: cuius tamen existentia aeque ac persona est tantum « divina, quare ipsa eius divina existentia variatis hominis « operis nullo modo mutatur. Vere profunda doctrina atque « miranda, quia vera et propria Christi humanitas optime « servatur, dum ipse Christus et in persona et *in existentia* « ita pure divinus illustratur, ut omnes eius actiones atque « operae divinum Incarnationis mysterium probent, quo « humana natura perfecta perfecte quoque Dei facta atque « intime deificata videatur, quod solum Christum servatorem « adorandum decet » [2].

[1] *De Iesu puero nato*, oratio habita Vindobonae in Universitate litterarum Rudolfina, a. d. XI kal. Ian. a. MDCCCCI. — Separatdruck aus dem Jahrbuch für Philosophie und speculative Theologie. Band XV. — Paderbornae, typ. Ferd. Schöning.

[2] P. 9 sq. — Placet ex eadem oratione afferre sequentia de scientia pueruli Iesu, ad corroborandam undequaque doctrinam a nobis superius expositam. « Itaque Chri- « stus Deus est infans humanus, qui in praesepi iacens viator est simul ac *beatus*, qui « finem ultimum comprehendit. Qui iam a primo conceptu *totus sui conscius* fuit, « *intelligens* semetipsum esse verum Deum atque hominem verum. Non potuit dubi- « tare de suo divino, qui neque sui humani expers esse potuit, quin semetipsum sen- « tiret et id, *quod egomet dicitur*, cognosceret. Perfectus autem homo cum esset, qui « fuit perfectus Deus semet intelligens, humano quoque animo semet nosse potuit « *visa* sua ipsius *essentia divina*, quippe quae re esset eadem cum sua persona divina,

2. Prop. - Humana natura Christi non est quasi-suppositum.

Si liberae discussionis est inter catholicos theologos, utrum in Christo existentia dicenda sit una an duplex, iam huius libertatis ambitum praetergressus est Berruyer, Harduini discipulus, affirmans humanam naturam Christi esse *quasi-suppositum*. Agnoscit enim ille discrimen, non solum relativum, sed absolutum inter duplex subiectum Verbi et Christi. Unde iuxta eum, *Christus* non dicit directe Verbum incarnatum, sed hanc humanam naturam in sua absoluta subsistentia quasi suppositum, cui per unctionem unionis hypostaticae Verbum unitur. Consequens est, actiones humanas Christi non esse directe actiones Dei, nec Verbum esse ipsum Pontificem. Imo in Christo admittit aliquam filiationem relate ad SS. Trinitatem, distinctam a filiatione, et pariter adorationem quamdam distinctam ab adoratione Verbo debita.

De hoc pessimo errore docte disserit Scheeben [1] post Legrand [2]. Et sane *a*) sententia Berruyer, quatenus illud quasi-suppositum Christi describit tanquam in se absolutum, non nisi verbo recedit a Nestorianismo, quum huic quasi-supposito nihil desit, quominus sit *persona*. - *b*) Quatenus filiationem Christi reducit ad filiationem creatam, cui tamen adoratio debetur, ansam praebet Arianismo. - *c*) Ac ideo, ex opposito favet Apollinarismo et Monophysitismo, quatenus humanam naturam in divinitatis sinum veluti proiicit adorandam, quod utique non sine quadam absorptione sui fieri

« quae sola fuit in homine illo. Ipse enim humanatus fuit plenum illud gratiae et « veritatis, in quo omnes thesauri scientiae et sapientiae absconditi fuerunt. Qui par- « vulus natus est non sibi tantum, sed nobis quoque, quos verum doceret. Cum igitur « *modus* infantis servaretur, tamen ipse *animus* parvuli humanus visione divinitatis « ad eum pertinentis repletus, et *infusa angelorum scientia* praeditus, tum res « praeteritas, tum praesentes, tum quae futura essent, cognovit, unde se quoque « libere pro nobis passurum moriturumque iussu Patris clare et distincte praesciret « et praevideret » (p. 10). In quibus verbis, — quae superius attulissemus, si hanc orationem iam habuissemus prae manibus, quando ista pars tractationis nostrae typis edebatur, — prae caeteris attendendum, quanta insistentia Cl. auctor insistat in divinae essentiae visionem, quam Christus ab initio habere debuit, ut etiam tanquam homo in animo suo humano perfectam suimetipsius cognitionem haberet. — Lege de hoc argumento Card. Franzelin (op. cit. th. XXXIV).

[1] Op. cit., l. v, §. 236.

[2] *De Incarn.*, Dist. XI, ubi censuram in Berruyer a Sorbonensibus magistris latam reperies.

potest, si vinculum utramque naturam coniungens, non sit unica prorsus subsistentia.

Ex his tribus vitiis primum magis est directum. Quare iam per anathemata Concilii Ephesini haec Berruyer sententia damnatur. Et sane quam ille tenebat translationem denominativam idiomatum, redit in Nestorianam ἀναφοράν, et a catholica communicatione idiomatum longe differt. Nil mirum proin, si Rom. Pontifices Benedictus XIV. et Clemens XIII. tam forti sermone hunc periculosissimum errorem abegerunt [1].

Quousque quaedam aliae sententiae de constitutivo formali unionis hypostaticae in Christo ad sententiam Berruyer appropinquent, ex sequenti dissertatiuncula apparebit.

3. Prop. - Humana natura Christi est aliquid, sed non in se.

Iam ad duplicem excessum gressum moveamus.

Si in Christo praeter divinum suppositum non admittimus aliud quasi-suppositum humanum, imo nec duplicem existentiam; non ideo tamen admittimus simpliciter formulam, qua usus erat Lombardus: « Christus non est aliquid secundum homo ». Imo Alexander III. in epistola ad Rhemensem archiepiscopum, hanc propositionem sub anathemate proscripsit, uti « non satis distincte nuntiatam » [2]. Sane si per *aliquid* intelligis esse completum existens, in Christo non datur duplex *hoc aliquid;* sed si intelligis per aliquid, respectum ad naturam, seu id propter quod datur in Christo non alius et alius, sed *aliud* et *aliud,* negari nequit simpliciter, Christi humanam naturam esse aliquid. Quare ad evitandum simul excessum negationis Lombardi, et ad praecavendum excessum oppositum, dicimus, humanam naturam Christi esse *aliquid,* sed *non in se.*

4. Prop. - Humana Christi natura non est ubique.

Inter falsas sequelas erroris Monophysitici, non ultimo loco illa censenda est, iuxta quam humana Christi natura, utpote a divina natura veluti absorpta, particeps reddebatur

[1] Cf. Schäzler (*Lehre v. d. Menschen,* § 24).
[2] Denzinger (Op. cit., n. 330).

perfectionum, quae nonnisi divinae naturae competunt. Iam vero quum Christus sit iuxta naturam divinam ubique praesens, humanam quoque Christi naturam hac omnipraesentia gaudere, falso concludebant. Est quippe erronea illa idiomatum communicatio, contra quam egimus in art. 5, Quaest. XVI. Inde in sess. 7. Conc. oecum. VII. Nicaen. secundi (ann. 787.) legitur anathematismus: « Si quis Christum Deum nostrum « circumscriptum non confitetur secundum humanitatem: « A. S. » [1].

Hunc errorem, quem mox ex Scripturis, Liturgia et traditione Patrum, demonstrabimus esse falsissimum, instauravit Lutherus, ut simul veram praesentiam corporis Christi in Sacramento altaris contra Zwinglium teneret [2], et transubstantiationem catholicam reiiceret. Igitur doctrinam invexit *Ubiquistarum* dictam, utrum ex proprio capite, an ex vestigiis erroris Monophysitici, aut ex commentario Fabri Stapulensis, quemadmodum opinatur Bellarminus [3], incertum.

Itaque in Incarnatione, ratione communicationis idiomatum, tria sunt, iuxta Ubiquistas, veluti momenta. 1) Est κτῆσις, seu communicationis idiomatum fundamentum ex ipsa unione hypostatica; 2) est stadium humiliationis, in quo duo distinguenda sunt: *a*) κένωσις, seu absoluta renuntiatio, et *b*) κρύψις seu momentaneus at absconsus usus divinorum attributorum; - 3) demum habetur stadium glorificationis seu ὑπερύψωσις, sive plenus et apertus usus eorumdem. Porro communicatio idiomatum distinguenda est iuxta indolem uniuscuiusque ex his tribus stadiis. 1) Primo stadio respondet genus *idiomaticum* seu ἰδιοποιητικὸν, quod « complectitur eas propositiones, qui- « bus idiomata alterius naturae concreto personae tribuun- « tur ». - Est illa περιχώρησις de qua sermo habebitur in appendice ad art. 1. Quaest. XIX. - 2) Secundo stadio respondet genus *apotelesmaticum,* et complectitur sententias « quibus « apotelesmata, id est, actiones ad opus redemptorium, ad « totam inde personam pertinentes de altera tantum natura

[1] Denzinger (Op. cit., n. 248).

[2] Notissimum est, haeresiarcham Wittembergensem in impietatem Zwinglii declinare noluisse, utpote nimis aperte contrariam verbis institutionis Eucharistiae, licet apprime agnosceret, « dass er damit dem Papstthum den grössten Puff hätte « geben können ».

[3] *De Christo,* l. III, c. 1.

« vel eius concreto praedicantur » [1]. Est quasi περιχωρήσεως consequens in ordine ad opus salutis. - 3) Tertio stadio respondet genus *maiestaticum*, seu αὐχηματικόν, et sententias continet « quibus natura humana attributis divinis effertur ». In his apparet maxime confusio et Ubiquistarum error. Huic falso conceptui imo perversioni περιχωρήσεως innititur illa, quam vocabant « omnipraesentiam substantialem corporis « Christi ».

Hanc omnipraesentiam in sequentibus sententiis Scripturarum expressam putabant: « Et nemo ascendit in caelum, nisi « qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo » [2]; « Et potestatem dedit ei (Pater Filio) iudicium facere, quia filius « hominis est » [3]; « Ex quibus est Christus secundum carnem, « qui est super omnia Deus benedictus in saecula » [4]; « Ut « in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, « et infernorum » [5]. Quasi istae locutiones atque similes non facillime explicarentur per illam idiomatum communicationem qualem doctrina catholica vindicat, fundatam super unitatem personae in genuina natura subsistentis. Ne autem hoc genus *maiestaticum* naturam humanam Christi ex toto deificaret, distinxerunt theologi Lutherani inter attributa divina immanentia seu quiescentia, et attributa transeuntia seu operativa; haec ultima dumtaxat immediate, iuxta eos, communicantur, alia nonnisi mediate.

Post catholicam doctrinam superius expositam, non amplius oportet, ut confusionem huius systematis apertam reddamus. Satis erit quaedam testimonia afferre ex Scripturis, Liturgia et Patribus, quibus ubicatio corporis Christi etiam gloriosi aperte demonstratur.

1) Et sane Iesus dicit de se: « Gaudeo propter vos, ut cre- « datis, quoniam non eram ibi; sed eamus ad eum » [6]. Post

[1] Utrum in hoc genere « concretum personae » urgeri debeat, non conveniunt theologi Lutherani. Affirmant Reinhard, Klein et Hase; negat König, cuius vetustior definitio ita sonat: « genus quo in operibus officii utraque natura agit, quod suum « est, cum communicatione alterius ». Et sane Formula Concordiae nihil amplius dicit (p. 773).

[2] Ioann. III, 13.

[3] Ibid. V, 27. Cf. Matth. XXVIII, 18, 20.

[4] Rom. IX, 5.

[5] Philipp. II, 10.

[6] Ioann. XI, 15. Cf. 21.

resurrectionem de Christo angeli dicunt: « Surrexit, non est « hic » [1]. Et Iesus de se: « Nondum ascendi ad Patrem « meum » [2]. Et in ascensione Domini angeli rursus: « Hic « Iesus, qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet, quem- « admodum vidistis eum euntem in caelum » [3]. Et S. Petrus: « Quem oportet quidem caelum suscipere, usque in tempora « restitutionis omnium » [4]. Quae omnia exprimuntur per verba Symboli Missae »: « Descendit ad inferos.... [5] ascendit ad cae- « los, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde ven- « turus est iudicare vivos et mortuos ».

2) *Liturgia* hanc doctrinam disertissime proclamat. Praeter modo allatum Symbolum, sint sequentia e festo Ascensionis Domini deprompta. Oratio dicit: « Ut qui hodierna die « Unigenitum tuum Redemptorem nostrum ad caelos ascen- « disse credimus », etc. - Resp. breve habet: « Ascendens « Christus in altum,... captivam duxit captivitatem » [6]... In hymnis: « Tu esto nostrum gaudium, *Manens Olympo* prae- « ditum. - etc. *Hinc* te precantes, quaesumus, ignosce, etc. « " Ad Magnificat: " O rex gloriae, Domine virtutum, qui « triumphator hodie super omnes caelos ascendisti, etc. » Et in Praefatione Missae: « Qui... et ipsis (discipulis) cernentibus « est elevatus in caelum »; et in *Communicantes:* « Diem... « celebrantes, quo Dominus noster Unigenitus Filius tuus « unitam sibi fragilitatis nostrae substantiam in gloriae tuae « dextera collocavit » [7]. Et in Communione: « Psallite Domino, « qui ascendit super caelos caelorum ad Orientem » [8]. Iam vero haec omnia, nisi ludatur verbis, localem ascensionem Christi secundum naturam suam humanam supponunt. Ergo iuxta Liturgiam falsa est prorsus theoria Ubiquistarum.

[1] Marc., xvi, 6. — Cf. Matth. xxviii, 6.

[2] Ioann. xx, 17.

[3] Act. i, 11.

[4] Ibid. iii, 21.

[5] Ex hac locutione desumpta a psalmo 109, Lutherus ita arguebat: Dextera Patris omnipotentis est ubique, ergo corpus Christi gloriosi est ubique! Digna vix tabernis argumentatio! Igiturne omnes beati dicendi sunt esse ubique, quia sane gaudium Domini, in quod ingressi sunt, nullo limite coarctatur?

[6] Cf. Ps. lxvii, 19.

[7] Cf. Praefationem diei Pentecostes.

[8] Ps. lxvii, 34.

3) *Patres* uno ore tum Graeci, tum Latini ubicationem Christi agnoverunt [1].

a) E *Graecis* sint sequentia testimonia: *S. Cyrillus Hierosolymitanus* ait: « In mera divinitate supervacaneum est « cogitare ascensum, et descensum. Potentia enim illa, quae « omnia continet; ille qui ubique omnibus adest, qui universa « spiritu suo circumdat, non transfertur a locis in loca; ipsius « est vox: caelum et terram ego impleo. Si igitur implet, « quo transmittatur? Ita fit, ut, ascendit et descendit, super- « vacuum sit in divinitate. In Salvatore autem, et in dispen- « satione adventus eius in carne, proprie dicitur, ascendit « et descendit » [2]. - Et expressius de corpore Christi glorioso *Theodoretus* haec habet: « Corpus Dominicum, inquit, « incorruptibile quidem resurrexit, impatibile et immortale, « ac divina maiestate glorificatum; et a caelestibus adoratur « virtutibus: sed nihilominus est corpus, priorem habens « circumscriptionem » [3].

Nec minus diserte *S. Cyrillus Alexandrinus* dicit hoc « scire Apostolos oportuisse, etsi Christus ab eorum consue- « tudine carne disiungeretur, neque corporeis oculis amplius « videretur; divinitatis tamen potentia praesentem adesse « semper, et cum ipsis versari, etc. Haec enim Deo con- « gruens operatio est ac virtus, ut sit ubique, et tam cae- « lum inexplicabili quodam modo, quam terram impleat, ac « per omnia ita permeet, ut a nullo ipse capiatur. Non « enim comprehendi loco potest Deus, aut intervallis defi- « niri: sed nec intra ullam est circumscriptionem. Huiusmodi « enim aliquid pati, quantitatis et magnitudinis expers, ut « et corporis, natura non sustinet. Quare quoniam Deus et « homo simul erat Christus, oportebat nimirum hoc nescire « discipulos, etsi corpore abesset ille, non tamen penitus « absentem fore; sed omnino affuturum, inexplicabili divinae « potestatis ratione » [4].

Nec practico momento haec apud Graecos doctrina caruit.

[1] Qui plura quaerit, adeat Petavium fusiori calamo de hac quaestione tractantem (Op. cit. l. x, c. 7-10.).

[2] Citatur a Ioann. Cyparissioto, l. VII, c. 1.

[3] Dial. II. *Inconfus.* — *P. G.* t. LXXXIII, col. 164.

[4] In Ioann. l. XI. c. 9. — *P. G.* t. LXXIV, col. 517.

Nam, urgente Iconoclastica procella, contra haereticos in imaginem Christi saevientes, quasi omnipraesentem Deum ad ubicationem contraherent, *S. Nicephorus* diserte disputans, distinguit in uno Christo duplicem naturam, divinam prorsus incircumscriptam, humanam vero circumscriptam. « Siqui- « dem corpus vere sicut nos, non ficte gestavit: loco cir- « cumscribitur, qui est incorporeus, et qui non coepit esse « principium, coepit esse in tempore, et cum hominibus « corpore versatus comprehensus est, qui erat incompre- « hensus » [1].

b) Apud *Latinos* abundant testimonia eamdem doctrinam diserte exhibentia. *S. Augustinus,* in illa celebri epistola in qua fuse de Dei praesentia et immensitate disputat, ubiquitatis commentum fortiter abigit. Postquam declaravit, « ibi « nunc esse hominem Christum Iesum, unde venturus est », ita prosequitur: « Secundum hanc formam non est putandus « ubique diffusus. Cavendum est enim, ne ita divinitatem « astruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non « est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique « ut Deus ». Et in fine haec habet: « Christum autem Domi- « num nostrum unigenitum Dei filium, aequalem Patri, eum- « demque hominis filium, quo maior est Pater, et ubique « totum praesentem esse non dubites, tanquam Deum, et in « eodem templo Dei esse, tanquam inhabitantem Deum; et « in loco aliquo caeli, propter veri corporis modum » [2]. - Nec minus expresse S. *Fulgentius* brevissima sententia totum argumentum continet: « Unus idemque homo localis ex « homine, qui est Deus immensus ex Patre » etc. [3]. - Quam magistri doctrinam *Ferrandus* eloquenter his verbis evolvit: « Movetur adhuc quaestio, si una est natura Christi, aut « ubique diffusa est, aut localis. Si ubique diffusa; quare verba « Symboli sic recitamus: Tertia die a mortuis resurrexit, « ascendit in caelos, sedet ad dexteram Patris? Quis respon- « debit mihi, si ubique diffusa est natura Christi, quomodo « ascendit in caelos? si ubique diffusa est, quomodo specia- « liter de ea dicitur, sedet ad dexteram Patris? Sed si localis

[1] *De Cherub.* c. 8.

[2] Epist. 187. — *P. L.* t. XXXIII, col. 835, sq. et 848. — Cf. *in Ioann.* tr. XCII.

[3] *Ad Trasim.* l. II, c. 17. — *P. L.* t. LXV, col. 265.

« est, certe sapientia Dei, quae est Christus, attingit a fine « usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Et « ubi est quod recedens a discipulis suis secundum praesen- « tiam carnis, Ecce ego, ait, vobiscum sum, usque ad con- « summationem saeculi? Erubescamus ergo duas negare « naturas, ut in uno Christo appareat quae natura sit aequa- « lis Patri, quae minor Patre; quae passibilis, quae impassi- « bilis; quae visibilis, quae invisibilis; quae ubique diffusa, « quae localis; dum tamen unus sit Christus, et aequalis et « minor, et impassibilis et passibilis, et invisibilis et visibilis, « et ubique diffusus et localis; totus aequalis, non totum « aequalis; totus minor, non totum minor; totus invisibilis, « impassibilis, ubique diffusus, sed non totum » [1]. - Et *S. Gregorius M.* de ascensione Domini agens, ait: « Illo (Redemp- « tor) revertebatur, ubi erat; et inde redibat, ubi remanebat: « quia cum per humanitatem ascenderet in caelum, per divi- « nitatem suam et terram pariter continebat et caelum » [2].

Si iam a Patrum aetate ad Scholae magistros transimus, ecce nobis occurrit *S. Anselmus,* aut saltem auctor libri sub eius nomine diu recepti: « Nec tamen naturam corporis « Dominici ubique esse dico; quia nec opus est, nisi ubi ipse « vult, et nisi fidei certo Sacramento hoc operatur, ad quod « assumpta, et glorificata, mysteriis videlicet salvationis « humanae, etc. Deus enim solus necessario ubique est, quia « cum omnia in ipso constent, nec posset esse, ubi illum con- « stringeret deesse. Mox in diversis locis uno horae momento « esse posse corpus Christi asserit, sed lege creatricis natu- « rae, non creatae » [3]. - Et *Rupertus,* commentans verba Ioannis " in propria venit ", ait: « Venit autem, non loca- « liter (Deus quippe est, unde et constat, quia ubique est). « Venit sane non de loco ad locum transeundo; sed qui erat « invisibilis, visibilem se exhibendo. Nam in mundo erat per « divinitatem, cuius est esse, vel manere: venit autem in « mundum per humanitatem, cuius est ire, et de loco ad « locum transire » [4].

[1] Epist. 5 ad Sever., n. 8. — *P. L.* LXVII, col. 918.
[2] Homil. in Evang. l. II. Hom. 29. — *P. L.* t. LXXVI, col. 1216, sq.
[3] *De Sacram. alt.* c. 3.
[4] *Comment. in Ioann.* l. I. — *P. L.* t. CLXIX, col. 218.

Hugo Victorinus in eumdem sensum egregie disputat: « Noli itaque dubitare, ibi nunc esse hominem Iesum Chri- « stum, unde venturus est, (caelum intellige),.... quo ire visus « est in forma carnis, atque substantia. Cui profecto immor- « talitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc for- « mam non est putandus ubique diffusus ». Et pergit, ad verbum referendo textum S. Augustini superius allatum [1].

Et haec satis sint ad ostendendam catholicam de hoc argumento universalissimam traditionem. Quare in hac re, uti in tot aliis, reformationis specie Lutherani christianum dogma miserabiliter deturparunt. Tribuendo corpori Christi immensitatem Deo soli congruam, re vera realitatem corporis Christi, quin et Christi ipsius in dubium vocaverunt, ac proin veluti viam apparuerunt modernis illis, qui in Christo nihil amplius agnoscunt quam mythicam quamdam effulgurantiam, cuius ope humanum ingenium sibi limites rumpens excelsa divinitatis conscendit [2].

Recte concludere possumus cum Hagemann: « Wenn aber « diess, so hat die lutherische Dogmenbildung geschichtlich « die umgekehrte Bahn von der kirchlichen Dogmenbildung « durchlaufen, und so sich als reine Negation des Glaubens, « als Destruction des Dogmas, als Haeresie erwiesen » [3].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Quum de Christo natura divina praedicetur etiam abstracte, non autem natura humana, ac proin ambae simul non praedicentur nisi in concreto, scilicet in supposito, oportet, propter singularitatem eiusdem suppositi, quod Christus dicatur *unus,* non duo (nec masculine, nec neutraliter) (a. 1.). - Porro haec unitas tanta est, ut in Christo non sit simpliciter nisi *unum esse,* quum *esse,* quod attingit usque ad suppositum, sit necessario *unum.* Aliter, si unio naturae

[1] *De sacram. fid.* l. II, par. 1, c. 13. — *P. L.* t. CLXXVI, col.413.

[2] Vide, quid de Christi conceptu adhuc remaneat apud Hegel, Schleiermacher, Strauss, Feuerbach. Nihil superest apud eos qui hunc circulum perfecerunt, nisi ille « Ubermensch » infelicis Nietzsche, qui, dementia correptus, « Untermensch » miserrime obiit.

[3] *Kirchenlexicon* Wetzer-Welte t. XI, *Ubiquitätslehre,* p. 349-358.

humanae supposito Verbi solum esset accidentalis, non repugnaret esse accidentale addi ad esse substantiale, ac proin in Christo dari duplex esse (a. 2).

DISSERTATIUNCULA

de Constitutivo formali Unionis hypostaticae.

Distulimus usque ad absolutam hanc Quaestionem XVII. penitius inquirere in constitutivum formale unionis hypostaticae. Vidimus hucusque, unionem naturae humanae Verbo factam esse non in natura, sed in hypostasi; ita ut Christi humana natura, licet individua atque perfectissima, non sit tamen humana persona, sed ipsa persona Verbi propter assumptam naturam nostram sit homo; tantamque esse inter personam Verbi et hanc naturam quasi compenetrationem, ut Christus non sit nisi unus, imo in Christo non sit nisi simpliciter unum esse.

Iam investigandum superest, quomodo talis unio concipienda sit; aliis verbis, quid huic naturae humanae singulari vel desit vel supervenerit, quo non sit per se sola persona, sed propriissime, strictissime hic homo sit Filius Dei. Qua in investigatione, ne nimius evadat tractatus, – nam de hoc solo argumento conscripta sunt volumina - ab excursionibus longioribus tum in philosophicas controversias, tum in eruditionem theologicam sive patristicam sive scholasticam abstinebimus.

Ordo autem praesentis dissertatiunculae sequens erit. 1) Quaedam praemittemus, tanquam disputationis substratum. - 2) Sententias alias praecipuas enumerabimus. - 3) Sententiam cui favemus, iuxta mentem S. Thomae exponemus, simul alias breviter tangendo, nostramque ex modo loquendi Patrum corroborando.

§ I. — Praemittendae Considerationes.

Uti ab exordio huius tractationis monebamus, omnes haeresiarchae in dogmate SS. Trinitatis vel Incarnationis errantes, Arius, Sabellius, Nestorius, Eutyches, ideo a recto catholicae veritatis tramite declinaverunt, quia, rationalistico

praeiudicio capti, inconcussi instar axiomatis, tot cogitaverunt necessario dari personas quot naturas individuas, et e converso. Doctores catholici e contra, lucem revelationis sapienter philosophiae ducem consulentes, propter certissimam utriusque dogmatis doctrinam, axioma de correlatione necessaria inter numerum personarum ac naturarum mitigandum proclamarunt. Quare, quotquot surrexerunt catholicae veritatis propugnatores, convenerunt in affirmando, naturam humanam Christi non esse per se personam, quia ipsi deest, id, saltem ut absolutum in se, quo natura singularis humana habet, praeter ipsam naturam, esse personam. Non autem amplius pari gressu incedunt, ubi subtilius inquirunt de ratione formali cur humana Christi natura in se persona non sit: alii per defectum ultimi constituentis personam, alii per dignioris elementi superadditionem, alii per utrumque rationem mysterii aliqualiter reddere conantur.

Quarum diversarum sententiarum ut genesis ac vis melius percipiantur, quaedam considerationes per se ad philosophicam disciplinam spectantes, compendiose tamen, praemittendae sunt.

Gradatione quadam scalam quidditatis, existentiae et substantialitatis [1] exprimere iuvat, ad quam per totam hanc disquisitionem numeris, brevitatis causa, citatis referemus.

Missa natura secunda, ente logico secundae intentionis, habemus:

1) *Naturam primam (quo est);*

2) *Naturam primam existentem (quod est, rem naturae);*

3) *Naturam primam subsistentem per se (suppositum, personam)* [2].

Iuxta modum diversum quo haec tria ad invicem referri et in humana natura Christi reperiri cogitantur, variae determinantur sententiae, quarum iam praecipuas exponere lubet. - Unum monemus: in sequentibus sermonem esse de *esse substantiali,* non de accidentali.

[1] Non omnes isto ordine haec tria cogitant, uti ex mox dicendis apparebit; at etiam liquebit ratio ob quam naturam primam subsistentem posuimus post et non ante naturam primam existentem.

[2] Suppositum seu hypostasim nationalis naturae esse personam, hic tanquam notum adhibemus; necnon quid sit ens primae et secundae intentionis, quid natura ut *quo*, existentia ut *quod*. De quibus consule philosophos passim.

§ II. — Exponuntur aliae praecipuae Sententiae.

1) Sententia passim dicta Card. Caietani.

Haec est sententia omnium eorum, qui inter tria superius enumerata reale discrimen admittunt, licet non eumdem ordinem inter haec tria teneant.

Alii [1], uti Caietanus, Card. Zigliara, Ferrariensis, Medina, Cabrera, Bannes, Ioannes a S. Thoma, existentiam ponunt ultimo loco. Iuxta illos, suppositum (hypostasis, persona), realiter aliquid superaddit naturae primae; et existentia aliquid supposito. Proin in Christo humanitas non est subsistens per se, quia ei deest id quod 3.m addit realiter ad 1.m et quod eminenter suppletur per subsistentiam Verbi. En verba Caietani: « Est igitur personalitas realis constitutiva personae ut sic, « et ideo ad eam consequuntur capacitates ad personales « relationes, ut sunt actus essendi.... et reliqua, quae hypo- « stasi attribuuntur. Est autem huiusmodi realitas in genere « substantiae reductive, sicut reliquae realitates constitu- « tivae substantiarum, ut rationale et huiusmodi quamvis « non sit differentia proprie loquendo, sed ut terminus ulti- « mus, ac ut sic purus naturae substantiae » [2].

Alii alium ordinem concipiunt, et subsistentiam veluti ultimum habent complementum, quo terminatur natura non tantum in *esse naturae*, quod per existentiam uti a natura distinctam obtinetur, sed in *esse per se* existentis incommunicabiliter [3]. Iuxta illos humanae Christo naturae, ne esset persona, deerat hoc ultimum complens.

Quum autem hoc completivum subsistentiale sit, iuxta illos, ultimum in gradu actuationis, posset quis, qui hunc ordinem teneret, in Christo duplicem praedicare existentiam, quin ideo in Christo duplicem praedicaret personam. Ex opposito,

[1] Cf. nomina eruditissime collecta apud Urráburu, *Ontol.*, disp. v, c. 2, a. 2.

[2] In III. p., Q. IV, a. 2. Lege ibi integrum subtilissimum discursum.

[3] His quoad hoc adstipulantur quotquot sententiam sequentem tenent, quatenus subsistentiam tanquam ultimum completivum concipiunt, ac existentiam pressius naturae affigunt quam subsistentiam.

qui tenet ordinem Caietani, sane communiorem apud eos qui triplicem gradum realem admittunt, imo communissimum, non possunt praedicare in Christo unam existentiam, quin eo ipso praedicent unam personam.

Hanc sententiam urgent sane nimis, qui cum Hurtado et Quiros personalitatem in entitate aliqua substantiali absoluta reponunt.

2) Opinio dicta Suarezii.

Suarez et cum ipso graves theologi Scholae neo-scholasticae, uti Toletus [1] et Vasquez, necnon philosophi, uti Cl. Urráburu [2], alia via quaestionem solvunt. Negant realem distinctionem inter 1.m et 2.m; concedunt tamen, 3.m superaddere modum realem. Qui modus realis, quum in humana natura Christi per subsistentiam Verbi suppleatur, haec humana natura in Christo persona non est. Si iam quaeris, quid per istum modum realem superaddatur substantiae, respondent esse *incommunicabilitatem*. Audi Suarezium: « Tertio iam « suppono in rebus creatis perseitatem existendi non conve-

[1] Card. Toletus, quem modo audivimus discrimen recusantem inter essentiam et existentiam, conclusionem formulat: « In substantiis creatis non sunt idem indivi- « duum et suppositum. Et unionem hypostaticam his verbis explicat: « Naturam « humanam uniri in persona Verbi est, quod relicta subsistentia sua propria, Verbi « subsistentia subsistat. Verbum autem unire sibi, vel assumere naturam humanam « in unitate personae est, quod propriam subsistentiam et personalitatem tali natu- « rae communicet, non tamen relinquendo propriam naturam: sed una subsistentia » et personalitas est duarum simul naturarum; naturae Verbi est propria, natu- « ralis, aeternaque subsistentia; naturae humanae est non propria, nec naturalis, « sed communicata in tempore: talisque persona in duplici natura Christus Dominus « est » *.

[2] Cl. Urráburu sequentibus conclusionibus mentem suam aperit: *Prop. I.* « Sen- « tentia solam ponens rationis distinctionem (inter naturam et personam) defendi « nequit, quin incidat in scotisticam sententiam, quae ad constituendam personam « requirit, ut natura in se completa non communicetur vel uniatur alieno suppo- « sito.... » *Prop. II.* « Sententia rationem personae per negationem communicationis « explicans, habet quaedam argumenta quae sibi faveant, quamvis rem penitus non « evincant; quia vero aliunde gravissimo premitur incommodo **, probabilius dese- « renda est ». *Prop. III.* « Ratio personae in creatis aliquid positivum naturae « superaddit realiter ab ea distinctum ». *Prop. IV.* « Ratio suppositi non consistit « in realitate absoluta, sed in modo substantiali naturam terminante et complente « in ratione subsistentis et alteri incommunicabilis ».

* III. P., Q. II, art. 2.

** Ipsa scilicet insufficientia relate ad dogma unionis hypostaticae.

« nire naturae formaliter per seipsam, seu per existentiam « suam, sed per aliquid reale, et in re ipsa ab illa et ab eius « existentia distinctum.... Et hoc satis nobis manifestavit « mysterium Incarnationis, in quo reperitur humanitas in « rerum natura absque propria perseitate existendi quam « ex se habeat..... Suppono, in rebus creatis per eumdem « omnino terminum seu modum positivum substantialis natu- « rae, constitui rem per se existentem et omnino incommu- « nicabilem; et consequenter personam vel suppositum » [1].

3) **Opinio, quae solet dici Scoti et Tiphani.**

Haec est eorum, qui reale discrimen tollunt non solum inter 1.m et 2.m, sed et inter 2.m et 3.m. Hi autem in duas classes distribuuntur, secundum quod conceptum personae prae natura magis reponunt in negativo, quam in positivo. Plus insistit conceptui negativo Scotus ipse [2], cum schola quae scotistica-nominalista audit, - licet magna lis, eaque adhuc sub iudice sit, quousque Subtilis negativum personalitatis conceptum habuerit. Certum est scholam eius conceptui negativo passim adhaerere [3]. Huic sententiae subscribunt, e Scotistis, Pontius, Mastrius, aliique perplures; e theologis Societatis Iesu, Molina, Petrus Waddingus [4], Mayr, cum aliis sane non spernendis. Eidem adscribuntur etiam a quibusdam Richardus, Durandus et Okamus cum caeteris Nominalibus.

Altera theologorum classis contendit, rationem hypostaseos esse formaliter quid positivum, licet habeat etiam negati-

[1] *De Inc.*, disp. XI, sect. 3. *

[2] Audiatur Card. Franzelin: « Constituit (Scotus) rationem hypostaseos in nega- « tione dependentiae actualis et aptitudinalis: h. e. ut substantia sit, nec actu depen- « dens ab altero ut supposito, sicut est humana natura Christi dependens actu; nec « ex se postulet talem dependentiam, ut eam postulat anima humana etiam sepa- « rata.... Docet porro Subtilis, naturam singularem et integram per se constitui in « tali independentia, non aliquo positivo addito ultra illam entitatem quae est haec « natura » **. Sane Scoti conceptum ut mere negativum impugnat Caietanus.

[3] Lichettus tamen, Rada, Centinus, Herrera in positivum conceptum inclinant.

[4] Hic contendit, veteres Thomistas in hac passim fuisse sententia, excepto utique Thoma de Argentina.

* Subsistentia, iuxta quosdam triplicis gradus est: *radicalis* (quae in humanitate Chr. fuit), *aptitudinalis, evoluta.* Cf. Pesch (*Inst. log.*, p. II, v. II, p. 269).

** Op. cit., th. XXXIX, cor. 3.

vum respectum. Hanc sententiam tuentur praeter Tiphanum, Petavius et Thomassinus, et e recentioribus scriptoribus Societatis Iesu, Card. Franzelin, qui doctissime de hoc argumento disserit [1], Tongiorgi, Stentrup [2], Cl. Palmieri, et Cl. Lahousse.

[1] Op. cit., sect. III, c. 3, 4, th. XXVI-XXXIV.

[2] En ex ordine theses quas iste theologus fuse de hoc argumento evolvit. — Thesis XXIII. « Probari definitio hypostaseos debet, qua ea dicitur ens in se et « sibi, seu simpliciter substantia prima ». — Thesis XXIV. « A statuta hypostaseos « definitione, quod rem ipsam attinet, non differunt eae, quibus dicitur substantia « individua, aut ens seu substantia per se existens, aut substantiae terminus ultimus, « complementumque ultimum ». — Thesis XXV. « Neque ab eadem definitione dissentit « definitio Scoti, qui hypostasim dicit esse substantiam singularem, quae tam actualem « quam aptitudinalem ab alio in ratione substantiae dependentiam a se excludit. « Qui vero hanc definitionem improbant, eo quod formalem rationem hypostaseos « non in affirmatione, sed in negatione constituat, ii nostra opinione a vero aberrant ». — Thesis XXVI. « Reducuntur denique ad definitionem a nobis constitutam hae defi- « nitiones, quae in operibus sanctorum Patrum occurrunt, quibusque hypostasis « dicitur substantia separata vel per se ac seorsim posita, aut substantia cum acci- « dentibus, aut substantia cum modo existendi ». — Thesis XXVII. « Quum discrimen « inter hypostases irrationales et rationales ex dignitate et excellentia naturae « intellectualis derivatum, modum etiam afficiat, quo in se illae et sibi sunt, merito « ad eminentiam hypostasium rationalium prae irrationalibus significandam illae « speciali nomine personae donantur ». — Thesis XXVIII. « A veritate manifesto errore « discedunt ii omnes, qui non a natura rationali formalem rationem repetunt, cur « hypostasis aliqua persona sit, sed formalem rationem personae adaequate in natura « rationali seu potius in explicationibus eiusdem constituunt ». — Thesis XXIX. « Per- « sona igitur rite definitur naturae rationalis substantia individua ». — Thesis XXX. « Nulla negatio est de intrinseca et formali ratione hypostaseos et personae, hypo- « stasis contra est quid simpliciter positivum, imo quid maxime perfectum in ratione « substantiae ». — Thesis XXXI. « Id, quo natura quaevis in formali hypostaseos « ratione connaturaliter constituitur, sola ratione ab ipsa distinguitur ». — Thesis XXXII. « Sola admissa rationis distinctione inter naturam et hypostasim commodam « explicationem habent omnia, quae ex fidei praescripto de mysterio Incarnationis « tenenda sunt, scilicet 1. in Christo non esse personam humanam; 2. humanitatem « Christi immediate non naturae divinae, sed hypostasi divinae uniri; ideoque 3. « unam solam hypostasim divinam, nempe hypostasim Filii esse incarnatam; 4. « unionem hypostaseos Filii cum humana natura esse unionem mere hypostaticam, « ac proinde factam sine omni confusione, sine mutatione quacumque in Verbo » — Thesis XXXIII. « Doctrinae de sola rationis distinctione inter hypostasim et naturam « nullo modo obstant dicta sanctorum Patrum, Verbum divinum assumpsisse natu- « ram, non assumpsisse personam humanam, et, aliud esse naturam, aliud hypostasim ». — Thesis XXXIV « Hypostasis neque est existentia re a natura distincta, « neque forma aliqua realis, quae realiter a natura differat ». — Thesis XXXV. « Quam- « vis creata hypostasis vere et proprie modus naturae sit, attamen modus naturae, « qualem haud pauci dicunt, scilicet forma modalis a parte rei distincta a natura, « haberi nostra opinione non potest ». — Thesis XXXVI. « Sicut hypostasis Christi « materialiter spectata nullo modo est composita ex his et tantum composita ad hoc « dici potest, ita eadem hypostasis formaliter considerata affirmari composita ex his « debet, quia Christus licet non sit totum ex partibus, attamen est unum ex plu- « ribus ».

Quo iure haec sententia tribuatur Magistro et S. Bonaventurae, aliisque antiquioribus, mox dicemus. Passim quoque in favorem huius sententiae citantur Henricus Gandavensis et Durandus.

Iuxta hos igitur suppositi ratio habet duplicem respectum: positivum, primarium ad substantiam, quam considerat ut *totum in se;* negativum, secundarium, quo consideratur in sua relatione ad principium altius subsistens. In Incarnatione proin humana Christi natura non fuit persona, praecise propter assumptionem ad altius principium subsistendi. Ratio formalis huius conceptus personalitatis constituitur, non quidem in incommunicabilitate, sed in *non actuali communicatione,* seu *dependentia,* vel *non toto.*

Proin iuxta hos omnes formale unionis hypostaticae constituendum est in profectu ad superius principium subsistentiae sine ullo defectu in assumpta illa singulari natura, utpote cui, a parte sua, nihil reale desit, quin esset persona, nisi subsistentialiter esset principio superiori unita. « Eadem res, « ait laudatus Lahousse, si sibi permittitur, est ens, substantia « completa, sui iuris, tota in se. Si accedit persona divina « quae se intrinsecus ei unit tota entitas remanet, eaedem « actiones proficiscuntur ab hac natura; sed ista realitas « facta est in alio, instrumentum alterius, ideoque omnes « actiones ab ea profectae iam adscribuntur huic alteri agenti « per naturam assumptam, tanquam per instrumentum coniun- « ctum. Itaque natura, quae prius erat sibi permissa, sui iuris, « suppositata, cessat esse talis, non quidem amissione reali- « tatis, verum accessu perfectionis, nempe hypostaseos divi- « nae » [1]. In quibus verbis, praeter insufficientiam a parte ipsius conceptus, - de quo mox, - corripere iam hic velim formulam minus cautam, quasi humana Christi natura unioni praeexstitisset, et nonnisi adveniente subsistentia Verbi esse persona cessasset.

Quo strictius autem premitur utraque sententia, sive Scoti magis negativa, sive Tiphani magis positiva, eo minus ambae

[1] In prima ex propositionibus supra allatis. Miror proin eruditissimum philosophum has sententias tantopere distinxisse, et mox ad unam sententiam redegisse conceptum Caietani, Capreoli et Suarezii, dum tamen inter has tres longe maius sit discrimen, quam inter illas duas.

ab invicem distingui videntur; unde recte observat Urráburu a sententia Tiphani in priorem Scoti esse incidendum.

4) **Opinio media** quaedam concipi potest, quam nescio an aliquis theologus, sive philosophus expresse tenuerit.

Diximus, Scotum et Tiphanum cum suis utrumque negare: discrimen reale inter 1.m et 2.m; discrimen reale inter 2.m et 3.m. Non ideo tamen una negatio per se negationem alteram sequitur. Etenim, sicut Suarez reiicit primam ac tenet alteram, modo suo explicatam; ita, imo uti videbimus infra, melius posset servari prima distinctio realis et negari altera. In hac ergo sententia teneretur quidem distinctio realis inter naturam et existentiam, negaretur autem altera inter naturam existentem et suppositum, quin tamen haec altera cum priori identificaretur.

Si proin constaret, uti Card. Franzelin aliique contendunt, S. Thomam negasse aliquid reale humanitati Christi defuisse, quominus esset persona, non ideo sententia S. Th. ipsorum sententia esset; nisi insuper demonstraretur, Angelicum recusasse realem distinctionem inter essentiam seu naturam et existentiam [1].

Hisce praemissis sententiis, iam ad sententiam exponendam accedamus, quae nobis magis arridet.

§ III. — Exponitur ac defenditur Sententia, quae probabilius S. Thomae videtur.

Prima ex supra expositis sententiis tenet utrumque discrimen reale, ac affirmat in humana natura Christi utrumque discrimen defuisse iuxta ordinem Card. Caietani; aut saltem, si alius ordo tenetur, id quod reale interest inter 1.m et 2.m; - secunda negat primum, et pariter convenit de altero; - tertia negat utrumque; - quarta negat alterum, quae ambae ultimae conveniunt in hoc, quod nihil defuerit reale humanae naturae Christi quominus esset persona. Remanet sententia ponens primum discrimen inter 1.m et 2.m; tollens alterum

[1] Doctus Cardinalis thesim expresse conscribit ad demonstrandum, re vera Angelicum « inter hanc integram singularem naturam et inter hypostasin connaturaliter « subsistentem » non admisisse nisi distinctionem rationis (Th. xxx.).

inter 2.m et 3.m; at insuper conveniens cum duabus primis (unde a quarta sententia valde distinguenda est), in affirmando, humanae naturae Christi aliquid reale defuisse, quominus esset persona; non quidèm tertium, quod nihil reale superaddit, sed idipsum quod secundum superaddit primo.

Haec sententia, quae est Capreoli, Paludani, Zumel, etc. quam nostri Salisburgenses docte tenuerunt, ac imprimis Cardin. de Aguirre solide probavit, quamque Cl. Billot, Cl. Schiffini et Cl. Gredt acute propugnant, maiori gaudere putamus probabilitate, tum intrinseca, tum extrinseca. Cl. P. Billot hanc sententiam ita enuntiat: « Unio Incarnationis « explicatur per hoc quod humanitas sic communicatur « Verbo [1], ut in illo existat et non in semetipsa, quatenus « scilicet esse personale Filii Dei supplet vices creatae exi- « stentiae, sive proprii actus essendi, qui eidem humanitati « naturaliter debebatur » [2].

1) - Declaratur haec Sententia per partes.

A) Principium fundamentale huius sententiae est discrimen reale quod interest inter 1.m et 2.m ex tribus supra allatis, id est, inter naturam primam et naturam primam existentem. Hoc principium a S. Thoma in multis locis inconcusse stabilitur. Etenim tum ubi agit de simplicitate Dei, eam facit consistere in privilegio singulari quod Deus est sua essentia, quod in ipso est idem essentia et esse [3]. Tum ubi agit de angelis, qui inter creaturas maxime appropinquant divinae simplicitati, affirmat diserte fuseque probat, in ipsis esse compositionem, non quidem materiae et formae, sed potentiae et actus, essentiae et existentiae. Sufficit attenta consideratio ipsius ordinis capitum in *S. ctr. G.* l. II, c. 51, 52, 53, 54, quorum ultimum inscribitur: « Quod non est idem « compositio ex substantia et esse, et ex materia et forma ».

[1] Nonne melius dicitur Verbum se communicare humanae naturae, aut humanam naturam trahi ad Verbum?

[2] Q. II. th. VII, p. 111.

[3] I. Q. III, a. 3, 4. — *S. Ctr. Gent.* I, c. 21, 22, etc. etc.

Ibi, in c. 52, haec scribit: « Illud quod est subsistens, non « potest esse nisi unum tantum » (Ratio supra immediate data est: esse, in quantum est esse, non potest esse diversum). « Ostensum est autem (I. c. 22, 42) quod Deus est « suum esse subsistens. Nihil igitur aliud praeter ipsum « potest esse suum esse. *Oportet igitur in omni substantia « quae est praeter ipsum, esse aliud ipsam substantiam, et « aliud eius esse* ».

In I. Q. L, a. 2, in *Corpore* solum sermo est de compositione ex materia et forma, sed completur doctrina resp. ad 3m, ubi inter alia legitur: « Licet in angelo non sit com- « positio formae et materiae; est tamen in eo actus et po- « tentia » [1].

Falluntur proin, qui ex aliquibus locis in quibus S. Doctor arguit secundum compositionem humanam, vel de angelis loquitur uti non compositis ullo modo, hanc Aquinatis doctrinam infirmare conantur. Dilemma vitari nequit. Aut S. Th. in re tam gravi sibi apertissime contradixit, aut sententiae minus ex professo argumentum tangentes, ad alios locos lucidissimos trahendae sunt.

Nec te moveat, usum formulae *quod est* et *quo est* non esse apud S. Th. omnino constantem. Ita in hac Quaest. XVII. art. 2. in *Corp.* habet: « Esse pertinet et ad naturam et ad « hypostasim: ad hypostasim sicut ad *id quod* habet esse; « ad naturam autem, sicut ad *id quo* aliquid habet esse ». Alibi autem, in I. Q. L, a. 2. ad 3m. « Angelus est compositus « ex *quo est* et *quod est,* vel ex esse et quod est, ut Boëthius « dicit. Nam *quod est,* est ipsa forma subsistens. Ipsum autem « esse, est *quo* substantia est » [2]. Solutio huius apparentis contradictionis est in hoc. Tria habemus: *a*) *essentiam* seu naturam, *b*) *esse* quod superadditur, *c*) *essentiam existentem.* Si confero *a*) cum *c*), *a*) est *quo est,* quia forma; *c*) *quod est,* quia totum existens. Si autem in solo *c*) distinguo essentiam *a*), et existentiam (*b*), tunc existentia seu esse apparet illud *quo* forma existit, et ipsa forma id *quod* per actum essendi in existentiam deducitur. In praecedentibus servavimus inter-

[1] Cf. alia loca S. Th. in *Boëth. De hebd.* lect. 2; *De ente et essentia*, c. 5. — Cf. Cl. Billot, qui fusius hanc doctrinam vindicat.

[2] Cf. *S. ctr. G.* l. II, c. 54.

pretationem essentiae *quo quid est,* existentiae in sensu *c) quod quid est,* tum quia magis communis [1], tum quia mysterio explicando melius inservit. Etenim humana natura illud est *quo* Verbum (*quod*) est homo.

B) Sed si strenue vindicamus distinctionem realem inter 1m.) et 2m.) gradum scalae supra exhibitae, non putamus insuper admittendam esse distinctionem realem inter 2m.) et 3m)., quam tenet Caietanus, licet alio ordine. Rationes nostrae paucis hisce continentur. 1) Traditio theologica aetatis Patrum et primaevae scholae nihil huiusmodi exhibet. - 2) Ipse S. Th. numquam praeter realem distinctionem inter naturam et existentiam, alteram tradit inter naturam existentem et naturam existentem in se. Non sufficit ad hoc quod interdum natura confertur ad esse, interdum ad hypostasim, ut concludatur hypostasim esse aliquid reale super esse (in sensu modo exposito), aut e converso. Imo locus quem citavimus ex 2. art. huius Q. XVII. ostendit, in mente S. Doctoris non dari nisi unam distinctionem realem inter 1m. et 2m. vel inter 1m. et 3m; non autem inter 2m. et 3m, ut vult Caietanus. Ait enim S. Thomas: « Esse pertinet ad « naturam et ad hypostasim: ad hypostasim quidem sicut ad « *id quod* habet esse; ad naturam autem sicut ad *id quo* aliquid habet esse ». Ergo natura simul ac esse constituunt hypostasim; ergo 2m. idem est ac 3m. [2] - 3) Inutilis proin est in praesenti argumento additio huius realitatis, quum optime

[1] Si quis tamen malit stare alii terminologiae vocando *esse quo* est, nolo litigare. Id unum contendo: plenum sensum *c)* esse *quod quid est.* Quare quum suppositum etiam vocetur *quod est,* novum argumentum inde accedit sententiae nostrae. Et sane in supposito habetur respectus ad essentiam et ad esse. Utrimque autem vocatur *quod est,* et utrimque tum essentia, tum esse *quo est;* at sensu diverso. Quare existentia in sensu *c)*, utpote re eadem cum supposito existente, est revera *quod quid est.*

[2] Placet alias quasdam sententias Angelici adducere ex quibus idem evincitur. « *Esse* pertinet ad ipsam constitutionem personae » (III. Q. XIX, a. 1. ad 4 m). « *Esse* « est in quo fundatur unitas suppositi » (*Quodl.* IX, a. 3. ad 2.m). « Esse dicit id quod « est commune omnibus generibus; sed subsistere et substare id quod est proprium « primo praedicamento » (I. Sent. Dist. XXIII, q. 1. a. 1.); quae sententia facit insuper contra ordinem Card. Caietani. « In quolibet ente est duo considerare, scilicet ipsam « rationem speciei, et esse ipsum quo aliquid aliud subsistit in specie illa » (*De Verit.* q. XXI. a. 1.). De tertio, nihil. « Persona significat id quod est perfectissimum « in tota natura, scilicet subsistens in rationali natura » (I. Q. XXIX, a. 3.). Ergo nihil amplius requiritur.

ratio reddatur, cur humana natura Christi non sit persona, per hoc quod ipsi per se desit τὸ *quod est,* seu *actus essendi.* - 4) Imo monstrari potest, hanc Caietani positionem carere fundamento. Eatenus enim requiretur illud 3m. realiter aliquid superaddens 2°, vel e converso, quatenus vel *a*) *potentia* naturae non esset etiam ad subsistendum, vel *b*) *actus* naturae nondum poneret subsistentiam; vel subsistentia nondum poneret actum. Atqui neutrum ostendi valet; imo utrumque debile apparet; ergo. Etenim, quid aliud est suppositum quam ultima actuatio substantiae, cuius est existere in se? ad quid tendit *esse* naturae superveniens, nisi ut existat eo modo quo ipsius est perfecte incommunicabili individuatione existere? Inde fit, ut S. Thomas saepe utatur vocabulo subsistere, ubi agit de existentia naturae vel essentiae.

Sed si negamus discrimen reale inter haec duo: naturam existentem, et naturam existentem in se, si huiusmodi sit res quae in se existere possit; non ideo negamus utrumque respectum logice differre. Imo virtualem distinctionem multi admittunt docentes, ut verbis utar Cl. Gredt, « esse substan-« tiale duplici munere fungi, quorum alterum est constituere « essentiam formaliter extra causas et in rerum natura, « alterum vero constituere eam per se subsistentem et incom-« municabilem » [1]. Nolim tamen huic virtuali distinctioni nimis insistere. Quod enim esse essentiae sit per se subsistens, habet, ut ita dicam, materialiter ab ipsa indole substantiali et non accidentali huius rei; aliqualiter sicut suppositum esse personam, pendet a dignitate naturae subsistentis.

C) Recusata proin sententia Caietani quatenus reale discrimen ponit inter 3m. et 2m, dicimus ideo in Christo humanam naturam non esse personam, quia natura humana ipsius habet suum *esse,* id esse suum *actum essendi* in ipso esse Verbi. Summam inde oriri substantialem unionem, est manifestum. Unitas τοῦ esse Christi in hac sententia maxime elucet, quin tamen perfectissimae singulari naturae aliquid dematur, quod naturae est.

Hanc nostram sententiam re vera esse S. Th., sequentibus considerationibus breviter ostendimus. 1) In praesenti Quae-

[1] Op. cit., p. 192.

stione XVII. Angelicus probaturus, Christum esse *unum,* imo unum *esse* in Christo haberi, utrumque articulum incipit considerando duplex elementum *quo est* et *quod est,* ostendendo, in divina natura haec identificari *re;* in humana autem natura, *quod* est per *esse* Verbi suppleri. Huc enim tendit tota argumentationis vis. Huc spectat comparatio membri ad totum; *esse* quippe totius pervadit membrum, et ei aufert *esse* separatum, quod extra unionem habere posset, imo haberet.

2) Iuxta hanc sententiam conciliantur optime loci duplicis generis quibus utuntur ex una parte asseclae sententiae Caietani et Suarezii; ex alia, ii qui stant cum Scoto, Tiphano, Franzelin, etc. Etenim *a*) interdum Angelicus loquitur de personalitate, tanquam de aliquo valde *positivo,* quod deberet *destrui* ut homo assumeretur. Intelligit quippe *actum essendi,* qui per *esse* Verbi suppletur. - *b*) Interdum proclamat, *nihil* humanae naturae Christi *deesse,* quin sit persona; unde si assumptio cessaret, *persona fieret.* Intelligit quippe actum illum essendi non pertinere proprie ad naturam, ac proin ex communi contingente, cessante assumptione, haec anima, hoc corpus, quae in singulis hominibus suum habent essendi actum, pariter in Christi humana natura eum haberent. Quare haec nostra interpretatio tenenda est, ne dicatur S. Thomas sibi contradicere. Nam solutio quam fautores tertiae sententiae suggerunt locorum illorum in quibus S. Thomas de corruptione personalitatis, deque eius destructione loquitur, longe nimis petita est.

Quae diximus hic de Angelico pro locis alterius classis, qui favent scilicet his, qui personalitatem, materialiter saltem, uti aliquid potius negativum concipiunt, valent quoque de similibus locis S. Bonaventurae, Alberti Magni, Alexandri Halensis. Factum quippe declarant, modum autem facti non tam praecise determinant, ut non locus supersit interpretationi, quam ex principiis Angelici effluere ostendimus. Quod et de Patrum sententiis perpluribus aeque dictum valet.

D) Nec valet obiectio, quam ex SS. Trinitate quidam auctores contra sententiam nostram movent. Si esse Verbi est esse humanae naturae Christi, aiunt, cur Filius potius quam Pater et Spiritus S. incarnatus dicitur, quum esse

ipsorum unum sit? Quasi esse divinum non sit simul absolutum, ac ita formaliter unum, et relativum et ita formaliter tres. Iam vero esse quod dat actum humanae naturae, est esse formaliter ut relativum, quia subsistere facit [1]. Si haec difficultas valeret, contra eam moventes validissime retorqueri posset.

2) - Corroboratur nostra Sententia ex Locutionibus Patrum.

Qui sententiae Scoti adhaerent, magni faciunt argumentum petitum ex silentio Patrum circa qualitatem positivam, qua humana Christi natura caruerit, ne esset persona. Fatemur, argumentum non esse sine vi contra superfluam entitatem, quam insuper inducit Caietanus [2]; at longe minus attingit sententiam longe simpliciorem quam defendimus.

Concedimus, Patres disertis explicationibus rationem assumptionis non reddidisse per hoc, quod *esse* Verbi dederit actum essendi humanae naturae Christi. Contendimus autem, ex hoc silentio nihil sequi, si mysterium talibus comparationibus illustrarunt, quae optime cum interpretatione nostra concordant. Atqui ita sane est. Ecce praecipuas analogias ad quas primaevae aetatis theologi recurrunt.

a) Fundamentalis analogia invenitur in ipso composito [3] humano; quam analogiam Symbolum Athanasianum eloquenter exhibet. Iam vero, nonne ab anima corpus esse suum habet?

Et sane si perpendis verba: « Sicut anima rationalis et

[1] Haec obiectio nihil prorsus valet in sententia, quam superius vindicavimus quoad subsistentiam divinae naturae. Etenim in tractatu *De Deo Trino* non admisimus aliquam subsistentiam absolutam, distinctam a triplici subsistentia relativa divinarum personarum. Sed nec pro illo qui hanc absolutam subsistentiam teneret, stringens esset praesens obiectio; nam haec subsistentia non ita esset absoluta, ut non posset natura divina, uti subsistentia relativa, subsistentialiter sibi unire humanam assumptam naturam.

[2] Nec ista vis urgenda est, quum istum quaestionis aspectum Patres sub hac forma prae oculis non habuerint.

[3] Ipsa vox *persona composita* sententiae nostrae favet; convenit enim longe verius personae Christi in hac sententia, quam in sententia Scoti vel Tiphani, vel ipsius Suarezii.

« caro unus est homo; ita Deus et homo unus est Christus », obtines sequentia. Corpus, quod per se est totum, si ab anima separetur, ita est in composito pars totius, ut anima sit forma etiam τοῦ esse corporis. Pariter humana Christi natura habet esse suum a Verbi subsistentia, unde ipsa humana natura fit quasi pars, et esse Verbi fit quasi forma subsistens personae compositae.

Humanam autem naturam ob unionem cum Verbo non esse totum sibi, exprimitur per alium modum loquendi, quo in Christo enumerantur non duo, sed tria, iuxta pulchrum carmen Adami Victorini:

Sic concurrunt in personae
Singularis unione
Verbum, caro, spiritus;
Ut natura non mutetur,
Nec persona geminetur,
Sed sit una penitus [1].

Ex hac utraque formula prior praestat quoad naturam humanam, quam modo vitali exprimit; aliter quoad unitatem totius, quam fortius inculcat. Ambae simul totum dicunt.

b) Alia analogia desumitur a surculo inserto arbori alterius speciei, cum qua unum facit, ita tamen ut non perdat naturam suam, nec proprios desinat edere fructus [2]. Patet unitatem *esse* et distinctionem naturarum egregie, ad normam sententiae nostrae, per hanc analogiam exprimi [3]. Cui analogiae, apud Halensem et Bonaventuram tritae, S. Thomas postea eam praetulit, quam in *Corp.* huius art. 2. exponit; forte quia, etsi duplex natura minus servetur, ratio tamen distincti suppositi a termino *a quo* efficacius removetur.

[1] *Rhythmus de Natali. — Proses d'Adam de S. Victor et Odes d'Horace.* Collection de classiques comparés. — Abbé Guillaume, p. 5. Laudes hic celebrare huius principis poëtarum mediae aetatis, supervacaneum est. Ipsa eius carmina attente ac devote perlecta, in Adamo demonstrant aliquid sane amplius quodam « buon monicello », uti recens vir criticus, editionis Cl. Guillaume rationem reddens, Victorinum appellat.

[2] Haec analogia inverso ordine Eccli. xxiv, 16, Iac. i, 21, insuper, sed de alio obiecto, Rom., xi, 24, insinuatur.

[3] Fatendum nihilominus, posteriores Scotistas libenter hac comparatione uti. — Cf. Scheeben, (loc. cit., n. 651).

c) Analogia ex *unctione* (*Christus*, « oleum effusum nomen « tuum, unxit te Deus, Deus tuus », etc.) petita, nisi simpliciter extrinsecam vel accidentalem unionem dicat, compenetrationem supponit sententiae nostrae maxime consonam. De qua unctione fusius in proximo Corollario.

3) - Brevissime tanguntur aliae Sententiae.

Post argumenta, quae iam in evolvenda nostra sententia protulimus, satis sit pauca breviter notasse.

a) **Sententia Caietani** solido caret fundamento, tum intrinseco, tum extrinseco; imo, nisi tamen teneatur ordo ipsius Caietani, minorem in Christo inducit unitatem, quum illud quod realiter 2.^{m} super 1.^{m} addit, in Christo ponere possit.

b) **Sententia Suarezii** α) parum videtur constans; etenim reiicit reale discrimen inter 1.^{m} et 2.^{m}, ac tenet alterum inter 2.^{m} et 3.^{m}, de quo tamen minus constat. - β) Illud reale obscure definit. - γ) Unitatem τοῦ esse in Christo difficilius servat, quum id 3.^{m} existenti substantiae individuae superveniens, aliquomodo illam accidentaliter afficere videatur.

c) **Sententia Scoti** α) reiicit discrimen inter 1.^{m} et 2.^{m}, quod nobis solide probari videtur. - β) Concipit rationem personalitatis modo nimis negativo. - γ) Insufficiens est [1]. Nam *ratio totius* (Tiphani) vel verbum merum est, vel quid entitative supponit. *Non assumptio* (Card. Franzelin), non sufficit ad explicandum in quo assumptio consistat. - δ) Unitatem *esse* Christi vix servare videtur. - ε) Analogias Patrum non satis exprimit, neque mentem Scholae.

d) **Sententia media,** cui potius quam sententiae praecedenti adhaerendum putaremus, displicet tamen propter rationes β) γ) et δ) quae militant contra *c*).

[1] Hanc insufficientiam fortiter exponunt Scheeben (loc. cit.), necnon Cl. Urráburu (op. cit.).

Accipe hanc totam discussionem hoc schemate contractam.

Tria distinguenda:	Ratio discriminis		Ratio unionis:
1) Natura prima } A 2) » » existens } 3) » » subsistens in se. B	inter 1.m et 2.m	inter 2.m et 3.m	Deest humanitati Christi:
1) Sententia Caietani: [1]	reale A	reale B (constitutivum)	utrumque [2] (terminus ultim.).
2) Sententia Suarezii:	non reale	reale B (modale)	reale B. (incommunicabilitas).
3) Sententia Scoti et Tiphani:	non reale	non reale	nihil reale (non assumptio ratio totius).
4) Sententia media:	reale	non reale	non reale.
5) Sententia nostra (Capreoli, Salisburg.):	reale A	non reale, sed idem ac relate ad 1.m	reale A.

Tabellam completam cum gradatione errorum tum per excessum, tum per defectum peccantium, remittimus usque ad absolutum argumentum de Monothelismo et de Adoptianismo.

APPENDIX.

De Substantiali Christi Sanctificatione et Unctione.

Ex dictis de ratione constitutiva unitatis Christi apparet virtus utriusque appellationis qua Christus in Scripturis decoratur: Est enim κατ' ἐξοχήν **Sanctus** et **Christus.**

A) **Sanctus** Christus est, non illa mere accidentali sanctificatione, quae in aliis iustis per gratiam obtinetur, sed per

[1] In ordine Caietani A est inter 1.m et 3.m; B inter 3.m et 2.m; cf. dicta superius.

[2] Id tantum valet in ordine Caietani; in alio ordine potest non deesse discrimen inter 1.m et 2.m.

substantiale connubium divinitatis. Homo scilicet Christus est unus ex tribus, quorum laudes canunt Cherubim: Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Praeclare S. Augustinus exponens verba Christi: « Et « pro eis sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in « veritate » [1]; haec habet: « In quo et ipse filius hominis sanc- « tificatus est ab initio creationis suae, quando Verbum fac- « tum est caro: quia non persona facta est Verbum et homo. « Tunc ergo sanctificavit se in se, hoc est hominem se in Verbo: « quia unus est Christus Verbum et homo, sanctificans homi- « nem in Verbo » [2].

Haec est ipsissima sanctitas de qua dicit Paulus: « Quia « in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter » [3]; et Archangelus ad Mariam: « Quod nascetur ex te Sanctum, « vocabitur Filius Dei » [4]. « Non ob id, ait in hunc locum « Titus Bostrensis, sanctum vocabitur, quod velut inhabita- « torem habiturum sit filium Dei, et participatione sanctifi- « candum sit; sed quod homo natura sua, idem est et unus « Dei Filius » [5]. Unde quam Apostolus dicit corporalem, Patres naturalem passim sanctitatem appellant [6].

Haec est sanctitas substantialis de qua omnes alii Sancti participant, iuxta verba S. Ioannis: « Verbum caro factum « est.... plenum gratiae et veritatis.... et de plenitudine eius « nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia » [7].

Quod discrimen inter essentialem Christi sanctitatem, et participatam aliorum, eloquenter exponit S. Cyrillus: « Sanc- « tum illud est omne, quod a mundi sordibus est immune. « Quod autem naturaliter est in Christo ad Patris similitu- « dinem, adscititium vero et adventitium inest sanctis disci- « pulis per sanctificationem quae est ex gratia, et splendo- « rem vitae, et probitatem » [8].

Christus igitur ita est *Sanctus*, ut sit *Sanctus Sanctorum*,

[1] Ioann. xvii, 19.
[2] *In Ioann.*, tract. cix, in fine.
[3] Coloss., ii, 9.
[4] Luc. i. 35.
[5] *In Luc.*, Comment.
[6] Cf. S. Aug. (*Enchir.*, c. xl).
[7] Ioann. i, 14, 16.
[8] *In Ioann.*, l. xi, c. 9. — *P. G.* t. lxxiv, col. 537.

id est, non solum Sanctissimus, sed Sanctus ille substantialiter, a quo derivatur omnis sanctitas in suos. Unde figurabat Sanctum Sanctorum templi Iudaici, in quod non nisi semel quotannis Summo Pontifici inter incensi nubes, cum sanguine victimae symbolicae, aditus patebat.

Si iam quaeris, quomodo haec substantialis sanctitas Verbi potuerit humanae naturae Iesu tam potenter communicari, respondetur, hoc factum esse per *unctionem substantialem,* ratione cuius Filius Dei incarnatus est **Christus.** Quare utrumque coniungit Angelus Gabriel Danieli pronuntians consummationem visionis et prophetiae « ut *ungatur Sanctus Sanc-* « *torum* » [1].

B) **Christus,** graece Χριστός [2], hebraice מָשִׁיחַ [3] idem sonat ac *unctus.* De hac unctione, praeter modo allatum textum, sermo est directe in Ps. messianico XLIV: « Unxit te Deus, « Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis » [4]; et in Ps. CXXXII: « Sicut unguentum in capite, quod descendit in « barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti « eius » [5]. In quo utroque loco non solum unctio principalis Christi Dei et Capitis exprimitur, sed et eius excellentia, prae omni unctione ab aliis sanctis, membris Christi participata. Hanc excellentiam eloquenter ostendit Origenes his verbis. « Quod dixit " quia unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae « prae participibus tuis ", ostendit quod aliter ista anima oleo « laetitiae, id est Verbo Dei et sapientia fungitur, et aliter par- « ticipes eius, id est sancti Prophetae et Apostoli. Illi enim « in odore unguentorum eius cucurrisse dicuntur; ista autem « anima vasculum unguenti ipsius fuit, ex cuius fragrantia « participantes digni quique Prophetae fiebant et Apostoli. « Sicut ergo aliud est unguenti *substantia,* aliud odor eius: « ita aliud est Christus, et aliud participes sui. Et sicut vas « ipsum, quod substantiam continet et unguentum, nullo

[1] DAN., IX, 24. — De sanctificatione et unctione Christi lege Petavium (op. cit., l. XI, c. 8, sq.).

[2] A voce χρίω, ungo. Nescio qua mente Rosemüller scribat: « χριστός haud com- « mode vertitur unctus » (Scholia in MATTH. I, 16).

[3] Graece haec vox Μεσσίας bis apud S. Ioannem occurrit (I, 42; IV, 25). Cf. S. Augustinum in Ioannem tr. XV.

[4] Vers. 8.

[5] Vers. 2, 3. — Cf. textum Is., LXI, 1, de quo mox.

« genere potest aliquid recipere foetoris, hi vero qui ex odore « eius participant, si se paulo longius a fragrantia eius remo- « verint, possibile est ut incidentem recipiant foetorem: ita « Christus, velut vas ipsum, in quo erat unguenti substantia, « impossibile fuit, ut contrarium reciperet odorem. Participes « vero sui, quam propinqui fuerint vasculo, tam odoris erunt « participes et capaces » [1].

Porro haec unctio potest sub triplici respectu considerari: 1) sub respectu substantiali, 2) sub respectu accidentali, 3) sub respectu symbolico. De singulis respectibus pauca; praesertim autem de primo, qui cum praesenti argumento arctissime colligatur.

1) *Substantialem* Christi unctionem secundam humanam naturam breviter S. Ambrosius ita describit: « Deus est qui « ungit, et Deus qui secundum carnem ungitur Dei Filius. « Denique quos habet unctionis suae Christus nisi in carne « participes? Vides igitur quia Deus a Deo unctus: sed in « assumptione naturae unctus humanae Dei Filius designa- « tur » [2].

Hoc sensu intellectum nomen *Christus* non est solum attributivum [3], maxime personale, exprimens in Deo-homine, statum unionis hypostaticae, sicuti nomen *Iesus* exprimit opus salvificum a Christo completum. Quare nomen *Christus* contrahit veluti totum argumentum huius voluminis; et nomen *Iesus* argumentum voluminis sequentis.

[1] *De princip.*, l. II, c. 6. — *P. G.* t. XI, col. 214. Ex hoc rursus vides, Origenem ex unione hypostatica immediate deducere Christi impeccantiam. Similia habet S. Damascenus. « Quemadmodum qui unitur igni non natura, sed unitione et accen- « sione et communione fit ignis: sic etiam de Incarnati Filii Dei carne idem assero. « Nam illa divinitatis secundum hypostasim communione, non mutata Deus existit, « non operatione Dei uncta, unusquisque Prophetarum, sed totius unguentis prae- « sentia » (*De imag.*, l. I, num. 13).

[2] *De fide*, l. I, c. 2. — Cf. S. Hieronymum: « Quando consortes nominantur, natu- « ram carnis intellige, quia Deus consortes substantiae suae non habet » (*In Is.*, c. LXI).

[3] Hoc forte non satis attendit P. Ios. Mar. Roberti, in recenti opere, sane egregio, cui titulus: « *L'onomatologia del divin Redentore nel nuovo Testamento.* — Studio esegetico-morale per il solenne omaggio a Gesù Cristo, con un'appendice sul nome della Vergine Madre di Dio ». — Roma, tip. poligl. della S. C. di Prop. Fid. 1900. — Etenim nomen *Christus* ponit in capite nominum attributivorum (p. 127). Est quidem nomen attributivum, sed et insuper, imo primario, nomen personale, utpote hypostaticum.

Quo arctior igitur intelligitur haec penetratio divinae substantiae super humanam Christi naturam effusae, eo plenius homo Iesus est Christus. In quo tres cogitari possunt veluti gradus. In primo non habetur nisi externa effusio accidentalis sine penetratione interna. Est effusio qualem concipiebant Nestoriani [1]. Secundus est effusio cum tali penetratione, ut tota natura humana, quae secus fuisset in se tota, hac divina substantia tam potenter imbibatur, ut per eam ad nobilius subsistere trahatur. Est modus qualem concipiunt illi, qui Tiphani sententiae adhaerent: unde frequenter unctionis exemplo utuntur. Tertius gradus ulterius progreditur et naturam humanam per divinam substantiam sibi infusam undequaque sustentari affirmat, ita ut ab illa existentiam ipsam accipiat.

Est gradus arctior quem defendimus, iuxta sententiam Theodoreti: « Qui dixerit Deum Verbum, simplicem expres-
« sit substantiam: qui autem appellat Christum, naturarum
« duarum coniunctionem indicat » [2]. Eodem modo ait S. Gregorius Nazianzenus: « Deus Pater Christum unxit oleo exul-
« tationis prae consortibus suis, cum humanitatem divinitate
« iunxit: ut ambo unum faceret » [3].

Ex hisce sequitur contra Nestorium, Christum non dici de solo Verbo, nec de solo homine, sed de Deo-homine, de Verbo incarnato. « Quod si quis, ait Eusebius Caesariensis,
« ante novum Testamentum Christi Iesu vocabulum soli
« Verbo tributum demonstrare se posse profiteatur, inveniet
« id prophetia dumtaxat usurpatum fuisse » [4]. Potest tamen in Verbo Iesu vox Christus modo ad divinam, modo ad humanam Christi naturam respicere, iuxta haec Euthymii contra Monophysitas, ad normam S. Athanasii dicta: « Quippe Chri-
« stus Dominus duo perfecta nominatim, Deus et homo, prop-
« ter amborum perfectionem. Sic igitur Christi salutaris
« appellatio, nunc solam divinitatem significat, tanquam nulla

[1] Ex hac unione non sequebatur nisi aliquod unum morale. Unde, iuxta Nestorium, Christus modo significabat merum Verbum, modo merum hominem. Contra quem falsissimum conceptum strenue certavit inter alios Cyrillus Alexandrinus *(De rect. fide)*.

[2] Opusc. inter spuria S. Athan.

[3] Or. v, in fine. — Cf. Or. 36.

[4] *Adv. Marc. Ancyr.*, l. II, c. 3. — *P. G.* t. XXIV, col. 797.

« se indigentem, et perfectam: nunc humanitatem solam, « tanquam nulla se in sua constitutione defectam; nunc « utrumque, ut et duarum naturarum discrimen, et unitionis « inusitatae insecabilis persona monstretur » [1]. Haec tamen caute sunt intelligenda, ne in conceptum Nestorianum incidatur.

Urgendo primum modum loquendi, nomen *Christus* potest ipsi Verbo ante assumptam carnem tribui, quemadmodum diserte facit Dionysius Alexandrinus in epist. syn. ad Paulum Samosatenum. Sed hoc non est nisi improprie dictum, et ex indole controversiae ad divinitatem Christi fortius affirmandam.

2) Substantialis Christi unctio est fons unctionis *accidentalis*. Haec magis directe exprimitur in Isaia: « Spiritus Do- « mini super me, eo quod unxerit Dominus me » [2]. A plenitudine enim divinitatis effluit ad intra plenitudo gratiae; quae plenitudo a Capite dein in membra defluit ad extra. Hoc sensu ait S. Isidorus: « Christus, hoc est unctus, non « utique oleo visibili, sed gratiae dono, quod visibili signifi- « catur unguento » [3]. De hac unctione iam superius locuti sumus, ubi de gratiis Christi animae ab initio collatis, necnon ubi hanc gratiae plenitudinem sub respectu gratiae capitis contemplati sumus [4].

3) *Symbolica* autem est haec Christi unctio sive substantialis, sive accidentalis, quatenus significat Christi dignitatem ad opus, necnon relationem Christi ad nos. De quo respectu pauca addenda supersunt.

In Antiquo Testamento ungebantur sacerdotes, reges et prophetae. Christus autem in se hanc triplicem dignitatem eminentissimo gradu cumulat.

a) *Sacerdotis* nomen, peracta unctione erat « hammâsiah » (ὁ ἱερεὺς ὁ χριστός) [5]. Iam vero Christum summum esse Pontificem in aeternum, mox demonstrabimus. - *b*) Ungebantur et *Reges*, uti ex tota historia Vet. Test. apparet. Inde et

[1] *Panopl.*, tit. 15.

[2] Loc. cit. Hoc sensu S. Petrus unctionem usurpat, Isaiam citans, Act. x, 38.

[3] *Orig.* l. vii, 2, 3.

[4] Quid quoad hanc unctionem contulerit, aut potius significaverit apparitio columbae in baptismate Christi, in altera parte huius tractatus inquiremus.

[5] Lev. iv, 5. Trad. Trad. lxx.

Cyrus apud Isaiam vocatur Christus [1]; et legitur in psalmo: « Nolite tangere christos meos » [2]. Quis autem Rex conferendus cum illo, de quo Ecclesia canit: « Tu Rex gloriae, Chri« ste? ». Utrumque symbolismum coniungit Lactantius his verbis: « Erat Iudaeis ante praeceptum ut sacrum confice« rent unguentum, quo perungi possent ii, qui vocabantur « ad sacerdotium vel ad regnum » [3]. Et S. Augustinus ait: « Ita Dominus noster Iesus Christus ostenditur Rex noster. « Ipse est enim Sacerdos noster in aeternum secundum ordi« nem Melchisedech » [4]. - *c*) Sed et *Prophetae* in Vet. Test. ungi solebant, ut patet ex tertio libro Regum: « Et ait Domi« nus ad eum (Eliam): Vade in Damascum... et unges Hazael « in regem super Syriam.... Elisaeum autem unges prophe« tam pro te » [5]. Unde Augustinus ait: « unctos aliquando « legimus et Prophetas » [6]; et ipse demonstrat, Christum esse Prophetam magnum prae omnibus prophetis.

His tribus titulis, qui primarii sunt in symbolismo unctionis, sex alii iuxta Patrum doctrinam superadduntur, qui et ipsi figurantur per oleum, et Christo sive in se, sive ad nos spectato peculiari titulo conveniunt.

d) Ungebant se *athletae* ad agonis certamen. In spirituali lucta Christus nobis in exemplum praeit. « Ideo nos unxit, ait S. Augustinus, « quia luctatores nos facit » [7]. Et S. Ambrosius: « Numquid athleta otio vacat, cum semel dederit cer« tamini nomen suum? Exercetur quotidie, ungitur quotidie. « Ipse cibus ei agonisticus datur, disciplina exigitur, castimo« nia custoditur. Et tu dedisti nomen tuum ad agonem Christi, « subscripsisti ad competitionem coronae: meditare, exercere, « ungere oleo laetitiae, unguento exinanito, etc. » [8]. - *e*) Oleum *lucet.* Porro Christus, lumen mundi, lucerna nostra est. « Hoc « est Verbum, ait rursus S. Ambrosius, quod supra caelos

[1] Is. XLV, 1.

[2] Ps. CIV, 15, 4.

[3] Divin. Iust. IV, 7. — *P. L.* t. VI, col. 464.

[4] Quaest. LXXXIII, n. 2. — *P. L.* t. XL, col. 49.

[5] C. XIX, 15, sq.

[6] *Retract.* l. I, c. 26. — Cf. Quaest. LXXXIII, q. 61, n. 2. ubi dixerat de personis regia et sacerdotali, « ad quas etiam sacrosancta illa unctio pertinebat »; et ait in *Retract.*, se debuisse addere voculam *maxime*.

[7] Enarr. in ps. XXVI, n. 1.

[8] *De Elia et ieiun.* c. 21. — *P. L.* t. XIV, col. 761.

« habitans illuminat omnia. Unde et unctus naturaliter legitur « a Deo Patre: quia lumen est verum, quod illuminat omnem « hominem venientem in hunc mundum » [1]. Inde invocatio ad cereum Paschale: Lumen Christi! - *f*) Oleum est symbolum *immortalitatis,* quemadmodum et ritibus ethnicis constat. « Existimatur, ait Plinius, et oleum vindicando a carie « utile esse. Certe simulacrum Saturni Romae intus oleo « repletum est » [2]. Iam vero nonne Christus, praesertim per sui Corporis et Sanguinis communicationem arrham nobis confert immortalitatis? - *g*) Oleum est symbolum *pinguedinis* sive ubertatis, iuxta illud psalmi: « A fructu frumenti et olei « sui multiplicati sunt ». Unde canit Ecclesia: « Pinguis est « panis Christi, et praebebit delicias regibus ». - *h*) Demum oleum est *medicina.* Iam vero Christus medicus est caelestis, cuius livore, teste Isaia, sanati sumus. Bonus est enim ille Samaritanus, de quo canitur: « Oleum effusum nomen « tuum » [3]. - Et haec satis sint de symbolica huius nominis significatione unctioni substantiali Christi superstructa.

Quid mirum proin, si primaevi Christiani tanta erga nomen Christi veneratione agebantur? Imo si a nomine ipso « *Chri-* « *stus* » prae quovis alio nomine discipuli Redemptoris *Christiani* sunt vocati? Habeat sibi nomen *Iesus* aliquid veluti magis intimum, praedulcem sonans amici familiaritatem; at nomen *Christus* maiestatem divinam directius exprimit. Nam Iesus est Iesus, quia est Christus. Hinc signum ☧, veluti tessera religionis et arrha Christiani per saecula triumphi, non a fidelibus tantum, sed a mundi rectoribus adhibitum est: « In hoc signo vinces! ».

[1] *De fuga saec.,* c. 8. — *P. L.* t. XIV, col. 606.

[2] Lib. XIII, c. 17. — Cf. Method. ap. Epiph. haer. 64, n. 18.

[3] Cf. doctrinam S. Bernardi infra afferendam, ubi de nomine Iesu erit disserendum.

2) DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO *QUANTUM AD VOLUNTATEM.*

QUAESTIO XVIII.

Ordo Quaestionis. Tria quaesita ex ordine moventur:

1) De *numero* voluntatum in Christo: *a*) conferendo ad invicem duplicem naturam (a. 1.); - *b*) conferendo ad invicem partem superiorem et inferiorem in natura humana (a. 2.); - *c*) conferendo ad invicem respectus in ipsa parte superiore (a. 3.).

2) De *exercitio* voluntatis (a. 4.).

3) De *concordia* voluntatum: *a*) divinae in humana (a. 5.); - *b*) Omnium ad invicem (a. 6.)

ARTICULUS I.

UTRUM IN CHRISTO SINT DUAE VOLUNTATES.

I. **De ipsa Quaestione.** - Hucusque potissimum cum haeresi Nestoriana ac Eutychiana nobis res fuit. Praesenti quaestione Monothelismus convellendus est. Directe quidem, nam, uti ex sequentibus patebit, principium duplicis in Christo integrae naturae sufficit, ut duplex in ipso et divina et humana voluntas demonstretur. Quare supra, in notula historica de erroribus geminam Christi naturam oppugnantibus, Monothelismum ex Eutychianismo, tanquam ex arbore mala malum fructum educentes, ad praesentem locum brevia de hoc errore verba remisimus.

Praenotamen historicum de Monothelismo.

Haec haeresis a falso conciliationis spiritu ortum duxit. Sollicitus enim de componenda lite inter Catholicos et Monophysitas, Sergius, ab anno 610. Constantinopolitanus Patriarcha, unitatem in Christo somniavit veluti mediam inter

unitatem naturae et personae, scilicet virtutis operatricis, sive energiae, unde fautoris huius erroris *Monergetae* quoque audiunt.

Iam ante Persarum invasionem (ann. 619.) Sergius cum Monophysita Arsa de hac conciliationis formula tractaverat [1]; nec orthodoxus praesul Theodorus Pharanensis, erronee a Stephano episcopo Dorensi uti huius haereseos inductor habitus [2], ab eadem formula erat alienus, instigante quidem Sergio, vero eiusdem auctore [3]; qui et Heraclio hoc conciliationis medium callide suasit. Inde imperator duplicem in Christo operationem distingui vetuit. Quum autem Cyrus Phasensis, Sergii erroris particeps, post Ægyptum recuperatam, emortuo Georgio in Patriarcham Alexandrinum suffectus, vi symboli Monothelistici novem articulis compositi [4] anno 633. Theodosianos sive Severianos ibidem commorantes in communionem recepisset, novae haereseos partes crescere coeperunt. Cyrus novum errorem auctoritate fulciebat ps. Dionysii Areopagitæ, et in cuius scriptis occurrit formula *operationis theandricae* Christi. Quae quidem formula recte sapit, si mere influxum virtutis divinae in virtutem humanam Christi exprimit, aut principium divinum personale pervadens actiones facultatum humanarum [5]; est autem erronea, si intelligatur de absorptione virtutis humanae per virtutem divinam. Est quippe tunc nihil aliud, nisi mitigata formula Monophysitismi. Unde nil mirum, si Theodosiani in pacem cum Cyro recepti, veluti triumphantes exclamarint, Chalcedonense Concilium ad se venisse, non se ivisse ad illud. Et sane, uti laudatus Stephanus in Synodo Lateran. ann. 649. rectissime monuit, duplex virtus operativa in Christo est consequens geminae in eius perfectae naturae [6]. Rectissime pariter Sanctus Sophronius, perdoctus Palaestinensis monachus, cui Cyrus praedictos articulos sub-

[1] Cf. S. Maxim. Disp. c. Pyrrho. — *P. G.* t. XCI, col. 334.

[2] Harduin. Conc. III, 711.

[3] Ita Concil. oecum. VI. — Cf. Harduin. ibid. 1311.

[4] Art. 7. diserte singularem operationem Christi praedicabat vi unius virtutis theandricae μιᾷ θεανδρικῇ ἐνεργείᾳ (Hard. ibid. 1342.)

[5] Cf. dicenda fusius de hoc argumento in quaestione proxima.

[6] Hard. III, 715.

miserat, inter fletus eum cernuus deprecatus est, ne illos e cathedra proclamaret, quum Apollinaris haeresim manifeste saperent [1]. Cyrus e contra, periculum novae formulae non ignorans, imo confessus, salutem tot millium animarum interdum subtilitati terminologicae praemittendam esse, leviter reponebat [2]; oblitus sane verbi Scripturae: « Pax et non « erat pax », et sententiae Christi: « Veritas liberabit vos ». A Cyro uti mediator callide invocatus, Sergius, quem Sophronius, nesciens fraudis auctorem, candide adiit, novam quidem formulam non damnavit, suasit autem Cyro, ut, pace licet veritatis detrimento, obtenta, a nova formula temperaret. Sophronius autem, meliori zelo ductus, iam Hierosolymitanus Patriarcha (ann. 634.) electus, Synodum de nova damnanda haeresi coegit, synodalique epistola Monothelismum profligavit.

Iure sibi ab istis actis timens, si Romam prius pervenirent, Sergius Honorium Papam callide praeveniendum duxit, retibusque suis capiendum. Pericula proin descripsit duplicis in Christo praedicandae voluntatis, ac si contradictionis dualismus Christum divideret ; Pontificemque rogavit, ut ab huiusmodi locutionibus abstinendum praescriberet. Honorius, circumstantiarum ignarus, in sensu epistolae respondit. Quo mortuo, ita ut mentem suam ipse declarare non amplius posset, Heraclius, instigante, imo dictante Sergio, *Ekthesim* promulgavit, in qua interdicebatur, ne una vel duplex in Christo voluntas praedicaretur. Quae Ekthesis inde periculosior evasit, quod, Sophronio e vita functo successerat Monothelita Sergius Episcopus Ioppensis; dum Constantinopolitani Sergii successor Pyrrhus eidem errori nomen dabat.

Romani Pontifices Severinus et Ioannes IV. Ekthesim damnarunt; quumque Sergius de epistola sibi favente ab Honorio recepta gloriaretur, Ioannes ab abbate Ioanne, defuncti Honorii scriba, testimonium de orthodoxa doctrina eiusdem epistolae poposcit; simulque eruditus monachus et martyr S. Maximus, se eodem modo Pontificis scriptum intellexisse, testatus est.

Interim Pyrrhus, ob suspicionem complicitatis in caede

[1] Ep. ad Petr. — *P. G.* t. xci, col. 143.
[2] Ep. Serg. ad Hon. — Hard. iii, 1315.

iunioris imperatoris Constantini a sede pulsus, cum Maximo in Africa congressus, et ab eodem publica celebrata disputatione erroris apertissime convictus [1], una cum Maximo Romam petiit, ibidemque in manibus Theodori I. haeresim abiuravit. Quum autem Paulus in locum Pyrrhi suffectus, confirmationem a Romano Pontifice rogasset, Theodorus de cunctatione imperatoris [2], deque inertia novi Patriarchae per plurimarum Synodorum querelas certior factus [3], a Paulo fidei professionem expostulavit, symboloque Monothelistico excepto [4], Paulum de sede deposuit, simulque Pyrrhum in haeresim relapsum a Romana communione exclusit.

Auctore Paulo imperator Constantius II. novam formulam *Typi* nomine notam edidit, qua sub gravissimis poenis interdicebatur sermo de una vel duplici Christi voluntate. Post tot iam controversias motas, iniunctum silentium in favorem erroris contra veritatem cedere debebat; nec alia Paulum moverat spes. Martinus igitur nomine primus, Theodori successor, Lateranense Concilium convocavit celeberrimum, in quo tum Theodorus Pharanensis, Cyrus Alexandrinus, ac tres Constantinopolitani Patriarchae Sergius, Pyrrhus et Paulus, tum edicta Caesarum Ekthesis et Typus anathemate perculsa sunt. Acta huius Concilii cum encyclica epistola animosus Pontifex in omnes mundi partes mittenda curavit, nec omisit Imperatorem expressis litteris monitum fieri. Quam impio furore Constantius in Sanctum Pontificem, inque S. Maximum Constantinopolim tractos saevierit, non huius est loci enarrare.

Nec quidquam profuit tentamen quoddam alicuius presbyteri, mox Constantinopolitani Patriarchae, Petri nomine, triplicem voluntatem in Christo inducentis, personalem scilicet, veluti mediam inter divinam et humanam. Hybridam enim haereseos prolem strenue recusavit Pontifex Eugenius I.

Constantio Syracusis violenta morte intercepto, Constantinus Pogonatus mitiori animo in Romanam fidem actus, anno 678. Papam Donum rogavit, ut de lite Monothelistica

[1] *P. G.* t. XCI, col. 287.
[2] Hard. Theod. ad Paul. — *P. L.* t. LXXXVII, col. 75.
[3] Hard. III, 730, 734, 754.
[4] Paul. ad Theod. — Ibid. col. 91.

missis legatis colloquium cum Patriarchis Theodoro Constantinop. et Machario Antiocheno haberetur. Agatho, Doni successor, colloquio praeludit per Synodum Romae anno 680. habitam, quae, et cum ea Pontifex ipse, ad Imperatorem eiusque fratres Heraclium et Tiberium litteras dedit.

Missis igitur legatis Theodoro et Georgio presbyteris, et Ioanne diacono, eisdemque praesidibus, Concilium Constantinop. II, oecumenicum VI. (Nov. 680 - Sept. 681) celebratum est, in quo, post detectas multiplices fraudes Georgii Constantinopolitani, qui in fine Romanae fidei subscripsit, et Macharii Antiocheni, qui cum discipulo Stephano in errore pertinax mansit, anathemata a Concilio Lateranensi sub Martino I. instaurata sunt, adiuncta damnatione ipsius Honorii, ob modum quo diffundendae haeresi incaute profuerat [1].

Reiecit quoque idem Concilium, utpote Manichaeismo simul et Apollinarismo infectum, eiusdem sacerdotis Constantini Apamoensis, fingentis in Christo duplicem quidem energiam ob genuinam naturam, at unam tantum voluntatem Verbi, quum humanam voluntatem Christus in cruce una cum carne et sanguine deposuerit.

Acta Concil. oecumen. VI. successor Agathonis Leo II. probavit, doctrinamque ibidem sancitam Imperator bono animo suscepit atque defendit. Brevis at vehemens instauratio Monothelismi sub imperatore Philippico Bardanes, sub eius successore Anastasio II. in maiorem veritatis victoriam vertit.

Et haec de Monothelismi historia, pro praesenti scopo, satis [2]. Ad articuli argumentum redeamus.

1) Uti ex dictis patet, huius erroris fons non solum fuit negatio duplicis Christi naturae. Duo quippe alii assignantur. *a*) Haeresis *Apollinàris*, negantis in humana Christi natura illam partem quae voluntatis subiectum est [3]. *b*) Ipsa haeresis *Nestoriana,* licet primo intuitu Monothelismo maxime oppo-

[1] De hac condemnatione, deque agendi ratione papae Honorii dicemus in II. Corollario art. 1. Quaest. seq. apposito.

[2] Cf. Peters (Kirchenlexicon Hergenr. Kaulen t. VIII, 1799-1808) et historicos passim.

[3] Cf. modo dicta de iudicio Sophronii.

sita videatur. Et re quidem vera, quum unionem posuerit non in hypostasi, sed in affectu voluntatis, si duplicem voluntatem affirmaret, quomodo salvaret rationem unionis? Inde rursus adverte contradictiones errori fatali nexu affixas. Qui processit a nimia separatione humanae Christi naturae a principio subsistente Verbi, iam cogitur hanc naturam mutilare, ut eam sufficienti vinculo eidem Verbo copulatum praedicare possit. Veritas autem catholica, utramque naturam in persona Verbi coniungens, utrique tribuit quae sua sunt, quin unquam pro harmonica utriusque in eodem concordia timeat.

2) Quod ut clarius constet, et iam simul ordo sequentium articulorum praeoccupetur, en totam de numero voluntatum in Christo doctrinam schemate comprehensam.



3) Ex quibus iam constat, in Christo, sicuti quatuor scientias, ita, sed alio ex fonte, *quatuor esse voluntates:* divinam singularem; humanam triplicem: geminam in parte superiori, quae sunt: θέλησις et βούλησις; unam in parte inferiori: voluntatem sensualitatis. Dico: alio ex fonte; nam si utrimque habemus initium a scientia et voluntate divina, a parte trium aliarum scientiarum habemus ordinem beatitudinis supernaturalem, ordinem praeternaturalem ac naturalem; at a parte trium aliarum voluntatum, nonnisi triplicem respectum ordinis naturalis.

Has quatuor in Christo voluntates in sequentibus, brevitatis causa, designabimus hoc ipso ordine per litteras *a*), *b*), *c*), *d*).

4) Iam vero, ut ad primam quaestionem de humana et divina voluntate inquisitionem contrahamus, accipe quomodo

in *Sed contra est* III. Sent. Dist. XVII, q. 1, a. 1. S. Thomas catholicam de hoc argumento veritatem statuit: « Christus « assumpsit naturam nostram, ut eam curaret: quia quod « inassumptibile est, incurabile est, ut dicit Damascenus [1], « Sed voluntas nostra, per quam peccatum intraverat, ma- « xime curatione indigebat. Ergo ipsam assumpsit; ergo in « Christo est aliqua voluntas praeter voluntatem divinam. - « Praeterea, sicut se habet unitas voluntatis ad unitatem « naturae, ita se habet pluralitas ad pluralitatem. Sed in « tribus personis est una voluntas, quia est una natura. « Ergo et in Christo sunt plures voluntates, quia sunt plures « naturae, quamvis sit una persona ».

5) Porro voluntatem ad naturam pertinere uti necessarium S. Doctor in *Corpore* iuxta Damascenum quinque rationibus ostendit. *a*) Libere tendere in aliquid, id est, per voluntatem, proprium est naturae intellectualis. - *b*) Velle nullus addiscit. - *c*) In homine natura non ducit, sed ducitur. Quomodo? nisi libere per voluntatem. - *d*) Imago Dei in homine exigit voluntatem. - *e*) Voluntas in omnibus humanam naturam habentibus invenitur.

6) Proin voluntas in homine simul est *necessaria* et *non necessaria*. *Necessaria,* si respicitur ipsa *facultas* seu potentia necessario ex natura fluens. *Non necessaria,* si respectus habetur ad *actum,* non uti est in suo principio rationis, quod necessarium est sicut et naturale, sed uti est in electione per liberum arbitrium.

II. **Ad Textum.** - Ratio dubitandi de voluntate humana Christi est vel *a*) eius *inutilitas,* ratione divinae motionis; vel *b*) eius *absentia,* ratione sive α) naturae, ad quam voluntas non pertineret, sive β) personalitatis, quae humana in Christo deest.

1. et *2. Obiectiones* Procedunt secundum inutilitatem. Inde S. Th. occasionem sumit exponendi altissimam de voluntate sub motione divina doctrinam. Vide dicenda inferius.

3. et *4. Obiectiones* Procedunt secundum absentiam. 3) Confundit potentiam et exercitium eiusdem; 4) confundit ipsam

[1] L. 3. *De fide* c. 6.

facultatem, quae fundatur in natura, et motum determinatum eius, qui fundatur in hypostasi.

Sed contra est. Doctrina huius articuli fulcitur disertis verbis Scripturae, multiplici oraculo Ecclesiae, traditione Patrum ac ratione theologica. 1) Ex *Scriptura*, praeter testimonium hic adductum, cuius vis est omnino cogens, habes haec altera verba Christi: « Non quaero voluntatem meam, « sed voluntatem eius qui misit me » [1]; et: « Descendi de « caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed eius qui misit « me » [2]. Vis horum locorum est in hoc, quod voluntas Patris et voluntas Filii, uti Deus est, non sint nisi una voluntas. Si ergo in Christo est alia voluntas quam voluntas Patris, haec nequit esse nisi voluntas humana (v. n. 6).

2) *Ecclesiae auctoritas,* exorto Monothelitarum errore, saepius duarum in Christo voluntatum doctrinam sancivit. *a*) Concilium *Lateran.* sub Martino I, anno 649. habitum, sequentes canones tulit, qui redundantiam quamdam exhibent legifero stylo minus forte consonam, at in re praesenti prudentem.

Can. 10. « Si quis secundum sanctos Patres non confite- « tur proprie et secundum veritatem duas unius eiusdemque « Christi Dei nostri voluntates cohaerenter unitas, divinam « et humanam, ex hoc quod per utramque eius naturam « voluntarius naturaliter idem consistit nostrae salutis (ope- « rator), condemnatus sit ». - Can. 11. « Si quis secundum « sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veri- « tatem, duas unius eiusdemque Christi Dei nostri operatio- « nes cohaerenter unitas, divinam et humanam, ab eo quod « per utramque eius naturam operator naturaliter idem existit « nostrae salutis, condemnatus sit ». - Can. 12. « Si quis secun- « dum scelerosos haereticos unam Christi Dei nostri volun- « tatem confitetur et unam operationem, in peremptionem « sanctorum Patrum confessionis, et abnegationem eiusdem « Salvatoris nostri dispensationis, condemnatus sit ». - Can. 13. « Si quis secundum scelerosos haereticos in Christo Deo in « unitate substantialiter salvatis et a sanctis Patribus nostris « pie praedicatis duabus voluntatibus et duabus operationi-

[1] Ioann. v, 30.
[2] Ibid. vi, 38.

« bus, divina et humana, contra doctrinam Patrum, et unam « voluntatem atque unam operationem confitetur, condem- « natus sit ». - Can. 14. « Si quis secundum scelerosos haere- « ticos cum una voluntate et una operatione, quae ab hae- « reticis impie confitetur, et duas voluntates pariterque et « operationes, hoc est, divinam et humanam, quae in ipso « Christo Deo in unitate salvantur, et a sanctis Patribus « orthodoxe in ipso praedicantur, denegat et respuit, condem- « natus sit » [1].

b) *S. Agatho* Papa in epistola ad Imperatores declarat:

« Sicut duas naturas, sive subsistentias, id est deitatem « et humanitatem inconfuse, indivise, incommutabiliter eum « habere veraciter confitemur, ita quoque et duas naturales « voluntates et duas naturales operationes habere, utpote « perfectum Deum et perfectum hominem unum eumdemque « ipsum Dominum Iesum Christum pietatis nos regula instruit, « quia hoc nos apostolica et evangelica traditio, sanctorum- « que Patrum magisterium, quos sancta apostolica atque « catholica Ecclesia et venerabiles Synodi suscipiunt, insti- « tuisse monstratur » [2].

c) Concil. *Constantin.* III, oecum. VI. ita loquitur:

« Haec praesens sancta et universalis Synodus fideliter « suscipiens et expansis manibus amplectens suggestionem, « quae a sanctissimo ac beatissimo Agathone Papa antiquae « Romae facta est ad Constantinum piissimum atque fidelis- « simum nostrum Imperatorem.... duas naturales voluntates « in eo (Christo) et duas naturales operationes indivise, incon- « vertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum sancto- « rum Patrum doctrinam concorditer praedicat; et duas natu- « rales voluntates non contrarias, absit, iuxta quod impii « asseruerunt haeretici, sed sequentem humanam eius volun- « tatem, et non resistentem vel reluctantem, sed potius « subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati. Opor- « tebat enim carnis voluntatem moveri, subiici vero volun- « tati divinae, iuxta sapientissimum Athanasium. Sicut enim « eius caro, caro Dei Verbi dicitur et est, ita et naturalis car- « nis eius voluntas propria Dei Verbi dicitur et est, sicut

[1] DENZINGER (Op. cit. n. 211-215). Cf. duos sequentes canones mox afferendos.
[2] Ibid. n. 235.

« ipse ait: " Quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris, " suam propriam « dicens voluntatem, quae erat carnis eius. Quemadmodum « enim sanctissima eius caro deificata [1] non est perempta, sed « in proprio suo statu et ratione permansit, ita et humana « eius voluntas deificata, non est perempta, salvata est autem « magis secundum deiloquium Gregorium dicentem: Nam « illius velle, quod in Salvatore intelligitur, non est contrarium Deo, deificatum totum » [2].

Ex quibus collige medullam. 1) Sicut in Christo duplex natura, ita duplex voluntas; - 2) Sicuti duplex voluntas, ita duplex operatio; - 3) duae in Christo voluntates nunquam fuerunt inter se contrariae; - 4) ratio est quia voluntas carnis (ita vocatur voluntas humana, sine ulla ulteriori distinctione) sequebatur divinam, seu voluntatem Verbi; - 5) deificata proin fuit voluntas carnis, sicuti ipsa caro; quin tamen esse cessaret, sicut nec ipsa caro.

Adverte, in hoc 5) exhiberi totam doctrinam de voluntate humana Christi sub motione divina; in 3) vero detegi fraudes Sergii, quibus se decipi passus erat Honorius. Imo in hac declaratione tota doctrina huius, imo et sequentis Quaestionis continetur.

d) In *decreto pro Iacobitis,* inter decreta Conc. Florentini sub Eugenio IV, habetur haec declaratio: « Sacrosancta Ro« mana Ecclesia.... anathematizat etiam, exsecratur et dam« nat Macharium Antiochenum omnesque similia sapientes, « qui, licet vere de naturarum dualitate et personae unitate « sentiret, tamen circa Christi operationes enormiter aber« ravit dicens, in Christo utriusque naturae unam fuisse ope« rationem unamque voluntatem. Hos omnes cum haeresibus « suis anathematizat sacrosancta Romana Ecclesia, affir« mans in Christo duas esse voluntates duasque operatio« nes » [3].

e) Pariter *professio fidei* a Benedicto XIV. Orientalibus praescripta dicit: « Veneror... Constantinopolitanam tertiam, « sextam in ordine (Synodum), et profiteor, quod in ea contra

[1] Habes hic exemplum locutionis, cuius sensum legitimum superius ostendimus.
[2] Denzinger n. 238.
[3] Ibid. n. 601.

« Monothelitas definitum est, in uno eodemque Domino nostro « Iesu Christo duas esse naturales voluntates et duas natu- « rales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, « inconfuse, et humanam eius voluntatem non contrariam, « sed subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati » [1];

3) *Patrum* testimonia hic acervare, vix operae pretium est. Quomodo potuissent S. Agatho et Patres Concilii oecumen. VI. tam aperte ad Patrum traditionem appellare, nisi haec esset revera in confesso. Satis sit igitur hic afferre sequentia verba S. Leonis M. et S. Cyrilli, et remittere lectorem ad ea quae superius contra Monophysitas passim diximus, necnon quae in proxima Quaestione de operatione Christi dicemus. Principium sternit S. Leo: « Agit utraque « forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo « scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod « carnis est; unum horum coruscat miraculis, aliud succum- « bit iniuriis » [2]. Et S. Cyrillus: « Non unam dabimus esse « naturalem operationem Dei et opificii, ne quod creatum est, « ad divinam essentiam sublevemus, aut eminentiam naturae « divinae in ordinem creaturarum deprimamus; quorum enim « operatio et virtus indiscriminatim una est, eis speciei quo- « que unitatem constare necesse est » [3]. Caeterum hanc Patrum traditionem eloquenter testantur ipsa acta Concilii oecum. VI, ex quibus apparet testimonia Patrum in favorem erroris Monothelistici a Georgio et Machario allata, spuria vel fraudulenter deturpata esse reperta, dum omnes sententias ab Agathone aliisque adductas ipse Georgius, collatis codicibus in imperiali tabulario servatis, genuinas inde haeresim ipse deponens, declaravit. Praecipuas autem difficultates contra hanc Patrum traditionem moveri solitas in decursu huius Quaestionis, necnon et Quaestionis sequentis dissolvemus.

4) *Ratio theologica* abundantissime idem evincit. *a*) Christus habet perfectam naturam humanam; ergo habet et humanam voluntatem [4]. - *b*) « Natura nulla est operationis expers »,

[1] DENZINGER, op. cit., n. 873.

[2] *Ep. ad Flavian.* (DENZINGER, op. cit. n. 133).

[3] *Thesaur.* t. v. — Cf. Harduin. Concil. VI. Act. III, p. 1230.

[4] Huc faciunt omnia testimonia Conciliorum et Patrum perfectam in Christo natu-

ait Damascenus [1]; ergo vel Christus ut homo nihil volens egit, vel per opera voluntatis humanae egit. - *c*) Demonstratum est supra, Verbum assumpsisse animam intellectualem; atqui anima intellectualis sine humana voluntate esset monstrum vix concepibile [2]. - *d*) Nisi Christus habeat humanam voluntatem, operationes eius ita tribuendae sunt divinae voluntati, ut communes sint tum Patri ac Filio, quum una sit virtus divinae voluntatis; qui est error Theopaschitarum et Patripassianorum. Cf. de hoc argumento doctrinam S. Agathonis in proxima Quaestione afferendam.

In Corpore. S. Thomas duo facit: 1) ordine historico exponit errores circa duplicem Christi voluntatem; 2) Veram doctrinam statuit.

En schema argumenti:

A) *Errores* enumerantur: *Unam* Christi voluntatem docuerunt:
1) *Apollinaris,* quia negavit animam intellectualem;
2) *Eutyches,* quia compositam docuit unam naturam;
3) *Nestorius,* quia Christum affectu dicit cum Deo unum;
4) *Macharius,* aliique, ne contrarias ponerent voluntates, et motum divinum in Christo negarent.

B) *Veritas* catholica statuitur *duplicis* in Christo voluntatis:
1) argumento *extrinseco:* affertur *Concilium* VI. appellans ad
a) prophetias,
b) verba Domini,
c) Patrum dicta.
2) argumento *intrinseco:*
a) voluntas *humana* ad naturam assumptam spectat;
b) voluntas *divina* in assumente mansit.

Resp ad 1m. Conceditur factum motionis, negatur consequens, quippe quod pro quavis humana voluntate valeret; quum nulla sit quae non a Deo moveatur. Adverte hic axioma, in quo fundamentum est genuinae doctrinae thomisticae de motu divino in voluntatem humanam: « *Licet enim voluntas,* etc. ».

Resp. ad 2m. Praecedens difficultas ordine congruo valet pro quavis voluntate humana; haec peculiaris est de Chri-

ram humanam vindicantia, v. gr. Concil. Chalced.; confess. Tarasii in Conc. oecum. VII; can. 9. Concil. Lateran. sub Martino I; S. Athan. de adv. Chr.; S. Cyrilli de rect. fid. ad Reginas; etc. etc. (Cf. Stentrup op. cit., th. x).

[1] L. III, c. 13.

[2] Inde Sophronius iure Monothelismum vocabat instauratum Apollinarismum.

sto, ratione singularis habitudinis instrumentalis humanae naturae Christi ad Deum.

Adverte, gradationem a S. Th. non compleri; habetur enim gradus quartus.

Motu *corporali* movetur instrumentum inanimatum;
» *instinctivo* » » animatum vita sensitiva;
» *libero* » » rationale; sed hoc dupliciter:
a) *extrinsece* ab alia creatura, *b*) *intrinsece* a *Creatore*.

Resp. ad 3m. - En schemate hanc responsionem contractam et expressam:

Voluntas est naturalis:
- A) ut *potentia:* ex *necessitate* sequitur naturam;
- B) ut *motus*
  - 1) *naturalis:* sequitur necessario naturam;
  - 2) *rationalis:*
    - *a*) *naturalis,* necessarius in principio,
    - *b*) *liber* in exercitio.

Resp. ad 4m. - Paucis ita: *Esse* voluntatis in natura simpliciter fundatur; modus autem activitatis ipsius habet fundamentum in natura prout in hypostasi determinata.

ARTICULUS II.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT ALIQUA VOLUNTAS SENSUALITATIS PRAETER VOLUNTATEM RATIONIS.

I. De ipsa Quaestione. - Quum voluntas humana Christi sequatur necessario assumptam humanam naturam, si in humana natura perfecta voluntas plures respectus habet, iidem in Christi voluntate praedicandi erunt, remotis tamen infirmitatibus dignitati Christi detrahentibus.

2) Isti autem respectus vel sunt inter partem superiorem et inferiorem animae; vel in ipsa parte superiori animae reperiuntur. De priori respectu in hoc articulo, de altero in sequenti, iuxta ordinem, quem S. Th. sequitur etiam in triplici quaestiuncula articuli III. Sent. modo citati [1].

3) Ut autem in Christo probetur adesse voluntas sensualitatis praeter voluntatem rationis, duo demonstrari oportet: *a*) praeter rationem in humana Christi natura fuisse appe-

[1] Dist. XVII, q. 1, a. 1.

titum sensibilem; *b*) appetitum hunc sensibilem habuisse correspondentem sibi voluntatem, sicuti suam habet ratio.

a) Iam vero in primo nulla difficultas. Dicit enim Philosophus: « Sicut trigonum in tetragono, et tetragonum in pen-« tagono, sic nutritivum in sensitivo, *et sensitivum in intel-« lectivo* » [1].

b) Sed quomodo voluntas vocabitur id, quod mero instinctui respondere videtur? Fatendum est, voluntatem *essentialiter* dictam esse unam, scilicet rationis. Nihilominus quatenus motus appetitus sensitivi moderamini rationis paret, potest *per participationem* et ipse appetitus sensitivus, vel vocari sensualitas voluntas. Inde quo perfectior est volens, eo magis sensualitas in eo de voluntate habet.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat dicta in 3) *b*).

2. Obi. Praetermittit exposita in fine 1.

3. Obi. Procedit secundum voluntatem *essentialiter* dictam.

Sed contra est. Completur hic interpretatio locorum in praecedenti articulo allatorum. Ibi pluralitatem voluntatum ostendebant; hic insuper in Christo voluntatem sensualitatis demonstrant; saltem locus Luc. XXII, quum ostendat voluntatem in nexu cum tristitia. Iam vero tristitia fuit in parte sensitiva, ut vidimus. Ergo.

In Corpore S. Th. duo agit, quae supra **n.** 3. indicavimus.

Resp. ad 3^m. Collige ex hoc responso, voluntatem humanam Christi posse praedicari simplicem vel duplicem, secundum quod intelligitur voluntas essentialiter, vel etiam participative dicta.

ARTICULUS III.

UTRUM IN CHRISTO FUERINT DUAE VOLUNTATES, QUANTUM AD RATIONEM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Aliud est quaerere, utrum voluntas, quantum ad rationem, habeat actus diversae speciei; aliud, utrum ideo dicendae sint plures voluntates, id est plures potentiae. In casu praesenti prius est concedendum, alterum negandum.

[1] 2 De Anim. text. 30 et 31.

2) Etenim, sicut *modus* tendendi in obiectum determinat species *actuum;* ita ipsum *obiectum* determinat *facultatem.* Quum igitur voluntas, quantum ad rationem, intendat bonum uti obiectum; quidquid cadit sub ratione boni, ad eam spectat. Iam vero bonum, sive intendatur uti finis, sive uti medium in finem, semper est bonum. Ergo utrumque ad eamdem facultatem spectat. Atqui quod intendit bonum ut finem, est voluntas ut natura; quod intendit bonum ut medium, est voluntas ut ratio. Ergo utraque voluntas, etsi habet actus diversae speciei, est tamen facultas una.

II. **Ad Textum.** - *1. et 2. Obi.* Confundunt actus diversae speciei cum diversis potentiis.

3. Obi. Voluntas ut pietatis, hoc modo intellecta procedit ex tali charitatis affectu, qui faciat malum alienum naturali impetu considerare uti suum; vel nihil aliud dicit quam naturalem bonum affectum, quem quisque habet erga proprium bonum.

Sed contra est. Quum solutio quaestionis innitatur veritati singularis naturae humanae Christi, huc spectant loci Scripturae, quibus haec singularitas probatur, v. gr.: « Ver- « bum *caro* factum est »; « Habitu inventus ut *homo* »; « *Homo* Christus Iesus ».

In Corpore. S. Thomas facit quatuor. 1) Distinguit inter voluntatem facultatem seu potentiam, et voluntatem-actum. - 2) Ratione duplicis modi tendendi in obiectum, distinguit in voluntate-actu: *a*) voluntatem ut est natura (simplicem, θέλησιν), et *b*) voluntatem ut est ratio (consiliativam, βούλησιν). - 3) Demonstrat utramque, ratione unius communis obiecti, unius esse potentiae. - 4) Applicat hanc doctrinam philosophicam ad humanam voluntatem Christi.

Adverte ex hoc articulo, in enumeratione quatuor voluntatum Christi, non eodem modo se habere θέλησιν et βούλησιν, ac voluntatem sensualitatis. Haec ultima est potentia, inferior, participative tantum ad voluntatem spectans; illae sunt actus, superioris voluntatis essentialiter dictae. Habet tamen et ipsa voluntas sensualitatis actus suos; sed isti non subdividuntur, quum fundamentum huiusmodi subdivisionis desit.

ARTICULUS IV.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT LIBERUM ARBITRIUM.

I **De ipsa Quaestione.** - Hucusque de *numero* voluntatum in Christo; nunc de *exercitio* voluntatis simpliciter dictae.

1) Si quaeras, quid intersit inter actum θελήσεως, ac βουλήσεως, respondetur, duo intervenire: *a*) rationem, ostendentem in mediis relationem ad finem; *b*) liberum arbitrium, eligens inter media, quod sibi magis placet. Quare, ponere in Christo θέλησιν ac βούλησιν, est etiam ponere in eo liberum arbitrium, sine quo, secundum leges humanae naturae, dato contingenti obiecto, actus βουλήσεως concipi nequit.

2) Hic autem adverte, liberi arbitrii, sicuti et passionum et sensualitatis, id solum in Christo esse ponendum, quod perfectionis est; removendum e contra quidquid imperfectionem sapit. Iam vero in hominibus exercitium liberi arbitrii ita passim procedit: Positis diversis mediis in finem conducere valentibus, *a*) mens dubitat, quid sit melius; - *b*) consilium de meliori faciendo apud se sumit; - *c*) quod consuluerit ratio, eligit, si tamen recte eligat; - *d*) nam et potest melius non eligere, imo praeferre malum bono, ac ita peccare. Quomodo autem *d*) influat in *b*) et *c*), non huius est loci investigare.

3) Porro ex his quatuor, non est nisi unum, tertium scilicet quod perfectionem directe exprimat. Ergo a libero arbitrio Christi removenda *haesitatio, consilium, possibilitas declinandi in malum;* praedicanda autem facultas ex mediis diversis in finem medium determinatum *libere eligendi*, in quo unice liberi arbitrii essentia residet [1].

4) Cave tamen, ne eodem gradu *a*) *b*) et *d*) a libero arbitrio Christi removenda putes. Quartum enim a nullo theologo de Christo non impie sentiente in eius voluntate admittitur. Firmissime enim tenendum est, Christum non solum non peccasse, sed nec peccare ullatenus potuisse. Qui autem in anima Christi viatoris, incaute quidem, at citra naufra-

[1] Cf. tractatum nostrum *De Deo uno*, t. II, pag. 242.

gium fidei, aliquam ignorantiam admittunt, aliquid etiam haesitationis et consilii in eo admittere possunt, imo quasi debent.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Falso considerat *a*) tanquam de essentia liberi arbitrii.

2. Obi. Eodem modo errat circa *b*).

3. Obi. Pariter decipitur circa *d*).

Sed contra est. Huc rursus spectant auctoritates Scripturisticae et ecclesiasticae, quibus ostenditur, Hominem Iesum nobis fuisse in omnibus simillimum, absque peccato. Ergo in ipso fuit liberum arbitrium, sed sine morali debilitate.

Praeter locum a S. Th. hic citatum, habes haec verba Domini: « Non vos me elegistis, *sed ego elegi vos* » [1]. - Indirecte quoque ostendi potest ex miraculo in nuptiis Canae patrato. Primo videbatur Iesus portentum non operari velle, quippe matri dixerat: « Nondum venit hora mea » [2]. Postea vero, instantiae maternae veluti cedens, eiusdem postulationi annuit. Idem dic de pluribus aliis factis in Iesu vita occurrentibus.

In Corpore. Paucis: In Christo fuit voluntas ut ratio; voluntas autem ut ratio procedit per electionem, electio autem est actus liberi arbitrii; ergo in Christo fuit liberum arbitrium.

Resp. Ex responsionibus habes, eo magis hominem esse liberum, quo perfectiori modo eligit, id est, quo minus cum dubitatione, consilio, possibilitate moraliter deflectendi. Quare expeditius erat liberum arbitrium Adae ante lapsum, et futurum est in vita beata. Facultatem peccandi nullatenus pertinere ad perfectionem liberi arbitrii, brevissime declarat S. Augustinus his verbis: « Sic oportebat prius hominem « fieri, ut et bene velle posset et male; nec gratis, si bene; « nec impune, si male: postea vero sic erit, ut male velle « non possit. Nec ideo libero carebit arbitrio. Multo quippe « liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire « peccato » [3]. Unde de Christi libero arbitrio idem S. Doctor

[1] Ioann. xv, 16.

[2] Ioann. ii, 4.

[3] *Enchir.* c. 105. — *P. L.* t. xl, col. 251.

hoc egregium dixit: « Nonne de Spiritu Sancto et Virgine « Maria Dei Filius unicus natus est, non carnis cupidine, sed « singulari Dei munere? Numquid metuendum fuit, ne acce- « dente aetate homo ille libero peccaret arbitrio? Aut ideo in « illo non libera voluntas erat? ac non tanto magis erat, « quanto magis peccato servire non poterat? » [1]. De quo argumento pulcherrime tractat Encyclica Leonis XIII. « *Libertas praestantissimum* ».

Cf. addenda de hoc argumento in proxima appendice de Christi impeccabilitate.

ARTICULUS V.

UTRUM VOLUNTAS HUMANA CHRISTI FUERIT OMNINO CONFORMIS DIVINAE VOLUNTATI IN VOLITO.

De ipsa Quaestione. - Superest investigare de concordia inter utramque Christi voluntatem. Haec autem quaestio duplex est: *a*) Utrum volitum fuerit semper idem; et si non, *b*) utrum unquam ex diverso volito orta sit contrarietas. De primo hic; de altero in articulo sequenti. Quae tanti momenti quaestio est, ut haeresi Monothelisticae ortum dederit, et ratio sit, cur S. Th. de gemina Christi voluntate potius agit hoc loco, quam in Q. V. ubi, postquam demonstravit, Christum assumpsisse humanum intellectum, tam in promptu fuisset concludere idem de humana voluntate.

2) Quum in Christo demonstraverimus esse voluntatem sensualitatis, ac rationis ut ratio et ut natura, quaerere, utrum voluntas humana et divina in Christo semper fuerint conformes in volito, idem est ac quaerere, utrum divina voluntas de Christo talia semper voluerit, quae humanae voluntati secundum unum ex his tribus aspectibus consonabant.

3) Iam vero constat, divinam voluntatem voluisse passionem et mortem Christi. Quid circa has volitiones debuit velle voluntas Christi humana? En quaestio; quae ita solvitur. *a*) Et primo quidem liquet, voluntatem sensualitatis ab

[1] *De praed. SS.* c. XV. — *P. L.* t. XLIV, col. 982.

his refugere debuisse; - *b*) nec minus voluntatem rationis consideratam per modum naturae; - *c*) sed voluntas rationis considerata per modum rationis conformavit se in omnibus voluntati divinae, utpote tanquam media ad finem ea amplectens, a quibus in seipsis consideratis refugiebat voluntas ut natura.

4) Porro sedulo perpende influxum huius tertiae voluntatis in duas primas.

In *b*): nam voluntas ut natura habet semper aliquid conditionalis, quod per voluntatem ut rationem corrigitur vel in absolutum transit. Unde a S. Th. vocatur quoque velleitas.

In *a*): nam, sicuti Christus passionem libere admisit, ita quasi correxit et ad superiorem voluntatem attraxit, in quantum huius erat capax, ipsam voluntatem sensualitatis. En tota ratio ac vis orationis a Christo in agonia Gethsemani prolatae, quemadmodum loco suo fusius exponemus [1].

II. **Ad Textum.** - *1. et 2. Obi.* Non attendunt, praeter voluntatem rationalem, aliam duplicem in Christo fuisse, voluntatem ut naturam, et voluntatem sensualitatis.

3. Obi. Non considerat in Christo coniunctionem utriusque status comprehensoris et viatoris.

Sed contra est. Vides ex hoc unico loco Lucae XXII. tria probari: 1) numerum voluntatum humanae et divinae (a. 1), 2) existentiam voluntatis sensualitatis (a. 2), 3) diversitatem volitorum (a. 5). - Huc facit quoque locus Pauli: « Christus « non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Improperia impro- « perantium tibi, ceciderunt super me » [2]. Ubi prima verba totum continent: et diversitatem volitorum, et triumphum voluntatis rationalis [3].

In Corpore. Paucis ita: Voluntas Dei fuit ut Christus pateretur et moreretur. - Atqui a passione et a morte refugiunt voluntas sensualitatis et rationalis ut natura; non autem voluntas ut ratio in illo, qui Deo subditur. - Ergo.

[1] Q. XLVI.

[2] ROM. XV, 3; PS. LXVIII, 10.

[3] Cf. dicenda in *Sed ctr. est* art. seq.; pariter in art. 1. Quaest. seq., necnon et in appendice utrique adiuncta.

In resp. Adverte: nedum lucta inter voluntatem inferiorem et superiorem obsit perfectioni charitatis, ex opposito magnitudo charitatis in arduis quibusque superandis maxime sese manifestat, dummodo a voluntate uti ratione omnis haesitatio vel languor expellatur. Inde de se ipso Christus dixit: « Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam » suam ponat quis pro amicis suis » [1].

Plura de hoc argumento dicemus in appendice adnexa art. 1. Quaestionis sequentis, in qua de operatione *theandrica* Christi erit agendum.

ARTICULUS VI.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT CONTRARIETAS VOLUNTATIS.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Si quaecumque diversitas in volitis sufficeret ad contrarietatem inducendam, iam actum esset, et superflua fieret praesens quaestio. Sed non ita est. Diversitas enim per se non facit contrarietatem. Oportet ut insuper adsit oppositio in eodem et secundum idem. *a*) *In eodem:* quid contrariatur caecitas unius visivae facultati alterius? - *b*) Insuper *quoad idem:* quid in eodem manuum pulchritudini per pedum deformitatem detrahitur?

2) Quaestio proin nostra est haec: fuitne talis diversitas volitorum in Christo, ut de obiecto eodem eadem voluntate voluerit et noluerit? Quum ex quatuor voluntatibus Christi convenerint ex una parte, ratione volitorum, *a*) voluntas divina et *b*) rationalis uti ratio; et ex altera parte *c*) voluntas sensualitatis et *d*) rationalis ut natura; quaeritur, utrum geminae in geminas ita influxerint, ut oppositionem in eodem induxerint.

3) Iam vero duplex influxus dari potest: α) alius *repudiationis,* directe oppugnans motum alicuius voluntatis; β) alius *retardationis,* impediens saltem plenam huius motus expeditionem.

4) His positis, iam patet solutio. *a'*) Voluntatibus *a*) et *b*) non contrariebantur in Christo voluntates *c*) et *d*). Non α)

[1] Ioann. xv, 13.

contrarietate *repudiationis,* quia *c*) est ut finis, non ut medii; *d*) non attingit usque *b*). - Neque β) contrarietate *retardationis,* propter perfectionem *a*) et *b*).

b') Ex opposito voluntatibus *c*) et *d*) non contrariebantur voluntates *a*) et *b*). Etenim ambae voluerunt, *c*) et *d*) agere, quae erant naturae; imo in his idipsum augeri, unde passio oriretur maior. Quare ex hac parte nedum retardatio, aderat liberrima potentissimaque stimulatio.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad modum, quo ipsum non volitum in voluntatibus *a*) et *b*) volebatur voluntatibus *c*) et *d*)

2. Obi. Verba « *Spiritus promptus est, caro infirma* » possunt applicari ad Christum et ad Apostolos. Ad Christum unice ad significandam diversitatem volitorum in *b*) et in *c*) et *d*); ad Apostolos insuper, ad significandam contrarietatem retardationis propter influxum *c*) et *d*) in *b*).

3. Obi. Confundit agoniam ex trepidatione in ratione cum agonia ex tristitia et timore in concupiscibili.

Sed contra est. Quum contrariari voluntati divinae sit peccatum, huc faciunt omnia loca quibus supra monstravimus, Christum sine ullo peccato fuisse. Quod autem specialissime Christus in angustiis maximis fuerit immaculatus, probat Apostolus appellans Iesum: « tentatum per omnia « pro similitudine absque peccato » [1]. Etenim voluntate rationis voluntatem Patris plene amplectebatur, dicens de seipso: « Pater non reliquit me solum; quia ego, quae placita sunt « ei, facio semper » [2].

Proin hic damnatur pessima illa blasphemia alicuius apostatae Praemonstratensis (apud Gabrielem Prateolum) satanice delirantis: Christum, quia in cruce desperaverit, damnatum fuisse. - Indirecte quoque convellitur impietas Calvini asserentis, aliud velle legem Dei, aliud Dei voluntatem, eaque sibi invicem contrariari. - Confutantur quoque illi Protestantes, qui cum Calvino [3], ex agonia Christi in horto argumentum sumebant ad confirmandum, in Christo debilitatem in intel-

[1] Hebr. iv, 15.
[2] Ioann. viii, 29.
[3] In cap. xxvi. Matth.

lectu et in ipsa voluntate adfuisse. - Cf. complenda in proxima appendice.

Doctrinam praesentis articuli Ecclesia diserte sancivit, praesertim in Conc. Lateran. sub Martino I, cuius canon. 16. ita sonat: « Si quis secundum scelerosos haereticos in per- « emptione salvatis in Christo Deo essentialiter in unitione, « et a sanctis Patribus pie praedicatis duabus voluntatibus « et duabus operationibus, hoc est, divina et humana, dis- « sentiones et divisiones insipienter mysterio dispensationis « eius innectit, et propterea evangelicas et apostolicas de « eodem Salvatore voces non uni eidemque personae et « essentialiter tribuit eidem ipsi Domino et Deo nostro Iesu « Christo secundum beatum Cyrillum, ut ostendatur Deus « esse et homo idem naturaliter, condemnatus sit » [1]. Necnon in Concilio oecumenico VI, et in aliis Synodis, quorum acta in art. 1. huius Quaestionis attulimus.

In Corpore. Argumentum *Corporis* sequenti schemate continetur:



Collige ex tota hac doctrina, quam pulchre conspirent cum supra dictis de passionibus animae Christi, ea quae in praesenti Quaestione vidimus de humana Christi voluntate. Etenim,

[1] Op. cit., n. 217.

quemadmodum ibi vidimus, tristitiam afficere directe appetitum sensitivum, et non ascendere ad partem superiorem animae, nisi prout est natura et non ratio; ita hic voluntas sensualitatis ascendit ad ipsam voluntatem essentialiter dictam, non tamen uti est ratio, sed uti est natura. Imo ex hac intima connexione cum voluntate ut natura, habet ut participative possit vocari voluntas.

Corollarium. Ex intimo nexu inter theoriam de veris Christi passionibus et de variis respectibus humanae Christi voluntatis, mirum non est, si scriptores qui deficiunt in priori, in altero quoque citra plenam veritatem manent. Quare idem hic iudicium ferendum est de sententiis quibusdam, v. gr., S. Hilarii, ubi orationem Domini in horto agonizantis ad suam de Christi passibilitate doctrinam nimis deflectit [1].

Doctrina S. Bonaventurae.

I. *De numero in Christo voluntatum.* Seraphicus Doctor, iuxta Damascenum et Hugonem sequentem scalam statuit.

Voluntates in Christo sunt,	secundum A) *naturas,*	2:	*a*) divina, *b*) humana;
	B) *potentias,*	3:	*a*) divina, *b*) rationalis creata, *c*) sensitiva;
	C) *modos volendi,*	4:	*a*) divinitatis, sententiam edens, *b*) rationis, obediens veritati, *c*) pietatis, alieno malo compatiens, *d*) carnis, de propria passione dolens.

Ubi vides discrimen inter Seraphicum et Angelicum versari circa modum quo hic distinguit duas voluntates in parte superiori voluntatis humanae, et ille, hanc distinctionem tacens, aliam inducit voluntatis pietatis.

II. *De concordia voluntatum* en compendiose quomodo disserit. Duo concurrunt ad concordiam voluntatum: con-

[1] *De Trin.* l. x. n. 37. — *P. L.* t. x, col. 372.

formitas in volito, conformitas in ratione volendi. Haec altera de essentia est. Unde quum in Christo unaquaeque istarum quatuor voluntatum obiectum suum amplexa sit iuxta convenientiam suam propriam, et superior voluntas voluerit inferiorem velle quod volebat; sequitur, in Christo fuisse conformitatem in voluntatibus. « Unaquaeque voluntas quod « suum erat operabatur, et quod ad se pertinebat sequebatur. « Voluntas divina iustitiam, voluntas rationalis obedientiam, « voluntas humanitatis misericordiam, voluntas carnis natu- « ram; neque altera alteri contraria erat. Sicut enim deitatis « intererat iustitiam non deserere, sic carnis erat naturam « servare, et pietatis alienam miseriam non amare.... Et sic « patet quod, licet diversa essent volita, voluntates tamen « in Christo habuerunt consonantiam » [1].

APPENDIX.

De Christi impeccabilitate.

Vidimus in initio Quaest. XV, Christum fuisse a peccato undequaque immunem. Iam penitius investiganda est non tantum haec immunitas quoad factum, sed et quoad radicem; quaerendo scilicet 1) de ipsis titulis huius impeccabilitatis, et 2) de eiusdem relatione ad liberum Christi arbitrium; - 3) demum praecipuas quasdam de hoc argumento falsas sententias abigemus.

1) Triplex fuit in Christo causa impeccabilitatis.

a) *Unio personalis* Verbi cum humana natura, ex qua maxima oritur sanctitas. Atqui sanctitas in ente libero exprimitur per conformitatem divinae voluntati; haec autem conformitas excludit ipso facto peccatum. Unde vel deficit in Christo axioma: actiones esse personarum, vel Christus etiam ut homo impeccabilis est.

b) *Ratio instrumentalis.* Voluntas quippe Christi efficacissime a divina voluntate movebatur. Inde oriebatur in Christo conformitas maxima inter voluntatem humanam et divinam. Non quidem ex praevisione agendorum sub tali,

[1] III. Sent. Dist. XVII, a. 1, q. 3.

talive motione, uti Suarezius explicat [1]; sed ex ipsa intrinseca motionis divinae efficacia. Nam haec motio intelligenda est, iuxta illud quod habet S. Thom. art. 1. resp. ad 1. Quare minus placet, tanquam omnino deficiens, quod scribit de hoc Cl. P. Billot, vocans has motiones divinas « efficaces, « non ab intrinseco,... sed quae per scientiam conditionato- « rum [2] tales praenoscuntur » [3]. Unde deficientis systematis veluti fatum rursus apparet. Illi ne intrinsece efficacem gratiam admittere cogantur, quippe quam existimant destructivam humanae libertatis, eam in ipso Christo negare coguntur, et negant. Nos e contra, a Christo exemplar desumimus et argumentum, tum ad intrinsecam gratiae efficaciam adstruendam, tum ad gratuitae praedestinationis mysterium illustrandum. Influxum hunc divinae motionis in humanam Christi voluntatem proclamat egregie Concil. oecumen. VI. [4].

c) Status comprehensoris. Sicuti uniuscuiusque beati voluntas irrevocabiliter ac necessario fertur in summum bonum, quod in se intuetur; ita maxime Christi voluntas comprehensoris Deo eiusque placitis in ipsa eius essentia cognitis invincibiliter adhaerebat.

Ex tribus his rationibus impeccantiae Christi, prima est fundamentalis, secunda executiva, tertia completiva. Quare, si displicent theologi qui, uti Cl. Schell [5], hanc tertiam infirmant, quia impugnant eius radicem, id est, statum comprehensoris in Christo viatore, ita non placent ex toto qui huic tertiae nimis insistunt, ac si esset princeps, quod existimo

[1] Agnoscit nihilominus Suarezius, has motiones in Christo habuisse aliquid peculiare, quatenus a principio maxime intrinseco, scilicet personali, ob unionem hypostaticam cum Verbo, procedebant. Et sane, si omnis motio gratiae, quatenus a Deo est, intrinseca est, quia Deus, utpote Conditor, nequit considerari tanquam agens externus, haec ratio in Christo habebat insuper, ut intrinseca esset, radicem principii personalis.

[2] Quid de hac scientia conditionatorum ex ipsis horum theologorum principiis sentiamus, in tractatu *de Deo Uno* fuse exposuimus, t. I, p. 43, sqq.

[3] Op. cit., p. 275. Ex his iam vides, quid censeamus de th. XXVIII. huius clarissimi theologi. Quoad modum, quo a Suarezio in ultima parte recedit, probamus; quoad modum, quo cum Suarezio in secunda parte stat, eam a plenitudine argumenti deficere putamus.

[4] Cf. art. 1.

[5] Op. cit., p. 157, sq.

falsum prorsus. Quare plaudimus Petavio [1], Suarezio [2], card. Franzelin [3], Scheeben [4], Stentrup [5], Hurter [6], Einig [7], etc., qui huic primae rationi maxime insistunt, in quo laudandus est pariter Cl. Schell, qui vim huius rationis nervoso stylo vindicat [8].

Unde mirum non est, si Patres in vindicanda Christi ἀναμαρτησία, passim ad primam rationem appellant, imo interdum eam talibus verbis urgent, ut incaute legens, quasi unicam dumtaxat ab eis in Christo operationem praedicari crederet. Sed penitius inspectae istae sententiae humanam operationem etiam agnoscunt, sed sub dominante et sanctissime regente motione divina [9]; unde Patres eo modo loquuntur, qui primam et secundam rationem complectatur simul. Praeclare S. Augustinus: « Ut autem mediator Dei et hominum homo « Christus Iesus non faceret propriam, quae Deo adversa est, « voluntatem, non erat tantum homo, sed Deus et homo: per « quam mirabilem singularemque gratiam humana in illo « sine peccato ullo posset esse natura. Propter hoc ergo « ait: " Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, « sed voluntatem eius, qui me misit " [10]: ut ea causa esset « tantae obedientiae, quae omnino sine ullo peccato esset, « hominis quem gerebat, quia de caelo descenderat: hoc est, « non tantum homo, verum etiam Deus erat » [11]. Et alibi commendat « gratiam Dei, qua homo, nullis praecedentibus « meritis, in ipso exordio naturae suae, quo esse coepit, « Verbo Dei copularetur in tantam personae unitatem, ut

[1] Op. cit., l, xi, c. 10.

[2] Disp. xxxv, sect. 2.

[3] Op. cit., th. xliii.

[4] Op. cit., l. v, p. 186, sqq.

[5] Op. cit., th. lxxiv.

[6] Op. cit. tract. vii, p. 436.

[7] *Instit. theol. dogm.* — Tract. de Verb. incarn. p. 86. Brevissima sententia Cl. auctor totum comprehendit. « Ratio huius impeccabilitatis, tum ex plenitudine « gratiae creatae et ex visione beatifica repetenda est, tum maxime ex unione « hypostatica ».

[8] Loc. cit., p. 155.

[9] Cf. dicenda Quaest. seq.

[10] Ioann. vi, 38. — Vide apud Rupertum interpretationem similem verborum Christi: « Non possum a meipso facere quidquam » (Ioann. v.). — (*De volunt. Dei*, c. xi.).

[11] *Ctr. serm. Arian.* c. 7. — *P. L.* t. xvii, col. 688.

« idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis, et filius « hominis qui filius Dei: ac sic in naturae humanae suscep- « tione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, « quae nullum peccatum possit admittere » [1]. Quibus in verbis quantus sit splendor doctrinae, nemo non videt. Eadem expressione utens S. Maximus Aquileiensis dicit: « Naturaliter « a peccato alienum et interemptorem eius Dominum » [2].

Virtuti instrumentali magis insistunt sequentia verba S. Epiphanii: « Deus Verbum e caelo a Patre progressus « cum in carne degere suapte voluntate constituisset, corpus « suum velut freno quodam moderabatur; et pro voluntate « sua continere ipsum ab omni carnis ordinatione poterat, « atque ubi libitum erat, libere ferri permittebat ad corpo- « reas dumtaxat eiusmodi necessitates, quae conformes essent « rectae rationi et ipsius divinitati congruerent » [3]. Et diser- tissime S. Cyrillus idem proclamat: « Verbum ipsum carne « sua propria tanquam organo utebatur ».

Nec tacenda est hic eloquentissima comparatio ab Ori- gene adhibita, quae veluti tres simul rationes complectitur. « Ferri metallum capax est frigoris et caloris. Si ergo massa « aliqua ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris, « omnibusque venis ignem recipiens, et tota ignis effecta, « si neque ignis ab ea cesset aliquando, neque ipsa ab igne « separetur, nunquam dicemus hanc, quae naturae quidem « ferri massa est, in igne positam, et indesinenter ardentem, « posse frigus aliquando recipere: quia immo, quod verius « est, magis eam sicut in fornacibus saepe fieri oculis « deprehendimus, totam ignem effectam dicimus, quoniam « nec aliud in ea, nisi ignis cernitur: sed et si quis contingere « aut tractare tentaverit, non ferri sed ignis vim sentiet. « Hoc ergo modo etiam illa anima, quae quasi ferrum in « igne sic semper in Verbo, semper in sapientia, semper in « Deo posita est, omne quod agit, quod sentit, quod intel- « ligit, Deus est; et ideo nec convertibilis et mutabilis dici « potest, quae inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate « indesinenter ignita possedit. Ad omnes denique sanctos

[1] *Enchirid.* c. 40. — *P. L.* t. XL, col. 252.
[2] Cf. act. Lateran. syn. sub Martino I.
[3] *Ancor.* 79. — *P. G.* t. XLIII, col. 165.

« calor aliquis Verbi Dei putandus est pervenisse: in hac « autem anima ipse ignis divinus substantialiter requievisse « credendus est, ex quo ad caeteros calor aliquis venerit » [1].

Qui plura Patrum testimonia de hoc argumento quaerit, adeat praesertim Petavium [2], Suarezium [3] et Vasquezium [4].

Ultima verba modo ab Origene desumpta insinuant nobis discrimen magnum idque duplex, quod inter primam et tertiam rationem impeccantiae Christi interest, quodque egregie illustrat Scheeben [5]. 1) Prima ratio habet de substantiali, quia in substantiali unione humanae naturae cum Verbo radicatur [6]; altera habet de accidentali, quin tamen ideo superflua habenda sit, quum sit e contra connaturale prioris instrumentum. - 2) Ratio desumpta a gratia consummata est genere Christo communis cum omnibus beatis, licet gradu longe excellentior; gratia ab unione hypostatica petita, est Christo prorsus singularis. Iure ergo optimo eam uti principem tenemus atque vindicamus [7].

2) His positis, quid iam de libero arbitrio Christi?

Quum liberum arbitrium per electionem sese exerceat, sitque vel *contradictionis,* seu electio inter agere et non agere, vel *specificationis,* seu electio inter hoc et hoc bonum; vel *contrarietatis,* seu electio inter bonum et malum; principium generale statui potest: eatenus liberum arbitrium se extendit in Christo, quatenus electio.

Inde sequitur *primo:* liberum arbitrium Christi non se extendit ad bonum vel malum. Erat quippe voluntas Christi « determinata ad bonum », ut loquitur S. Thomas (a. 4. ad 3.[m]). - *Secundo:* liberum arbitrium Christi se extendit ad omnia bona, quae non erant ipsi a voluntate divina imperata. - *Tertio:* quoad sibi a voluntate divina imperata, licet Christus

[1] *De princip.* II, 6. — *P. G.* t. XI, col. 213, sq. Et transit ad pulcherrimam comparationem ex unguento desumptam; de qua comparatione iam diximus in dissertatione Quaest. XVII. apposita.

[2] Op. cit., l. XI, c. 10.

[3] Loc. cit.

[4] Disp. LXI, c. 3.

[5] Op. cit., p. 188, sq.

[6] Inde sanctitas Christi hominis vere substantialis dicenda est. (Cf. Petav op. cit. l. XI, c. 7, sqq.).

[7] Cf. de hoc argumento Atzberger (*Die Unsündlichkeit Christi* - Monachii 1883).

necessario egerit quoad rei substantiam, fuit tamen liber quoad *modum,* id est, quoad circumstantias et imo quoad ipsam promptitudinem et intensitatem volitionis rei. - *Quarto:* Inde potest unum et idem simul esse extra et intra liberum arbitrium. Extra, quatenus alicui impeccabili, comprehensoris titulo, aliquid imperatur; intra, quatenus hoc idem tota voluntatis promptitudine implet, ac si imperatum non fuisset, ultra quod imperatum fuit, et gradu charitatis, de quo nullum erat imperium.

Obiicitur. Si *bonum* et *malum* non cadit sub liberum arbitrium Christi, quatenus erat eius voluntas « determinata « ad bonum »; cur S. Thomas, ad probandam existentiam liberi arbitrii in Christo, provocat ad locum Isaiae: « ut sciat « reprobare malum et eligere bonum? »

Resp. Difficultas esset, si Isaias dixisset: « ut sciat eli- « gere inter bonum et malum ». Nunc autem quum electio cadat solum in bonum, sufficit adiungere cum S. Thoma, voluntatem Christi non fuisse determinatam ad hoc vel illud bonum; ergo erat ipsi locus eligendi ex scientia inter bona.

Sed esto, Prophetam intelligere electionem inter bonum et malum. Tunc respondemus, locum forte esse minus ad rem; non ideo tamen ex hoc loco infici doctrinam modo traditam de determinatione voluntatis Christi in bonum. Etenim aliud est, quod radicitus facultas aliqua in aliquod obiectum se extendat; aliud, quod, propter donum superadditum, exercitium alicuius facultatis modificetur. Ita in casu voluntatis ut rationis est eligere inter fini inservientia et adversantia; proin ipsius est eligere inter bonum et malum. Si autem aliunde determinetur in bonum, non ideo dicenda est ei deficere radicalis facultas, non quidem ita ut possit eligere malum, in quo non est nisi deficientia facultatis, sed ut possit eligere bonum reiecto malo, in quo absolute loquendo perfectio est.

Concludamus hanc appendicis partem per verba schematis propositi patribus Concilii Vaticani: « At vero (Chri- « stus) carni et sanguini participans cum infirmitate natu- « rae culpae maculam nequaquam suscepit, et licet vero « libero arbitrio praeditus, non solum non peccavit, sed nec « peccare potuit. Qui neque passionibus animae aut carnis

« concupiscentiis molestatus (est, neque) a malis paulatim « sese separavit (Conc. oecum. V. can. 12.) verum in puris- « simae Virginis utero de Spiritu Sancto sanctus conceptus « et natus est » [1].

3) Ex doctrina modo exposita de Christi impeccantia et de eius libero arbitrio patet, quid censendum sit de quibusdam audacioribus opinionibus, imo impietatibus circa hoc argumentum decursu saeculorum emissis.

a) Et primo quidem omnino reiicienda est sententia *Durandi* affirmantis, nullam in hoc dari absolutam repugnantiam, quod Deus, ob communicationem idiomatum, peccare dicatur. Aut enim peccati notio in hac sententia destruitur, aut sane aliquid praedicatur Deo prorsus indignum. Verum est, multa in alio homine peccata esse, quae in Homine-Deo peccata non forent, per hoc ipsum quod ea agat: scilicet quaecumque, in quibus unica ratio moralitatis sita est in conformitate cum voluntate Dei libera et positiva. At dantur et alia, quae intrinsecam et necessariam relationem habent ad fundamentalia principia moralitatis. Iam vero circa huiusmodi in Homine-Deo possibilitatem deficientiae admittere, absonum nobis videtur et pietatis offensivum. Recte igitur dixit Tertullianus: « Solus Deus sine peccato, « et solus homo sine peccato Christus, quia et *Deus Chri-* « *stus* » [2].

b) Respuenda quoque est doctrina *Theodori Mopsuesteni*, qui in Christo non solum admittebat fomitem concupiscentiae, sed veluti progressivam a malo seclusionem, ac ita in bono confirmationem. Quare optimo iure contra hunc haereticum Ecclesia canonem sequentem statuit: « Si quis defendit « Theodorum impiissimum Mopsuestenum, qui dixit, alium « esse Deum et alium Christum, et passionibus animae et con- « cupiscentiis carnis molestatum, et a malis paullatim sepa- « rantem se, et ita in promotione operum melioratum, et ex « vitae conversatione incontaminatum constitutum, tanquam « purum hominem baptizari... etc., A. S. » [3].

[1] *Coll. Lac.* VII, 560.

[2] *De an.* 41. — *P. L.* t. II, col. 764.

[3] Conc. oecum V. *De trib. cap.* can. 12. (DENZINGER, op. cit., n. 183).

Recole dicta superius, ubi de fomite peccati actum est. Quî enim Christus a fomite contagiem duxisset, ab ipso fomite immunis? Unde S. Augustinus breviter ac strenue dixit: « Quisquis credit carnem Christi contra spiritum con- « cupisse, anathema sit » [1]. Continet enim in se concupiscentia carnis, praeter relationem suam ad originalem culpam, inordinationem quamdam intrinsecam, quae Hominem-Deum omnino dedecet [2].

c) Offendit graviter sanctitatem Christi eiusque impeccantiam *Giintherus*, iuxta quem Christus eatenus tantum impeccabilis fuit, quatenus Deus praevidit, eum de facto non peccaturum; intrinsece autem, propter arbitrii libertatem, ait, Christum debuisse per tentationem probari, ac potuisse tentationi cedere, haud secus ac primum Adamum [3]. Quae doctrina tantopere a veritate aberrat, ut tentatio in Christo non potuerit esse nisi extrinseca [4].

d) Maxime in Christi ἀναμαρτησίαν peccant, qui, nedum teneant in Christo peccati impossibilitatem, *factum* peccati in eo dari blasphemant. Praeter impios, de quibus in *Sed contra est* iam diximus, corripiendi sunt hic moderniores illi, qui non verentur Christum de variis culpis insimulare. Alii de immodestia sermonis eum reprehendunt, propter verba ad Petrum: « Vade post me, Satana! » [5] et ob modum quo venditores profanatoresque de templo eiecit. Quasi zelus missionis a Deo acceptae, ac ipsius domus Dei, non magna potius esset virtus. - Alii ipsi improperant electionem Iudae in Apostolum. At, ut optime reponit Cl. Schell [6], aut Christus erat Deus, et tunc est supra huiusmodi querelam; aut Deus non erat, et tunc potuit simpliciter errasse. Caeterum ipse Christus confessus est, se ex divino consilio Apostolos, uti a Patre acceptos, elegisse [7]. Inde noctem in oratione peregit, antequam eos ad se vocaret, utique « quos voluit ipse » [8];

[1] *Op. imp. ctr. Iul.* IV, 47.
[2] Vid. dicenda de hoc argumento in tractatu de primi hominis elevatione.
[3] *Propaedeut.* II, p. 255, 441, sq. - *Auror. austr. et bor.* p. 236, sq.
[4] Cf. dicta p. 528.
[5] MATTH. XVI, 23.
[6] Op. cit., p. 152.
[7] IOANN. XVII, 12; XVIII, 9.
[8] MARC. III, 13.

at quos Patrem velle cognoverat [1]. - Alii reprehendunt in Christo nimium contemptum mundi, unde doctrinam eius utpote inimicam humanae progressionis (Verzicht auf Kulturarbeit). Quasi altior progressio perfectione morum dari posset; quasi ipsa coenobia ex despectu mundi condita, non fuerint per longa saecula, et etiamdum, - quidquid in contrarium vocitent cuiusvis linguae nationisve *Kulturkämpfer,* - propugnacula cultus veri, eruditionis sanctuaria artisque officinae iugiter exstent. - Nec desunt in hoc rerum ordine fatui aeque ac impii, uti Schleiermacher et Hase, qui Christo in peccatum vertant, quod non duxerit uxorem! Ad quos sane non temerarium sit applicare verbum: « Animalis homo « non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei » [2]. - Quid mirum porro, si huiusmodi critici Christum reprehendant ob insistentiam qua propriam ipse dignitatem vindicavit, ita ut ipsi parentes eius in furorem eum conversum putarent? [3] Sane, si Christus se praedicans esse Dei Filium, non fuit revera nisi homo, uti sui putabant fidei rebelles, vel furor eius fuit pessimus, vel impietas summa [4]. At si, quod habet veritas, Christus est simul homo et Deus, quae praedicatio fuit sanctius opportune, importune urgenda, quam illud dogma fidei nostrae princeps, pro quo Christus martyr in cruce occubuit? Num forte Deo ipsi in peccatum vertent isti, quod de se colendo primum tulerit maximumque praeceptum? - Qua Christi dignitate posita, cedant oportet, quae carnis et sanguinis sunt, ubi sonat vox superne vocantis. Dura naturae sint verba: « Sine ut mortui sepeliant mortuos suos »; sed legitima redduntur per ista: « Tu autem vade, et annuntia « regnum Dei ». Perfectus quippe Christi zelus cor divisum non patitur: « Nemo mittens manum suam ad aratrum, et « respiciens retro, aptus est regno Dei » [5]. - Quod si quaedam Christi miracula minus digna incredulis videantur, uti illius arefactio ficus ante ficorum tempus nonnisi folia gestantis [6],

[1] Luc. VI, 12.

[2] I. Cor. II, 14.

[3] Marc. III, 21.

[4] Cf. dicenda in Quaestione XXV. de Christi adoratione.

[5] Luc. IX, 60, sqq.

[6] Marc. XI, 13; Matth. XXI, 18. Ex utroque Evangelista factum componere oportet.

aut immissio daemonis in gregem porcorum [1]; sciant illi, miserum esse ac stultum, in tot mirabilia operante, in tot infirmos curante, imo mortuos in vitam revocante, non laudare et adorare tam beneficam omnipotentiam, ac inde quoque ea facta venerari, quorum ratio forte minus appareat. Nec tamen in his mysterium ex toto latere dicendum est. Ficus illa typum populi iudaici gerebat, foliis gloriantis, fructum autem non ferentis; permissio data « legioni » ut porcos invaderet eosque perderet, imago est tyrannidis impurae atque lethalis, quam daemon in victimas suas ex iusta Dei permisssione exercet.

Et haec de istis protervis querelis satis, imo nimis [2]. Concludamus, cuncta Christi gesta fuisse sanctissima. Unde quemadmodum de creationis operibus Scriptura testatur [3]: « Et erant valde bona », confiteamur de Christo cum turbis illis admiratione captis: « Bene omnia fecit! » [4].

Corollarium I. - Licet Christi impeccabilitas non diserte in Scripturis declaretur, tam absoluta sunt verba quae omne peccatum a Christo excludunt, ut et impossibilitatem peccandi continere dicenda sint. Imo, ob primam rationem ἀναμαρτησίας supra expositam, unionem scilicet substantialem cum Verbo, haec impeccantia iure dici potest comprehensa in verbis Archangeli ad Virginem: « Quod nascetur « ex te *Sanctum*, vocabitur Filius Dei ». Imo verba Christi de se: « Quem Pater *sanctificavit* et misit in mundum, vos « dicitis: Quia blasphemas: quia dixi: Filius Dei sum? » [5]. Quin et ipsum nomen *Christi* hoc significare, ex analysi huius tituli superius vidimus.

Corollarium II. - Licet Christus peccare nullo modo potuerit, non ideo minus laudanda est eius perfecta sanctitas; e contra, eo magis debet extolli, quo sublimius Dei sanctitatem participat. Pulcherrime S. Anselmus: « Quoniam Deus

[1] MARC. V.

[2] Qui argumentum cupit levitatis, quacum moderna impietas de Christo scribit, legat, v. gr. blasphemum opusculum comitis de Renesse, *Iésus-Christ, ses apôtres et ses disciples au* XIX. *siècle*.

[3] GEN. I, 31.

[4] MARC. VII, 37.

[5] IOANN. X, 36.

« perfecte habet a se quidquid habet, ille maxime laudandus « est de bonis, quae habet et servat, sine ulla necessitate; « sed sicut supra dixi, propria et aeterna immutabilitate. Sic « ergo homo ille, qui idem ipse Deus erit, quoniam omne « bonum, quod ipse habebit, a se habebit, non necessitate, « sed libertate, et a seipso iustus, et idcirco laudandus erit. « Quamvis enim humana natura a divina habeat quod habe- « bit, idem tamen ipse a seipso (quoniam duae naturae una « persona erunt) habebit » [1].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum Filius Dei assumpserit humanam naturam perfectam, voluntas autem sequatur naturam, certissime in Christo tenenda est *duplex voluntas, divina* altera, altera *humana* (a. 1). - Hinc autem in Christo propter integritatem naturae, quae in omnibus hominibus rationalem et sensitivam partem habet, praeter voluntatem *rationalem,* simpliciter seu *essentialiter dictam*, fuit et voluntas *participata*, seu *sensualitatis* (a. 2). - Imo in ipsa voluntate rationali propter modum duplicem tendendi in bonum, uti in finem, et uti in medium ad finem, distinguenda est θέλησις (voluntas *ut natura*) et βούλησις (voluntas *ut ratio*); *una* tamen est potentia (a. 3).

Porro, quum voluntas ut ratio sese exerceat per electionem, electio autem sit actus liberi arbitrii, in Christi voluntate ponendum est *liberum arbitrium* (a. 4)

2) Si iam consideramus obiecta in quae hae voluntates, sive naturali motu, sive libera electione feruntur: circa passionem et mortem *diversa voluerunt* ex una parte Deus et voluntas ut ratio, ex altera parte voluntas ut natura et voluntas sensualitatis (a. 5); *quin* tamen ex hac diversitate orta sit *contrarietas*, quum oppositio non fuerit in eadem voluntate circa idem (a. 6).

[1] *Cur Deus homo*, l. II, c. X. — *P. L.* t. CLVIII, col. 409, sq. Ibi paulo superius hanc auream habet sententiam: « Improprie dicitur necessitas, ubi nec coactio ulla « est, nec prohibitio ».

3) DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM CHRISTI *QUANTUM AD OPERATIONEM.*

QUAESTIO XIX.

Ordo Quaestionis hoc schemate exhibetur:

Quaeritur:
- 1) de *numero* operationum:
  - *a*) secundum duplicem naturam (a. 1);
  - *b*) in ipsa natura humana (a. 2).
- 2) de *merito* in operatione:
  - *a*) de merito Christi sibimetipsi (a. 3);
  - *b*) » » nobis (a. 4).

ARTICULUS I.

UTRUM IN CHRISTO SIT UNA TANTUM OPERATIO DIVINITATIS ET HUMANITATIS.

De ipsa Quaestione. – 1) Duplicem in Christo dari operationem, sicuti duplicem voluntatem, post solemnes definitiones Conciliorum, maxime oecumenici VI. apud nullum catholicum in dubio esse potest. Utrumque enim in his declarationibus immediate connectitur [1]. Ratio est, quia operatio non minus quam voluntas, sequitur naturam.

2) Proin, sicut in *Corpore* praesentis articuli optime notat S. Thomas, illi soli possunt duplicem Christi operationem logice negare, qui negant vel *a*) duplicem in eo fuisse naturam, vel *b*) humanam naturam fuisse in eo integram; scilicet, ex una parte Monophysitae, ex altera Apollinaristae.

3) De facto tamen, praeter illos, circa operationem Christi illi quoque erraverunt, qui ex male intellecta actione voluntatis humanae sub motione divina, hanc unice voluntatem, et per consequens unicam quoque operationem in Christo agnoverunt; scilicet Monothelitae, inde decepti, non quod integram humanam naturam non agnoverint, sed quod operationem divinam in operationem humanam tantopere domi-

[1] Cf. art. 1. Quaest. praeced.

natricem esse putaverint, ut hanc illa veluti absorptam sustulerit.

Ut ergo error istorum detegatur, attentius considerare oportet, quomodo in ordine ad operationem humana se habuerit Christi natura. Quod ut clarius fiat, penitior instituenda est analysis modi, quo Verbum incarnatum operatur.

4) Actiones sunt simul personarum et naturarum. Quum ergo in Christo sit duplex natura et una persona, omnes operationes Christi sunt illius, qui simul est Deus et Homo, dummodo formaliter sint Dei-Hominis, hoc est, dummodo in ipsis adsit communicatio naturarum [1]. Istae operationes vocantur, a graeco, *theandricae, deiviriles* (flandrice: god-menschelijk).

5) Haec autem communicatio latius patet a parte naturae divinae, quam a parte naturae humanae. Etenim multae sunt actiones Verbi, quibus humana natura non participat: v. gr., creare novas animas; nulla autem est actio humanae naturae, cui non participet natura divina; et quidem duplici gradu: *a*) quatenus natura divina identificatur cum principio subsistente: v. gr., in ambulatione Christi; *b*) quatenus movet instrumentaliter naturam humanam, v. gr., in resurrectione mortui per physicum contactum producta. Hae operationes proprius theandricae sunt.

6) Ex his sequitur, in Verbo operationes esse duplicis generis: alias, quibus Pater et Spiritus Sanctus communicant, et hae non sunt theandricae; alias, quibus non communicant, et hae sunt theandricae. Istae autem rursus distinguuntur in theandricas formaliter (*b*), uti resuscitare mortuum per contactum; et theandricas materialiter (*a*), uti deambulare [2]. - Nihilominus, quatenus Incarnatio est donum supremum Dei, mediate dici possunt ipsae personae Patris et Spiritus Sancti omnibus theandricis Christi operibus participare.

7) Sed quomodo intelligenda est illa motio operationis divinae in humanam naturam, stante vera operatione humana? Hic recolenda sunt principia circa operationem moti sub

[1] Noli confundere hanc communicationem cum communicatione idiomatum de qua in Quaest. XVI. egimus. Illa fundatur unice in singularitate personae. Haec insuper in influxu geminae naturae in invicem.

[2] In operibus formaliter theandricis ponitur divina natura in recto (god-menschelijk), in aliis potius in obliquo (mensch-goddelijk).

actione motoris. Generalia principia statuantur duo, quibus bene intellectis, tota quaestio iam absque labore solvitur.

a) Tot sunt operationes, quot sunt formae diversae operantes. - *b*) In moto, praeter operationem ex ipsa forma moti, ab operatione motoris non distinguitur illud, quod est ex forma motoris. V. gr., ut utar exemplo a S. Thoma in hoc *Corpore* allato: artifex securim applicat ligno, ut scamnum conficiat. Iuxta primum principium, habeo duplicem operationem, quia duplicem formam agentem: artem artificis, ferrum securis. Iuxta alterum principium, praeter secare, quod formae securis est, producere scamnum non est in securi aliquid distinctum ab ipsa operatione artificis.

8) Quid iam de operibus theandricis, formaliter quidem, nam de his praecipue quaeritur, quum in his solum occurrat compenetratio utriusque virtutis divinae et humanae? Quum humana natura sit forma integra (contra Apollinarem), perfecte distincta a natura divina (contra Eutychen), sequitur ex primo principio, duas esse in Christo operationes. - Quum autem virtus resuscitandi mortuum sit ex forma divina, ab illa operatione non distinguitur illud quod, in ordine ad prodigium exsequendum, ad modum instrumenti confert natura humana.

Quae omnia lucidissime exprimuntur aurea sententia S. Thomae e *Corpore* medio deprompta: « Motum participat « operationem moventis, et movens utitur operatione moti, « et sic utrumque agit cum communicatione alterius ».

9) Ex dictis collige, quam sapienter Patres Concilii oecumen. VI. duplicem operationem in Christo asseruerint ex hoc, quod per assumptionem natura humana non sit consumpta. Manente proin integra forma propria moti, oportet ut propria eius operatio sub ipsa motione maneat.

10) Quum autem communicatio inter subordinatos debeat et ipsa servare subordinationem in opere, id quod est divinae virtutis, dicendum est potius, quam id quod est humanae; utraque tamen in ipso communi opere proprium suum servante.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Supponit, vocem *theandricum* inductam esse ad significandam unam operationem per-

mixtam; dum e contra inducta est ad exprimendum duplicem respectum in actione unius suppositi, propter duplicem naturam agentem utramque, quod suum est.

2. Obi. Non distinguit in instrumento τὸ formale instrumenti, et τὸ materiale in ordine ad instrumentalem actionem assumptum.

3. Obi. Non attendit, operationem simul sequi hypostasim et naturam: hypostasim, ut principium *quod,* conferens unitatem et dignitatem; naturam, ut principium *quo,* specificans opus.

4. Obi. Eodem vitio laborat, unde solvitur per praemissa.

5. Obi. Non attendit, plures formas posse unico operi concurrere. Unde non solvitur operis unitas ratione communicationis inter agentem principalem et agentes secundarios, sive instrumentales; sed servata unitate actionis communis, unicuique quod est propriae formae, tribuitur.

Sed contra est. Confutantur hic Macharius Antiochenus et Sergius Constantinopolitanus, quorum prior affirmabat, in Christo non esse nisi unam operationem, divinam; alter concedebat duas ante unionem, sed unam ex unione. Verbo, confutantur hic quotquot quovis modo Monothelismo nomen dederunt.

Quare huc directe facit can. 15. Conc. Later. in quo abusus ἐνεργείας θεανδρικῆς expresse damnatur: « Si quis secun-
« dum scelerosos haereticos deivirilem operationem, quod
« Graeci dicunt θεανδρικήν, unam operationem insipienter
« suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundum
« sanctos Patres, hoc est divinam et humanam, aut ipsam
« deivirilis, quae posita est, novam vocabuli dictionem unius
« esse designativam, sed non utriusque mirificae et gloriosae
« unitionis demonstrativam, condemnatus sit » [1].

Ex *Patribus* satis sit pauca afferre testimonia in quibus omnia praesentis doctrinae momenta perpenduntur. 1) Duplicem operationem sicuti et voluntatem in uno Christo S. Damascenus his verbis describit: « Sicut ipsius naturas inter se
« unitas seque invicem pervadentes agnoscimus, nec tamen
« propterea distinctionem earum inficiamur, sed eas et nu-

[1] Denzinger (op. cit., n. 216).

« meramus et indivisas agnoscimus, sic et voluntatum et « actionum tum coniunctionem cognoscimus, tum distinctio- « nem agnoscimus et numeramus, et divisionem non induci- « mus, etc. » [1]. - 2) Communicationem utriusque operationis idem praedicat: « Non divisas operationes dicimus, aut divi- « sim operantes naturas, sed unite utramque cum alterius « communione, quae propriae ipsi sunt, operantem » [2]. Et S. Leo M.: « Exprimit quidem sub distinctis actionibus veri- « tatem suam utraque natura, sed neutra se ab alterius con- « nexione disiungit » [3]. - 3) In hac actione communi, quae ideo non solum fit ἀνθρωπίνως, sed θεανδρικώς, distinguendum est, quod uniuscuiusque naturae est: « In sermone, qui ore « profertur, ait S. Maximus cum Pyrrho disputans, videmus « tum sensum, qui sermoni inest, tum sensui subiectum ser- « monem, eorumque inter se ex toto circumimmeationem; « ac neque cum horum distinctione, personarum distinctio « infertur, neque cum summa unione confusio. Quidnam vero « quis dicat de ignito gladio, qui non minus quam naturas, « earum quoque naturales conservat operationes, adustionem « et sectionem, easque per omnia et simul ostendit? Nam « nec adustio a sectione est soluta per sectionem, neque « ab adustione sectio, neque vel propter duplicem naturalem « operationem duos gladios inducunt, neque propter singu- « larem ignitum gladium substantivae differentiae mistionem « et confusionem invehunt » [4]. - 4) Ita tamen utraque natura operatur, ut τὸ ἡγεμονικὸν sit solum Verbum. « Nos vero, ait ibidem idem Maximus, « sicut in omnibus, ita et in hac « quoque re, sanctos Patres sequentes, dicimus, quod ipse « universorum Deus, sine sui mutatione homo factus, non « solum ut Deus idem consentanea suae divinitati voluerit, « sed etiam ut homo idem suae humanitati apta ». - 5) Quare humanitas Christi est ipsius Verbi instrumentum et quidem permanenter coniunctum: « Ad operandum impulsos per Chri- « stum in Spiritu sanctos dicimus, utpote alios ab ipso. At « non sic eodem modo Iesum a Verbo in Spiritu motum

[1] *De orth. fid.* l. III, c. 15. — *P. G.* t. XCIV, col. 1052.
[2] Ibid. c. 19. — *P. G.* t. XCIV, col. 1080.
[3] Serm. 54. De pass. Dom., 3. — *P. L.* t. LIV, col. 319.
[4] *P. G.* t. XCI, col. 337, sq.

« esse intelligimus, quasi alius sit a nato ex Deo Unigenito « Filius. - Unus et solus Christus Iesus per suum corpus « operatus est divina signa; non autem impulsum ipsum, ut « sanctos accepisse credimus: impium enim hoc esset et « valde absonum ». Ita S. Cyrillus Alexandrinus [1]. - 6) Haec autem veluti formae geminae compenetratio instrumentalis non ad omnes sese actiones extendit, sed ad eas solum quae opus salvificum respiciunt. Optime Rusticus Diaconus: « Anima compatitur corpori, Deus autem Verbum nequa- « quam, anima nullatenus foris a corpore suo habet opera- « tionis principium, Deus autem Verbum et in humanitate « existens, in caelo ubique consuetas operationes implevit, « licet quasdam et inaestimabiles etiam per corpus. Quid « enim differebat ad operationes eius quae sunt ab initio, « utrum non haberet, an haberet humanitatem, dum per « humanitatem non plueret, non tonaret, non astra moveret, « et si, licet simpliciter dicere, non amplius per eam sit ope- « ratus, nisi sola, quae noviter propter nostram sunt facta « salvationem, pro qua et inhumanatus est? » [2]. Quae verba continent refutationem tum Theopaschitarum, de quibus in Quaest. XLVI. dicemus, tum Ubiquistarum, de quibus in fine Quaest. XVII. egimus.

In Corpore. En schemate doctrinam huius *Corporis* expressam:

[1] *Apol. ctr. Theodoret.*

[2] *Disp. ctr. Aceph.* — *P. L.* t. LXVII, col. 1191. — Plura Patrum testimonia lege apud Stentrup, qui de hoc argumento pulchram thesim confecit (op. cit. th. LI). Minus autem intelligo, cur de duplici operatione ἀνδρικῇ Christi loquatur prius quam geminam in eo demonstraverit esse voluntatem (th. LII). Et sane potest intelligi, quod aliquis tenens in Christo duplicem voluntatem divinam et humanam, neget nihilominus duplicem operationem, quia non satis attendit ad duplicem formam, quae uni actioni materiali concurrit. At praedicari duplicem operationem, quin constet de duplici forma in operante, vix concipitur. — Lege et Petavium eruditissime de more hoc argumentum perscrutantem (op. cit. l. VIII, c. 10).

I. **Ex falso intellecta comparatione falsum deducitur:**	1) *comparatio:*	ubi sunt agentia ordinata, v. gr., in composito humano, operatione una habentur plura operata, v. gr., movere manus et pedes;
	2) *applicatio:*	divinum regit humanum in Christo, sicut anima corpus: ergo una est operatio.
II. **Ex rite intellecta comparatione veritas statuitur:**	1) *comparatio:*	in moto duplex est actio: alia moventis, alia ipsius forma moti; v. gr., in securi mota ab artifice, facere scamnum et secare lignum;
	2) *applicatio:*	ergo in natura humana Christi sub actione divina, datur id quod est motoris, et id quod est formae moti; ergo operatio est duplex.
III. **Corroboratur doctrina stabilita:**	1) *intrinsece* per errores ex opposito fluentes:	*a*) per negationem integritatis naturae humanae Chr. (Apoll.); *b*) per negationem duplicis naturae Chr. (Eut.).
	2) *extrinsece:*	per auctoritatem Conc. oecum. VI.

Adverte, in textu Severi in prima parte allato, distinctionem inter actiones Verbi, quibus humana natura non participat, et illas quibus participat, iuxta dicta superius n. 5, et in *Sed contra est* n. 6.

APPENDIX I.

Corollaria quaedam magni momenti fluunt ex doctrina huius articuli, collata cum doctrina hucusque exposita, et praesertim duo: 1) de περιχωρήσει in mysterio Incarnationis, 2) de dignitate vivifica carnis Christi; quibus 3) addemus nonnulla circa difficiliores quasdam Patrum sententias.

1) De περιχωρήσει in Incarnationis mysterio.

Quid sit περιχώρησις, in tractatu de SS. Trinitate fuse exposuimus [1], ubi eam, iuxta S. Thomae doctrinam, descripsimus tanquam admirabile consequens aequalitatis personarum divi-

[1] *De Deo Trino*, p. 784, sqq.

narum in una eademque natura, quatenus qui unum sunt singuli vitali identitate cum communi essentiali vita, nequeunt non invicem etiam vitaliter circumpenetrare [1].

Aliquid simile, licet ex opposita ratione, occurrit in mysterio Incarnationis. Quemadmodum enim in SS. Trinitate tres personae sunt in una essentia; ita in Verbo incarnato duae naturae sunt in una persona. Quare περιχώρησις iure a Patribus de utroque mysterio praedicatur. Porro sicuti in Trinitatis περιχωρήσει initium sumitur a tranquilla, ut ita dicam, eiusdem naturae possessione, ac veluti culmen suum attingit per vitalem activitatem eiusdem possessionis; ita in Incarnationis mysterio περιχωρήσεως fundamentum est unio hypostatica, seu potentissima illa attractio per quam natura humana Christi ingreditur in substantiale connubium divinitatis; plenitudo autem eius consistit in actuosa permeantia per operationem deivirilem.

Substantialem περιχώρησιν S. Damascenus his verbis describit: « Ex quo Deus Verbum caro factus est, similis nobis « per omnia factus, excepto peccato; ac sine confusione cum « eo, quod nostrum erat, temperatus est; et citra mutatio- « nem carnem deificavit, per mutuam in se invicem divini- « tatis ipsius et carnis commeationem confusionis expertem: « ex eo revera sanctificati sumus » [2]. Hanc carnis deificatio-

[1] Liceat hic per transennam breviter respondere animadversioni cuidam Cl. Baltus (*Revue Bénédictine*, ann. 1901, p. 239). Incohaerentiam expositionis meae, inter nimias sane laudes, amice corripiens, ait: « Je ne saisis pas comment mon éminent « confrère peut concilier ces deux passages. D'une part, l'on trouve (p. 784) ». « Hic « ordo et conceptus nobis magis placet: περιχώρησιν scilicet potius esse aequalitatis « consequens, quam e converso ». — D'autre part, on lit: « Hoc triplici gradu per- « ficitur conceptus περιχωρήσεως. Primo gradui quo exprimitur in unoquoque tran- « quilla possessio unius naturae, et per consequens eam tam plene cohabentium, ut « cum ipsa idem sint, respondet vocabulum *circuminsessio* ». Si la perichorèse est « avant tout la possession d'une même nature et l'identification de chaque personne « avec elle, je ne puis concevoir qu'elle soit « la conséquence logice de l'égalité ». — Responsio iacet in promptu, et miror, eam tam acutum theologum fugisse. Quomodo, quaeso, demonstrat S. Thomas aequalitatem divinarum personarum, nisi per hanc ipsam perfectam in unaquaque persona possessionem unius divinae naturae? Unde si primus gradus, quo περιχώρησιν apprehendimus, identificatur cum ipso aequalitatis conceptu, quid magis cohaerens quam affirmare subtiliorem περιχώρησιν esse ipsius aequalitatis consequens? Haec utique diximus iuxta modum, quo S. Thomam intelligendum esse putamus, et quo ipse divinarum personarum aequalitatem demonstrat.

[2] *De imag.* or. I, 21. — *P. G.* t. XCIV, col. 1253.

nem cum permanentia distinctae naturae esse intelligendam, ostendunt verba sequentia, ex ignoto auctore ab Euthymio deprompta, et quae per comparationem περιχώρησιν illustrare contendunt. « Non potest ulla excogitari similitudo, quae « perfecte rem propositam exprimat. Nos tamen quandam « afferre conabimur, quae, si minus tanti mysterii maiestati « respondeat, propius tamen quam caeterae, ad veritatem « illius accedit. Quemadmodum enim si totus aër ignitus, « vel potius ignis esset, ac tum ferri globulus immitteretur, « necesse foret hunc adeo in potioris transire qualitatem, « ut nihil praeter ignem esse videretur, cum interim sub- « stantiae illi ratio constaret; sic humana natura cum divina « copulata adeo superata est, ut non amplius hominis natura « manere videatur. Hinc est quod Patres deificatam hanc « esse dixerunt, in id videlicet intuentes, quod potius ac « superius est. Unde et una tribuitur ambobus adoratio, « propter unam hypostasim et individuam unitionem » [1]. Patet ex his, deificatam carnem a catholicis Patribus nullo modo vocari [2] ad significandam Monophysiticam naturarum σύγχυσιν, sed περιχώρησιν geminae naturae in unitate personae.

In qua admirabili περιχωρήσει apprime notandum est, virtutem coniunctivam totam esse a parte Verbi, nullam a parte humanae naturae. Eloquenter Damascenus: « Com- « meatio non ex carne, sed ex divinitate facta est. Impos- « sibile est enim, carnem permeare divinitatem. Sed divina « natura cum per carnem semet immeavit, dedit etiam carni « inexplicabilem in se ipsam immeationem; quam unitionem « vocant » [3]. Nec minus eloquenter Leporius: « Deus, qui « capax est, non capabilis, penetrans, non penetrabilis, « implens, non implebilis, qui ubique simul totus, et ubique « diffusus est per infusionem potentiae suae misericorditer

[1] *Panopl.* tit. VII, cap. ult. — Caute huiusmodi comparationes esse adducendas, monet ipsa historia. Ita Gregorius Nyssenus catholica mente confert hanc περιχώρησιν guttulae aceti in mare immersae; Eranistes haeretico animo eamdem confert guttulae mellis pariter infusae in mare. Eadem est in se comparatio; sed utriusque scopus oppositus. Cf. Petavium (op. cit. l. IV. c. 14, n. 5).

[2] Ex hoc vides, errorem Ubiquistarum, de quo in fine Q. XVII. egimus, posse etiam considerari tanquam excessum περιχωρήσεως protractae usque ad σύγχυσιν Monophysitarum, inde quoque Συγχυτῶν nuncupatorum.

[3] L. III, c. 19. — *P. G.* t. XCIV, col. 1079.

« naturae mixtus est humanae, non humana natura naturae « est mixta divinae. Caro igitur proficit in Verbum, non Ver- « bum proficit in carnem, et tamen verissime Verbum caro « factum est » [1].

Haec περιχώρησις in operatione theandrica suam activitatem mirabiliter exerit, ac veluti culmen obtinet. Quare ad hunc usque locum sermonem de hoc aspectu Incarnationis distulimus. Quod enim tranquilla commeatio facit permanenter, id deivirilis operatio facit transeunter, at vi ipsius permanentis entitativae περιχωρήσεως. Huc spectant verba S. Leonis Magni: « Nullum est in hac unitate mendacium: « dum invicem sunt et humilitas hominis, et altitudo deitatis. « Sicut enim Deus non mutatur miseratione; ita homo non « consumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alte- « rius communione quod proprium est: Verbo scilicet ope- « rante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est » [2].

Rectissime proin Petavius [3] in hac commeatione quatuor modos veluti gradus distinguit. *a*) Primus est ipsa περιχώρησις presse sumpta, quam in initio descripsimus. - *b*) Secundus est ἀντίδοσις, quam Latini vocant communicationem idiomatum. *c*) - Tertius est ἔνδοσις, quam « Ioannes Damascenus, aliiqui « Patres exponunt sic, ut divina natura humanam regens, « ei, quae propria erant, et naturaliter consentanea, pati vel « agere concesserit: velut esurire, tristari, emori » [4]. - *d*) Quartus demum est συνέργεια, « cum divinitas non solum permisit « humanae Christi naturae, quae mere humana erant, tole- « rare vel facere: sed communiter etiam cum illa est ope- « rata. Cuiusmodi sunt mistae illae.... actiones, quae ab « ambabus naturis profectae sunt, ut in stupendis operibus « et miraculis accidit » [5]. Quare has actiones inde deiviriles nuncupatas, veluti apicem περιχωρήσεως in Incarnatione iure vocabamus.

Conclude, pro Sanctis beatitudinem consistere in quadam accidentali participatione huius mirabilis περιχωρήσεως, quae

[1] *Libell. emendat.* 4. — *P. L.* t. XXXI, col. 1224, sq.
[2] Serm. 3. de Pass. c. 2.
[3] Op. cit. l. VIII, c. 16, n. 11; — cf. l. IV, c. 14 et 15.
[4] Ibid.
[5] Ibid.

substantialiter privilegium est unius Christi. « Sic affici, « deificari est », exclamat non sine quodam excessu S. Bernardus. « Quomodo stilla aquae modica multo infusa vino « deficere a se tota videtur, dum et saporem vini induit et « colorem; et quomodo ferrum ignitum et candens, ignis « simillimum fit, pristina propriaque forma exutum; et quo- « modo solis luce perfusus aër in eamdem transformatur « luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus, quam « ipsum lumen esse videatur: sic omnem tunc in Sanctis « humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit « a semetipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi « voluntatem. Alioquin, quomodo omnia in omnibus erit « Deus, si in homine de homine quidquam supererit? Mane- « bit quidem substantia; sed in alia forma, alia gloria, alia- « que potentia » [1].

2) De Carne Christi vivifica [2].

Quemadmodum, ob expositam modo περιχώρησιν, Patres carnem Christi vocant deificatam, ita quoque, intuitu deivirilis operationis Verbi per carnem, hanc *vivificam* proclamant. Quam vivificam virtutem praesertim in mysterio Eucharistiae celebrant, iuxta verba Domini: « Sicut misit me vivens « Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et « ipse vivet propter me [3]. » Ita S. Maximus martyr dicit, « Verbum ad patranda miracula carne esse usum, per eamque « vivificasse, et sanitatem reddidisse, ac per illius contractum « atque vocem: ut hanc ostenderet vivificare posse, eo quod « unum cum ipso coniunctione facta sit, et illius, non alte- « rius, proprie sit caro, qui natura sua cuncta vivificat » [4]. Et S. Cyrillus Alexandrinus Christi corpus esse vivificum, ita demonstrat: « Est enim vitae corpus, id est Unigeniti: « idemque divina maxime gloria collustratum est, et intelli- « gitur Dei esse corpus » [5]. Quumque Nestorius ex dogmate

[1] *De dilig. Deo.* c. x. — *P. L.* t. CLXXXII, col. 991.
[2] Cf. PETAVIUM (op. cit. l. x.).
[3] IOANN. VI.
[4] Epist. ad Nicandr. episc. — *P. G.* t. XCI, col. 101.
[5] Epist. 1. ad Success.

eucharistico impietatem suam colorare volens, ex verbis Domini argueret: « Qui manducat meam carnem », et non « meam divinitatem », Cyrillus reponit: « Quamvis corpus « Christi nostris corporibus cognatum, id est, consubstan- « tiale sit: est enim genitum ex muliere; tamen proprium, « ut dixi, ipsius intelligitur, et dicitur. Et quoniam vita secun- « dum naturam est Verbum a Deo Patre genitum, vivificam « fecit carnem suam. Ob id vivifica nobis facta est Eucha- « ristia » [1].

Obiicies. Nonne haec doctrina facit contra verba Domini: « Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam? » [2]. - *Resp.* Duplex est praecipua interpretatio a Patribus huic sententiae data. Alii, inter quos eminent Tertullianus [3] et S. Augustinus [4], verba « caro » et « spiritus » referunt ad carnalem vel spiritualem intelligentiam eius qui Eucharistiam recipit; quae interpretatio non facit ad praesens argumentum. Alii haec de ipsa Christi carne dicta existimant, quae non prodest, quatenus est caro, sed quatenus Spiritu Dei vivificatur. « Non alia ratione, ait S. Cyrillus, vivifica reddi caro « potest, quae ex propria naturae conditione corruptelae « necessitati erat obnoxia, nisi propria fuisset vivificantis « omnia Verbi. Hoc enim modo quae ipsius erant, operabatur « cum vivifica illius virtute copulata ». Et exemplo adducto de frigido corpore facto calido, quia ad ignem est admotum, concludit: « Cur non multo magis Verbum, cum sit Deus, « propriae carni vivificam vim suam et efficientiam immit- « tet; cum eam secum unitam, propriamque reddiderit, sine « ulla confusione, et mutatione, quemadmodum novit ipse? [5]. Brevissime idem dixit Paschasius Radbertus: « Etsi caro « nihil prodest per se, Spiritus sanctus est, qui vivificat corpus, « ut in nobis omnibus unus sit Christus » [6]. Nec aliter S. Bernardus [7].

Ex dictis collige, quo sensu Eucharistia sit « futurae

[1] Anathem. undec.
[2] Ioann. vi, 64.
[3] *De resurr. carnis.*
[4] *In Ioannem* tract. xxvii.
[5] *Dial. q. unus sit Chr.* — *P. G.* t. lxxv, col. 1357. — Cf. in Ioann. t. xi.
[6] Epist. ad Frudegardum. — *P. L.* t. cxx, col. 1364.
[7] In Cantic. serm. 10.

« gloriae pignus », fermentum immortalitas corporum, iuxta verba Domini: « Qui manducat meam carnem et bibit meum « sanguinem, habet vitam aeternam: et ego resuscitabo eum « in novissimo die » [1]; et quam mirabilis sit huius augustissimi Sacramenti institutio atque oeconomia. Imo ex hac fundamentali doctrina desume vivificantem efficaciam cuiuscumque ritus sacramentalis.

3) De quibusdam Locutionibus difficilioribus Patrum.

Restat ut breviter tangamus praecipuas difficultates e Patribus desumptas.

Quam supra historiam Concilii oecum. VI. summatim tetigimus, docet nos, perpaucos textus ex Patribus Monotheletas proferre potuisse, eosque magnam partem fraudulenter deturpatos. Et sane per quaedam criteria generaliora istae difficultates sat facile solvuntur.

1) Quando Patres voluntatem unam divinam in Incarnatione absolute vindicant, vel *a*) loquuntur de voluntate Incarnationis operatrice. Hoc sensu S. Athanasius: « Siquidem divi- « nitatis solius voluntas fuit ». Saltem hoc sensu haec verba interpretatur S. Maximus in disp. cum Pyrrho. Vel *b*) loquuntur de voluntate uti est personae scilicet Dei. Hoc sensu card. Franzelin eundem textum intelligit. Et sane consonant verba sequentia: « quoniam et tota natura Verbi in exhibitione « formae carnis humanae visibilis secundi Adam praesto fuit, « *non in personarum divisione*, sed in exstantia divinitatis « et humanitatis » [2].

2) Si harmoniam inter voluntatem Christi et voluntatem Patris S. Gregorius Nazianz. inde repetit quod sit deificata: « illius enim voluntas, quum tota deificata sit, Deo procul « dubio non adversatur οὐδὲ ὑπεναντίον θεῷ, θεωθὲν ὅλον » [3]; haec expressio debet trahi ad sensum *deificatae carnis*. Et sane, si tota humana Christi natura potuit a Patribus vocari deificata, citra ullum errorem Monophysisticum; potuit et Christi humana voluntas dici deificata, absque ulla haeresi

[1] Ioann. vi, 55.

[2] *Ctr. Apoll.* l. ii, n. 10. — Cf. Franzelin (op. cit., t. xliii).

[3] Orat. 30.

Monothelistica. Quae est ipsissima S. Maximi contra Pyrrhum argumentatio.

3) Insuper prae oculis habendum est, cum quibusnam Patres disputent. Si, v. gr., cum Arianis, qui ex distinctione inter voluntatem Christi et Patris contra Christi divinitatem arguebant, in promptu erat identificatio voluntatis Christi Dei cum ipsa voluntate Patris. Ita ait S. Ambrosius: « Sed « tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis; quum utique « similiter sit Christi velle, quod Pater vult; cuius similiter « est facere, quod Pater facit » [1]. Sed quid, quaeso, inde in favorem Monothelismi? Eo vel minus, quod in eodem loco, paucis interiectis, idem Ambrosius geminam Christi voluntatem disertissime proclamat [2].

4) Nec omittenda est hic aliqua distinctio voluntatum, quae simul tangit latus subtilius Monothelismi, et explicat quare Patres interdum unum ex his aspectibus libertatis in Christo negarint. In operatione hominis aliud est principium *quo*, seu natura, aliud principium *quod*, seu persona. Inde θέλημα φυσικόν dicit voluntatem uti in natura radicatam, quae voluntas iuxta Patres catholicos est duplex; e contra θέλημα ὑποστατικόν, hoc est voluntas uti a persona dirigitur, est una. Porro ex hac unitate θελήματος ὑποστατικοῦ ad unitatem θελήματος φυσικοῦ falso concluditur. Sed et est tertius respectus voluntatis, scilicet θέλημα γνωμικόν, seu voluntas quatenus in volendo deliberationem praelucente intellectu sequitur. Quae voluntas, uti patet, habet de utraque alia. Quomodo igitur potuerunt Patres in Christo negare θέλημα γνωμικόν? Fuse de hoc disserens Petavius, tres adducit rationes, quae sic breviter colligi possunt. α) Ne convenirent cum Nestorio, propter intimam connexionem inter θέλημα ὑποστατικόν et γνωμικόν, seu quia voluntas γνωμική, simul veluti involvit φυσικήν et ὑποστατικήν. - β) Ne Christo tribuerent versatilitatem et haesitationem inter bonum et malum, quam secum fert in nobis θέλημα γνωμικόν. - γ) Ne discursum et laboris inquisitionem in Christo ponere viderentur [3].

[1] *De fid.* l. II, c. 5 — *P. L.* t. XVI, col. 591.

[2] C. 7.

[3] PETAVIUM (op. cit. l. IX, c. 7.) Has rationes ex Maximi libris collegit. — Cf. etiam de hoc argumento STENTRUP (op. cit. th. LIII.)

APPENDIX II.

De agendi ratione Papae Honorii.

Licet « quaestio Honorii », uti aiunt, directius ad historiam ecclesiasticam et ad tractatum de infallibilitate Rom. Pontificis spectet, pauca tamen de hoc argumento hinc inde agitatissimo, nobis hoc loco dicenda visa sunt. Duplex autem haec quaestio est: 1) Quid de ipsa agendi ratione Honorii; 2) Quid de anathematibus in ipsum latis? De priori aspectu quaestionis praesertim solliciti sumus; de altero nonnisi verbulum habituri.

A) Iam superius circumstantias brevissime attulimus, in quibus Honorius a Sergio Constantinopolitano fraudulenter circumventus, gemina epistola duplicem in Christo voluntatem negavit, iniunxitque ut a formula unius vel duplicis in Christo operationis abstineretur [1]. Suntne istae epistolae, - quarum authentia in dubium olim vocata, nunc passim agnoscitur [2], - habendae uti haereticae, necne? En quaestio.

1) *Indirecta* argumenta non desunt ad orthodoxam Honorii fidem vindicandam. Praeter privilegium infallibilitatis, - quod utique tunc solum argumentum solidum praebet, ubi agitur de *doctrinali locutione ex cathedra,* quam mox ostendemus hic defuisse, - habemus *a*) bonum testimonium de Honorio latum a successore Ioanne IV; necnon *b*) silentium de eius defectione apud S. Martinum I. et S. Agathonem, licet Monothelismo infensissimos; imo *c*) iudicium fortissimum Agathonis de indefectibilitate Romanae Sedis. - Habemus pariter *d*) laudes quibus coaevi Honorium cumulant. Ita in vita S. Berthulphi, Ionas Bobbiensis Abbas, personali vinculo Honorio coniunctus, de eo ait: « Erat venerabilis praesul Honorius « sagax animo, doctrina clarens, dulcedine et humilitate

[1] De authentia dubitarunt Baronius, Bellarminus, Damberger, Boucat, etc.; eam agnoscunt Garnier, Hefel, Pennachi, etc., etc.

[2] Prima epistola directe respondet epistolae Sergii; altera, cuius fragmenta tantum prostant, insistit iam iniunctae disciplinae, postquam Honorius delegatos Sophronii eiusque Synodicam recepisset, ac nihilominus in sententia sua sibi persistendum iudicasset.

« pollens » [1]. *Liber Pontificalis* de eo haec habet: « Hic tem-
« poribus suis multa bona fecit; hic erudivit clerum » [2]. Laus funebris tumulo eius in Vaticana basilica insculpta incipiebat hoc versu: « Pastorem magnum laudis pia praemia « lustrant » [3]. Haec sane non sunt hominis haeretice sapientis. Imo nisi personalis sanctitatis fama claruisset, quomodo S. Maximus tam alte de Honorio sentire potuisset?

2) Sed iam *directe* documenta perpendamus.

a) Et primo quidem ex inspecta quaestione Honorio submissa, et ex modo quo ipse respondet, apparet, iudicium in hoc casu a Pontifice latum, uti iudicium *ex cathedra* haberi non posse; sed esse merum iudicium *disciplinare*. Et sane, intellecta uti iudicium ex cathedra, sententia Honorii esset simpliciter absurda. Etenim in Christo praedicanda est vel una operatio vel duplex, nisi quis dicat, totam haeresim Monothelisticam esse meram litem de verbo, quin ulla lateat verbis doctrina, quod absit! Porro si est ibi quaestio doctrinalis, profecto operatio Christi est dicenda vel una vel duplex: una, si veritas stet a parte Sergii; duplex, si a parte Sophronii. Quid proin potest *doctrinaliter* valere sententia dicens: ab huiusmodi locutione utrimque est abstinendum? Nihil prorsus. E contra intelligitur optime sententia Honorii tanquam disciplinaris, quatenus, ad praecavenda mala maiora, falsas scilicet interpretationes et instauratas discordias, Pontifex silentium utrisque partibus imposuit. Ita rem se habuisse, aperte demonstrant sequentia verba ex prima epistola desumpta. « Et nos quidem secundum sanctiones divinorum « eloquiorum oportet sapere vel spirare, illa videlicet refu-
« tantes, quae quidem novae voces noscuntur sanctis Dei « ecclesiis scandala generare, ne parvuli aut duarum opera-
« tionum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos nos vesana « sapere arbitrentur; aut certe si rursus unam operationem « Domini nostri Iesu Christi fatendam esse censuerimus, stul-
« tam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri « putemur, praecaventes, ne quorum inania arma combusta

[1] C. 6. — *P. L.* t. LXXXVII, col. 1063.

[2] *Lib. Pontif.* ed. Duschesne, p. 323.

[3] Cf. eruditam expositionem P. Grisar S. I. in *Kirchenlexikon* Hergenr-Kaulen. t. VI, col. 230-267.

« sunt, eorum cineres redivivos ignes flammivomarum denuo « renovent quaestionum » [1]. Ergo haec epistola *non est sententia doctrinalis ex cathedra* [2]. Idem de altera eodem iure valet.

b) Suntne saltem *haereticae?* Haereticae sunt, si α) Honorius in eis affirmat unam voluntatem Christi in eo sensu, quem Sophronius aiebat esse instaurationem erroris Apollinaris; et si β) unitatem operantis Christi ita describit, ut inde sequatur unitas operationis in sensu a Sergio intento et a nova haeresi propugnato. Iam vero neutrum obtinet.

α) Non primum. Nam quas Honorius negat duas in Christo voluntates, sunt duae voluntates humanae: voluntas carnis rebellans contra voluntatem spiritus. Id evincunt ad evidentiam sequentia verba e prima epistola desumpta. « Unde « et unam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi, « quia profecto a Divinitate assumpta est nostra natura, non « culpa in illa (ἡ ἡμετέρα φύσις, οὐχ ἁμαρτία ἐν ἐκείνῃ), pro- « fectoque natura, quae ante peccatum creata est, non quae « post praevaricationem vitiata.... Non est itaque assumpta, « sicut praefati sumus, a Salvatore vitiata natura, quae repu- « gnaret legi mentis eius, sed venit quaerere et salvare quod « perierat, id est, vitiatam humani generis naturam. Nam lex « alia in membris aut voluntas diversa non fuit vel contraria « Salvatori, quia super legem natus est humanae conditionis. « Et si quidem scriptum est: " Non veni facere voluntatem « meam, sed eius, qui misit me, Patris "; et: " Non quod ego « volo, sed quod tu vis, Pater ", et alia huiusmodi, non sunt « haec diversae voluntatis, sed dispensationis humanitatis « assumptae (οὐκ εἰσι ταῦτα διαφόρου θελήματος, ἀλλὰ τῆς « οἰκονομίας τῆς ἀνθρωπότητος τῆς προσληφθείσης) ». - Idem modus sane extraneus intelligendi controversiam recurrit in altera epistola: « Unde et unam fatemur Domini nostri Iesu « Christi, quia profecto a Divinitate assumpta est nostra « natura, non culpa in illa, profectoque illa, quae ante pecca-

[1] Cf. epistolam graece et latine ap. Mansi XI, 538 sq.; latine *P. L.*, t. LXXX, col. 470, sq.

[2] « Praescriptum ab eo silentium, non fuit definitio fidei ». Ita Petr. Ballerini *(De vi ac ratione primatus,* c. 3, § 9). — « Non fidei decretum, sed decreti suspen- « dium ». Ita Thomassinus (Dissert. in Syn. oecum., 20, n. 20).

« tum creata est, non quae post praevaricationem vitiata ». Scilicet Honorius unam in Christo voluntatem humanam proclamat, ne ille in eo praedicetur duellus, quem ingemiscens in se Paulus agnoscebat [1]. Sed, quaeso, quid haec ad subtiliorem controversiam de duplici in Christo voluntate, altera divina, altera humana? Nihil prorsus. Ita autem Honorius rem intellexerat, fraudulenter per Sergii scripta deceptus.

β) Nec alterum est ad rem, licet modus loquendi Honorii de operatione Christi magis ansam dubio praebeat.

In prima epistola ita loquitur: « Quia Dominus Iesus Chri-« stus, Filius ac Verbum Patris, per quem facta sunt omnia, « ipse sit unus et idem operans divina et humana plenae « sacrae litterae luculenter demonstrant ». Et: « simpliciter « et veraciter confitentes Dominum Iesum Christum unum « operantem divinae atque humanae naturae. » Et: « Unum « nobiscum Dominum Iesum Christum Filium Dei vivi, Deum « verissimum, in duabus naturis operatum ea, quae divini-« tatis sunt et humanitatis, fide orthodoxa et unitate catho-« lica praedicetis ». Haec sane eloquentissime proclamant unam personam contra Nestorium, duplicem naturam contra Eutychen; insuper forti sermone illustrant, vi utriusque dogmatis, operationem deivirilem. At salvantne satis geminam operationem in uno operante?

Audiamus Honorium in altera epistola. Iam ex legatis et Synodica Sophronii agnovisse videtur, non agi dumtaxat de duplici contradictoria voluntate humana; pressius inde argumentum ad operationes deiviriles contrahit. Insistens disciplinari regulae a se iam traditae, ait: « Propter simplicitatem « hominum, et amputandas inextricabiles quaestionum amba-« ges, sicut supra diximus » (adverte utramque rationem ordinis disciplinaris seu oeconomici) « non unam vel duas opera-« tiones in Mediatore Dei et hominum definire, sed utrasque « naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alte-« rius communione operantes atque operatrices confiteri « debemus (ἑκατέρας τὰς φύσεις... μετὰ τῆς ἑτέρου κοινωνίας « ἐνεργούσας καὶ πρακτικὰς...); et divinam quidem, quae Dei « sunt, operantem, et humanam, quae carnis sunt, exequen-

[1] Rom. VII.

« tem, non divise, neque confuse aut convertibiliter, aut Dei « naturam in hominem, et humanam in Deum conversam « edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes... « Auferentes ergo, sicut diximus, scandalum novae adin- « ventionis, non nos oportet definire aut praedicare unam vel « duas operationes, sed pro una, quam quidam dicunt, ope- « ratione oportet nos unum operantem Christum Dominum « in utrisque naturis vere confiteri; et pro duabus operatio- « nibus, ablato geminae operationis vocabulo, ipsas potius « naturas, id est, divinitatis et carnis assumptae, in una « persona Unigeniti Dei Patris inconfuse, indivise atque « inconvertibiliter propria operantes nobiscum praedicare... « Scribentes etiam communibus fratribus Cyro et Sophronio [1] « antistitibus, ne novae vocis, id est unius vel geminae ope- « rationis vocabulo insistere vel immorari videantur; sed « abrasa huiusmodi novae vocis appellatione, unum Chri- « stum Dominum nobiscum praedicent operantem divina et « humana utrisque naturis (τὸν ἕνα Χριστὸν Κύριον μεθ' ἡμῶν « κηρύζωσιν ἐνεργοῦντα τὰ θεῖα καὶ τὰ ἀνθρώπινα ἑκατέραις « ταῖς φύσεσι) ».

Imo non solum Honorius abstinendum vult ab huiusmodi locutionibus, sed eisque momentum serium adimere videtur: « Unius autem operationis vel duarum esse vel fuisse Media- « torem Dei et hominum, Dominum Iesum Christum sentire « et promere, satis ineptum est » [2]. Quid ergo?

Honorius per longiorem sententiam quae praecedit, cuius- que prima pars quasi ad verbum desumitur ex canonica declaratione S. Leonis Magni, ipsius Honorii magistri, ali- quid veri in utraque sententia reperit: in una operatione, qua- tenus in Christo est unus operans; in duabus operationibus, quatenus sunt duae naturae. Existimat proin, satis esse ut dicatur Christus unus operans duplici natura; et periculum esse utrimque, scilicet tum per unam operationem intelligi

[1] Hae duae litterae deperditae sunt.

[2] Eodem modo dixerat in prima epistola: « Utrum propter opera divinitatis et « humanitatis una, an geminae operationes debeant derivate dici vel intelligi, ad nos « ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exqui- « sita derivando nomina venditare ». Ex quibus verbis apparet, Honorium cum quo- dam despectu litem tractasse, ac si mere ageretur de quadam graecula subtilitate rhetorica.

unum principium *quo,* et per duas operationes duplex principium *quod.*

Quod autem quaestionis est cardo, Honorius non percepisse videtur. Etenim id erat in controversia, utrum operatio humana absorberetur per operationem divinam; seu utrum θέλημα ὑποστατικόν ob suam singularitatem impediret veram formalem activitatem θελήματος φυσικοῦ humani. Hic quaestionis aspectus, sane non spernendus, quippe ex quo totam suam suborta haeresis speciem derivabat, Honorium fugisse videtur [1]. Quare dicendum quidem est, epistolas eius non esse formaliter haereticas [2], quia nulla haeretica mente conscriptae sunt.

At insimul non adaequato modo dogma exhibent, quum litem praeter dogma solvere conentur. Sunt proin veluti neutrales; imo quum faverent intento Sergii, poterat ille, quin textum receptarum litterarum violaret, de eisdem triumphare. Unde, quatenus corroborant haeresim, possunt vocari et ipsae haereticae, at *materialiter* tantum, non formaliter. Quae animadversio nobis magni momenti videtur, quo anathemata a Concilio oecum. VI. in Honorium lata facilius explicentur.

c) Fuitne ergo *damnabilis* Honorii agendi ratio? Moralem culpam solus videre potest Deus, intimus cordium perscrutator. Integritas huius Pontificis aliunde nota praeiudicium est in favorem ipsius. At si ab argumenti gravitate, necnon ab eventu actum Honorii perpendere liceat, negari non potest, graviter eum ab officio declinasse. Inaudito Sophronio, ex relatis sibi negotiis a perfido Sergio, subtile argumentum modo parum cohaerente solvit; et quando Sophronii legati plenius quaestionis statum rerumque pericula Pontifici exposuerunt, iste a pristina sententia nil remittit, silentium imponit veritati, ac impiae novitati dilatandi spatium concedit. Id sane pium Praesulem nullatenus intendisse, extra controversiam est; at nihilominus hunc fuisse eius agendi rationis exitum, negari nequit. Quo altiori enim loco iudex assidet,

[1] Inde recte de Honorio dicit Cl. Palmieri: « Statum quaestionis non est assecutus ». (*De Rom. Pont.*, p. 655).

[2] Idem expresse censent Card. a Turrecremata, Bellarminus, Tournely, Schneemann, Pennacchi, Iungmann, et catholici theologi passim.

eo strictius tenetur instruere causam, eaque perspicaciter instructa, prudenter simul ac fortiter decernere. Quod sane in hac quaestione gravissima Honorius neglexisse videtur. Forte inde minus accusandus est, quod, post tot iam novitates verborum ab Oriente exortas, defatigatis mentibus ac taedio captis, disciplina quaedam Romae inducta fuerit, de novis subtilitatibus ac terminologiis quovis modo refraenandis ac veluti vix editis, licet durius, iugulandis. Inde forsan animus parumper fastidiosus sub verbis hic illic latitans [1].

B) Iam pauca sint de *anathematibus* in Honorium a Conc. oecum. VI. latis necnon de iudicio Leonis II, Libri diurni Romani et Libri Pontificalis.

1) S. Agatho, cuius fidem Concil. oecum. VI. sancivit, in epistola ad Constantinum Pogonatum, ab eadem Synodo probata, de Romana Sede ita loquitur: « Per Dei omnipotentis « gratiam a tramite apostolicae traditionis nunquam errasse « probabitur, nec haereticis novitatibus depravata succubuit, « sed ut ab exordio fidei christianae percepit ab auctoribus « suis Apostolorum Christi principibus illibata fine tenus per- « manet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollici- « tationem, quam suorum discipulorum principi in Evange- « liis fatus est: Petre, Petre, inquiens, ecce Satan expetivit « ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum; ego autem pro « te rogavi, ut non deficiat fides tua: Et tu aliquando conver- « sus confirma fratres tuos ». Quae verba simul declarabant Honorium ab haeresi macula immunem, et auferebant Concilio potestatem aliter de Sedis Apostolicae fide iudicandi.

Nihilominus haec Synodus, post definitam catholicam fidem, inter fautores haereseos ipsum Honorium anathemate perculit, idque non semel, sed pluries [2]. De qua condemnatione aliter et aliter iudicant. Equidem omnibus perpensis formulis, in quibus nomen Honorii occurrit, modo solum, modo permixtim inter alios haereticos [3], puto citra veritatem

[1] De culpabilitate Honorii alii aliter. Mitius sentit Stentrup (Op. cit., th. LIV); durius Grisar (loc. cit.).

[2] Sex vicibus in act. 13 et 18.

[3] En formula sola: « Cum his vero simul proiici a Sancta Dei catholica Ecclesia « simulque anathematizari praevidimus et Honorium, qui fuerat papa antiquae

esse illos, qui putant, Concilium discrimen posuisse in modo quo Honorium et quo alios condemnavit: hos uti haereticos, illum uti mere complicem haereticae pravitatis. Concilium ulterius progressum est: doctrinam ipsam in epistolis Honorii contentam damnavit, utpote perversis Sergii placitis omnino similem. Et sane verba Honorii, quippe quae a Sergio non discedebant, quin et Sergii errorem quasi patrocinabantur materialiter sumpta poterant cum scriptis Sergii damnari, licet mens Pontificis, quod et S. Maximus et ipse Ioannes, Pontificis olim scriba, testati sunt, ac proin mens ipsarum epistolarum formaliter esset catholica.

Porro voluisse Patres huius Concilii eamdem notam Honorio inurere quam Sergio aliisque, vix mihi dubium videtur. Quippe multi ex eis olim per ipsa verba Honorii decepti, iam ad fidem revocati cum quadam peculiari indignatione haec scripta respuere debebant, quippe quae spargendo errori tantopere prodessent.

Ergone Concil. oecum. VI. rebellavit in praerogativam Sedis Romanae, illibatae fidei custodis? Nequaquam. Imo eam agnovit, tum recipiendo fidem Agathonis, tum probando eius epistolam ad Constantinum Pogonatum. Nec dixit, Honorium in suis responsis ad Sergium suprema sua auctoritate ex cathedra esse locutum.

Quidquid autem de hoc aliquis sentiat, certum est, haec anathemata in Honorium Sede vacante esse lata; nec plene valere quidquid agit Concilium etiam oecumenicum, nisi ex approbatione Romani Pontificis.

2) Porro S. Leo II. acta Concilii Constantinop. III. confirmando, prudenter egisse videtur circa iudicia ab eodem in suum decessorem lata. Res non erat ex toto facilis. Si contra damnationem Honorii omnino protestatus esset, periculum incurrebat frangendae tam laboriosae pacis. Itaque anathema

« Romae, eo quod per scripta, quae per eum facta sunt ad Sergium, quia in omnibus « eius mentem secutus est, et impia dogmata confirmavit » (Act. 13).

En formulae permixtae: In act. 18 Concil. veluti organa serpentis simul enumerat Theodorum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Honorium, Cyrum, Macharium et Stephanum. Et infra inter anathemata legitur: « Sergio et Honorio ana- « thema.... Omnibus haereticis anathema ». Quam ultimam sane formulam complexam respexit Döllinger quando dixi, hoc Concilium condemnasse « haereticum « Honorium ».

mitigavit, restringendo illud ad culpam oeconomicam, ac sedulo Honorii causam separando ab aliis haereticis ibidem damnatis. Ita in epistola ad Constantinum Pogonatum scribit: « Anathematizamus novi erroris inventores, id est, Theodo- « rum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyr- » rhum, Paulum, Petrum, Constantinopolitanae Ecclesiae insi- « diatores magis quam praesides; nec non et Honorium, qui « hanc apostolicam Ecclesiam non apostolicae traditionis doc- « trina lustravit, sed profana proditione immaculatam macu- « lari permisit ἀλλὰ τῇ βεβήλῳ προδοσίᾳ μιανθῆναι τὴν ἄσπιλον « παρεχώρησε ». - In epistola ad Hispaniae Episcopos narrat, damnatos esse perduelliones « cum Honorio, qui flammam « haeretici dogmatis non ut decuit apostolicam auctoritatem « incipientem exstinxit, sed negligendo confovit ». Vides idem, sed mitius dici: loquebatur enim liberiori ore ad praesules Occidentales. Verba ad regem Hispaniae Ervigium quasi media sunt inter utramque formulam praecedentem: « Una « cum eis Honorius Romanus Praesul, qui immaculatam « apostolicae traditionis regulam, quam a predecessoribus « suis accepit, maculari consensit ». Manifestissima igitur apparet Leonis II. sollicitudo mitigandi verba et modum quibus Concil. oecum. VI, ab ipso authentice sancitum, in Honorium saeviit.

3) Nec alia, imo blandior adhuc, est formula *Libro diurno Romanorum Pontificum* inscripta: « Auctores novi haere- « tici dogmatis Sergium, Pyrrhum, Paulum et Petrum Con- « stantinopolitanos, una cum Honorio, qui pravis eorum asser- « tionibus fomentum impendit ».

4) Verum est, in *Libro Pontificali,* post obitum Leonis II. acta Concilii oecumen. VI. exhiberi modo parum faventi memoriae Honorii, qui permixtim nominatur cum haereticis: « Hic (Leo) suscepit sanctam sextam Synodum, quae per « Dei providentiam nuper in regia urbe celebrata est;... in « qua condemnati sunt Cyrus, Sergius, Honorius, Pyrrhus, « Paulus et Petrus, nec non et Macharius cum discipulo suo « Stephano, et Polychronius novus Simon, qui unam volun- « tatem et operationem in Domino Iesu Christo dixerunt vel « praedicaverunt » [1]. Sed haec sunt verba simplicis chroni-

[1] Ed. Duchesne 359.

stae, et in eodem libro, in vita Hadriani I, indicium manifestum legimus de honore in quo iam tunc, i. e. vix emenso saeculo, Urbs memoriam Honorii habebat. Etenim monachi coenobii prope Lateranensem basilicam ab Honorio aedificati ibi exhibentur « reddentes Domino glorificos melos pro « saepius memorati venerandi pontificis nomen, scilicet in « saecula memorialem eius pandentes carminibus » [1].

Concludamus haec iam forte longiora. Quidquid dicatur de culpa ab Honorio commissa, agendi eius ratio fuit infelicissima, quum dilatando haereseos veneno non parum contulerit. Epistolae tamen eius a formali haeresi sunt prorsus immunes. Possunt ad summum uti materialiter haereticae haberi, quatenus litem componunt in favorem Sergii et cum eiusdem errore concordant. At etiamsi formaliter essent haereticae, praerogativa infallibilis Sedis Romanae nihil inde laederetur, quum oeconomica fuerit Honorii solutio, non definitio ex cathedra. Imo ipsum Concilium quod Honorium damnavit, exstat praeclarum testimonium praerogativae Romani Pontificis, quum fides Agathonis fuerit a Patribus subscripta, et epistola hanc praerogativam extollens solemniter ab eisdem probata [2].

ARTICULUS II.

UTRUM IN CHRISTO SINT PLURES OPERATIONES HUMANAE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Distinguendi sunt ipsi termini tituli: « *operationes humanae* ». Et primo quidem alia operatio humana simpliciter, alia secundum quid. *Operatio humana simpliciter* est ea, quae procedit ab homine secundum eam partem qua homo est, scilicet secundum rationem

[1] Cf. Grisar, ibid. col. 250. — Cf. ibidem vicissitudines controversiae de Honorio per decursum saecularum tum in Oriente, tum in Occidente.

[2] Vides proin quam leviter Honorii casum allegarint contra infallibilitatem Romani Pontificis, tempore Gallicanismi, Richer, Dupin, Bossuet, de la Luzerne, aliique; ac nuper tempore Concilii Vaticani, infelix ille Döllinger (*Papst-Fab. des Mittelalt., Janus,* Erwägungen). Longe melius eruditus simul ac pius Hefele, qui iuxta Vaticani Concilii definitionem iudicium suum de Honorio prudenter mitigavit (2. ed. *Concil. Gesch.* III, 152, sqq. 298, sqq.). — Praecipua scripta de quaestione Honorii vide allata apud laudatum P. Grisar (loc. cit.).

et voluntatem. - *Operatio humana secundum quid* ex opposito est ea, quae procedit secundum eam partem, quam habet homo communem cum entibus inferioribus. Habet autem homo esse cum lapidibus, nutriri cum plantis, sentire cum brutis. Proin operationes quae secundum illas partes eius naturae procedunt, v. gr., deferri deorsum, digerere cibos, sentire tactu, sunt humanae secundum quid.

Porro inter eas quae sunt partis sensitivae, aliquae in homine puro obedire rationi natae sunt, ac proin secundum hoc ad operationum humanarum dignitatem trahi possunt.

2) Pariter distinguendum est inter operationes respectu ad *potentias* diversas, quae obiectis diversis respondent; et operationes respectu ad *principium* activum diversum, seu, iuxta modo exposita, respectu ad formam. Hic quaeritur de operationibus respectu ad principium activum seu formam.

3) Iam vero, ex uti n. 1. patet, in homine puro non habetur nisi una operatio humana simpliciter dicta, scilicet operatio rationis et voluntatis; - duae humanae secundum quid: corporalis elementaris et vegetativa; - una mixta: sensitiva.

Quid igitur de Christo? Certum est, hanc quadruplicis gradus operationem in Christo fuisse, quippe qui habuerit naturam humanam completam. Sed quaeritur, utrum in eo inter has quatuor operationes strictior fuerit nexus ac proin maior unitas, ratione plenioris imperii supremae operationis in inferiores.

4) Responsio dubia esse nequit. *a*) Etenim pars sensitiva animae Christi fuit in omnibus ordinata a ratione. *b*) Ipsam carnis elementarem actionem et omnia quae sunt vitae vegetativae, regebat voluntas, quatenus gravitatem corporis aliaque omnia, unde fames et caeterae passiones corporales nascuntur, agere volebat, quae sua sunt. Pars enim sensitiva, secundum quod in corpore potius est ac rationi subesse nequit, ita per voluntatem ad humanae operationis unitatem trahebatur. Maior proinde fuit in Christo operationum unitas, quam in quovis homine puro.

II. **Ad Textum.**- *1. Obi.* Non attendit ad distinctionem inter operationes humanas simpliciter et secundum quid.

2. Obi. Praetermittit distinctionem inter operationes diver-

sas ratione potentiarum ac obiectorum, et operationes diversas ratione principii activi seu formae.

3. Obi. Confundit idem ratione instrumentorum, quae variis potentiis in ordine ad operationem adnectuntur.

Sed contra est. Ratio haec procedit sine distinctionibus secundum operationem unicam humanam simpliciter.

Maius fuisse in Christo dominium in operationes partis sensitivae, theologi quidam ostendere conantur ex duplici loco Scripturae: apud Ioannem, ubi legitur Christus *turbasse semetipsum* [1], id est se turbari permisisse; et apud Matthaeum, ubi narratur Iesus nonnisi post ieiunium quadraginta dierum famem sensisse: *postea* esuriit [2]. Sed haec subtilius quam solidius adducta videntur.

In corpore. En schemate argumentum expressum:

I. Demonstratur *quid* sit operatio humana.
- 1) Alia operatio humana simpliciter;
- » » » secundum quid.
- 2) In homine sunt:
  - *a*) ea quae sunt rationis et voluntatis } humana simpl.;
  - *b*) virtutis elementaris: } humana sec. quid;
  - *c*) » vegetativae: } humana sec. quid;
  - *d*) » sensitivae: aliqualiter humana simpl.

II. Probatur inde *quot* sint operationes.
- 1) In homine *puro:*
  - *a*) operatio rationis et voluntatis ac sensitiva ab his ordinata;
  - *b*) operatio sensitivae non voluntati rationive parens;
  - *c*) operatio vegetativa;
  - *d*) operatio corporalis elementaris.
- 1) In homine *I. Chr.:*
  - *a*) totam sensitivam animae partem regebat operatio humana simpl.;
  - *b*) reliqua omnia voluntas agere sua volebat, et eatenus quoque regebat. *Ergo unitas maior.*

N. B. Distinctio hic facta inter operationes humanas simpliciter et secundum quid, non eadem est ac illa, quae fit inter actus humanos et actus hominis.

[1] C. XI, 33.
[2] C. IV, 1.

ARTICULUS III.

UTRUM ACTIO HUMANA CHRISTI POTUERIT ESSE SIBI MERITORIA.

I. De ipsa Quaestione. - Hucusque de operatione humana Christi, quoad suam existentiam seu esse; nunc de eius *fructu* seu merito, et quidem dupliciter: *a*) sibi ipsi Christo, *a*) aliis.

1) Porro in prima quaestione duo occurrunt consideranda: *a*) *utrum* Christus sibi meritus sit; *b*) *quomodo* sibi mereri potuerit.

Sibi meruisse Christum, dubium esse nequit. Nimis enim affirmans est sententia Pauli in *Sed contra est* allata, de qua expressius loco suo. Ratio autem huius facti petenda est ex hoc principio, quod perfectius aliquid ab aliquo habetur si illud etiam habeat per se ipsum. Unicus autem modus, quo creatura, quae gratiae et gloriae sunt, per seipsam habere possit, meritum est. Ergo perfectius est, *caeteris paribus*, ea habere ex merito, quam non ex merito.

2) Diximus: *caeteris paribus*, quia, si quis tantae sit dignitatis, cui ab initio debeantur supremo gradu, quae ab aliis sunt merenda, dignius est ipsi ea habere sine merito, quam ex merito. Falluntur proin illi theologi moderniores, qui, ut in Christo augeant meritum, dignitati eius initiali derogant. Inter quos non ultimum locum tenet Cl. Schell, qui, nimium urgens principium, melius esse per propriam activitatem quam sine illa aliquid habere vel esse, illud urget usque in mysterium SS. Trinitatis, veluti Divinitatis seipsam in trinam personam aeterna activitate infinito merito explicantis. Quae consideratio quam periculose inducatur, alibi fusius ostendendum sategimus [1].

3) Sed non sufficit factum meriti Christi ostendisse, rationemque eius, ut ita dicam, philosophicam ac ethicam dedisse. Oportet insuper *possibilitatem* facti demonstrare. In quo forte nonnulli theologi plus aequo insudant. Breviter itaque mentem nostram de hac quaestione, Angelico duce, exponamus.

[1] *De Deo Uno*, t. I, p. 229, sqq.; *De Deo Trino*, p. 417, sqq.

Ut quis aliquid mereri possit, duo requiruntur: 1) ut illud nondum habeat; 2) ut activitate sua, quod nondum habet, attingere valeat.

4) Ratione prioris, a merito Christi excluduntur, quae in nobis primarium obiectum meriti sunt: augmentum gratiae et beatitudo visionis: quippe quae Christus cum ipsa unione, gratia plenissima, perfectaque scientia, in ipso instanti assumptae humanae naturae possedit. Meritum proin Christi ad se reducitur ad secundaria beatitudinis obiecta, uti sunt beatitudo et gloria corporis, cum gloria Capitis, completo opere salvifico.

5) Sed quomodo potuit Christus, iam comprehensor, aliquid meriti acquirere? - Resp. Quia erat simul *viator*. « Nullo « modo, ait S. Th. aliquis beatus mereri potest, nisi sit simul « viator, et comprehensor; ut Christus, qui solus fuit viator « et comprehensor » [2].

Nec quis putet, hoc valere pro his dumtaxat actibus, qui habent in se aliquid indifferentiae, totamque relinquunt libertatem electionis a parte obiecti. Valet pro toto, quia ratio desumitur ex ipso statu per se, non ex dispositione facultatum in eodem. Ideo enim desinit ratio meriti in puro comprehensore, sive angelo sive beato, quia pervenit ad suum statum perfectum. Qua ratione dempta, nulla alia solida ratio superest ad meritum in beatis excludendum. Audiatur rursus Angelicus: « In statu felicitatis futurae homo pervenit « ad perfectum; et ideo non relinquitur locus perficiendi per « meritum: *si tamen relinqueretur, esset efficacius propter « maiorem charitatem* » [3]. Adverte, in hoc loco S. Thomam agere de merito contemplationis; loquitur proin de charitate prout obiectum habet ipsum Deum dilectum. Ergo S. Doctor non tollit rationem meriti ex hoc, quod charitas perfecta amplius ab obiecto suo temperare nequeat. Nam sicuti nulla maior charitas quam beatorum, ita per se nulla efficacior ad merendum, *si status sineret*. Ait enim rursus Angelicus: « Id quod ex amore facimus, maxime « voluntarie facimus; unde etiam secundum id quod ad ratio-

[2] I, LXII, a q. ad. 3.
[3] II-II, Q. CLXXXII, a 2, a 2.

« nem meriti requiritur, quod sit voluntarium, principaliter « meritum charitati tribuitur » [1].

6) Porro applicando haec lucidissima principia ad Christum, simul viatorem et comprehensorem, obtinemus sequentia: *a*) Christus ea, quae nondum possidebat, sibi mereri potuit, *quatenus erat in statu viatoris*. - *b*) Comprehensio, qua anima Christi gaudebat, nedum obfuerit merito, illud stimulavit. - *c*) Impossibilitas in qua, ratione comprehensionis, Christus erat recedendi a voluntate Patris, nullo modo impediebat, quominus impletio mandati, utpote maxime voluntaria, quia ex maxima charitate, habuerit *in viatore* rationem summi meriti. - Haec principia alte teneantur, infra inservitura, ubi quaeremus de impletione mandati patiendi et moriendi, quod Filio incarnato Pater iniunxit.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit in Christo duplicem rationem viatoris et comprehensoris.

2. Obi. Non distinguit, quae sunt hominis beati, et quae Filii Dei. Ad pleniorem solutionem huius obiectionis, praeter modo expositam considerationem ex necessitate satisfactionis quae aliquam deficientiam requirebat, adducenda insuper est ratio maioris perfectionis, quam, caeteris paribus, meritum confert. Ambae rationes sunt coniungendae; altera quippe alteram complet.

3. Obi. Seriam difficultatem haec obiectio continet. Praeter ea quae S. Th. in responsione habet, adverte sequentia. Verum est, gloriam corporis Christo fuisse in radice debitam, propter dignitatem personalem et propter connaturalem redundantiam gratiae perfectae comprehensoris in corpus. Sed, quum aliunde ad opus redemptionis Christus debuerit esse viator, ut posset mereri, et passibilis ut posset expiare, oportuit, ut hanc corporis gloriam non haberet ab initio. Unde, quum per se in viatore gloria corporis cadat sub meritum, factum est ut, quod fuisset absque merito, si tituli Christi sese de facto usque ad glorificandum corpus ab initio extendissent, id iam cum merito consecutum sit.

Sed contra est. Adverte, in loco S. Pauli ad Philippenses,

[1] I-II, Q. CXIV, a. 4. Corp.

omnia contineri, quae in Christo sub merito cadebant. « Propter quod et Deus *exaltavit illum* »: en gloriam corporis a morte revocati et ad suprema caelorum advecti; « Et *dedit illi nomen,* etc. »: en gloriam Capitis, ex opere salvifico adeptam. Quam capitis gloriam, tanquam passionis meritum, Isaias contemplatus est in celeberrimo de morte Christi vaticinio: « Si posuerit pro peccato animam suam, videbit « semen longaevum » [1].

Utramque gloriam ipse Christus intendit, quando passioni iam proximus Patrem rogavit: « Clarifica me tu, Pater, apud « temetipsum, claritate quam habui prius quam mundus « esset, apud te » [2]. Et post traiectum mare rubrum doloris ac sanguinis, discipulis Emmaüs petentibus ait: « Nonne haec « oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? » [3]. Optime igitur S. Augustinus: « Humilitas passionis, claritatis « est meritum; claritas, humilitatis est praemium » [4].

In Corpore. S. Thomas ita procedit. 1) Explicat quo sensu tenendum sit principium, aliquem dignius aliquid habet *per seipsum;* nempe non ad excludendum Deum, causam auctoritativam et operativam totius boni, sed per collaborationem meritoriam. - 2) Restringit illud principium applicatum ad Christum. Quod facit, comparationem instituens. Quae dona per absentiam sui magis nocerent, quam dignitati conferrent per acquisitionem ex merito, in Christo ante meritum ac proin praeter meritum sunt. - Alia vero, quoad quae maior dignitas ac proin perfectio resultat ex ratione meriti, quam imperfectio ex carentia initiali eorumdem, ex merito sunt. - Ad complementum huius argumenti inducendum est elementum ex necessitate passionis petitum.

In III. Sent. Dist. XVIII. q. 1. S. Th. separatim quaerit, utrum Christus meruerit, et utrum sibi meruerit. En paucis quomodo utrumque quaesitum solvat [5].

1) In merito *tria* sunt consideranda: « scilicet *agens*, qui « meretur; *actio*, per quam meretur, et *merces* quam me-

[1] LIII, 10.
[2] IOANN. XVII, 5.
[3] Luc. XXIV, 26.
[4] *In Ioann.* tr. CIV. — *P. L.* t. XXXV, col. 1903.
[5] Art. 2, et 5.

« retur ». Quae postquam in se per partes evolvit, S. Doctor concludit de Christo: « Et haec tria in Christo reperiuntur: « ipse enim, quamvis quantum ad aliquid in termino perfectio- « nis fuerit, scilicet quantum ad operationes animae, quibus « erat beatus et comprehensor; tamen, quantum ad aliquid « defectum patiebatur eorum quae ad gloriam pertinent, in « quantum scilicet erat passibilis anima et corpore, et in « quantum erat corpore mortalis: et ideo secundum hoc « erat viator in statu acquirendi. Similiter et omnis actus « eius informatus erat caritate; et iterum actus sui domi- « nus erat per libertatem voluntatis; et ideo omni actu suo « meruit ».

Iam vero contra hoc ultimum S. Doctor arguit ex determinatione ad bonum in qua liberum arbitrium Christi veluti alligabatur. Dupliciter obiectionem solvit. « Ad quintum « dicendum, quod liberum arbitrium non erat determinatum « ad unum secundum numerum, sed ad unum secundum « genus, scilicet ad bonum, quia in malum non potest ». Quod evolvit exponendo quomodo, iuxta Anselmum [1], potestas in malum non sit neque libertas, neque pars libertatis [2]. Et pergit alteram solutionem suggerens, iudicio nostro profundiorem: « Vel dicendum, quod, si etiam esset determina- « tum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum (quod non « facere non potest), tamen ex hoc non amittit libertatem, aut « rationem laudis sive meriti; quia in illud non coacte, sed « sponte tendit; et ita est actus sui dominus ».

2) Quo modo autem Christus sibi meruerit, S. Thomas ostendit distinguendo triplicem huius meriti modum: Facere *a*) de non debito debitum; *b*) minus debitum, magis debitum; *c*) debitum uno modo, alio modo debitum. Quae ita applicat Christo. Primo modo ab ipso primo instanti suae conceptionis meruit gloriam corporis, ex mera natura non debitam. Secundo modo mereri nequit, propter plenitudinem charitatis initialis. Tertio modo meruit omnibus actibus.

[1] *Dial. de lib. arb.* c. 1.

[2] Cf. egregiam expositionem Cl. Hedley, *The christian inheritance*. Ch. XVIII. *Liberty*. Ubi inter alia acute simul et concinne dicta, haec habetur humanae libertatis definitio: « True liberty can only mean one thing the right and faculty of mar- « ching to the right end by the most direct road. » p. 339.

Resp. ad 1m. Ad hanc rationem viatoris S. Thomas in art. 2. supra citato passim recurrit.

Resp. ad 4m. Difficultas non distinguit in manifestatione gloriae Christi duplex Christi bonum: *a*) in ipso Christo de bono membrorum, *b*) in ipsis membris. Hoc principalius est, atque merces ipsorum membrorum. Utrumque tamen Christi Capitis merces.

Corollarium. - Sicuti contra doctrinam huius articuli incedunt, qui ob dignitatem meriti, initialem Christi perfectionem deprimunt; ita quoque eam offendunt, qui gloriam corporis putant Christum sibi mereri non potuisse, nisi per talem passionem, quae, saltem pro hoc tempore, fruitionem visionis demebat imo derelictionem a Deo involvebat. Sed de hoc fusius, ubi de ipsa Christi passione ex professo in altera Parte huius tractatus agemus [1].

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS ALIIS MERERI POTUERIT.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Responsio ad ultimam obiectionem iam continet in germine solutionem huius quaesiti. Christus enim ut caput debuit non solum sibi, sed et membris mereri posse. In hoc enim consistebat propria ratio muneris eius sub actione divina. Ait enim S. Thomas [2]: « Merito con- « digni nullus potest mereri alteri primam gratiam, nisi solus « Christus; quia unusquisque nostrum movetur a Deo per

[1] Interim, placet afferre modum quo Cl. episc. Laurent hanc sententiam exhibet: « Das Leiden des Erlösers war nicht bloss eine Verzehrung seines ganzen leiblichen « Lebens, sondern auch eine Betrübung seiner Seele bis zum Tode, ja bis zu seiner « Verlassenheit von Gott. Dieses Leiden war durchaus unmöglich für eine Seele, « die sich schon der beseligenden Anschauung Gottes erfreute. Wie daher der Gott- « mensch sich der ihm gebührenden Gottesgestalt entäussert und Knechtsgestalt « angenommen und sich selbst bis zum Kreuzestode erniedrigt hat, so muss er auch « zu dieser Selbstentäusserung und Selbsterniedrigung auf die beseligende Anschau- « ung Gottes in seinem irdischen Leben, wenigstens während seines heiligen Leidens, « seiner Gottverlassenheit am Kreuze, aus Liebe zu uns verzichtet haben, und ist « eben dadurch des Wachsthums, der Erhöhung seiner Menschheit zur göttlichen « Herrlichkeit fähig geworden ». (*Das h. Evang. uns. H. Chr. nach Matth. Marc. Luc. u. Ioann.* p. 361.).

[2] I-II. Q. CXIV, a. 6, in c.

« donum gratiae, ut ipse ad vitam aeternam perveniat, et ideo « meritum condigni ultra hanc motionem non se extendit, sed « anima Christi mota est a Deo per gratiam, non solum ut ipse « perveniret ad gloriam vitae aeternae, sed etiam ut alios « in eam adduceret, in quantum est Caput Ecclesiae, et auctor « salutis humanae, secundum illud ad Hebr. II: Qui multos « filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis, etc. ». Et alio in loco [1], ad ostendendam hanc eamdem veritatem, S. Doctor recurrit ad rationem instrumentalem humanitatis Christi sub actione divina in ordine ad salutem ipsius humanae naturae.

2) Ex quibus iam sequitur, hanc meritoriam operationem Christi pro genere humano, utpote respondentem ex oppositione operationi demeritoriae Adami, primario singulis hominibus per aliquod medium regenerativum esse applicandam. Proin merendo pro aliis, Christus primario meruit baptismi virtutem. Inde mors Christi atque resurrectio sunt imago maxime eloquens huius Sacramenti, vel potius eiusdem typus praecellens, iuxta illud S. Pauli: « Consepulti « sumus cum illo per baptismum in mortem, ut, quomodo « Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos « in novitate vitae ambulemus » [2].

3) Quod autem supra illud medium Christus alias gratias sacramentales meruerit, iam superabundanti saluti est tribuendum [3]. Idem valet de gratiis quae, intuitu ipsius extra Sacramenta conferuntur. Non certe quasi merita Christi Sacramentis alligentur, sed fundamentum merendi pro aliis est in Christo dignitas socialis, scilicet dignitas capitis; et Sacramenta, prae collatione gratiae extra Sacramenta, medii socialis rationem habent.

4) Sed, inquies, si Christus ex condigno meruit gratiam aliis, nonne perit pro illis ratio gratuitae salutis?

Resp. - *a*) Nullo modo, quum ipse Christus, hoc est ipsa Incarnatio Verbi et reparatio generis humani per ipsum, sit maxime gratuitum Dei donum: « Si scires donum Dei! » [4]. - *b*) Aliud est, mysticum corpus esse Christo debitum ex

[1] III. Sent. loc. cit. a. 6, q. 1.
[2] Rom. VI, 4.
[3] Cf. Rom. V, 16, sqq.
[4] Ioann. IV, 10.

condigno; aliud, singula membra, uti haec individua, Christo ex condigno deberi; quare pro quovis membro gratuitum est, quod id potius quam aliud Christo capiti uniatur. *c*) Praeter gratiam initialem baptismalem, quae ex rationibus iam dictis gratuita est, aliae gratiae ipsi superstructae, praesertim gratiae remissionis peccatorum post baptisma commissorum [1], novam gratuitatis rationem habent; nisi tales sint, quae cadant sub merito per charitatem. Sed de his fusius et data opera agetur, ubi de gratia et merito.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat peccatum originale, cui opponitur in Christo influxus capitis.

2. Obi. Confundit plenitudinem quoad gratiam personalem a Christo receptam, et gratiam capitis ipsi propriam.

3. Obi. Confundit meritum ex parte Christi ut originalis culpa per remedium regenerationis deleatur, et ex parte uniuscuiusque, cui idem remedium applicatur.

Sed contra est. Christum nobis meruisse, probatur ex multis locis S. Scripturae. Praeter locum hic citatum, habes: « Gratia Dei vita aeterna, in Christo Iesu Domino nostro » [2]. « Gratia Dei, per I. Chr. D. N. » [3], ex quibus verbis Ecclesia desumpsisse videtur conclusionem orationum suarum, qua doctrinam praesentem alte proclamat: Per D. N. I. Chr. etc., etc. - Item: « Per ipsum habemus accessum... ad Patrem » [4]. - Quam Apostoli doctrinam ipse Christus diserte expressit ubi discipulis ait: « Nemo venit ad Patrem, nisi per me » [5]; Inde enim est: « Via, veritas et vita », quia per merita sua nobis *viam* aperuit, et per *fidem* applicat nobis merita sua ad *vitam*. - Ratio haec meritoria operis Christi, continetur etiam in ultimis verbis vaticinii Isaiae iam saepius citati: « Ipse peccata multorum tulit », en partem expiatricem removentem gratiae obicem; « et pro transgressoribus rogavit » en partem impetratoriam gratiam merentem [6].

[1] Cf. I-II, Q. CXIV.
[2] Rom. VI, 23.
[3] Ibid. VII, 25.
[4] Ephes. II, 18.
[5] Ioann. XIV, 6.
[6] LIII, 12.

Haec efficacia impetratoria operis Christi a concilio Tridentino multis in locis declaratur. Sess. VI, c. 7 ita habet: « Causa autem meritoria, dilectissimus Unigenitus suus D. N. « I. Chr., qui, cum essemus inimici, propter nimiam chari- « tatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno « crucis nobis iustificationem meruit et pro nobis Deo Patri « satisfecit » [1], et infra: « Nemo potest esse iustus, nisi cui « merita passionis D. N. I. Chr. communicantur ». Cf. c. 16. et can. 32, necnon Sess. V.

A Patrum testimoniis afferendis abstinemus, quia de hoc argumento in altera parte tractatus sermo recurret.

In Corpore. Nihil aliud facit S. Th., quam revocare doctrinam supra expositam de Christi *gratia capitis.* Tertia enim ratio allata in Q. VIII, a. 1. in *Corp.* et in Q. VIII. a. 1. in *Corp.* meritum a Christo nobis acquisitum demonstrat.

Porro, si quaeris, in quonam primario hoc meritum ponendum est: respondendum est, iuxta doctrinam epistolae ad Hebraeos, esse in actu pontificali, quo Christus per proprium sanguinem ingressus est in Sancta, aperiens nobis aditum ex virtute propriae immolationis, cuius pretium semel oblatum, in caelo et in altari iugiter repraesentatum, infiniti valoris est, tum intensive, tum extensive.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Ex duplici natura Christi et ex integritate naturae humanae assumptae, sequitur, cum duplici forma agente, duplicem operationem divinam et humanam in Christo esse distinguendam; ita tamen, ut quotiescumque adest communicatio virtutis, se invicem aliquo modo compenetrent, unde rite *theandricae* vocantur (a. 1.) - A parte autem operationis humanae, maior fuit in Christo unitas quam in quovis homine puro. Etenim ratio gubernabat partem sensitivam, capacem accipiendi rationis ductum. Inferiora autem, etsi propria sua independenter a ratione exercebant, eatenus tamen voluntati subdebantur, quatenus haec consentiebat operationibus, quas impedire potuisset (a. 2.).

[1] Denzinger, n. 692, 672; sqq.

2) Porro hac operatione humana sub ductu actionis divinae Christus meruit sibi, ea quae perfectius merebatur, quam ab initio habuisset, stante opere salvifico per passionem complendo. - Meruit et aliis, id est, generi humano, sibi uti Capiti corporis instar coniuncto (a. 3. 4.).

De Sententia S. Bonaventurae, Scoti et Toleti.

Praeter catholicos theologos, sane perpaucos, qui existimant, Christum per passionis humilitatem sibi meruisse totum statum comprehensoris quippe quem nondum habebat: aut saltem passionis tempore eodem fuisse orbatum ut pati posset, ac proin per passionis complementum eiusdem plenitudinem novo titulo acquisivisse; - vigent quoad doctrinam huius gemini articuli aliquae discrepantiae inter doctores. Brevitatis causa, ad tres hanc brevem appendicem limitabimus.

1) **S. Bonaventura** recedit a sententia Alexandri et S. Thomae, Scoti, Marsilii, aliorumque, quatenus potius tenet, Christum quoad *actum* non a primo instanti meruisse, sed parvo interiecto intervallo, utpote requisito ad actionem deliberatam, sine qua meritum dari nequit. En verba quibus hanc sententiam exponit: « Operatio debet sequi *esse* substantiae; « ideo necesse fuit, animam Christi prius esse quam agere, « praecipue eo actionis genere, quod spectat ad usum volun- « tatis deliberativae; talis autem est actus meritorius. Et « ideo si dicatur alicubi, Christum a primordio suae concep- « tionis meruisse, dicunt verum esse, secundum quod *a* dicit « ordinem ad principium *extra* sumptum, non *intra* ». Non negat utique Seraphicus sententiam oppositam, utpote et ipsam « satis rationabilem »; sed alteram tenet faciliorem, imo, - quo iure nescio, - communiorem. Alibi videbimus, sententiam hanc valere de primo actu deliberato malo; ac proin angelos malos non in primo instanti a Deo recessisse: adhaesisse autem Deo a primo instanti angelos bonos.

Quoad *habitum* autem S. Bonaventura concedit, Christum a primo instanti meruisse [1].

2) **Scotus**, qui cum S. Thoma stat quoad 1.m quaestionem

[1] III. Sent. Dist. XVIII, art. 1, q. 1.

de Christi merito per actum elicito a primo istanti, parumper ab eius doctrinae recedit quoad meritum gloriae proprii corporis. Dicit enim Scotus, ex ipsa unione hypostatica et animae beatitudine Christo ab initio titulum adfuisse ad gloriam corporis, hanc autem gloriam fuisse impeditam propter bonum passionis in ordine ad opus salvificum. Quare, si in Christo relate ad gloriam proprii corporis fuit meritum, non fuit nisi indirectum, scilicet tanquam removens prohibens.

Equidem, dato etiam quod unio hypostatica et beatitudo animae secum ferant titulum ad gloriam corporis, - quod verissimum puto, - non inde videtur negandum meritum etiam directum ad eamdem gloriam obtinendam. Potest enim aliquid obtineri duplici titulo, et dignitatis et meriti.

3) **Toletus** in hanc nostram sententiam convenit, sed quoad aliud recedit: scilicet quatenus Christi meritum non tribuit charitati comprehensoris, sed viatoris. Quod puto absque solido fundamento positum, et per ea quae superius ad normam S. Thomae diximus, efficaciter confutatum.

En conclusiones pii doctique Cardinalis:

Art. III. - I. Concl. « Christus per suam actionem non « meruit animae beatitudinem ». - II. Concl. « Christus per « actionem suam meruit animae impassibilitatem, corporis « glorificationem, et sui nominis exaltationem ». - III. Concl. « Christus meruit ista per charitatem, qua parte erat cha- « ritas viatoris; non enim Christus fuit tantum comprehen- « sor ». - Art. IV. - I. Concl. « Christus habitualiter [1] suam « meruit beatitudinem, non tamen actualiter ». - II. Concl. « Christus suam corporis glorificationem, nominis exaltatio- « nem, animaeque integram impassibilitatem meruit actua- « liter; non tamen ex indebita debitam faciendo ». - III. Concl. « Christus in primo instanti suae conceptionis meruit non « solum habitualiter, sed actualiter etiam ». - IV. Concl. « Christus non meruit nobis ex indebito debitum, aut ex « debito maius debitum faciendo, sed ex uno modo debito « pluribus modis debitum faciendo ». - V. Concl. « Christus « non meruit per actum charitatis, qua parte erat beatus, « sed per actum viatoris ».

[1] Iste habitus est radicaliter unio hypostatica, ac insuper inde effluens plenitudo initialis gratiae.

MEMBRUM II.

DE CONVENIENTIBUS CHRISTO SECUNDUM HABITUDINEM AD PATREM.

Ordo Membri ex tabella p. 19. constat. 1) Quaeritur de habitudine *Christi ad Patrem;* 2) reciproce de habitudine *Patris ad Christum.*

CAPUT I.

Ordo Capitis. Ut in eadem tabella habetur, secundum tria nobis hic, per totidem Quaestiones, subiectio Christi ad Patrem consideranda occurrit: 1) secundum ipsam *subiectionem,* 2) secundum *orationem,* 3) secundum *sacerdotium.*

1) DE CONVENIENTIBUS CHRISTO SECUNDUM QUOD PATRI FUIT SUBIECTUS.

QUAESTIO XX.

Ordo Quaestionis manifestus est. Quum in Christo sit considerandus Deus et homo, quaeritur 1) de relatione utriusque ad Patrem, 2) in ipso Christo de relatione hominis ad Deum. Primum quaesitum titulo Quaestionis directe respondet, alterum indirecte.

ARTICULUS I.

UTRUM DICENDUM SIT, CHRISTUM ESSE SUBIECTUM PATRI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vidimus supra, agentes de modo praedicandi τὸ *fieri* in Christo, cautius eas formulas esse adhibendas, ex quibus haeretici argumentum in favorem erroris sui per detortam interpretationem sumere pos-

sent. Haec iterum applicanda sunt formulae, de qua in praesenti articulo quaeritur.

2) Etenim quando dico: « *Christus est subiectus Patri* », haec sententia triplicem sensum patitur: *a*) Christus, ut *Filius,* est subiectus Patri; - *b*) Christus, ut *persona humana vel suppositum humanum,* est subiectus Patri. - *c*) Christus, *ut homo,* id est, *secundum humanam suam naturam,* est subiectus Patri. - Iam vero apparet, primum sensum esse Arianum, et secundum Nestorianum, aut saltem Felicianum. Tertius vero catholicus est. Quare simpliciter, sine ullo addito, propositio: « *Christus subiectus est Patri* » non est concedenda; at cum hoc addito *c*), est probanda.

3) Porro si conferantur inter se formulae « *Christus est « creatura* », et « *Christus est subiectus Patri* », videretur magis concedenda prior, quia *esse,* quod exprimitur per *creaturam,* magis tribuitur naturae, quam *agere* aut *pati,* quod per relationes *domini* et *servi* indicatur. - Nihilominus, quum natura sit illud, *quo* aliquis agit et patitur, recte, secundum naturam quam habet inferiorem, aliquis potest dici servus illius, cui secundum naturam superiorem aequalis est. Ita in casu iudicanda est formula « *Christus est subiectus « Patri* ».

4) Iam vero, sicuti in Deo triplex consideratur ratio *Domini,* quatenus *a*) creaturam condit, *b*) creatura utitur, *c*) creaturae liberae voluntatem imponit; ita quoque in creatura rationali triplex est ratio *servitutis,* quatenus *a*) est, *b*) movetur, *c*) paret. Quae tria cum gradatione disponuntur. Tertium quippe solis creaturis liberis convenit; secundum in liberis magis emicat; primum, etsi in omnibus aequale, quantum ad nihilum unde sunt educta, tamen gradus habet iuxta perfectionem ipsius esse uniuscuiusque creaturae.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit ac si formula de qua quaeritur, simpliciter concederetur.

2. Obi. Non attendit, τὸ *agere* et τὸ *pati*, etsi proprie personarum seu suppositorum sunt, tamen naturis, ut formis *quibus,* tribui.

3. Obi. Confundit subiectionem cum progressione in eadem, ratione missionis ex obedientia completae.

Sed contra est. Duo doctrinae capita componenda sunt: 1) Patrem esse maiorem Filio; 2) Filium esse aequalem Patri. De utroque fuse in tractatu SS. Trinitatis. Adverte, ex dictis superius contextum verborum Christi clare indicare, agi hic de minoritate ratione naturae humanae. Item dic de loco S. Pauli ad Philippenses c. II. ubi « *forma servi* » expresse indicat *naturam* humanam, non suppositum. - Cf. art. 4. Q. XXIII. - Corroboratur doctrina huius art. per verba Symboli Athanasiani: « Æqualis Patri secundum divinitatem, « minor Patre secundum humanitatem ».

In Corpore. Methodus ac vis huius argumenti patent. Considerat enim S. Thomas subiectionem ad Deum 1) secundum gradum *bonitatis;* 2) secundum Dei *potentiam;* 3) secundum *proprium actum.* - 1) Quod dicitur de bonitate propter essentiam, intelligendum est de natura, non de esse completo. - Ideo sub specie *bonitatis* essentia exprimitur, ut melius pateat applicatio textus Matth. XIX. Caeterum ipse Creator opera sua in esse condita contemplans, ea proclamavit « *bona* « valde ». - 2) Quod de subiectione *potestati* divinae dicitur, in Christo maxime emicuit: inde tanta in ipso sollicitudo implendi omnia oracula de se scripta, usque dum exclamare potuerit: « *Consummatum est!* » — Haec ratio praecipua intenditur in ultimis verbis sententiae S. Pauli ad Philippenses « *factus obediens* »; dum secunda ratio forte magis intenditur praecedentibus « *formam servi accipiens* »; et prima ratio continetur implicite in primis verbis « *quum in forma Dei esset* ». Unde aliquis non immerito diceret, unico hoc loco totum argumentum huius *Corporis* comprehendi.

Resp. ad 3m. Triplex subiectio ad invicem conferenda est, cum gradatione in tempore et in fine temporum: 1) Christi relate ad Patrem; 2) omnium relate ad Christum; 3) omnium relate ad Patrem. - Incipiamus a secundo. Apostolus duplicem subiectionem indicat: *a*) Quum subiecta *fuerint* ei omnia, - *b*) qui sibi *subiecit* omnia. - Haec altera, tempore prior, est subiectio *subiiciendorum;* prior, tempore posterior, est subiectio *subiectorum.* Inter utramque procuratur adductio electorum ad Patrem, cui adductioni praeficitur Christus.

Inde iam patet gradatio in primo. Christus subiicitur Patri in tempore, quin totum corpus iam Patri de facto sub-

mittatur; in fine, ipse et corpus eius Patri subiicientur. - Vel etiam, in tempore, Christus, praefectus operi salutis nomine Patris complendo, in fine, opere completo, erit simpliciter subiectus: ad modum ducis, cui rex committit bellum discretione propria ad exitum perducendum. Dum bellum perdurat, milites et hostes capti subiiciuntur duci; absoluta victoria, paceque confecta, dux triumphans omnia debellata ad pedes Regis subiicit, insuper et semetipsum iam simpliciter servum. Hic sensus videtur magis menti Pauli conformis.

In tertio gradatio manifesta est: omnia quippe Patri primum subiicientur iure, dein facto. - Locus autem S. Matthaei, qui in fine citatur, optime congruit comparationi modo institutae inter Christum et belli ducem discretionaria facultate a rege insignitum.

ARTICULUS II.

UTRUM SIT CHRISTUS SUBIECTUS SIBI IPSI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Sicuti in praecedenti articulo vidimus, propositionem « *Christus subiectus est Patri* » non esse simpliciter concedendam, quia, ex tribus significationibus quas habere potest, una sola catholica est; ita quoque formula « *Christus subiectus est sibi ipsi* » patitur duos sensus, quorum unus bonus, alter malus.

2) Malus sensus est, quippe Nestorianus, si intelligo duos esse Christum (vel duo); quorum unus (vel unum) sit alteri subiectus. Bonus autem, si intelligo duas naturas in una persona, ita ut eadem ipsa secundum inferiorem subsit, secundum superiorem praesit.

3) Si autem quaeritur, quaenam interpretatio sit magis obvia, respondendum est, subiectum per se intelligi materialiter; proin *Christum* poni pro *persona Christi;* ac per consequens interpretationem Nestorianam, aut saltem Felicianam, magis respondere constructioni verborum uti iacent. Quare haec propositio est simpliciter reiicienda; admittenda vero cum reduplicativo additamento.

II. **Ad Textum.** - Quum formula de qua quaeritur, sit simpliciter sumpta, respuenda, admittenda autem secundum quid, omnes obiectiones procedunt ex priori; rationes in *Sed contra est* arguunt iuxta alterum.

1. Obi. Adverte verba Damasceni « *unum enim ens* ». Cf. animadversionem supra ad primam rationem *Corp.* art. praeced. factam.

2. et 3. Obi. Non attendunt ad rationem partis aut quasi partis, neque ad principium *quo*, unde natura inferior inservit superiori in habente utramque, imo ipsi habenti inservit, sed prout est natura.

Sed contra est. Sensus genuinus formulae de qua quaeritur, probatur ex triplici loco Sacrae Scripturae. 1) Ex affirmatione ipsius Christi, de qua fuse supra: « Pater maior « me est ». Ex qua ita arguitur. Si Pater maior, Filius minor. Si Filius minor, ergo subiectus. Atqui Filius aequalis Patri. Ergo Filius sibimetipsi subiectus, secundum id secundum quod Patre minor. - 2) Ex mox citato loco S. Pauli [1] in quo expressius habemus sensum reduplicativum, ratione *formae servi.* - 3) Rursus ex verbis Christi « Ascendo ad « Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum et Deum « vestrum » [2], ex quibus apparet in Christo duplex respectus aequalitatis et inferioritatis relate ad Patrem. Adverte, S. Thomam interpretari hunc locum in sensu aequalis tituli, quem Pater sive Deus habet ad Filium incarnatum et ad homines discipulos eius. Quomodo? propter communem cum hominibus naturam. Verba « *Patrem meum et Patrem vestrum* » per se non sufficiunt ad hunc sensum imponendum. Pater enim dupliciter dici potest: ad intra, ratione generationis aeternae; ad extra, ratione adoptionis temporalis. Sequentia autem: « *Deum meum et Deum vestrum* », hunc sensum exigunt.

In Corpore. S. Doctor duo facit. 1) Exponit duplicem sensum formulae, alterum Nestorianum, a Cyrillo et Damasceno sedulo negatum; alterum catholicum. - 2) Conferendo inter se utrumque sensum, demonstrat quomodo, quae Christo

[1] Philipp. II.
[2] Ioann. XX, 17.

ratione personae conveniunt, simpliciter; quae autem ratione naturae, secundum quid praedicanda sint [1].

Corollarium. Quemadmodum vi reduplicativae sententiae Christo tribui possunt, quae ei ob naturam humanam tribuuntur, ita, imo pressius potest dici Christus habere *a se* quaecumque divina eius persona humanae eius naturae tribuit. Hoc sensu audivimus S. Anselmum dicentem: « Quamvis « humana natura a divina habeat quod habebit, idem tamen « ipse a seipso, quoniam duae naturae una persona erunt, « habebit » [2].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Quum Christus sit aequalis Patri secundum naturam divinam, et una sit Verbi persona, Christus *subiectus Patri* dici nequit, nisi *secundum naturam humanam*. Cum hac reduplicatione subiicitur Patri, tum propter *bonitatem* participatam, tum propter *potentiam* cui subest, tum propter *voluntatem* quam implet (a. 1). - Reciproce in ipso Christo, licet una sit persona, tamen, propter duplicem naturam, quarum una est alteri subiecta, Christus dici potest in sensu reduplicato *subiectus sibimetipsi* (a. 2).

[1] Recole pro hoc articulo, quae superius de duplici modo reduplicandi dicta sunt in fine Quaest. XVI, ubi discussa est vis sententiae · « Pater maior me est ».

[2] *Cur Deus homo*, l. II, c. X. — *P. L.* t. CLVIII, col. 410.

2) DE ORATIONE CHRISTI.

QUAESTIO XXI.

Ordo Quaestionis hoc schemate brevissimo continetur.

Quaeritur
1) de *existentia* orationis: *a*) quoad *factum* (a. 1), *b*) quoad *modum* (a. 2).

2) de *exercitio* orationis: *a*) quoad *obiectum* vel finem (a. 3), *b*) quoad *exitum* (a. 4).

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTO COMPETAT ORARE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quum oratio subiectionem ac inferioritatem supponat, eatenus Christus orare Patrem potuit, quatenus erat ei subiectus, hoc est, iuxta modo explicata, *secundum suam humanam naturam.*

2) Imo, quum oratio sit manifestatio voluntatis in ordine ad eiusdem impletionem, eatenus Christus Patrem rogare potuit, quatenus, propter assumptam humanam naturam, *voluntatem* habebat *humanam.* Haec enim non erat omnipotens, sicuti et divina. Ergo campus ei apertus erat rogandi.

3) Sed praeter hanc rationem fundamentalem ex ipsa natura humana Christi petitam, in oratione Christi aliae rationes, cum S. Bonaventura, S. Thoma, ac Patribus passim investigandae sunt. Quae praesertim ad sequentes rediguntur.

a) *Meritum* sibi et nobis per orationem acquirendum per obtentum ipsius orationis obiectum [2]. - *b*) *Officium.* Christus enim, Summus Pontifex legis aeternae, nomine suo ac totius

[1] Eadem quatuor quaerit S. Thom. III Sent. dist. XVII, a. 3, sed non eodem ordine. Inversi fit inter articulum 2. et 3. Ordo *Summae* magis placet ob divisionem maiorem inter 1) et 2).

[2] Vide infra a. 3. et 4.

Ecclesiae Patrem orare debebat, et iugiter orat. Cf. doctrinam S. Pauli ad Hebraeos V, VII. - *c*) *Exemplum*, quod discipulis iniunxit, ipsum primum implere decuit: « Vigilate et « orate ». De quo sermo infra recurret. - *d*) *Doctrina.* Et haec quidem α) *Origenis:* rogando Patrem, ostendit se missum a Patre: « Ut credant quia tu me misisti » [1]. Quae ratio non unice habet suam vim ex oratione, sed ex oratione exaudita: « Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me » [2]. β) *Veritatis naturae humanae,* ratione subiectionis, duplicis voluntatis, imo affectuum sensualitatis. γ) *Ipsius modi efficaciter orandi.* Iuxta illud discipulorum: « Domine, doce nos « orare », et illud Christi: « Sic ergo vos orabitis » [3].

4) Oratio autem distinguitur in impetratoriam et contemplativam, secundum quod intendit obtinere aliquid voluntate manifestatum, vel potius sistit in divina perfectione, in quam se erigit. Attamen ipsa contemplatio, ut vera sit oratio, affectum continet amoris, qui affectus implicite saltem, continet desiderium ut amatus ametur, ipsique serviatur. Inde nexus tam intimus inter primas petitiones orationis Dominicae, quae videntur quasi spontanee ex contemplatione paternae bonitatis atque maiestatis effluere.

5) Hoc autem desiderium implendae voluntatis in oratione expressae, non impeditur in Christo per praevisionem infallibilem ipsius impletionis. Nam *a*) desiderium non fertur in obiectum quatenus videtur obtentum, sed quatenus consideratur obtinendum. Insuper *b*) praevisio non solum cadit in ipsam desiderii impletionem, sed in modum quo implendum est. Quare si praevidetur implendum per ipsam efficaciam exauditae orationis, nonne haec praevisio, nedum impediat orationem, ipsam potius stimulare dicenda est?

Utrumque apparet in historia resurrectionis Lazari. Sciebat Iesus, Lazarum suscitatum iri. Dixit enim, accepto aegritudinis eius nuntio: « Infirmitas haec non est ad mortem, sed « pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam » [4]. Et cognita ex seipso morte eius: « Lazarus amicus noster dormit,

[1] Ioann. xi, 42.
[2] Ibid., 41.
[3] Luc. xi, 1. — Matth. vi, 9.
[4] Ioann. xi, 4.

« sed vado ut a somno excitem eum » [1]. Quamvis autem certus de portento futuro, Christus tamen tenerrima oratione Patrem rogat ut exaudiatur.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit ac si Christus secundum voluntatem humanam omnipotens esset.

2. Obi. Confundit duplicem respectum futuri: ad scientiam et ad voluntatem. Insuper abstrahit ab influxu ipsius volitionis per orationem in praescitum.

3. Obi. Confundit in contemplatione motum exeuntis de potentia in actum, qui dedecet Christum, et motum ipsius actus, qui eum maxime decet.

Sed contra est. Non solum ex Scriptura habemus, Christum orationi incubuisse, sed orationem prolixiorem praecipuis operibus praemisisse: vitam publicam non aggreditur nisi quadraginta diebus in deserti solitudine peractis; Apostolos suos electurus, noctem integram in orando transigit; solus in monte diu orat ante solemnem illam Eucharistici doni promissionem; demum fusis precibus ac sanguine praeludit passioni, quam in cruce inter orandum cum lacrimis erat absoluturus. Excellentia inde orationis eloquenter elucet; imo excellentia specialis orationis nocturnae [2].

Abigendae sunt ergo, uti absurdae ac impiae, positiones Nyctagum, qui, teste Isidoro, invehebant contra vigilias ac orationes matutinas, tanquam superstitiosas, Deique offensivas, quum noctem quieti hominibus dederit; insuper Vigilantii (imo *Dormitantii*, ut suggerit lepide Hieronymus), affirmantis vigilias Sanctorum esse damnandas.

In Corpore. S. Thomas ita procedit. 1) Definitionem orationis tradit, duplici parte constantem: *a*) *explicatio propriae voluntatis apud Deum*, *b*) *ut eam impleat.* - 2) Applicat utramque partem Christo. Convenit *a*) propter humanam in Christo voluntatem; convenit *b*), quia haec humana voluntas per seipsam non est omnipotens.

Resp. ad 3^m. **S. Bonaventura** distinguit duplicem ascensum intellectus in Deum, alterum *largum*, quem admittit in Christo; alterum *strictum*, quem removet quoad primarium

[1] Ioann. xi, 11.

[2] Matth. xiv, 23. — Luc. vi, 12.

seu positivum, admittit autem quoad secundarium seu negativum. *Largus* porro ascensus est « quando intellectus fertur « in eum, qui supra se est, aut implorando misericordiam, « quae est supra se, aut revelando miseriam, quae est infra « se ». Quem modum non nobis tantum, sed et Christo convenire, patet. *Strictus* autem ascensus comprehendit revocationem ab occupatione vitae activae, et processum mentis in contemplandum Deum. Hoc alterum Christo competere nequit, propter excellentiam eius contemplationis, quae semper in actu erat. Prius autem in ipso Christo servabatur [1]. Ita Seraphicus [2]. - Corroboratur haec sententia ex hoc quod legimus in Evangelio, Christum, quo liberius se orationi dare posset, montes *conscendere* solitum fuisse [3].

Quaeres. - Fuitne haec Christi oratio solum ad Patrem, an ad totam SS. Trinitatem? Et si hoc alterum, an Christus seipsum rogasse dicendus est? - *Resp.* Duo in Christo distinguenda sunt: persona rogans, voluntas rogantis. Si in Christo orante consideratur dignitas personae rogantis, oratio est ad Patrem; si autem respicitur rogantis voluntas, humana scilicet, oratio est ad totam SS. Trinitatem. - Pariter Christus ut persona rogans non rogat semetipsum. Voluntas autem humana Christi rogat deitatem, quae ipse est uti Verbum, et ita, reduplicative, sicuti dici potest sibimetipsi subiectus, ita praedicari potest semetipsum rogasse, imo iugiter rogare, quatenus a dextris Patris sedens, in altari mystice mactatus, in tabernaculo nobiscum Emmanuel degens, non cessat interpellare pro nobis [4].

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTO CONVENIAT ORARE SECUNDUM SUAM SENSUALITATEM.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Titulus quaestionis duplici modo intelligi potest: 1) utrum *unice* conveniat Christo orare

[1] Non tamen eodem modo quo in nobis, quibus non inest mens iugiter actu in contemplationem intenta, sicuti Christo.

[2] III. Sent. d. XVII. a. 2. q. 1.

[3] MATTH. XIV, 23. — LUC. VI, 12. — MATTH. XVII, 1.

[4] ROM. VIII, 4; HEBR. VIII, 25.

secundum suam sensualitatem; 2) utrum conveniat *etiam* secundum sensualitatem orare. Iam vero ita S. Thomas utrumque comprehendit, ut et priorem sensum excludat, et in altero distinguat.

2) Quo melius haec solutio pateat, recolenda sunt quae supra vidimus de multiplici respectu voluntatis Christi; nempe de voluntate essentialiter dicta sive ut natura, sive ut ratione; et de voluntate participativa, seu sensualitatis. Haec autem ultima, licet nata obedire rationi, nunquam tamen ad partem superiorem assurgere valet.

3) Iam vero in definitione orationis vidimus, primum elementum orationis esse *a*) *manifestationem voluntatis apud Deum*. In quo singula perpendenda sunt: α) *manifestatio*, β) *voluntatis*, γ) *apud Deum*. Tunc solum oratio poterit secundum sensualitatem procedere, quando haec tria *simul* poterit sensualitas praestare, in sua connexione cum ipso fine orationis; seu cum secundo elemento orationis: *b*) *ut voluntas a Deo impleatur* (δ).

4) Inquiramus igitur de singulis. α) *Manifestatio* quidem competit non solum rationali voluntati, sed etiam sensualitati; attamen modus utriusque est diversus: manifestatio enim voluntatis sensualitatis est sine ullo respectu ad finem impletionis; qui respectus unice ad rationem pertinet. - β) *Voluntas* quidem sensualitatis obiectum orationis esse potest; aliter tamen rursus ac obiectum voluntatis rationis: haec quidem absoluta est, veraque voluntas; illa vero, in homine ordinato, est conditionata ac quasi velleitas. γ) *Apud Deum* solum ea pars animae aliquid exponere valet, quae capax est supra materialia sese erigendi. Hoc autem sensualitatis vires excedere manifestum est. - δ) Pariter, uti iam diximus, sensualitatis vires excedit aliquid manifestare eo fine *ut impleatur a Deo*, quum hoc discursum et elevationem ad Deum exposcat.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit ascensum a carne ad spiritualia, et descensum a spiritualibus ad carnem per redundantiam.

2. Obi. Confundit conformitatem materialem in volito, cum paritate formali in actu volitionis per orationem.

3. Obi. Confundit unionem cum Deo per esse, quod totam naturam complectitur, et per *actum*, quod ad eam dumtaxat partem naturae spectat, quae actus illius est capax.

Sed contra est. Duo ex Scripturis habemus heic inter se concilianda: 1) orationem Christi, utpote super humanam naturam fundatam, eiusdem fuisse speciei ac est in nobis; proinde procedere debuisse a ratione; - 2) factum ipsum, Christum scilicet in oratione voluntatem sensualitatis manifestasse. Utrumque collectum habemus in cap. XII S. Ioannis, ubi describitur vox tertio in Christum superne descendens. Apprehensa propinquitate passionis, - erat quippe vespere triumphi palmarum, - Iesus vehementius horrorem in parte appetitus sensibilis expertus, ait: « Nunc anima mea turbata « est. Et quid dicam? » Impetum inde voluntatis sensualitatis manifestans, exclamat: « Pater, salvifica me ex hac « hora! » At illico motum inferioris voluntatis ratione domans, prosequitur: « Sed propterea veni in horam hanc ». Et terminat per invocationem sublimem, quae totum complectitur: « Pater, clarifica nomen tuum! » [1].

In Corpore. Accipe schema huius argumenti:

1) **Oratio secundum sensualitatem nequit esse quoad actum:**
- *a*) sensualitas nequit ascendere in Deum;
- *b*) nequit rogare aliquid ut a Deo implendum.

2) **potest quoad obiectum seu affectum:** tali oratione Christus oravit,
- *a*) ut probaret, se verum hominem;
- *b*) ut ostenderet, licitos esse tales affectus;
- *c*) modo voluntati Dei subsint.

S. Bonaventura pulcherrimo discursu solvit idem quaesitum. 1) Investigans, utrum oratio Christi fuerit rationis an sensualitatis, concludit eam fuisse

Sensualitatis:	*Rationis:*
a) quantum ad materiam;	quantum ad formam;
b) ut moventis;	ut proponentis;
c) ut pro quo;	ut a quo.

[1] V. 27. 28.

2) Quaerens cur Christus voluerit orare secundum affectum sensualitatis, quem sciebat non exaudiendum, nec exaudiri dignum, allegat has tres rationes:

a) manifestationem veritatis naturae humanae:	unde augmentum *fidei*;
b) corroborandam nostram imbecillitatem in arduis:	» » *spei*;
c) doctrinam de implenda divina voluntate:	» » *charitatis*.

En hisce rationibus, sicuti ex rationibus Aquinatis, apparet quomodo, iuxta expressionem quam adhibet ipse Angelicus, tales orationes secundum affectum sensualitatis non fuerint *simulationes* [1].

ARTICULUS III.

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM PRO SE ORARE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vidimus supra, Christum sibi meruisse gloriam corporis eaque omnia, quae ab initio nondum habebat. Iam vero, si quaerimus *quomodo* haec meruerit, respondendum est: praesertim *oratione* et *passione*. Etenim, si qua Sanctorum precibus creditur affixa virtus, quanto maior fuerit efficacia orationis Christi, imprimis pro seipso rogantis!

2) Et re quidem vera triplicem voluntatem percurrendo, affectum dico a triplici voluntate profluentem, Christus secundum eum orationem ad Patrem direxisse apparet. A posteriori ergo liquet, convenientem fuisse orationem Christi pro se.

3) A priori idem pariter constat. Rogare secundum affectum sensualitatis, vel secundum voluntatem ut est natura, ea quae spectabant ad bonum naturae suae humanae, in Christo decens erat ex dictis; nequibat enim huiusmodi desiderium excedere subordinationem ad divinam voluntatem,

[1] Cf. III. Sent. Dist. XVII, loc. cit.

in quo excessu unica ratio indecentiae reperiri posset. Rogare autem ea, quae procedebant secundum affectum voluntatis rationalis, non solum erat in Christo decens, sed et sanctissimum. Complebant enim eminenter ea, quae ipse in oratione sua nos Patrem rogare docuit: « *Sanctificetur nomen tuum* (Cf. « Pater, clarifica nomen tuum, clarifica Filium tuum »); « *adveniat regnum tuum* (Cf. « Ut sint unum in nobis, sicut « et nos unum sumus »); *fiat voluntas tua* (Cf. « non mea « voluntas, sed tua fiat »).

4) Hic autem adverte discrimen. Bona ad corpus pertinentia Christus rogavit sibi; bona vero ad animam pertinentia, nobis. Tam intime tamen haec duo inter se copulantur, ut et gloria corporis Christi prosit et nobis, dicente Apostolo: « Resurrexit propter iustificationem nostram » [1], et e converso gloria spiritualis in membris gloriam Capitis augeat.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit secundum orationem oralem, quam Christus praesertim propter nostram instructionem adhibebat. Dico praesertim, ad servandam et in Christo excellentiam orationis labiorum, quatenus exprimit ipsius corporis subiectionem ad Deum ac reverentiae munus.

2. Obi. Dupliciter deficit: *a*) Non considerat, simul stare posse orationem conditionatam procedentem secundum affectum sensualitatis, seu voluntatis ut naturae; et orationem absolutam secundum affectum oppositum voluntatis ut rationis. - *b*) Non attendit, ex aliqua re, quam, etsi arduam in se, aliquis vult, posse eumdem, dum illam vult, per orationem sperare et rogare fructum inde sibi debitum.

3. Obi. Procedit secundum orationem exclusive pro se; non autem secundum orationem principalius pro se, secundario pro aliis.

Sed contra est. Eadem veritas eloquenter continetur in verbis S. Pauli. « Qui in diebus carnis suae, preces suppli- « cationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, « cum clamore valido et lacrimis offerens, exauditus est pro « sua reverentia » [2]. Quid rogavit, si exauditus, nisi clarificationem per resurrectionem? (Cf. *Sed contra est.* art. seq.).

[1] Rom. iv, 25.
[2] Hebr. v, 7.

In Corpore. En schema huius argumenti:

Christus pro se oravit, manifestando
- 1) affectum *sensualitatis* vel voluntatis ut *naturae*.
- 2) affectum *voluntatis deliberatae:*
  - *a*) ut *doceret* nos orare;
  - *b*) ut agnosceret *Patrem* auctorem, exemplum nobis dans:
    - α) *gratiarum actio* respicit iam accepta;
    - β) *oratio,* accipienda.

Resp. ad 1^m. Nullis verbis expressa, et tamen auditu dignissima fuit oratio illa, quam S. Paulus ponit in ore Christi recens nati [1].

ARTICULUS IV.

UTRUM ORATIO CHRISTI SEMPER FUERIT EXAUDITA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Audivimus modo Apostolum dicentem, Christum e cruce *exauditum* fuisse, et rationem exauditionis reddentem, dum addit: *pro sua reverentia.* Hoc additum praesentis quaesiti solutionem in germine continet. Reverentiam Christus Patri ostendit principaliter in obediendo usque ad mortem, hoc est, in subiiciendo propriam voluntatem voluntati Patris.

2) Iam vero ex hac subiectione reverentiali sequitur, Christum nihil unquam absolute voluisse, nisi quatenus a Patre volebatur. Atqui voluntas Patris semper impletur; ergo voluntas Christi absoluta semper impletur; ergo oratio hanc voluntatem implendam Patri manifestans, semper exauditur.

3) Quid autem de voluntate conditionata? Non est impleta, quatenus ipsa conditio non implebatur. Neque inde aliquid minus digni Christo advenit, quum *a*) haec subordinatio per conditionem ipsam expressam bonum fuerit *b*) et ipsa voluntas conditionata secundum affectum in se bonum, puta amorem naturalem vitae, honoris, processerit.

4) Hucusque de bonis corporis, quae Christus naturali affectu servare cupiens, rogavit a se transire calicem, si tamen Patri placuisset. Quid iam de bonis spiritualibus, quae

[1] Cf. Concionem dogmaticam Cl. COMMER, cui titulus *De Iesu puero nato,* p. 10, sq.

rogavit pro aliis, et quae huius generis esse videntur, ut absolute rogari possint?

Resp. De his bonis iudicandum est iuxta voluntatem ipsius Patris quoad illa. Principium supra statutum teneatur. Absolute rogavit Christus impleri quod Pater absolute volebat. Iam vero inter talia estne numeranda salus omnium hominum, omnium credendorum? verbo omnium, pro quibus Christus rogavit et mortuus est? Incidimus hic in quaestionem de voluntate salvifica universali et de praedestinatione; quas heic tractandi non est locus.

Paucis: alia voluntas salvifica antecedens, et haec est universalis; alia consequens, et haec particularis, ad solos praedestinatos limitata. Porro, sicuti Patris voluntas, ita et voluntas Christi; sicuti Christi voluntas, ita eius oratio.

5) Ex hoc sequitur, dupliciter potuisse Christum pro salute hominum orare. *a*) Intuens voluntatem salvificam antecedentem, pro omnibus oravit, quin oratio eius fuerit exaudita, non enim erat omnino absoluta. - *b*) Intuens voluntatem salvificam consequentem, pro electis oravit absolute, et exauditus fuit.

6) Quum iam inter utramque salvificam Dei voluntatem quaedam habeatur pugna, si mere obiectum materialiter inspicitur: ita quoque oratio Christi pro salute hominum agonia non caruit; insigneque meritum reverentiae Redemptori fuit, hanc suam voluntatem circa eorum salutem quos proprio sanguine infiniti pretii erat redempturus, divinae voluntati salvificae universali conformasse.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit inter ea quae Christus absolute et quae conditionate orando Patrem rogavit.

2. Obi. Non distinguit eadem circa voluntatem salvificam cui Christus orando se conformavit.

3. Obi. Eodem vitio laborat, quo obi. 2; - *4. Obi.* eodem, quo prima.

Sed contra est. Huc adducenda quoque est oratio Christi ante resurrectionem Lazari: « Pater, gratias ago tibi, quo« niam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me « audis » [1]. Huc pariter faciunt loci, in quibus Christus volun-

[1] Ioann. xi, 41, 42.

tatem conditionatam in absolutam mutavit [1]. - In ipsa pontificali oratione, qua Christus passioni praeludit, tres gradus voluntatis quoad orationem inveniuntur: *a*) exclusionem a voluntate: « Non pro mundo rogo ». *b*) Voluntatem absolutam exauditam in singulis: « Ego pro eis rogo »; quae assurgit quasi ad imperium: « Pater, volo ut, etc. ». - *c*) Voluntatem subordinatam, non exauditam in singulis: « Non pro eis « autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per « verbum eorum in me » [2].

In corpore. Duo agit S. Thomas. 1) Exponit, quomodo sola voluntas rationis ut rationis, quae simpliciter et proprie voluntas est, absoluta sit dicenda; voluntas autem sensualitatis et rationis ut naturae, conditionata ac potius velleitas. - 2) Applicat haec principia ad voluntatem Christi orantis relate ad voluntatem Patris.

Resp. ad 1m. S. Thomas dividit interpretationes huius textus in duas classes, secundum quod haec petitio concipitur facta absolute necne.

En schemate expressam doctrinam responsi:

Haec proferens Christus	
I) oravit *absolute*, exaudiendus, si rogavit:	1) constantiam pro martyribus suis futuris;
	2) victoriam sibi de repugnantia patiendi;
	3) resurrectionem post mortem.
II) *non absolute*, nec exaudiendus, si rogavit:	4) naturali affectu, ut non pateretur;
	5) ut non pateretur a Iudaeis.

Interpretationes primi membri vix probabiles habendae sunt, praesertim prima Hilarii longissime petita. Quomodo enim componuntur cum sequentibus verbis Christi: « *Verum-* « *tamen,* etc. »? Istud « *verumtamen* » non habet amplius quid significet.

Interpretationes alterius membri servant nexum sermonis. Quarta - (Ambrosii, Origenis, Chrysostomi, etc.) praeferenda est. Adverte inter 4m. et 5m. hoc interesse, quod quarta procedit simul secundum affectum sensualitatis et voluntatis ut naturae. Quinta autem, quatenus respicit dedecus a proprio populo accipiendum, procedit secundum voluntatem ut natu-

[1] Ioann. xii, 27, 28. — Matth. xxvi, 42, etc.
[2] Ioann. xvii, 9, 20, 24.

ram; quatenus respicit maius scelus a magis consciis committendum, procedit secundum voluntatem rationis, sed conditionatam, iuxta explicata superius.

Resp. ad 2^m. Cave, ne ita interpreteris hanc responsionem, ac si Christus non pro omnibus mortuus esset, sensu quo Calvinus et Iansenius hoc blasphemarunt. Sed haec intelligenda sunt iuxta duplicem voluntatem divinam salvificam, quam Christus *orans intuebatur*.

Resp. ad 4^m. Inter rationes propter quas Christus hanc suam voluntatem sensualitatis et voluntatis ut naturae manifestare dignatus est, notetur illa, ne homines credere possent, dona comprehensoris ullo modo in beata Christi anima veritatem doloris ac passionis impedivisse. Non est dumtaxat argumentum de *veritate* naturae humanae *integrae*, sed et naturae *passibilis*, *viatoris*.

S. Bonaventura quaesitum praesens soluturus, recurrit ad tres humanas voluntates, quas superius Seraphicum in Christo ponere vidimus: scilicet *rationis*, *pietatis*, *carnis*. Oratio procedens ex voluntate *rationis*, semper exaudita fuit, tum quia conformis in omnibus voluntati divinae, tum quia facta ut exaudiretur. Oratio autem procedens ex voluntate *pietatis* (quando pro carnificibus orabat) aut ex voluntate *carnis* (quando rogabat, calicem transferri), non fuit exaudita per omnia, tum quia non in omnibus voluntati divinae conformis, tum quia non facta ut exaudiretur, sed magis ut per eam nos instrueremur [1]. Praecellens sane doctrina, modo illud ultimum non exclusive intelligatur. Etenim quum elementum in desiderio exauditionis fundatum, sit de essentia orationis, atque pars definitionis eiusdem, nequit hoc desiderium, at proportionatum voluntati a qua procedit, a petitione idem manifestantis excludi. Secus petitio simulatio esset, saltem formaliter ut est petitio, quod putamus a Christo removendum.

Corollarium. Ex doctrina huius articuli conclude, nullum nobis efficacius dari orationis medium, nullamque sanctiorem methodum, quam ut orationes nostras arctissimo vinculo cum orationibus Christi coniungamus, utpote in quibus habent

[1] III. Sent. Dist. XVI, q. 2. a. 2.

suum dignissimum organum, suumque uberrimum fontem. Inde in ore laudi divinae incumbentium Ecclesia haec verba ponit: « Domine in unione illius divinae intentionis, qua Ipse « in terris laudes Deo persolvisti, has tibi horas persolvo ». Et sane non est ultimus iste aspectus devotionis erga SS. Cor Iesu, quemadmodum loco suo dicemus: ut scilicet *in* divino Corde, *cum* divino Corde, ac *per* divinum Cor laudibus Deum colamus, precibusque placemus; nec ille minimus est cultus Eucharistici fructus, ut cum Iesu sub mysterii velamine pro nobis iugiter interpellante coniungamur precibus haud secus ac amore.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Christo orare maxime convenit, quum in ipso fuerit duplex voluntas, divina et humana, neque haec humana per se omnipotens fuerit ad implendum quidquid vellet. Definitio ergo orationis quoad utramque partem Christo plene convenit (a. 1).

Porro haec oratio, fundamentum suum habens in natura humana Christi, debuit eidem naturae conformari sicuti in nobis. Quatenus oratio dicit *actum*, fuit in Christo in illa animae parte, cuius est assurgere in Deum, et ab illo auditum desiderare, id est, *in rationali*. Quatenus autem respicit obiectum seu *affectum*, in *sensualitate* quoque fuit, ad exemplum et doctrinam (a. 2).

2) Iam vero utroque modo, secundum affectum sensualitatis, vel voluntatis ut naturae, et secundum affectum voluntatis deliberatae, Christus oravit ut nos orare doceret, et ut Patrem rogando auctorem ostenderet eorum, quae nondum habebat; sicuti iam habitorum eumdem probabat auctorem gratias agendo (a. 3).

In hac autem duplici specie orationum considerandum est discrimen quoad exauditionem. Oratio secundum affectum *deliberatum*, absoluta erat et *semper exaudiebatur*. Altera vero secundum affectum *voluntatis* ut *naturae*, vel *sensualitatis*, non erat absoluta, quippe voluntati divinae, ac proin voluntati deliberatae subordinata, *nec semper exaudiri debebat*, nec ab ipso rogante ut exaudiretur absolute proferebatur.

3) DE SACERDOTIO CHRISTI.

QUAESTIO XXII.

Ordo Quaestionis. In sacerdotio Christi S. Thomas ex ordine considerat quinque: 1) Personam ipsius sacerdotis; - 2) sacrificium ab eo oblatum; - 3) effectum huius sacrificii tum relate ad offerentem, tum relate ad alios; - 4) durationem muneris; - 5) ritum eiusdem. Brevius hanc Quaestionem absolvemus, quia redibit partim in secunda Parte huius tractatus, partim in tractatu de SS. Eucharistia.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTO CONVENIAT ESSE SACERDOTEM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Si Adam in amicitia Dei perstitisset, fuisset humani generis caput, tum quatenus homines inter se sociali vinculo colligantur, tum quatenus primaevae sapientiae comparticipes fiunt, tum quatenus Deo coniunguntur. Fuisset proin simul Rex et Legislator, Doctor et Pontifex.

2) Christus, novus Adam, omnia quae deformata erant, « mirabilius reformaturus », ipse solus eminentiori gradu ac munere haec quatuor in se coniungere debuit, ita simul existens: Rex ut Filius, Legislator ut Imago, Doctor ut Verbum, Pontifex ut Christus, et per haec verus *Iesus*. Regem praefiguravit David, Legislatorem Moyses, Doctorem coetus Prophetarum, Pontificem Melchisedech. Regem se Christus coram Pilato confessus est; Legislatorem egit in sermone supra montem; Doctorem in templo, in synagogis et in vita publica passim; Pontificem maxime in Coena et in Cruce.

3) Iam vero in ipso sacerdotio distinguendum est munus latius et strictius sumptum. Latius est ministerium quo homi-

nes vel creaturae intellectuales Deo iunguntur, duplici motu desursum et deorsum. Hoc sensu angeli superiores aliquo modo sacerdotio funguntur apud inferiores, chorique angelici apud homines. - Strictius autem est ministerium quo aliquis ex hominibus pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum. Hoc sensu procedit definitio Paulina. « Omnis « Pontifex *ex hominibus assumptus*, etc. » [1] eodemque sensu hic quaerimus de sacerdotio Christi.

4) Iam vero patet, tale sacerdotium eo excellentius esse, quo excellentior mediatio tum ratione personae, tum ratione muneris. *a*) *Ratione personae* excellentissimus gradus, supra quem nequit cogitari melior, obtinetur, si una persona utrumque in se coniungat inter quae mediationem exercere debet. - *b*) *Ratione muneris* pariter, si immediate a Deo hominibus divina tradat, et Deo a parte hominum aliquid infiniti pretii offerat. Patet proin, in Christo Homine-Deo, « consiliorum « divinorum Angelo », suique ipsius oblatore, totam excellentiam sacerdotii mirabili plenitudine contineri.

II. **Ad Textum.** – *1. Obi.* Dupliciter peccat. *a*) Absolute affirmat, angelum esse sacerdote maiorem; in sacerdotio autem strictiori haec ratio nihil agit, et in latiori non amplius vera est. - *b*) Absolute affirmat, Christum esse superiorem angelo; hoc autem veritate caret, tum α) ratione naturae humanae, secundum quam procedit sacerdotium stricti nominis; tum β) ratione passionis, qua Christus sacerdotii munus complevit.

2. Obi. Confundit typum cum perfecte simili. Ideo enim quia erat merus typus sacerdotii novi, vetus sacerdotium ex toto periit, uti arguit Apostolus.

3. Obi. Arguit ex separatione in imperfectis ad separationem in perfecto.

Sed contra est. Doctrinam S. Pauli ad Hebraeos de sacerdotio Christi, Concilium Trident. his verbis corroboravit: « Quoniam sub priori Testamento, teste Apostolo Paulo, prop- « ter Levitici sacerdotii imbecillitatem, consummatio non erat, « oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacer-

[1] Hebr. v. 1.

« dotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere « Dominum nostrum Iesum Christum, qui posset omnes, « quotquot sanctificandi essent, consummare et ad perfectum « adducere » [1]. Inde S. Thomas antiphonas Officii de Ven. Sacramento exorditur per haec verba: « Sacerdos in aeternum « Christus Dominus, etc. » — Cf. Orationem 26. S. Anselmi [2].

In Corpore. En schema argumenti:

1) Sacerdos est Mediator: { *a*) Dei ad populum — sacra dando (Malach. II); *b*) Populi ad Deum — precibus, hostiis (Hebr. V).

2) Christus est Sacerdos: { *a*) divina bona generi humano conferendo (II. Petr. 1); *b*) Deo genus nostrum reconciliando (Coloss. 1).

Resp. ad 1m. Adverte, vocem *angelum* sumi strictius pro spiritibus caelestibus, et largius pro *nuntio*. Hic sumitur potius hoc altero sensu; unde argumentum auctoritatis ex hoc loco desumptum non habet nisi vim suasivam.

Resp. ad 3m. Dignitas iudiciaria complet dignitatem legiferam. Inde Salomon typum gerit Domini. Quam dignitatem Christus ostendit esse suam, quando iudicium tulit de muliere adultera; vindicavit sibi coram summo sacerdote in die passionis suae; monstravitque sibi eminenter competere, quando Petrum ac Apostolos, tradita potestate ligandi atque solvendi, saeculi iudices constituit.

Corollarium. Ex dictis patet, Christum esse sacerdotem natum, ac proin ab exordio humani sui ortus pontificali muneri incubuisse. Optime Dr. Commer in laudata oratione: « En igitur sacerdotem summum in cunis repositum, media- « torem natum inter Deum et genus humanum, qui tunc « semetipsum in holocaustum offerebat. En patientem ponti- « ficem, qui sacrificium crucis sanguinisque pretiosissimi « effusionem cupiebat, agnumque innocentissimum, qui tollit « peccatum mundi » [3].

[1] Sess. XXII, c. 1. (DENZINGER, op. cit., n. 816.)
[2] *P. L.* t. CLVIII, col. 913.
[3] *De Iesu puero nato*, p. 11.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS SIMUL FUERIT SACERDOS ET HOSTIA.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Hic singulare aliquid in Christo Pontifice nobis contuendum occurrit. Paulus conferens multiplicia sacrificia a mosaicis sacerdotibus pro populi propriisque peccatis oblata, cum sacrificio unico Christi, ait de Iesu: « Hoc fecit semel *seipsum offerendo* » [1]. *Oblatio sui* est igitur Christi Pontificis propria.

2) Porro in hac oblatione distinguendum est inter violentiam a carnificibus adhibitam, quae repugnaret in sacerdote erga seipsum, et liberam mortis acceptationem, quae sufficit ad hanc suiipsius veram oblationem, si in hanc mortem ut Victima sacratus, et per hanc mortem ut Victima acceptatus Christus a Deo fuit.

3) Iam vero haec tria: *a*) *sanctificationem* in Victimam, *b*) *oblationem* liberam, *c*) *acceptationem* a Patre, Sacrae Scripturae aperte de Christo Hostia docent: *a*) « Quem Pater *sanc-* « *tificavit* et misit in mundum » [2]. - *b*) « Ego pro eis *sancti-* « *fico meipsum* » [3]; « *Oblatus est* quia *ipse voluit* » [4]. - *c*) « Per « proprium sanguinem introivit semel in sancta, *aeterna re-* « *demptione inventa* » [5].

II. **Ad Textum.** - *Obi. 1.* Confundit actionem carnificum, cum libera voluntate sese immolantis.

2. Obi. Non distinguit in humana immolatione id quod est carnificum, et id quod victimae.

3. Obi. Non considerat sanctificationem initialem Christi in Victimam.

Sed contra est. Praesens doctrina pluribus in locis epistolae ad Hebr. exponitur « *Christus* semel *oblatus est* ad « multorum exhaurienda peccata ». « Quanto magis sanguis « Christi, qui per Spiritum Sanctum *semetipsum obtulit* imma-

[1] Hebr. vii, 37.
[2] Ioann. x, 36.
[3] Ibid. xvii, 19.
[4] Is. liii, 7.
[5] Hebr. ix, 12.

« culatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus « mortuis, ad serviendum Deo viventi? » [1]. « *Una oblatione* « (utique sui) consummavit in sempiternum sanctificatos » [2].

In Corpore. Exposita latiori significatione sacrificii ex invisibili elemento, quod continet et unde pretium accipit, S. Thomas instituit analysim motus, quo ducitur homo in Deum, scilicet gradatione triplicem gradum continente: *a*) aversus a Deo est ad Deum convertendus; *b*) in unione cum Deo servandus; *c*) perfecte Deo uniendus.

Dein haec tria applicat Christo seipsum offerenti Hostiam *a*) peccatorum deletivam, *b*) gratia suos donantem, *c*) ipsosque perficientem.

ARTICULUS III.

UTRUM EFFECTUS SACERDOTII CHRISTI SIT EXPIATIO PECCATORUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quod in prima parte argumenti praecedentis *Corporis* ex auctoritate S. Pauli affirmatur, iam directius considerandum est atque probandum: oblationem scilicet Christi seipsum offerentis vere peccatorum deletivam fuisse. Quod ut obtineatur, consideranda sunt elementa status peccati a quo liberandi eramus, et efficacia oblationis Christi ad hanc liberationem obtinendam.

2) Iam vero status peccati continet duo: *maculam culpae*, et *reatum poenae*. Oportet proin ut liberatio producatur per aliquid restituens illud quod peccatum maculat, idest candorem animae, et solvens illud quod maculam sequebatur, per pretium ad minus debito aequum.

Porro *a*) candor animae est charitas, vinculum unionis eiusdem cum Deo. Deletrix culpae oblatio debet proinde esse creatrix, id est, productrix charitatis. Quam virtutem oblatio Christi inde habuit, quod opus excellentissimae charitatis prodierit, utpote Dei-hominis.

[1] HEBR. IX, 28.

[2] C. X, 14. — Cf. Concil. Trid. Sess. XXII, c. 1. « Is igitur Deus et Dominus noster, « etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut « aeternam illic redemptionem operaretur.... » (DENZINGER, op. cit., n. 816).

b) Poenam autem hominibus ex peccato debitam solverunt pariter indebitae Dei-hominis passiones.

3) Sed hic cave, ne perperam hanc deletionem peccatorum per oblationem Christi intelligas, ac si, oblata Hostia-Christo, iam cessarent peccata in mundo. Delentur quidem peccata, sed in anima cui applicatur divinae Hostiae fructus. Proinde peccata infidelium non deleta, infidelitates cuiuscumque gradus fidelium post deleta peccata, nullo modo obsunt efficaciae oblationis Christi. Iam vero si post oblatam Hostiam divinam adhuc et exstare possunt, de ipsis commemoratio fieri potest, atque pro ipsis commemorativum crucis sacrificium offerri, quin aliquid summae efficaciae primaevae sanguineae oblationis Christi derogetur.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Considerat unice in oblatione Christi vitam humanam immolatam, neglecta dignitate divina immolantis.

2. Obi. Negligit distinctionem expositam in 4.

3. Obi. Non attendit ad sacrificium quotidianum matutinum et vespertinum, quo maxime Christus Agnus Dei praefigurabatur.

Sed contra est. Doctrinam hanc ab Apostolo fuse expositam, ab ipsoque Praecursore proclamatam: « Ecce Agnus « Dei », etc. [1], Ecclesia publicis precibus centies affirmat.

Hinc Liturgia Missae celebrat Christum « Hostiam puram, « Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam ». Hinc in Hebdomada Maiori resonat invocatio: « Respice, quaesumus, Domine, « super hanc familiam tuam, pro qua Dominus Noster Iesus « Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis « subire tormentum ». Hinc in benedictione Cerei paschalis canitur: « O inaestimabilis dilectio charitatis: ut servum redi- « meres, Filium tradidisti! O certe necessarium Adae pec- « catum, quod Christi morte deletum est ». Hinc in Paschatis solemnitate in hymno: « Ad Coenam Agni providi » resonat haec stropha triumphalis:

O vere digna Hostia,
Per quam fracta sunt tartara,
Redempta plebs captivata,
Reddita vitae praemia!

[1] Ioann. I.

In Corpore. Processus argumentationis nulla explicatione indiget. Adverte, in oblatione Christi utrumque eodem titulo obtineri. Nisi enim infiniti valoris fuisset, nec culpae maculam delere potuisset, nec reatum solvere culpae. Utrumque exprimit simul S. Paulus, proclamans chirographum decreti nostrae mortis fuisse destructum, quia Christus illud cruci suae expiatrici affixit.

Sancti Anselmi doctrinam de hoc argumento iuvat hic paucis exponere. In opere *Cur Deus homo* [1] ostendit, quantum malum sit qualiscumque laesio huius Hominis-Dei, cuius in praecedentibus excellentiam monstravit; hinc pergit quaerens: *Ans.* « Quantum bonum tibi videtur, cuius interemptio « tam mala est? ». - Et pulcherrime Boso respondet: « Si esse « eius tam bonum est, quam mala est eius destructio, plus est « bonum incomparabiliter, quam sint ea peccata mala, quae « sine aestimatione superat eius interemptio ». Et concludit subinde Anselmus, mirante Bosone: « Sequitur, quia vita ista « plus est amabilis, quam sint peccata odibilia »; eodemque plaudente: « Vides igitur, quomodo vita haec vincat omnia « peccata, si pro illis detur ».

Inde pergit pius Doctor ostendens, quomodo datio huius vitae etiam peccatum illam fundentium delere potuerit, ipsorumque Adami et Evae. Dein de libertate huius oblationis egregie discurrit. Quae infra fusius tangemus.

ARTICULUS IV.

UTRUM EFFECTUS SACERDOTII CHRISTI NON SOLUM AD ALIOS PERTINUERIT, SED ETIAM AD IPSUM.

I. De ipsa Quaestione. - 1) Movetur praesens quaestio propter illos, qui cum Nestorio duas in Christo personas posuerunt. Tunc enim proxima erat conclusio, sacrificium Christi etiam homini Christo profuisse. Quod fuit diserte damnatum a Concilio Ephesino, necnon a Cyrillo, cuius doctrina a Synodo VI, can. 2. approbata fuit. Igitur, si quaestio est de sacerdotio *stricto* per oblationem sacrificii pro

[1] L. II, c. 14. — *P. L.* t. 414, sq.

peccatis expresso, dubium nullum esse potest, quin Christus nullo modo pro se semetipsum obtulerit. Imo haec positio totam Redemptionis oeconomiam ipso facto destrueret.

2) Neque sacrificium crucis pro se obtulit, ut a Patre reciperet gloriam illam, de qua supra egimus. *Obtulit* quidem, imo obtulit etiam hoc fine; sed non *pro se,* sed pro aliis; et ita quidem *meruit* non solum *aliis*, *sed et sibi.* Distinguendum enim est inter oblationis obiectum et meritum. Obiectum repugnat fuisse aliquod in ipso offerente; meritum autem in ipso fuit, et quidem maximum.

3) Hucusque locuti sumus de sacerdotio strictius considerato, quatenus in oblatione pro peccatis consistit, iuxta definitionem S. Pauli: « Constituitur ut offerat dona et sacri- « ficia pro peccatis » [1].

Sed et *latiori* sensu potest sacerdotium accipi. Tunc ipsa *oratio* ad sacerdotium pertinet. Si ergo constet, *Christum ut sacerdotem pro se orasse,* probatum erit, Christum pro se sacerdotio esse functum, in ordine ad ea quae pro se rogavit. Atqui hoc resultat ex sequentibus verbis S. Pauli: « Tu « es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. « Qui in diebus carnis suae preces, supplicationesque ad eum, « qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido « et lacrimis offerens, exauditus est pro sua reverentia » [2]. Ex quibus habemus sequentia: *a*) Christum orasse ut sacerdotem; *b*) Christum ut sacerdotem orasse pro se; *c*) Christum ut sacerdotem per oblationem precum obtinuisse sibi quod oravit. Ergo, latiori hoc sensu, aliquis effectus sacerdotii, orationis nempe sacerdotalis Christi, ad ipsum Christum spectavit.

4) Nec satis. Ab hac orationis notione altius assurgamus. In oratione Christi duo considerare possumus: voluntatem orantis et dignitatem orantis. *a*) Secundum *voluntatem* orantis, Christus, praeter ea quae n. 3 tetigimus, nihil oratione sibi obtinuit. - *b*) Secundum autem *dignitatem* orantis, Christus personalitate sua divina humanae suae naturae obtinuit, vel potius tribuit, ut laude infinita Deum coleret. Quum autem laus divina ad sacerdotium latiori sensu spectet, humanitas

[1] Hebr., v, 1.
[2] Hebr., v, 6, 7.

Christi a persona Verbi habuit, et in aeternum habebit, ut infinita Divinitatem laude celebrare valeat. Quare rursus, in hoc sensu reduplicato, Christus, ut homo, aliquid per sacerdotium suum, quatenus exprimitur laude per Deum Deo oblata, sibi, id est, humanae suae naturae contulit. Qui est veluti altissimus fructus περιχωρήσεως Incarnationis [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad discrimen inter primarium ab oratione sacerdotali intentum, et secundarium. Hoc alterum unice in Christo admitti potest. - Insuper obiectio procedit, ac si quaevis oratio ad munus sacerdotale in sacerdote pertineret; quod falsum est de oratione tum pro se, tum pro aliis. Secus enim soli sacerdotes orare tenerentur.

2. Obi. Confundit ipsum sacrificium cum devotione offerentis illud. Quare ex merito sacrificii concludit falso ad directum eiusdem effectum.

3. Obi. Nedum in hoc sit difficultas, e contra inde argumentum sumitur validissimum. Nisi enim sacerdotes Vet. Test. indiguissent pro se offerre hostias, non tanta fuisset necessitas ut veniret ille, qui nonnisi pro aliis offerret, ipse immaculatus et perfectus.

Sed contra est. Doctrina heic a Conc. Ephesino proclamata, demonstratur per verba S. Pauli: « Hic autem eo quod maneat « in aeternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde et *sal-* « *vare* in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad « Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis ». Ecce directe affirmatur, Christum propria oblatione *salvare,* non *salvari.* Quod sequentibus expressius declaratur, per oppositionem sub hoc propriae indigentiae respectu inter Christum et alios sacerdotes: « Qui non habet necessitatem quotidie, quem- « admodum sacerdotes, *prius pro suis delictis hostias offerre;* « deinde pro populi; hoc enim fecit semel, seipsum offerendo » [2]. Quibus verbis haec argumentatio struitur. Ideo Christus unius oblatione consummavit in aeternum salutem, quia non prius pro semetipso offerre eam debuit; atqui si non pro semetipso eam obtulit, non sibi per oblationem fuit sacerdos; ergo.

[1] Cf. corollarium I. art. 1. Quaest. XIX.

[2] Hebr. VII, 24, sqq.

In Corpore. Argumentum inde desumitur, quod Christus non solum sit sacerdotio mediator, sed mediator talis, qui nulla alia indigeat mediatione qua ad Deum perveniat. Ex quibus rursus apparet, unionem hypostaticam esse huius sacerdotii cardinem.

Inde iam sequitur discrimen infinitum, quod interest inter Christum et alios sacerdotes. Hi mediatores sunt mediatore superiori indigentes; Christus, in supremo gradu mediationis collocatus, ipsum Deum immediate per semetipsum attingit, quia Homo-Deus. Itaque Christus in ordine muneris sacerdotalis est primum agens. Munus proin ipsi totum est activum; quod non esset, si ab eo reciperet ipse.

ARTICULUS V.

UTRUM SACERDOTIUM CHRISTI MANEAT IN AETERNUM.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Vidimus modo, S. Paulum ex ipsa non indigentia Christi ut pro se offerret sacrificium, concludere ad unicum et aeternum eius sacrificium. Quod iam ulterius manet investigandum.

Porro aliud est in sacrificio ipsa oblatio, et aliud consummatio. *a*) Ratione *oblationis,* sacrificium Christi stricte loquendo aeternum non est: fuit enim in tempore semel confectum. Attamen *b*) quatenus in eucharistico mysterio iugiter usque ad finem saeculorum reproducitur; quatenus in caelo ipse divinus Agnus se uti immolatum simul et triumphantem Patri sistit [1], aliquo modo aeterna ipsa oblatio dici potest.

2) Sed ratione *consummationis,* oblatio Christi stricte aeterna est. Quod duplici ratione significatur. Vox enim *consummatio* passive et active intelligi potest. Priori sensu dicit aliquid quod *consummatum est;* altero sensu, aliquid quod *consummatur.* Priori sensu *passivo* oblatio Christi est aeterna, si unice considero, bona per sacrificium obtenta non esse peritura, ac proinde in effectu suo sacrificium iugiter permanere. Quod de sacrificio Christi plenissime dici, primo intuitu patet.

[1] Cf. Apoc.

3) Sed hoc non sufficit ad totam veritatem aeterni sacerdotii Christi exprimendam. Non solum in sensu passivo, sed et in sensu *activo* consummatio oblationis Christi aeterna est. Etenim in beata illa Ierusalem caelesti, iuxta Ioannem, « *lucerna eius est Agnus* » [1]. Hoc est: Christus non solum confert beatis gloriam suam dum ipsos in caelos inducit; sed iugiter est active influens in beatitudinem, qua illi per Christum fruuntur. Quum autem haec beatitudo sit consummatio sacrificii, hoc sacrificium vere et active aeternum est dicendum.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit oblationem a consummatione; et in ista nullo modo attendit momentum activum in n. 3. descriptum.

Obi. 2. Confundit directe oblationem et consummationem.

Obi. 3. Pari vitio laborat. Etenim per mortem Christi non impediebatur consummatio sacrificii, quae potius per illam iuvabatur. Nisi enim vere mortuus fuisset Christus, per resurrectionem non potuisset, eam applicando, oblationem suam consummare.

Sed contra est. Praeter Ps. CIX., ex quo, quippe directe messianico, desumitur argumentum omnino demonstrativum, habemus suasivum argumentum ex libro Numerorum [2], ubi describitur ritus immolandi mane et vespere agni immaculati, per quem Agnus Dei vere immaculatus praefigurabatur. Iam vero sacer textus ita incipit: « Haec sunt « sacrificia quae offerre debetis: Agnos anniculos immacu- « latos duos quotidie *in holocaustum sempiternum* » [3]. Id, est in signum holocausti illius, quod semel in sempiternum offerendum erit. Ubi adverte ipsum illud: « agnos *anniculos* ». Etenim quum summi sacerdotes singulis annis sacrificium offerrent maxime typicum, cuius sanguinem in Sancta inferebant, *anniculus agnus* insinuat unica vice offerendum illud holocaustum, a quo hic ipse ritus rationem typicam antecedenter desumebat.

Summi porro momenti in hac quaestione est doctrina

[1] Apoc. II, 23.
[2] C. XXVIII.
[3] V. 3.

Sancti Pauli in epistola ad Hebraeos, quae quasi tota huc tendit ut Christum, sublato sacerdotio Vet. Test., unicum atque aeternum Pontificem demonstret. Ibi praesertim in cap. VII, probato sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech, concludit: « Alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco « quod morte prohiberentur permanere (v. 23). - Hic autem, « eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacer- « dotium. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes « per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellan- « dum pro nobis » (v. 24-25).

Quo in loco adverte sedulo, quomodo ipsa aeternitas Christi afferatur uti ratio aeterni sacerdotii ipsius; quod verum non esset, si praeter semel factam oblationem Hostiae efficaciter redimentis, aeternitas bonorum in quae inducit, in consummatione dumtaxat oblationis consideraretur. Est aliquid amplius, nempe illud ipsum, quod Apostolus vocat iugem interpellationem Christi pro nobis, per quam fructus Hostiae semel oblatae singulis applicatur; et in ipso termino est aeternus influxus activus inter beatos et Pontificem eosdem iugiter beantem. Cf. dicta superius n. 3.

Hanc sacerdotii Christi aeternitatem Paulus praefiguratam invenit in Melchisedech: « Sine patre, sine matre, sine « genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens, « assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in aeternum » [1]. Id est, sicut Christus est sine initio, ratione divinae personae, et sine fine; ita quoque Melchisedech in Scripturis inducitur sine genealogia retro, sine geneologia ante; proin sicut Filius Dei, immobilis apparet in suo munere, pontifex aeternus. Cf. dicenda in art. seq.

In Corpore. Processus argumenti simplicissimus. Distinctione facta inter oblationem et consummationem sacrificii, S. Thomas probat tum directe per auctoritatem Pauli et per rationem, tum indirecte per figuram Vet. Test., Christum esse Pontificem aeternum propter aeternam sacrificii consummationem.

Hoc argumentum ex annuo ritu Vet. Test. desumptum S. Paulus fuse evolvit in epistola ad Hebraeos. Descripto

[1] Hebr. vii, 3.

priori et altero tabernaculo ita prosequitur: « In priori qui-« dem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificio-« rum officia consummantes. In secundo autem semel in anno « solus pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua et « populi ignorantia: Hoc significante Spiritu Sancto, nondum « propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo « habente statum » [1]. Quo magis expresse evoluto, pergit Christo Pontifici consummatori figuram applicans: « Christus « autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius « et perfectius tabernaculum non manufactum, id est non « huius creationis; neque per sanguinem hircorum aut vitulo-« rum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, « aeterna redemptione inventa » [2]. Aliis verbis: Christus in terris, fundens sanguinem suum in ostio tabernaculi, hoc est, per plagas corporis sui, templi non manufacti, sed a Spiritu Sancto de Virgine formati, redivivus, cum hoc sanguine divino sancta caelorum ingressus, semel redemptionem complevit.

Rationem symbolicam huius ritus sacrificii vituli et hirci, S. Paulus in hoc etiam reperit, quod Christus extra portam passus est, quemadmodum vitulus et hircus iubebantur extra castra comburi [3]. - Neque hirco emissario sceleribus populi onusto deerat figura typica Christi, a Patre suo peccatis totius generis humani obruendi, propriisque humeris martyrii instrumentum gestaturi [4].

Resp. ad 1m. Per hanc responsionem completur notio *activa* consummationis aeternae sacrificii Christi. Cf. supra n. 3.

ARTICULUS VI.

UTRUM SACERDOTIUM CHRISTI FUERIT SEC. ORD. MELCHISEDECH.

I. De ipsa Quaestione. - Iam vidimus Apostolum ex persona Melchisedech argumentum producentem de aeternitate sacerdotii Christi; vel potius in Melchisedech hanc aeterni-

[1] C. IX, 6-8.
[2] Ibid. 11, 12.
[3] LEVIT. XVI, 27. — HEBR. XIII. 11.
[4] LEVIT. ibid.

tatem praefigurari docentem. Directe hic solvenda quaestio superest de ritu sacerdotii Christi.

Porro cavendum, ne falso intelligatur ipsa quaestionis ratio. In Vet. Test. duo nobis apparent sacerdotia: Aaronitum seu leviticum, et sacerdotium Melchisedech; hoc ante Legem, illud legale. Quaestio proin est, quodnam ex his duobus sacerdotium Christi praefiguraverit potius.

Dicimus *potius,* nam legale quoque sacerdotium pontificatum Christi praefigurasse, dubium esse nequit. Ex praecedente enim articulo id iam abunde patet. Sed de *maiori* praefiguratione hic sermo movetur.

2) Iam vero duo in sacerdotio considerare oportet: *a*) dignitatem offerentis, *b*) munus oblatum.

a) Quoad *dignitatem offerentis* res extra dubium versatur. α) Melchisedech ab Abrahamo decimas accepit eique benedixit. Atqui in Abrahamo continebantur sacerdotes legales ab eo orituri. Ergo Melchisedech dignitate praecellit. Argumentum est ipsius S. Pauli [1].

β) Modus ipse quo Melchisedech inducitur, in eo figuram Filii Dei exhibet, qui ut Deus sine matre, ut homo sine patre, et propter inscrutabilem suam originem sine genealogia [2]. Iam vero nihil huiusmodi de Aaron occurrit.

b) Quoad *munus oblatum,* ambo sacerdotia conveniebant negative in hoc, quod erant inefficacia et solummodo figurativa. Iam vero in figuratione efficacis oblationis Christi duo consideranda occurrunt: α) modus ipsius oblationis, β) modus participationis. α) Modus fuit per sanguinis effusionem, quoad oblationem; β) quoad participationem autem, est per eucharisticam mensam sub specie panis et vini. Priorem modum melius repraesentabant sacrificia legalia cruenta; alterum melius exhibet sacrificium Melchisedech.

Quid ergo? Quum excellentia sacerdotii maxime consideranda sit in applicationis fructu, quippe in quem oblatio tendit; quumque ritus religiosus pariter maxime spectet ad populum oblationi uniendum per applicationem, sequitur, ritum Melchisedech hic rursus praestare ritibus legalibus.

3) Huic praestantiae adde rationem oeconomicam sane

[1] Hebr. c. vii.

[2] Gen. xiv, 18; Hebr, vii. Cf. resp. ad 3.

non spernendam. Etenim si Christus prodiisset sacerdos secundum ordinem leviticum, suppressio Vet. Testamenti minus fuisset apparens. E contra Christus, natus de tribu Iuda, instituens novam oblationem alterius prorsus indolis, manifeste ostendit, se proprio sanguine Novum Testamentum condidisse. Non igitur decuit, Christum esse sacerdotem secundum ordinem Aaronicum, sed magis secundum ordinem Melchisedech [1].

4) Sed quaeres, nonne melius Christus prodiisset secundum ordinem omnino novum? - *Resp.* Negative. Etenim *a*) oportebat oblationis Christi dari magnum typum, non solum in Lege, sed ante Legem. - *b*) Sacrificium Missae tantae est dignitatis, ut decuerit ab ipsa sumi propheticam figuram sacerdotii Christi; quod numquam factum fuisset, nisi eamdem contineret Hostiam in cruce immolatam. - *c*) Congruebat per mysteriosum Christi typum demonstrari, auctorem salutis etsi ex Abraham, tamen Abrahamo esse antiquiorem ac digniorem, iuxta ipsa Christi verba: « Antequam Abraham fieret, « ego sum » [2].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Male interpretatur quaesitum. *Secundum* dicitur ratione prioritatis temporalis, non ratione dignitatis. Melchisedech quippe sacerdotio Christum ita praefigurabat, ut, loquendo secundum dignitatem, ipse esset sacerdos secundum ordinem Christi.

2. Obi. Non attendit ad duplicem respectum oblationis et participationis [3].

3. Obi. Confundit assimilationem typicam cum realitate.

Sed contra est. Reperti sunt haeretici, inde *Melchisedeciani* nuncupati, qui affirmarent, Melchisedech non fuisse verum hominem, sed vel ipsum Christum, vel Spiritum Sanctum, aut, quocumque modo hoc intelligatur, virtutem Dei [4]. Quae affirmatio pugnat simul cum simplicitate narrationis mosaicae, et cum argumentatione S. Pauli. Quare S. Th. eam ut haereticam reiicit [5].

[1] Cf. Hebr. c. vi, sqq.
[2] Ioann. viii, 58.
[3] Cf. dicenda Q. lxi, a. 3.
[4] Cf. S. Aug. de *Haeresibus* n. 34.
[5] In epist. ad Hebr. vii.

Doctrina porro praesentis articuli ex hoc capite S. Pauli, sicut ex allato psalmo messianico manifestissima est.

In Corpore. S. Th. ita procedit. 1) Docet, utrumque sacerdotium et Aaron et Melchisedech fuisse typicum. - 2) Dat duplicem rationem deficientiae prioris: inefficaciam et durationem temporalem. - 3) Probat superioritatem alterius per argumentum desumptum a dignitate personae.

Hic autem adverte: si in Melchisedech consideratur benedictio quam Abrahamo contulit, non solum ex hoc facto resultat argumentum dignitatis personae, sed et muneris, quatenus benedictio est quasi deprecatoria applicatio oblationis.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Christus simul Deus et homo, sicuti perfectissimus mediator est inter Deum et humanum genus, ita et perfectissimus sacerdos: hominibus divina dona conferens, Deo preces suas et oblationem pro peccatis offerens (a. 1).

Imo hanc mediationem ad Deum exercuit sui ipsius immolatione, qua aversos Deo copulat, conversos ei adhaerere facit, adhaerentes in aeternum consummat (a. 2).

Tanta autem huius oblationis est virtus, ut charitatem producat qua in cordibus maculae culparum absterguntur, atque infinito pretio poenarum debita solvat. Est proin deletiva peccatorum (a. 3).

Quare, etsi per oblationem sibi nondum habita meruit; non sibi tamen sed aliis proprie Pontifex fuit; nisi orando, et, propter dignitatem personae divinae, humanam suam naturam sanctificando in infinitum (a. 4).

Æternum porro est Christi sacerdotium, non quidem sacrificii oblatione semel peracta (nisi minus stricte, quatenus in altari usque ad finem temporum renovatur); sed consummatione, qua in bona aeterna infert et in aeternum active in beatitudinem redemptorum agit (a. 5).

Quum iam per Christi sacerdotium Novum Testamentum firmetur, decuit, Christum procedere Pontificem non secundum abolitum ritum legalem, sed secundum excellentiorem ritum Melchisedech, quo cruentis sacrificii per eucharisticam mensam participatio figurabatur (a. 6).

CAPUT II.

2) DE HABITUDINE PATRIS AD CHRISTUM.

Ordo Capitis. - Duo argumenta in hoc Capite solvenda occurrunt: 1) De *adoptione* Christi; 2) de eius *praedestinatione.*

1) DE ADOPTIONE CHRISTI.

QUAESTIO XXIII.

Ordo Quaestionis. - En schema huius Quaestionis:

Quaeritur de adoptione:
- 1) a parte *Dei:*
  - *a*) in genere (a. 1);
  - *b*) pro Patre in specie (a. 1).
- 2) a parte *hominum:*
  - *a*) in genere (a. 3);
  - *b*) pro Christo (a. 4).

ARTICULUS I.

UTRUM DEO CONVENIAT FILIOS ADOPTARE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Adoptio active intellecta, seu actio adoptandi, tunc convenire Deo dicenda erit, si omnia eius elementa in Deo reperiri possunt. Iam vero adoptio in se continet tria: *a*) voluntatem, qua adoptans sibi aliquem in filium eligit; *b*) defectum huius tituli in electo ante electionem; *c*) haereditatem, in quam eligitur accipiendam. Quaeramus per singula.

2) *De primo* (*a*). In *voluntate* hominis filium adoptantis distinguendum est id quod essentiale est, et id quod accidentale. Essentialis est bona voluntas, qua paternum affectum communicare cupiens, aliquem in filium sibi eligit. Accidentale est, quod ita agat propter defectum filii naturalis.

Iam vero in Deo hoc accidentale repugnat, quum ab aeterno Verbum sit Patris Filius naturaliter genitus. - Sed

essentiale maxime Deo convenit, propter illam bonitatem sui diffusivam ex qua procedit creatio, et ex qua vidimus, ipsam Incarnationem convenientiam suam desumere.

3) *De secundo* (*b*). Porro sicuti in adoptante ponitur gratuita voluntas eligens, ita in adoptato considerandus est *defectus tituli* ad hanc electionem. Ex hoc defectu iuristae adoptandum vocare solent personam *extraneam.*

Iam vero repugnat quidem, creaturam Deo omnino extraneam dici, quasi ad ipsum a quo est, nullo modo spectaret; imo oportet, Deum creaturae iugiter intime inesse, ne in nihilum recidat. Sed hoc nonnisi spectat ad ea quae sunt naturae; non autem ad ea quae sunt gratiae, tantaeque supra naturam celsitudinis, ut relate ad ea qualiscumque creatura per se extranea Deo sit dicenda.

Hic autem adverte discrimen interiacens inter electionem divinam et humanam. Homo antequam extraneam personam in ordine ad adoptionem eligat, quaerit aliquam, in qua iam reperiat qualitates, quas sibi in filio optat. Deus autem non sic. Nullum in adoptandis titulum aut idoneitatem (nisi remotam, de qua infra) invenit; sed ipso adoptandi actu titulum per gratiae munus in eis creat. Unde duplex in adoptione divina consequitur excellentia: *a*) maior gratuitas, *b*) maior post gratuitatem dignitas.

4) Quomodo iam tertium adoptioni divinae conveniat, nempe *haereditas,* in quam adoptatus vocatur, ex praedictis apparet. Sicuti enim in humana adoptione ius haereditatis sequitur filii titulum, quo participatio bonorum ipsius patris filio destinatur, ita in adoptione divina. Inde Apostolus utrumque intime coniungit: « Si filii, et haeredes; haeredes quidem « Dei, cohaeredes autem Christi » [1]. Quid porro bonum illud est Dei proprium, nisi possessio et fruitio sui ipsius qua Deus est beatus? Quid proin haereditas adoptiva, nisi participata visio essentiae divinae ipsiusque fruitio?

Sed hic rursus adverte discrimen inter terrenam et caelestem haereditatem. *a*) Illa, quia bonis materialibus constat, multiplicatis haeredibus dividitur; haec, utpote spiritualis, ex participantium multitudine nullam sibi patitur diminutionem.

[1] Rom. VIII, 17.

- *b*) Insuper, propter eamdem rationem, ingressio in terrestrem haereditatem obtinetur per mortem patris; in caelesti vero haereditate, sicuti multiplicantur haeredes, quin inde detrimentum unusquisque capiat; ita omnes simul cum Patre et naturali Filio eadem frui possunt. - *c*) Ex quo et alia excellentia divinae adoptionis prae humana elucet. Etenim quo maior filiorum adoptivorum numerus, eo maius eorum gaudium, ac proin haereditas ipsa; nam dum haec eadem manet quoad essentiale obiectum, ipsum nempe Deum; crescit quoad secundarium seu accidentale gaudium per communicationem mutuae gloriae ac felicitatis.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit inter extraneum quantum ad naturalia et quantum ad supernaturalia (Cf. n. 3).

2. Obi. Non distinguit inter essentiale et accidentale voluntatis illius, qui adoptat (Cf. 2.).

3. Obi. Praetermittit discrimen inter haereditatem terrenam et caelestem (Cf. n. 4.).

Vides, tres difficultates procedere iuxta illa tria, quae in adoptione consideranda evolvimus.

Sed contra est. In eodem cap. I. ad Ephesios paulo inferius Apostolus vocat Christum (ὅς ἐστιν) « pignus haereditatis « nostrae, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae « ipsius » (v. 14). Quo in capite S. Paulus omnia elementa adoptionis considerat de quibus in praenotatis egimus. *a*) *Voluntatem adoptantis* ita indicat: « Elegit nos... secundum « propositum voluntatis suae... » (v. 4, 5); « ut notum faceret « nobis sacramentum voluntatis suae, secundum beneplacitum « citum eius » (v. 9); « secundum propositum eius, qui ope- « ratur omnia secundum consilium voluntatis suae » (v. 11). - *b*) *Defectum tituli* in adoptato, imo titulum oppositum, significat verbis sequentibus: « In laudem gloriae gratiae suae, in « qua gratificavit nos »; en negatum titulum bonum (v. 6); « in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remis- « sionem peccatorum, secundum divitias gratiae eius, quae « superabundavit in nobis », etc.: en titulum oppositum malum, quo completur illa ratio *alieni,* de qua in n. 3 (v. 7, 8); « ut simus in laudem gloriae eius » (v. 12). - *c*) *Ipsam haereditatem* exprimit in initio minus clare: « Qui benedixit nos

« in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo » (v. 3); at aperte in loco supra citato: « qui est pignus haere- « ditatis nostrae ».

Disertius eadem doctrina continetur in cap. VIII. epist. ad Romanos. « Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in « timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo « clamamus: Abba (Pater). Ipse enim Spiritus testimonium « reddit spiritui nostro, quod sumus Filii Dei. Si autem filii « etc. » (Cf. n. 4) [1].

Inde in Concilio Tridentino iustificatio impii definitur: « translatio ab eo statu, in quo nascitur homo filius primi « Adae, in statum *gratiae et adoptionis filiorum Dei* per « secundum Adam Iesum-Christum Salvatorem nostrum » [2].

In Corpore. Hoc ordine procedit S. Thomas. 1) Exponit, quid sit adoptare filium. - 2) Ostendit, quomodo adoptare hominem in filium conveniat Deo, *a*) ex parte bonitatis divinae, *b*) ex parte rationalitatis humanae, *c*) ex parte haereditatis caelestis. [De *b*) agemus in secunda parte huius Quaestionis.] - 3) Discrimen ostendit quoad idoneitatem inter adoptionem divinam et humanam. Cf. hanc doctrinam cum art. 4. Q. XXIII primae Partis: « Utrum praedestinati eligan- « tur a Deo », cuius en conclusionem: « Electio tamen et « dilectio aliter ordinantur in nobis et in Deo, eo quod in « nobis voluntas diligendo non causat bonum, sed ex bono « praeexistente incitamur ad diligendum. Et ideo eligimus « aliquem quem diligamus. Et sic electio dilectionem prae- « cedit in nobis. In Deo autem est e converso. Nam voluntas « eius, qua vult bonum alicui diligendo, est causa quod illud « bonum ab eo prae aliis habeatur ».

ARTICULUS II.

UTRUM ADOPTARE CONVENIAT TOTI TRINITATI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Praesens quaestio pendet ab hoc, utrum adoptio filiorum sit opus ad extra, cuius terminus non sit unio personalis cum ipso Deo. Cui quaesito affir-

[1] Vers. 15, 16. Cf. Gal. iv. etc.

[2] Sess. vi. c. 4. (Denzinger, op. cit., n. 678.)

mative respondendum esse, patet si modo evoluta per partes consideremus. *a*) Voluntas est relate ad creaturas provehendas; *b*) defectus tituli est in creatura; *c*) communicatio haereditatis rursus dicitur, quatenus reddit creaturam fruitione divina capacem. - Demum ipse titulus adoptivae filiationis probat, agi de aliis quam de Filio naturali. Ergo adoptio filiorum est opus ad extra, ac proin toti SS. Trinitati commune.

2) Adsunt nihilominus rationes, cur tribuatur Patri, potius quam Filio et Spiritui Sancto. - *a*) Quia in humanis filios sibi adoptat pater; *b*) quia per adoptionem reddimur fratres Iesu-Christi, secundum naturam eius humanam; - *c*) quia adoptio perficit opus creationis, quod tribuitur Patri; - *d*) quia completur per missionem Filii et Spiritus Sancti a Patre in nos.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Procedit secundum *a*). Ubi adverte, longe magis distare filium adoptivum a naturali in divinis, quam in humanis; ibi differunt non solum filiatione, sed et natura; hic solum filiatione.

2. Obi. Non considerat rationem *b*). Aliud est, Christum ut hominem esse filium adoptivum Patris, quod negabitur; aliud, eum secundum humanam naturam esse primogenitum inter multos fratres. Hoc alterum potest per identitatem nobiscum in natura explicari. Nihilominus, cum S. Th. optime respondetur, duplicem esse gradum fraternitatis, sicuti paternitatis et filiationis: alium fraternitatis naturalis, alium adoptivae.

Prior modus, quo hunc locum explicamus, melius componit doctrinam huius articuli cum interpretatione, quam ipse S. Thomas superius in art. 2. Q. XX. dat verbis Christi: « Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum « et Deum vestrum » [2], ubi S. Doctor haec dicta secundum humanam naturam Christi interpretatur.

3. Obi. Procedit secundum rationem appropriationis *d*). Confer dicenda in responsione.

Sed contra est. Argumentum heic ex SS. Trinitatis doctrina petitum corroboratur per doctrinam Conciliorum Tolet.

[1] Cf. tractatum nostrum *De Deo Uno*, t. II, p. 409, sqq.

[2] IOANN. XX, 17.

VI. et XI. - Et re quidem vera Pater dicit rationem principii. Quum igitur per creationem Deus sit principium rerum, Creator optime a creatura appellatur pater. Insuper ex hoc apparet, - quod expresse S. Thomas alibi advertit [1], - cur titulus Patris melius conveniat omnibus personis SS. Trinitatis, quam titulus Filii convenisset Patri, si Pater incarnatus fuisset.

In Corpore. Mirare, quanto acumine Angelicus argumenti solutionem inveniat in solis verbis: « genitus, non factus ». *Genitus,* en ad intra; *factus,* en ad extra. Prius respicit solum Patrem, alterum totam Trinitatem. Atqui filius adoptivus *fit.* Ergo *fit* a tota SS. Trinitate.

ARTICULUS III.

UTRUM ADOPTARI SIT PROPRIUM RATIONALIS CREATURAE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ad solvendum hoc novum quaesitum, recurramus ad elementa adoptionis, quae in art. 1. ope analysis consideravimus. Voluntas adoptandi non potest in Deo esse nisi erga illam creaturam, quae est capax accipiendae haereditatis, utpote in qua scopus seu finis adoptionis residet. Atqui, licet in inferiori creatura manifeste adsit, imo maior defectus tituli, - in quo elementum secundum adoptionis *b*) -, sola creatura rationalis capax est accipiendi haereditatem caelestem. Ergo ea sola est adoptionis capax.

2) Ubi iam adverte, haec duo multum distare, nempe creaturam rationalem per se esse capacem adoptionis, et hanc adoptionem ei deberi. Primum respicit meram potentiam obedientialem; alterum ad minus passivam. A fortiori haereditas illi creaturae rationali dumtaxat convenit, quae per charitatem in se gestat bonae voluntatis divinae pignus, Spiritum adoptionis.

3) Si iam quaeris, utrum magis capax sit adoptari natura angelica quam humana, respondendum est: *a*) Utrimque non habetur nisi potentia obedientialis. - *b*) Attamen quum digni-

[1] III. Sent. Dist. x, q. 2.

tas rationalis sit huius potentiae obedientialis fundamentum, intellectualis creatura angelica, *caeteris paribus,* maioribus gratiae donis videtur praedestinata. - *c*) *Caeteris paribus,* dico, nam post Incarnationis decretum, quod maxime humanum genus respiciebat, homines prae angelis specialem idoneitatem ad adoptionem habent, quatenus eiusdem naturae cum Christo participes, strictiori sensu fratres fieri possunt eius, qui, utpote Filius naturalis, cuiusvis adoptionis filialis archetypus est ac exemplar.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non distinguit paternitatem in ordine naturali, ratione creationis, et in ordine supernaturali, ratione adoptionis.

2. Obi. Confundit prioritatem ex titulo, cum prioritate ex ordine historico.

3. Obi. Confundit convenientiam ex natura, cum capacitate ex gratia.

Sed contra est. Vide, quam bene S. Doctor argumentum sumat ex tertio elemento in praenotamine art. 1. enumerato. Quod non valet tantum de adoptionis termino, in quo haereditas obtinetur, sed etiam de medio per quod ius ad haereditatem confertur. Quis enim unquam somniavit, irrationabilia recipere posse *Spiritum adoptionis,* unde clament Abba, Pater?

Quando Augustinus dicit: « Posse habere fidem, sicut posse « habere charitatem, naturae sit hominum; habere autem, « gratiae est fidelium », nihil aliud affirmat, quam potentiam *obedientialem* nonnisi per gratiam explicandam.

In Corpore. Data definitione filiationis divinae naturalis, cui adoptiva conformari debet, S. Thomas tria quibus constat, successive per gradus creaturae applicat:

1) *Verbum:* hoc competit, sed diverso gradu, cuivis formae creatae; - 2) *intellectuale:* hoc non competit nisi homini et angelo; - 3) *unum cum Patre:* hoc non competit nisi homini et angelo per gratiam et charitatem Dei unitis; quod sine 2) esse nequit. Ergo ad gradum 3.^{m} requiritur gradus 2.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO, SIT FILIUS DEI ADOPTIVUS.

I. **De ipsa Quaestione.** - Quum in Christo natura humana habeat eminentissima excellentia rationalitatem, sitque Deo per sublimissimam charitatem unita; videretur primo intuitu, tria in praecedenti corpore evoluta, in humana Christi natura inveniri; ac proin hanc dicendam esse adoptatam; unde sequeretur, *Christum,* ut hominem, esse *filium adoptivum Dei.* Antequam ad solutionem huius difficultatis accedamus, quaedam sint historica de Adoptianis, deque Adoptianismo.

Notula historica de Adoptianis et de Adoptianismo.

I. Debellatis in Hispania Visigothis sub Reccaredo rege et S. Leandro, plures errores de Christo hic illic serpentes concilia Toletana convellendos habuerunt. Porro in lucta contra Megitianos Sabellianismo irretitos, dum praelium gereret Elipandus, Archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum Primas, factum est ut in distinguenda aeterna generatione Verbi ab eiusdem Incarnatione fines praetergressus sit, affirmando scilicet, Christum, ut Verbum, Dei Filium verum ac proprium; ut hominem autem, nonnisi filium adoptivum. Quam doctrinam, sibi ipsi initio audaciorem visam, Felici Urgelitano praesuli, homini iuveni praestantissimique ingenii communicavit, ea mente, ut ipse iam senescens, magnae spei socium in ea defendenda sibi adsciscceret. Quod et contigit.

Logice debuissent novitatis huius fautores in Nestorianismum prolabi, duplicem personam in eo confitentes, in quo humanam naturam a principio Verbi nimium seiunctam considerabant. Sed definitionibus Concilii Chalcedonensis strenue adhaerentes, cum dogmate duplicis naturae in una persona novum commentum componere studuerunt. Quod ut proba-

bilius exhibere possent, ex baptismo Christi, ex textibus liturgiae Mozarabicae, ex variis locis Patrum, - quae tamen deturpare non veriti sunt, - argumenta sibi deprompserunt. Non paucos novitatis species, ob magistri auctoritatem subtilitatemque discipuli, ad se traxit; inter quos emicuere Ascarius Episcopus, Abbas Fidelis, ex Asturiis uterque; fratresque Cordubenses in patristica eruditione versatissimi. Pro veritate autem steterunt Beatus Abbas Libanensis, Etherius Episcopus Osmensis, alter Episcopus Tendula, et quidam Basiliscus. Contra quos, utpote haeresim vehementi zelo impugnantes, Elipandus, vir quippe primatiali munere superbus, acriter inferbuit.

Interim, quum error iam per Gallias inferiores grassaretur, Carolus Magnus de eo compescendo cogitavit. Iam, novitatis certior, Hadrianus I. praesules Hispanos contra eam monuerat. Elipando caeterisque in Maurica ditione protectis, Felix synodum Ratisbonam adire cogitur, in qua errorem suum anathematizavit; atque Romae Adoptianismum iterum coram Pontifice abiurans, patriam repetere sinitur, a pontificali tamen munere abstinere iussus. Sed confessum Elipandus iterum circumvenit, ad suasque partes periurum trahit. Tunc Alcuinus nervoso calamo rebellem ad saniora revocare studet (793); dum Elipandus, damnatis quas « Beati haereses » vocat, instat scripto apud Imperatorem, ut non diutius se decipi sinat, Felicemque amissae sedi restituat. Annuente Hadriano, legatosque Theophylactum et Stephanum eodem mittente, Carolus Francofurti synodum colligit, cui perplures adsunt Germaniae, Italiae, Galliae, Angliae praesules atque docti viri, contumace Felice cum asseclis. Ibi Italorum nomine Paulinus Aquileiensis Patriarcha « libellum sacrosyllabum » in forma dogmatici tractatus conficit; Alcuinus autem, aliorum nomine epistolam dogmatico-polemicam. Instaurato examine, Adoptianismus iterum reiicitur atque damnatur. Quod iudicium Hadrianus in synodo Romae habita, comprobavit. Elipando, eiusque asseclis Carolus Magnus haec documenta, a se plenissime acceptata, transmisit, illos, at incassum, ad erroris abiurationem adhortatus. Novum scriptum Alcuinus tunc confecit illudque per Benedictum Anianensem ad Abbates monachosque Languedocenses direxit. Cui scripto Felix

erudite, iniuriose Elipandus, uterque iuxta indolem, responderunt. Zeli boni aemulos Paulinum Aquilensem, Richbodum Trevirensem, Theodulphum Aurelianensem nactus est. Quum autem, argumentis licet instauratis, quibus olim Cyrillus Alexandrinus Nestorianos profligabat, proficerent nihil, Leo III, ineunte anno 798, novam Romae Synodum habuit, in qua praesertim scriptum Felicis ad Alcuinum est damnatum, ipseque auctor anathemate perculsus.

Ne autem pessimus error gregem magis ac magis inficeret, Imperator in Hispanicas suas ditiones, Urgelitanam in dioecesim apostolos misit Leidradum Bibliothecarium, Refridum Narbonensem Archiepiscopum, Benedictum Anianensem Abbatem, quorum ope non solum uberes zeli fructus apud clerum populumque capere contigit, sed et Felicem huc adducere, ut iterata vice se coram Carolo Magno, invito Elipando, sisteret. Itaque Aquis nova synodus indicta (ann. 798). Postquam per sex integros dies cum Alcuino disputavit, doctissimi monachi rationibus cedens, fidei symbolum « Confessionem fidei Felicis » nuncupatum haeresiarcha conscripsit. Dein, ne iterum pravis Elipandi consiliis cederet, pio Leidrado, iam Lugdunensi Archiepiscopo, a Carolo Magno custodiendus traditur. Qua in ditione sub defuncti Leidradi successore obiit, utrum sincere an fictitie catholicae veritati redditus, inde disputatum relinquens, quod inter scripta eius antiquum Adoptianorum errorem repererunt. Quare Agobardus Leidradi successor in oppositum scribere iterum coactus est. Nova apostolica missione in partibus Adoptiana labe infectis viginti circiter millia tum e clero tum e populo ad catholicam veritatem reductos fuisse, Alcuinus et Arno Salisburgensis Archiepiscopus testantur. Utinam poenitentia a se deceptorum Elipandum quoque ad meliora movisset! Sed superbiae poenam luens, Maurorum tectus armis, anno 800 obstinatam canitiem obstinatiore morte deturpavit. Non defuisse deinceps funesti erroris vestigia tum scripta Pseudo-Isidori, tum epistolae Pauli Alvari Cordubensis contra Adoptianum Aurelium Flavium Ioannem directae, documento sunt.

II. Saeculo autem XII ecce Adoptiana controversia revixit, praesertim in Gallia et in Germania. Anno 1126, coram

Honorio II, Luitolphus Magister Gallus defendit, Christum, ut hominem, esse filium hominis naturalem, Dei autem filium adoptivum. Error nascebatur ex praeiudiciis instauratae antiquae disciplinae dialecticae. Inter exaggeratos huius philosophiae naturalis propugnatores numerantur ex Germanis Folmarus praepositus de Triefenstein († 1181) in Franconia, et Magister Petrus Frisingensis. Post longas controversias scriptis agitatas inter hos et scholas theologicas Bambergensem, Frisingensem, Salisburgensem, etc., anno 1158 Bambergae oralis disputatio habita est, in qua a parte theologicae traditionis steterunt inter alios Eberhardus Salisburgensis, alter Bambergensis et Gerochius de Reichersberg. Principales adversarii fuerunt Folmarus et Gerochius; prior Adoptianorum placitis nimis indulgens. Inde controversia evasit obscurior, quod contra Folmarum a nonnullis adhibebantur locutiones, quae Monophysitismo aliquantulum viciniores videbantur. Ex quo factum est, ut Pontifices Eugenius III, Hadrianus IV, praecipue Alexander III, etc., etsi undique sollicitati, a truncanda hac lite abstinuerint. Excessum nihilominus dialecticorum variae synodi damnavere [1].

1) Porro, ut ad art. argumentum redeamus, tunc Christus, ut homo, erit dicendus filius adoptivus, si filiatio respicit naturam et non suppositum. E contra tunc illa adoptio in Christo neganda erit, utpote Nestorianismum inducens, si suppositum respicit. Iam vero filiationem esse proprietatem personalem, ex mysterio SS. Trinitatis, imo ex ipsa analysi adoptionis constat.

2) Neque licet instare, ac si eadem persona possit secundum duplicem ad utramque naturam respectum, dici filius naturalis et filius adoptivus. Repugnat enim ut id, quod per se dicitur, simul participative dicatur; quum filiatio utraque eumdem Deum respiciat, cuius Filius naturalis Christus est.

3) Hucusque de *filiatione adoptiva;* si tamen latiori sensu id dicitur adoptatum, quod aliquis facit suum, tunc *natura* humana Christi a Filio recte adoptata dici potest, quin ulla modo inde sequatur, Christum esse, ut hominem, *filium adop-*

[1] Plura vide apud historicos passim. Interim cf. *Kirchenlexicon Hergenroether-Kaulen,* I, 238, sqq..

tivum. Latior enim ille adoptionis conceptus convenit naturae; strictior nullo modo.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Confundit adoptionem filialem proprie dictam, seu filiationem adoptivam, cum adoptione improprie dicta.

2. Obi. Confundit similitudinem negativam (absentiam meritorum) cum positiva, nempe cum modo unionis. Haec in Christo est personalis, ac proin cadit in ipsam divinam filiationem naturalem, qua ille homo est naturalis Filius Dei. In nobis autem est mere filiatio adoptiva per gratiam habitualem.

3. Obi. Non attendit, esse *subditum* posse naturae inferiori convenire; esse autem *filium,* non nisi personae. - Cf. Corollarium II.

Sed contra est. Hanc doctrinam a Ioanne [1] lucide expressam, Ecclesia contra Nestorii asseclas defendit, quotiescumque unitatem Christi, Dei Filii asseruit [2].

Directe autem Ecclesia eam vindicavit damnando haeresim Adoptianorum. Placet audire Hadrianum I. de hac novitate conquerentem: « Porro et de partibus vestris per« venit ad nos lugubre capitulum, quod quidam episcopi ibi« dem degentes, videlicet Elipandus et Ascaricus cum aliis « eorum consectaneis Filium Dei adoptivum confiteri non « erubescunt, quod nullus e qualibet haeresi antea talem « blasphemiam ausus est oblatrare, nisi perfidus ille Nestorius, « qui purum hominem Dei confessus est Filium » [3]. Et cap. I. Conc. Francofordiensis contra eamdem haeresim congregati haec habet: « In primordio capitulorum exortum est de impia « ac nefanda haeresi Elipandi, Toletanae sedis episcopi, et « Felicis Urgellitanae eorumque sequacibus, qui male sen« tientes in Dei Filio asserebant adoptionem, quam omnes « qui supra sanctissimi Patres et respuentes una voce contra« dixerunt atque hanc haeresim funditus a sancta Ecclesia « eradicandam statuerunt ». [4] Et laudatus Hadrianus I, in

[1] I. Ioann.
[2] Cf. inter alia Concil. Lateran. sub Martino I, c. 6 et 8.
[3] Denzinger (op. cit., n. 250).
[4] Ibid. n. 253. — Cf. n. 254.

altera epistola ad Hispaniae episcopos lata, ex Concilio Romae ad confirmandam praecitatam synodum [1] anno 794 habito, rursus Adoptianam haeresim fortiter damnat. Quae haeresis et repellitur in symbolo fidei Leonis IX [2], necnon in confessione fidei Michaëlis Palaeologi [3].

Ex operibus coaevorum scriptorum lege imprimis nervosas disputationes B. Alcuini, qui in hac controversia, veluti totius Ecclesiae antesignanus, primas partes egit.

In Corpore. Tria facit S. Thomas. 1) Ponit rationem propter quam filiatio adoptiva in Christo repugnat: quia proprie convenit personae. Quod illustrat ex mysterio SS. Trinitatis. - 2) Demonstrat consequentiam, per hoc quod *a*) unum et idem non potest de uno et eodem dici proprie et participative, et *b*) in Christo quoad personalitatem non est nisi unum et idem. - 3) Probat, assertum de Christo filio adoptivo esse Nestorianum.

Resp. ad 2^m. Textus in fine huius resp. allatus inde suam plenam vim trahit, quod Apostolus loquitur de visione gloriosae humanitatis Iesu. Si ergo haec gloria est « quasi Uni- « geniti a Patre », Christus, ut homo Iesus, est filius unigenitus a Patre, id est Filius naturalis.

Corollarium I. - Ex doctrina huius articuli apparet, verba Patris in Christi baptismate et in transfigurationis monte intonantis: « Hic est Filius meus dilectus » intelligenda esse de vera filiatione dicta, non solum de Christo uti Deo, sed etiam uti Deo-homine. [4] In quo sane elucet mirabilis exaltatio naturae nostrae in Christo Iesu. Etenim per virtutem unionis hypostaticae ad filiationis naturalis consortium trahitur ipsa humana Christi natura, salva utique distinctione perfecta inter utramque naturam. Hinc nostra cum Christo

[1] DENZINGER, op. cit., n. 257, 258.

[2] Ibid. n. 293.

[3] Ibid. n. 384.

[4] Hanc vocem de Patre intelligendam esse in sensu proprio, non de tota SS. Trinitate, cum doctoribus passim tenemus. Quatenus autem unio hypostatica est opus totius Trinitatis, potest et ad totam SS. Trinitatem referri; quod Hadrianus I probare voluit ex voce *complacui*. Sed hoc sensu non potest referri nisi ad Christum uti hominem. Quare verum putamus, haec verba dici de Christo uti Verbo et uti homine, sed ratione unitatis personae.

fraternitas nobilitatem suam altissimam derivat, quatenus adoptiva nostra filiatio, fraterno vinculo colligatur cum filiatione naturali Christi.

Non autem omnino conveniunt theologi de propria ratione qua homo Iesus sit Filius Dei naturalis. Vasquez cum Suarezio se recipiunt ad gratiam unionis hypostaticae, vi cuius id, quod nobis solum communicatur titulo adoptionis, Christo communicatur titulo naturae. Iuxta hos, si Spiritus Sanctus incarnatus fuisset, homo Spiritus Sanctus fuisset ob unionem hypostaticam filius Dei naturalis. Unde in Christo filiatio naturalis, licet unico eodemque verbo exprimatur, non habet tamen eamdem prorsus significationem de Christo Deo et de Christo-homine unde videtur in Christo duplex filiatio, - non quidem naturalis et adoptiva in sensu Adoptiano, sed duplex naturalis, altera in Christo Deo presse ad Patrem ac proin cum relatione ad Patrem, altera in Christo-homine ad totam SS. Trinitatem, ac proin minus relative ad personam Patris.

Ob haec inconvenientia putamus, cum Cl. Stentrup [1], hanc sententiam Suarezii et Vasquezii non esse adaequatam. Melius ergo dicitur, filiationem naturalem in Christo-homine habere suum fundamentum in gratia unionis hypostaticae, ita ut sit participatio, ac veluti ad humanam naturam extensio relationis qua Verbum refertur ad Patrem: unde unus est Filius in sensu presso, quia una est filiatio, aeterna illa in sensu relationis ad Patrem, cui participat Christus ut homo, quia humana Christi natura subsistit in Verbo.

Corollarium II. - Adverte concordiam inter doctrinam huius articuli et art. 1. Quaest. XX. Plus nihilominus ibi de subiectione concedebatur, quam hic de filiatione adoptiva, quia subiectio facilius contrahitur ad naturam quam filiatio. In pleno autem sensu nec servus Christus dici potest. « Si Deus « verus est, qui de Virgine natus est » aiunt Patres Concilii Francofordiensis, « quomodo tunc potest adoptivus esse vel « servus? Deum enim nequaquam audetis confiteri servum « vel adoptivum: et si eum propheta servum nominasset, non « tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, « qua factus est Patri obediens usque ad mortem ». [2] Vel cum

[1] Op. cit., th. XL, et XLI.

[2] DENZINGER (op. cit., n. 256).

Hadriano I, ad normam sententiae Paulinae: « propter ser-« vilis formae conditionem, quam sumpsit ex Virgine » [1].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Filios adoptare decet Deum, non quasi naturali Filio carentem, sed uti voluntate bonitatis diffusivae sui, quos natura fecit servos, per gratiam in participationem ipsius beatitudinis divinae vocantem, tali electione quae titulum prius absentem, ipso facto ponat (a. 1).

Quum autem hoc intersit inter filium naturalem et adoptivos, quod ille gignatur ad intra, hi autem fiant ad extra, adoptio filiorum, etsi in Scripturis Patri magis appropriata, toti SS. Trinitati convenit (a. 2).

Iam si adoptandi respiciantur, nonnisi rationalis creatura est adoptionis capax, secundum obedientialem potentiam: sola enim potest ingredi in haereditatem spiritualem per visionem intellectualem fruitionemque voluntatis possidendam (a. 3).

Porro talis filiatio proprietas est, quae personam respicit, non naturam. Quum igitur in Christo non sit nisi una persona, Filius Dei naturalis; licet latiori sensu dici possit, Verbum adoptasse naturam humanam, quatenus eam fecit suam, nullo prorsus modo potest proprie dici ipse Filius, quatenus homo, adoptatus (a. 4).

Absoluto itaque argumento de filiatione unica naturali Christi, ultimum systema confutavimus quod in constitutionem Christi Dei-Hominis peccat. Quare opportunum credimus has disputationes simul claudere et comprehendere, in unico schemate gradationem omnium sententiarum exhibendo, quemadmodum in tractatu *de Deo uno* pro praedestinationis mysterio egemus. Ordine tamen inverso sententias heic disponimus, utpote argumenti indoli magis accommodato.

[1] Denzinger (op. cit., n. 258).

TABELLA SYNOPTI

	SCALA SYSTEMATUM	NATURA HUMANA
Systemata damnanda ob defectum.	**Photiniani, Rationalistae, Pantheistae:** (non pauci Protestantes)	Perfecta, unica.
	Nestoriani: (multi Protestantes)	Perfecta.
	Güntheriani:	Perfecta.
	Feliciani, Adoptianistae: (1. Lomb.)	Perfecta, usque ad suppositum.
	Berruyer:	Perfecta, usque ad quasi-suppositum.
Systemata orthodoxa.	**Scotus, Nominales:**	Perfecta, usque ad existentiam, ita ut nihil desit quin subsistat.
	Tiphanus, aliique:	Id., sed conceptus subsistentiae est magis positivus.
	Suarez, etc.:	Id., sed deest positiva modalitas incommunicabilitatis.
	Sententia nostra:	Perfecta, sed non existens nisi per esse seu subsistere Verbi.
	Sententia Caietani:	Perfecta, sed deest realitas subsistentiae et existentiae.
Systemata damnanda ob excessum.	**3. Lombardi:**	Perfecta quoad partes; sed non quoad vitalem unionem ad invicem.
	Apollinaristae:	Imperfecta; Verbum supplet mentem.
	Monothelitae:	Imperfecta; deest humana voluntas, uti principium *quo*.
	Monophysitae:	Imperfecta, utpote pars.
	Doketae:	Apparens.

[1] Abstrahimus hic ab Arianis et Patripassianis, quippe quorum error derivatur ab haeresi ci

STEMATUM DE CHRISTO [1].

ATURA DIVINA	PERSONA	RATIO UNITATIS
Negatur (isi in sensu pantheistico).	Una.	Neg. suppositum.
Perfecta Verbi.	Duae { Verbum / Iesus } Christus.	Accidentalis, coniunctio moralis.
id.	Una, sed moralis.	Conscientia sui.
id.	Una (simplex); ita tamen ut sint duo filii, alter naturalis, alter adoptivus, quia duo supposita.	Unitas personalis.
id.	Una, ita tamen ut nat. hum. sit quasi-suppos.	Unitas essentialis; ratione subsistentiae in se.
id.	Una (composita).	Id. ratione subsistentiae humanae naturae in persona Verbi.
id.	id.	id.
id.	id.	id.; suppletur haec modalitas per subsistentiam in Verbo.
id.	id.	Id.; esse Verbi uti subsistens, dat esse seu subsistere naturae humanae.
id.	id.	Id.; subsistere et esse Verbi dant subsistere et esse naturae humanae.
id.	id., at simplex, qua deest unio a parte humanae naturae.	Id.; ratione totius.
Perfecta, at uti forma corporis quoad mentem.	id., at composita ad excessum, ob defectum mentis humanae	Non solum, sed et singularitas τοῦ intelligere.
id.	id., at composita ad excessum ratione unius operationis	Non solum unitas personalis, sed et unitas operationis.
Perfecta, at veluti pars.	Una, composita ad excessum, usque ad naturam.	Fusio naturarum.
Perfecta Verbi.	Una simplex.	Neg. suppositum.

[1] Trinitatem.

2) DE PRAEDESTINATIONE CHRISTI.

QUAESTIO XXIV.

Ordo Quaestionis. 1) Primo quaeritur de praedestinatione Christi *in se; a*) de ipso facto (a. 1), *b*) de modo facti seu praedicationis (a. 2).

2) Dein quaeritur de praedestinatione Christi *relate ad praedestinationem nostram: a*) uti causa exemplari (a. 3); *b*) uti causa efficiente (a. 4).

Praeliminaria Notula exegetica.

Huic quaestioni aequum est praemittere disquisitionem loci Scripturae unde ortum traxit: versiculi scilicet 4. cap. I. ep. ad Romanos. En primo ipsum textum in utraque lingua graeca et latina, cum v. 3. immediate ipsum praeparante.

(v. 3.) « De filio suo, qui factus est ei « ex semine David secundum carnem : « (4.) Qui praedestinatus est Filius Dei « in virtute, secundum spiritum sancti- « ficationis, ex resurrectione mortuo- « rum Iesu Christi Domini nostri ».

(v. 3.) Περὶ τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαυεὶδ κατὰ σάρκα. — (4.) Τοῦ (προ)ὁρισθέντος Υἱοῦ Θεοῦ, ἐν δυνάμει, κατὰ Πνεῦμα ἁγιωσύνης, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν.

Conveniunt exegetae, in v. 3. agi de origine tum divina tum humana Christi; in v. 4. praedicari excellentiam, seu manifestationem eius in suą apparitione, ut est Deus-homo Christus.

Non autem conveniunt, ubi agitur de explicandis singulis incisis utriusque versiculi, ac praesertim v. 4. In inquisitione nostra distinguemus explicationem magis receptam in Ecclesia latina, ab explicatione communiori in Ecclesia graeca.

I. Ex *Latinis* satis sit afferre explicationem S. Augustini et S. Thomae. 1) **S. Thomas,** (qui cum Latinis passim lege-

bat *praedestinatus* et non *destinatus* seu manifestatus), ita nexum sermonis explicat.

Tria in v. 4. circa dignitatem Christi Apostolus praedicat: *a*) *praedestinationem* (« qui praedestinatus est »); - *b*) *dignitatem et virtutem* (« Filius Dei in virtute »); - *c*) *signum vel effectum* (« secundum spiritum sanctificationis, etc. »).

Praedestinatus dicitur Christus, quatenus ab aeterno humana natura eius destinatur ad unionem personalem (de quo loco suo). Terminus autem huius praedestinationis est dignitas *Filii Dei,* non quidem figurative, sed *in virtute,* id est in veritate divinitatis. - (Cf.: « Dignus est Agnus qui « occisus est accipere virtutem et divinitatem » [1] « Christum « Dei virtutem et Dei sapientiam » [2]). - Porro signum divinae huius dignitatis Christi est in datione Spiritus Sancti missi a Christo ex mortuis resuscitato [3]. In hoc sensu signum est unum. Vel, et tunc duplex est signum huius divinae dignitatis: *a*) ortus de Spiritu Sancto [4] - et *b*) resurrectio mortuorum ipso iubente producta [5]. Ita S. Thomas [6].

2) Aliter **S. Augustinus.** Parallelismum invenit inter v. 3. et v. 4, quod et S. Thomas admittit. Iam vero in hoc evolvendo duplicem suggerit modum connectendi verba inter se.

a) Ita ut « *Filius Dei* » etc., sit praedicatum verbi « *praedestinatus est* »: et tunc « *Filius Dei in virtute* » respondet verbis « *ex semine David* »; « *secundum sanctificat. Spiritus « in resurr. mort.* » respondet verbis « *secundum carnem* ». *Caro* debilitatem ostendit, utpote principium mortis; *Spiritus* Christum inhabitans, atque Filium Dei sanctificans, virtutem suam in mortuorum resurrectione manifestat, necnon in vita nova quam a Christo accipiunt omnes in Christo redivivi [7].

b) Ita ut verba « *Filius Dei* » etc., sint apposita ut subiectum pronomini « *qui* », et verba « *praedestinatus est* » iungantur immediate logico nexu cum verbis « *ex resurrectione mortuorum* »; quasi in v. 3, post verba « *secundum carnem* »

[1] Apoc., v, 12.
[2] I. Cor., i, 24.
[3] Cf. Ioann., xv, 26; — I. Cor., ii, — Ioann., vii, 39.
[4] Luc., i, 35.
[5] Matth., xxvii, 52. — Ioann., v, 28.
[6] Comment. ep. ad Rom.
[7] Coloss., iii, 1.

supplendum esset: « *unde et mortuus est* ». Tunc completur parallelismus, et terminus praedestinationis est in ipso Christo dignitas Capitis et dominium regni salutis. Inde ultima verba Apostoli: « *I. Chr. D. N.* ».

Itaque S. Augustinus triplicem gradum considerat: *a*) verba « *praedestinatus est filius* », nondum exprimunt relationem capitis ad membra; quae *b*) exprimitur per « *ex resurrectione* « *mortuorum* »; *c*) mortuos autem esse ipsius Christi trophaeum, demum exprimitur per genitivum finalem: « *mortuo-* « *rum Iesu-Christi Domini nostri* ». Haec ultima consideratio subtilior quam solidior. In graeco enim haec forma genitivi appositionis est ad verba « Περὶ τοῦ Υἱοῦ », quibus incipit v. 3. Quae appositio in latino destructa est, quum v. 3. per ablativum ordiatur: « *De filio suo* ».

Iam vero si conferamus inter se explicationem S. Augustini et S. Thomae, prior praeferenda videtur *a*) ut magis obvia, *b*) ut melius parallelismum evolvens, *c*) ut magis congrua modo quo S. Paulus alibi de resurrectione loquitur.

II. *Graeci* non legunt προορισθέντος, sed ὁρισθέντος, quod latine dicitur *demonstratus, probatus, manifestatus.*

1) *Origenes* reiicit sensum *praedestinatus;* de reliquis satis cum Augustino concordat. « *In virtute* » = in virtute Dei, in substantia; - « *secundum sanctificationem* » = secundum maximam operationem Spiritus Sancti.

2) *Theodoretus*, quem sequitur Beelen, in suo praeclaro epistolarum Pauli commentario, intelligit: Christus demonstratus est Filius Dei per virtutem, quae exercebatur a Spiritu S. post resurrectionem Christi a mortuis (per virtutem = per potentiam).

3) S. *Ioannes Chrysostomus,* cui adhaerent cum Theophylacto plures moderniores, triplex invenit testimonium divinitatis Iesu-Christi: *a*) *in virtute* miraculorum; *b*) in *Spiritu* accepto a credentibus in eum; *c*) in *resurrectione,* qua seipsum suscitavit.

4) Iuxta alios moderniores verba *in virtute* = potenter; et *secundum spiritum sanctificationis* = secundum naturam divinam; tunc sensus est: Christus abunde probatus est Filius Dei secundum suam naturam divinam per resurrectionem suam ex mortuis.

III. Ut iam, si liceat, mentem nostram aperiamus:

1) Lectionem ὁρισθέντος *demonstratus est, probatus est* genuinam putamus, et non προορισθέντος, *praeordinatus est.*

2) Nexum inter v. 3. et v. 4. ita intelligimus. In v. 3. declaratur conditio humana Christi a Prophetis promissi: est enim *a*) ex semine David, *b*) secundum carnem. - In v. 4. declaratur iste Filius, humana natura indutus, probatus verus Filius Dei, simul homo et Deus. Quod fit per parallelismum tum emphaticum, tum oppositionis.

3) Conferendo ita v. 3. et v. 4. habemus:

a) *De Filio suo* - qui demonstratus est *Filius Dei in virtute;* - *b*) *Secundum carnem* - secundum *Spiritum sanctificationis;* - *c*) *ex semine David* - ex *resurrectione mortuorum.*

a) Continet parallelismum emphaticum, ac si Apostolus diceret: Iste Filius, etsi carne David indutus, demonstratus est Filius Dei in veritate, in potentia, in substantia.

b) et *c*) Continent parallelismum oppositionis: carni opponitur Spiritus, imo spiritus sanctificationis; nativitati ex semine mortali, opponitur nativitas ad immortalem gloriam, scilicet resurrectionis.

4) Quo magis autem appareat, quantopere haec explicatio sit ad normam sermonis sacri, revocentur testimonia ubi Apostolus filiationem divinam Christi applicat mysterio resurrectionis, et ubi summa donorum supernaturalium naturae humanae Christi vocatur sanctificatio per Spiritum S. completa: « hanc (repromissionem) Deus adimplevit filiis nostris, « *resuscitans Iesum*, sicut et in psalmo secundo scriptum est: « *Filius meus es tu*, ego hodie genui te ». [1] Et pergit: « Quia « dabo vobis *sancta* David fidelia... Non dabis *Sanctum* tuum « videre *corruptionem* » [2] - Cf. « *Spiritus S.* superveniet in « te... ideoque et quod nascetur ex te *Sanctum,* vocabitur « Filius Dei » [3]; et verba ipsius Domini: « Quem Pater *sanc-* « *tificavit* et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas, « quia dixi: *Filius Dei* sum? » [4]

[1] Act. xiii, 33.
[2] Is. lv, 3; Ps. xv, 10.
[3] Luc. i, 35.
[4] Ioann. x, 36.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTO CONVENIAT PRAEDESTINATUM ESSE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Nisi latina lectio S. Pauli ad Romanos in loco modo explicato haberet de Christo: « qui « *praedestinatus est Filius Dei* », putamus, quaestionem praesentem non esse huiusmodi, ut unquam, prout in titulo iacet, mota fuisset. Ratio est, quia praedestinatio praedicata de persona non cadit in naturam, sed in suppositum. Quid ergo de Christi praedestinato ut sit *Filius Dei?*

2) Aliter loquendum est de praedestinatione praedicata *de re, de facto.* V. gr. si quaeris, an Incarnatio sit praedestinata, nulla haesitandi ratio. Est enim praedestinatum, ut humana Christi natura subsistentialiter uniretur Filio Dei. - Pariter idem valet de praedestinatione praedicata de ipsa natura, ut quando dico: Natura humana Christi donis abundantissimis gratiae praedestinata fuit. De quo rursus non ambigendum. Omnia enim elementa praedestinationis conveniunt. Etenim *a*) agitur de re facta in tempore, *b*) secundum gratiam, *c*) cum praeordinatione divina

3) Sed quaestio evadit subtilior, quando praedestinatio directe praedicatur de persona, ut quando dico: *Christus est praedestinatus Filius Dei.* Etenim omnia hic deficere videntur.

a) Non agitur de re facta in tempore: Christus enim aeternus est, et pariter Filius Dei; *b*) neque Filius Dei est ex gratia, sed per naturam; *c*) demum ubi deest effectio temporalis, tollitur substratum praeordinationis. - Quid igitur? Estne sententia illa Apostoli (abstrahimus nunc a genuinitate lectionis) solum vera in sensu duplici sub n. 2. allata; an datur et tertius sensus?

4) Datur utique, imo strictior, quia praedestinatus de supposito, de persona proprie praedicatur. Scilicet in una eademque persona respectum duplicem considerare possumus ad duplicem naturam in qua subsistit. Ita in Christo: quatenus in tempore subsistit in natura humana, illudque per maximam

gratiam et praeordinationem factum esse intelligitur, vere dicitur praedestinatus. Ad quid autem, nisi ad illud gratiae summum, nimirum ad gratiam unionis, qua illa natura humana est vere Filii Dei? Ergo sub hoc respectu vere Christus dici potest *praedestinatus Filius Dei.*

5) Sed iam instabis. Si sufficit iste duplex respectus ad duplicem naturam, ut Christus possit dici praedestinatus Filius Dei, cur non aequo modo dici potest *factus Filius Dei,* et Filius *adoptivus Dei?* Iam vero haec superius exclusa sunt.

Resp.: negando paritatem. *a*) *Filiatio* non dicitur ullo modo secundum naturam, sed de persona. *b*) *Fieri* dicitur quidem tum secundum naturam, tum secundum personam, sed intuetur rem ut in se est, et proin cadit per se in totum. *c*) *Praedestinari* autem considerat rem uti est in praeordinantis apprehensione. Latius proinde patet in *praedestinatione* ratio *respectus* sub quo praedicatur, quam in *fieri.*

5) Haec autem praedestinatio, licet in aliis hominibus intelligitur praesertim de praedestinatione ad finem ultimum beatitudinis, in Christo magis cadit in ipsam hypostaticam unionem. Ratio est quia in Christo omnia alia quae gratiae sunt tanquam connaturaliter ex illo charismate singulari effluunt; insuper gratia unionis ipsissima est, quae Christum secundum humanam naturam in singulari gradu collocat. Quod melius infra patebit.

II. **Ad Textum.** – *1. Obi.* Confundit praedestinationem ad filiationem adoptivam, cum singulari dignitate Christi Filii naturalis.

2. Obi. Duplici vitio laborat. *a*) Non attendit ad sensum verum quem habet praedestinatio praedicata de humana Christi natura. *b*) In praedicatione praedestinationis de persona non considerat respectum ad naturam humanam.

3. Obi. Non attendit, *fieri* dici de re absolute, secundum quod est; *praedestinari* autem de re prout est in apprehensione ipsius praedestinantis, ac proin minus absolute per se.

Sed contra est. Huc facit notissima definitio quam dat praedestinationis S. Augustinus: « Praedestinatio est gratiae

« praeparatio, quia ab aeterno Deus homini-Christo et cunctis « quos praescivit conformes fieri imagini Filii sui, bona sine « meritis praeparavit. Praeclarissimum etiam lumen praede- « stinationis et gratiae est ipse Mediator Dei et hominum « homo Christus Iesus » [1]. Ubi non solum habes, Christum praedestinatum, sed omnes praedestinatos a Christo suam praedestinationem exemplarem habere. De quo fusius in art. 3.

In Corpore. S. Thomas, data definitione praedestinationis, eam per partes applicat humanae naturae personaliter unitae Verbo. Adverte in hac applicatione secundum rigorem logicum solummodo probari duos illos sensus quos concessimus in n. 2: *a*) praedestinatum est, naturam humanam in Christo personae Verbi hypostatice unitum iri; *b*) natura humana Christi hypostaticae unioni est praedestinata. Praesertim intenditur sensus *a*), quem S. Doctor diserte concedit in resp. 2.; dum sensum *b*) iudicat minus proprium.

Quando igitur Aquinas concludit: « ratione huius Chri- « stus dicitur esse praedestinatus, » aliquo modo videtur conclusionem praecipitare. Etenim quaestio moveri potest, utrum, licite dicatur Christus ipse praedestinatus Filius Dei, quia legitime dicitur praedestinatum, ut natura humana Christi hypostatice Filio Dei sit unienda. Quod deest hic in *Corpore*, completur partim in resp. ad 2^{m}, partim in resp. ad 3^{m}; ac praesertim in articulo sequenti.

Resp. ad 2^{m}. Nostra praedestinatio cadit in totum, et de supposito ut tali praedicatur; praedestinatio autem Christi solum in suppositum, ut subsistens in natura humana. En schemate doctrinam huius responsi expressam:

1) Praedestinatio cadit in naturam humanam Christi:
- *a*) improprie, ratione communi;
- *b*) nullo modo, ratione speciali, nisi
- *c*) sensu a), in n. 2. explicato.

2) Praedestinatio cadit in personam Christi:
- *a*) non secundum se, sed
- *b*) secundum substantiam in natura humana, cui ex gratia est naturam esse Filii Dei.

[1] *De praedest. SS.*, 30. — *P. L. t.* XLIV, col. 981.

Resp. ad 3m. En rursus hoc responsum schemate contractum:

1. Praedestinatus = destinatus, sine antecessione: nulla difficultas.
2. Praedestinatio cadit in manifestationem: impropria locutio.
3. Praedestinatio cadit in personam, modo explicato sub 2. in resp. ad 2m.
a) alia antecessio in *fieri* = secundum rem uti in se est, absol.;

b) alia in *praedestinari* = secundum quod apprehenditur a praeordinante: { α) absolute, ita falsa; β) quatenus est sub forma humanae naturae, } ita vera.

Explicatio 1) negat antecessionem, aliter textum legendo; - 2) et 3) illam tenent, sed 2) de manifestatione, 3) de manifestando, non tamen absolute, sed secundum formam sive naturam in tempore ab eo accipiendam, ipsique ex gratia personaliter uniendam [1].

ARTICULUS II.

UTRUM HAEC SIT FALSA: CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO, EST PRAEDESTINATUS ESSE FILIUS DEI.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Si verum est, Christum praedestinatum esse Filium Dei, - sicuti in articulo praecedenti iuxta latinam versionem textus Paulini probatum est, - hoc erit verum vel secundum quod Christus est homo, vel secundum quod est Deus, vel secundum quod simul est Deus et homo. Haec autem veritas pendebit ab hoc, utrum secundum hanc vel illam reduplicationem conveniant *elementa praedestinationis,* et *talis praedestinationis.*

2) Dico *talis praedestinationis.* Nam, licet reduplicatio per se ponat formaliter terminum, - est enim ellipticae sententiae praedicatum; - si tamen praedicatum totius est de re, quae nonnisi personae conveniat, reduplicatio sumenda erit materialiter. In casu, quum *esse Filius Dei,* iuxta exposita supra in Q. XXIII, non conveniat nisi personae; quando dico redu-

[1] Quae in hoc articulo diximus de praedestinatione Christi uti de natura potius quam de persona, vel de persona ratione naturae, consona sunt doctrinae S. Th. III. Sent. Dist x, q. 3.

plicative: « *Christus, secundum quod homo, est praedestinatus « esse Filius Dei* », illud *homo* non solum ponit humanam naturam, sed et suppositum in humana natura.

3) Iam vero, ita intellectis terminis, haec positio vera erit, si secundum hominem, id est secundum humanam naturam in qua subsistit ille homo, sint *a*) praedestinata *b*) dona gratiae *c*) in tempore Christo collocata. Atqui haec tria simul verificantur. Ergo vera est propositio reduplicata de qua quaeritur. - E contra reduplicatio « *secundum quod Deus* », omnino falsa est. Licet enim de Christo, uti Deo, id est, uti Filio Dei, possit aliqua praedestinatio praedicari, nullo tamen modo praedestinatio ut sit Filius Dei. - Tertia autem, « *secundum « quod homo-Deus* », habet partem veritatis, partem falsitatis, ideoque in globo est falsa.

4) Sed quid, si praedicatio ex toto invertatur: « *Christus, secundum quod Filius Dei, praedestinatus est esse homo ?* » - *Resp.:* Si simul sumuntur omnia praedestinationis elementa, falsa est: etenim gratiam recipere, non convenit Christo secundum quod est Filius Dei. Si autem solum consideratur elementum praeordinationis rei in tempore faciendae, tunc est vera, sicuti vera est ista: « *Filius Dei factus est homo* ».

5) Pariter iudicandum est de illa: « *Filius Dei praedesti- « natus est esse Christus* ». Vera est, quatenus praedicat fiendum in tempore cum praeordinatione; falsa, quatenus gratiam ponit receptam a Filio Dei.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Eodem vitio laborat, quo obi. 3. praeced. art.. Sicuti illa componebat *fieri* cum *praedestinari,* ac si hoc super illud nihil adderet nisi antecessionem; ita haec componit *esse* et *praedestinari.* Distinguenda nempe *ratio actus* (quae apprehenditur a praedestinante) et obiectum *materiale* (quod significatur per esse).

2. Obi. Confundit *convenire* ratione naturae, ut *exigentis,* et ratione naturae, ut *gratiae obedientialiter capacis.*

3. Obi. Dupliciter peccat. 1) In primis sententiis permutatio fit simpliciter inter praedicatum et subiectum; in duabus ultimis solum inter praedicatum et reduplicationem, quod est minus. Unde nil mirum, si ex primis una sit vera, altera in sensu obvio falsa; dum duae ultimae veritatem, licet non eodem gradu, ambae dicunt, et magis proprie

ac plene vera est ea quae, iuxta obiectionem, respondet illi ex prioribus quae reiecta est. - 2) Non attendit ad discrimen, quod supra, quoad modum praedicandi, interesse demonstratum est inter fieri et praedestinari.

Sed contra est. Reduplicatio de qua hic quaeritur, in ipso textu S. Pauli exprimitur, ait enim: « De filio, qui factus « est ei ex semine David secundum carnem, qui (utique « secundum carnem) praedestinatus est », etc.

In Corpore. S. Thomas iuxta duo, quae in praedestinatione consideravit in *Corpore* articuli praecedentis, hic considerat eamdem non solum in se, sed in relatione ad utramque Christi naturam, vindicans legitimum sensum reduplicationis *secundum quod homo,* et excludens reduplicationem oppositam *secundum quod Deus.*

ARTICULUS III.

UTRUM PRAEDESTINATIO CHRISTI SIT NOSTRAE PRAEDESTINATIONIS EXEMPLAR.

De ipsa Quaestione. - Hucusque de praedestinatione Christi in ipso Christo; nunc de eadem relate ad praedestinationem nostram. Et primo quidem de ratione *exemplari* praedestinationis Christi.

Iam vero exemplar dicitur illud, ad cuius similitudinem alia fiunt. Quo in conceptu tria continentur: *a*) praecedentia exemplaris prae exemplato; *b*) directio agentis inspicientis exemplar in operando exemplatum; *c*) reproductio per exemplaris similitudinem in exemplato.

2) Porro haec ad praedestinationem Christi et ad nostram referendo habemus: *a*) Praecedentia non adest temporalis; neque, si actus ipse praedestinantis consideretur, alia est praedestinatio exemplaris et exemplatorum. Sed in unico actu datur ordo logicus iuxta quem praedestinatio Christi nostram praedestinationem praecedit.

b) Directio autem agentis inspicientis exemplar adest, non quasi ipsum exemplar in cognitionem exemplati duceret, sed quia exemplata, licet cognita in se, cognoscuntur etiam uti logico ordine ab exemplari derivantur.

c) Similitudo demum invenitur, non quidem quoad omnia, - quae non requiritur -, sed quoad elementa necessaria atque generica, quibus praedestinatio constituitur.

3) Iam vero, si hoc ultimum attentius perpendimus, apparet convenientia quoad tria supra exposita. Adsunt enim: *a*) praeordinatio, *b*) efficientia in tempore, *c*) ratio gratiae. Imo utrimque habemus filiationem. Sed discrimen, praeter gradus gratiarum atque gloriae, est duplex: *a*) in Christo filiatio est naturalis, in nobis adoptiva; - *b*) in Christo est gratia unionis a qua reliquae, in nobis sunt gratiarum habitus.

Ad Textum. - *1. Obi.* Non considerat dicta n. 2) *a*).

2. Obi. Negligit pariter dicta n. 2) *b*).

3. Obi. Praetermittit dicta 2) *c*).

Sed contra est. De hac doctrina, praeter cap. VIII. epist. ad Rom. in *Corpore* citatum, - ubi adverte singula verba: « *praescivit* » est prima contemplatio exemplandi; « *praedestinavit* » est voluntas perficiendi exemplatum; « *conformis fieri* » est agendi ratio in ipsa executione; « *imaginis Filii sui* » est ipsum exemplare; - habemus verba eiusdem apostoli ad Philippenses: « Salvatorem exspectamus, qui reformabit corpus « humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae » [1]. - et ad Corinthios: « Deus qui dixit de tenebris lucem splen- « descere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem « scientiae Dei, in facie Christi Iesu » [2]; - ubi habes quoque comparationem lucis et illuminationis, quam adhibet Augustinus in loco citato [3].

In Corpore. En schema doctrinae huius *Corporis:*

Praedestinatio Christi exemplar praedestinationis nostrae:

- I) non secundum *ipsum actum,* — est unicus, aeternus;
- sed
- II) secundum *terminum* sive *effectum:*
  - 1) quantum *ad bonum ad quod:*
    - *a*) filiatio divina Chr. *naturalis;*
    - *b*) nostra *adoptiva.*
  - 2) quantum *ad modum consecutionis:*
    - *a*) *unionis gratia* maxime gratuita:
    - *b*) nostra quoque *ex gratia.*

[1] C. III, 20. 21

[2] II. ep. IV, 6.

[3] De hac doctrina S. Augustini vide tract. nostrum *De Deo Uno,* t. II, p. 512, sq.

Ex hac doctrina habes, quomodo solvas difficultatem inde petitam, ac si praedestinatio Christi et nostra nonnisi aequivoce convenirent. Cf. dicta supra n. 3.

ARTICULUS IV.

UTRUM PRAEDESTINATIO CHRISTI SIT CAUSA NOSTRAE PRAEDESTINATIONIS.

De ipsa Quaestione. - 1) Ulterius progrediendum est in analysi relationis inter praedestinationem nostram et Christi. Praeter causam exemplarem, consideranda est causa efficiens. Haec autem dupliciter causa esse potest: vel physice, vel moraliter. Insuper duplici modo: vel ita ut, sublata causa, effectus aliunde non fuisset obtentus (sive de facto sive de potentia); vel ita ut, sublata causa, aliunde fuisset obtentus, sed aliter.

2) Dicendum igitur, praedestinationem Christi esse vere causam efficientem praedestinationis nostrae, moralem simul ac physicam instrumentalem; imo necessariam absolute in praesenti oeconomia salutis, in qua, sicuti non est in alio quovis nomine salus [1], ita nulla alia praedestinatio habetur quam per praedestinationem Christi.

3) Non ideo tamen *a*) intervallum interiacere debet a parte praedestinantis inter unam et aliam praedestinationem, quemadmodum monstratum est in art. praeced. n. 2. *a*) pro causa exemplari. Neque *b*) aliquid demitur voluntati divinae praedestinanti ratione efficientiae unius praedestinationis in aliam, quum haec ipsa relatio sit ex voluntate divina.

4) Quod si Deus Christum non praedestinasset, non potuisset quidem beatos praedestinare ad imaginem Christi; ast ad imaginem Filii sui non solum potuisset, sed et debuisset; at non fuisset ad imaginem Filii praedestinati.

II. **Ad Textum.** *1. Obi.* Non attendit dictum n. 3. *a*).

2. Obi. Neque considerat *b*) eiusdem n. 3.

3. Obi. Non distinguit inter causam et causam unicam possibilem: praetermittit dicta n. 4.

[1] Act. IV, 12.

Sed contra est. Locus Pauli hic citatus nullum dubium relinquit. Aliis in locis eadem veritas declaratur: « Qui multos « filios in gloriam adduxerat » [1]. « Per quem habemus acces- « sum per fidem in gratiam istam, in qua stamus et gloria- « mur in spe gloriae filiorum Dei » [2]. « Per ipsum habemus « accessum ambo in Spiritu ad Patrem » [3]. Quibus sententiis directe demonstratur intentum. – Alii loci perplures, imo prope innumeri indirecte idem evincunt: quotquot scilicet influxum Christi in nos exhibent. Tales sunt exclamationes Pauli: « Mihi vivere Christus est »; « Vivo autem, iam non « ego, vivit vero in me Christus! » [4] id est, vita gratiae *ab ipso* et *per ipsum* in me derivat, eaque *cum ipso* in consummatione fruar. Quae sane omnia Christus agit in suos in quantum ipse praedestinatus dicitur; eaque hi recipiunt in quantum praedestinati, si minus terminative ex proprio defectu, saltem in radice ex ordine naturali qui interest inter gratiarum dona et beatitudinis finem, a quo obtinendo proprie vocantur praedestinati [5].

Patet, hunc causalitatis efficientis influxum inter Christi praedestinationem et nostram, esse adspectum gratiae capitis, fructum muneris sacerdotalis atque officii mediatoris Christi Domini.

In Corpore. Planus est processus S. Thomae. Post hucusque demonstrata unum superest, nempe ut ostendatur praedestinationem nostram in ipsa praeordinatione obtineri per praedestinationem ipsius Christi. De executione in tempore non potest moveri quaestio. Liquet enim nimis, nos nonnisi per Christum salvari. Si ergo in praedestinatione non subsisteret idem causalitatis nexus, inde tantum esset, quia praedestinatio respiceret solum rem faciendam et non modum vel ordinem eiusdem rei. Sed hoc est apertissime falsum, et contrarium prorsus manifestum. Ergo praedestinatio nostra habet causam suam in praedestinatione Christi. — In hac argumentatione Aquinas supponit id, quod expresse in *Sed contra*

[1] Hebr. II, 10.
[2] Rom. V, 2.
[3] Ephes. II, 18.
[4] Phil. I, 21; Gal. II, 20.
[5] Cf. quae de praedestinatione dicta sunt in tractatu nostro *De Deo Uno* t. II.

est declaravimus: opus scilicet salvificum esse partem ipsius praedestinationis Christi.

Porro adverte, latissime patere principium in fine huius *Corporis* positum. Ordo quippe in omnibus servandus est, si conferantur inter se executio et praedestinatio. At non ideo idem est ordo intentionis et executionis. Imo haec duo sibi ex opposito respondent, quum finis intendatur primus, et obtineatur ultimus. Sed praedestinatio in se utrumque ordinem continet. Vide haec fusius exposita in Quaestione de praedestinatione.

De causa finali in praedestinatione Christi verbulum in fine sit. Non solum exemplaris seu formalis atque efficiens nostrae praedestinationis est praedestinatio Christi, sed et insuper causa *finalis*. Gloria quippe Capitis, Ducis, Regis, per gloriam membrorum, militum, populi intenditur, licet non exclusive. « Omnia in omnibus Christus », uti ait Apostolus [1]. In aetatem scilicet plenitudinis Christi omnes praedestinati Redemptori occurrent, gloriam eius sua gloria accidentali, sed vero splendore collustraturi. Clarificatur quippe Christus non solum per proprium triumphum, sed et per triumphum ab ipso in membris relatum. Unde iam patet, quo ordine triplex haec causalitas praedestinationis Christi contemplanda sit. Formalis praecedit efficientem, tanquam fundamentum cui superstruitur; efficientem sequitur finalis, tamquam effectus a praedestinante intentus. Inde enim gloria nostra Christi gloria, quia praedestinatio nostra, sicuti et salus, per ipsum et per ipsius praedestinationem est. Est autem per ipsum, quia Filius naturalis nos adoptivos reddidit, efficiendo per mediationem in humana natura gratuito acceptam, ut nos, gratuiti doni participes, filiationi ipsius divinae per similitudinem conformemur.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

1) Quum praedestinatio respiciat obiectum uti est in apprehensione praedestinantis, licet proprie et complete de persona dicatur (quae in Christo unica aeterna est), nihilomi-

[1] Coloss. III, 11.

nus quatenus haec subsistit in natura humana ipsi in esse personali in tempore per gratiam unita, Christus, iuxta latinam versionem versus Paulini, dici potest praedestinatus (a. 1).

Haec autem Christi praedestinatio, ut sit scilicet, iuxta hanc lectionem, Filius Dei, unice de ipso praedicari potest secundum quod est homo; id est, secundum quod in tempore per gratiam humana natura tam sublimiter in Christo unita est Deo, ut propter et per hanc unionem homo sit proprie Filius Dei (a. 2.).

2) Porro, licet unico actu Deus Christum et beatos praedestinare dicendus sit, praedestinatio Christi in filiationem naturalem per gratiam unionis (a qua in ipso omnes aliae fluxerunt), *causa exemplaris* est praedestinationis in filia tionem adoptivam per charitatem (a. 3.).

Imo est eiusdem *causa efficiens,* quum in tempore salus omnium sit per Christum, et modus efficientiae futurorum non minus in praedestinatione contineatur quam ipsa futura (a. 4.)

Demum ex intimo vinculo caput inter et membra, necnon ex effectu ipsius causae efficientis, sequitur, praedestinationem Christi esse praedestinationis nostrae *causam finalem* (S. Th. III. Sent. Dist. X, q. III. q. 3).

CAPUT III.

DE PERTINENTIBUS AD CHRISTUM IN COMPARATIONE AD NOS.

In hoc Capite agitur 1) de Christi *adoratione;* 2) de Christi *mediatione.*

1) DE ADORATIONE CHRISTI.

QUAESTIO XXV.

Ordo Quaestionis. - Quaestio triplici parte constat [1]. 1) Primo quaeritur de adoratione ipsi Christo exhibenda uti homo est: *a*) in genere (a. 1), *b*) in specie (a. 2).

2) Dein quaeritur de adoratione exhibenda eius imaginibus aut reliquiis: *a*) de imaginibus in genere (a. 3), *b*) de Cruce in specie (a. 4).

3) Tertio quaeritur de cultu exhibendo Sanctis, id est: *a*) B. M. Virgini (a. 5), *b*) reliquiis Sanctorum (a. 6).

ARTICULUS I.

UTRUM UNA EADEMQUE ADORATIONE SIT ADORANDA DIVINITAS CHRISTI ET EIUS HUMANITAS.

De ipsa Quaestione. - 1) Quod Christus, uti Deus, summo cultu, i. e. adoratione latriae sit colendus, ab his solum negatur, qui ipsum Deum negant, de quibus supra. - Quod autem qualicumque modo ei adoratio latriae debeatur, uti est homo, ipsi Nestoriani concesserunt.

Sed duplicem isti inducebant adorationem: alteram, adorationem simpliciter, Deo; alteram, coadorationem, homini

[1] Vel duplici parte, ita ut in prima quaeratur *a*) de ipso Christo, *b*) de eius imaginibus et reliquiis.

exhibitam. Contra quos statuendum est, unica adoratione in Christo, quantum ad eum qui honoratur, Deum et hominem honorari propter unum suppositum.

2) Ut autem haec ratio vere valeat, oportet ostendere, adorationem esse honorem exhibendum personae. Et re quidem vera duplex quum sit honor, alter qui rei ratione sui redditur, alter qui ratione alterius, nempe relationis ad ipsum honoratum, proprius honor est ille, qui spectat rem ratione sui. Hoc autem spectat rem in suo *toto*. Unde in Christo, quum sit unum esse, unum est id cui redditur ratione sui honor; ac proin latria, in qua uti mox patebit, summus honoris gradus consistit [1].

3) Sed in illo uno subiecto, in illa una persona distingui possunt varii tituli ad honorem recipiendum. Sicuti enim honor fundatur in excellentia, quot erunt tituli excellentiae, tot erunt honoris. Quod in ipsa adoratione servandum erit. Proinde si sit aliqua persona in qua, ratione duplicis naturae, sit duplex fons excellentiae omnino distinctus, adoratio ipsi debita ratione unius personae divinae, habebit a parte causae seu titulorum plures respectus. Verbo: Christo, utpote Homini-Deo una debebitur adoratio, quia unus adorandus; attamen, a parte titulorum, erit duplex in ipso natura, cui in sua identitate vel in sua unione cum unica persona excellentia specialis inest omnino distincta.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit adorationem cadere in personam; neque in una adoratione distinguit diversos adorationis titulos.

2. Obi. Confundit obiectum adorationis, quae persona est, et rationem, quae est excellentia eius, per operationem acquisita vel manifestata. - Neque absolute verum est, honorem esse praemium virtutis. Quid iam de honore Dei? Angelicus iuxta Philosophum docet: « Laus et honor in hoc differunt, « quod laus debetur alicui propter bonitatem quam habet ex « ordine ad alterum, ut quando facit actum congruentem fini; « honor autem debetur alicui propter bonitatem quam habet « secundum se. Unde, secundum ipsum, laus debetur homini

[1] Cf. III. Sent. Dist. IX. q. I. a. 2.

« propter actus virtutum, qui ordinantur ad felicitatem; « honor autem debetur Deo et divinis » [1].

3. Obi. Non considerat, *a*) animam in Christo cedere digniori, nempe personae Verbi, quin tamen *b*) ullum ex hoc detrimentum acceperit, e contra.

Sed contra est. S. Th. in hoc art. directe est sollicitus de una adoratione quae Christo Homini-Deo debetur, potius quam de adoratione ipsa, utpote quae immediate sequitur ex doctrina in praecedentibus demonstrata. Et re quidem vera, si Christus est unus, ratione singularitatis personae, et si haec persona est Deus, sequitur manifesto, Christum esse adorandum uti Deum.

Per consequens huc quoque faciunt argumenta quae in praecedentibus attulimus sive ex Scripturis sive ex traditione ad hanc unitatem in persona divina demonstrandam, et unionem utriusque naturae. Quum nihilominus vera divinitas Christi hodiedum recrudescente impietate negetur, breviter eamdem specialius in adnexa appendice vindicandam duximus.

Interim de ipsa adoratione Christo debita habes *a*) in Ant. Test. illud Psalmistae, iuxta interpretationem ipsius Pauli: « Adorate eum omnes Angeli eius » [2]. – *b*) In Nov. Test., praeter obsequium a Magis aliisque Christo praestitum, habes quod narratur de caeco nato, ubi vox adorare nequit non sumi in sensu adorationis soli Deo debitae: « Tu credis in Filium « Dei? - Respondit ille et dixit: Quis est, Domine, ut credam « in eum? - Et dixit illi Iesus: Et vidisti eum, et qui loquitur « tecum, ipse est. - At ille ait: Credo, Domine. Et procidens « adoravit eum » [3]. Rursus Paulus de Christo triumphante ait: « Deus dedit illi nomen, quod est super omne nomen, « ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terre- « strium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia « Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris » [4]. Et Ioannes vidit et audivit summos adorationis honores Agno Christo redditos: « Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere vir-

[1] III. Sent. loc. cit. sol. 1.
[2] Ps. XCVII, 7. Cf. HÉBR. I. 6.
[3] IOANN. IX. 35-38.
[4] PHIL. II, 6-11.

« tutem et divinitatem, etc. etc. Et adoraverunt viventem in « saecula saeculorum » [1].

Hanc manifestissimam doctrinam Patres passim proclamarunt. Pulcherrime S. Athanasius, cuius testimonium aliorum nomine allatum sufficiat: « Rem creatam non adoramus, « absit. Ethnicorum et Arianorum est huiusmodi error. Sed « rerum creatarum Dominum, carnem factum Dei Verbum « adoramus. Etsi enim ipsa caro seorsim spectata, pars sit « rerum creatarum, attamen Dei facta est corpus. Neque « ergo huiusmodi corpus a Verbo dividentes adoramus, « neque cum Verbum volumus adorare, ipsum a carne remo- « vemus » [2]. Quibus verbis iam et doctrina sequentis articuli praeoccupatur.

Porro ante Concil. oecum. V, quod S. Thomas hic citat [3], Ecclesia iam hanc doctrinam solemniter proclamaverat. Patres enim Conc. Ephesini statuunt: « Si quis audet dicere, « assumptum hominem coadorandum Deo Verbo, et conglo- « rificandum et connuncupandum Deum, tanquam alterum « cum altero (nam " con " syllaba interiecta haec cogit intel- « ligi) ac non potius *una* supplicatione veneratur Emmanuel, « unamque ei glorificationem defendit, iuxta quod Verbum « caro factum est, anathema sit » [4].

Idem dogma multifariam Liturgia exprimit et illustrat. Ad verba protoëvangelii: « Et Verbum caro factum est », necnon in *Credo* ad verba: « Et incarnatus est, etc. » genua flecti iubet in signum adorationis. - Invitatoria multorum festorum idem diserte exprimunt: « Christus natus est nobis; venite adore- « mus ». « Christum regem adoremus dominantem gentibus, « qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem ». - Caeterum cultus eucharisticus, absque dubio latreuticus, adorationem Christo debitam eloquentissime exprimit [5]. « Nullus « dubitandi locus relinquitur, ait Conc. Tridentinum, quia « omnes Christi fideles pro more in catholica Ecclesia sem- « per recepto, latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic

[1] Apoc. v, 12, sqq.

[2] Epist. ad Adelph. n. 3. — *P. G.* t. XXVI, col. 1073, sq. — Cf. testimonia plura apud Schwetz (op. cit., p. 62).

[3] Can. 9 de trib. cap. (Denzinger, op. cit., n. 188).

[4] Can. 8. — Ibid. n. 80.

[5] Idem valet de cultu SS. Cordis, uti ex dicendis in art. seq. apparebit.

« SS. Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo « minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut « sumatur, institutum; nam illum eumdem Deum praeser- « tim in eo adesse credimus, quem Pater aeternus intro- « ducens in orbem terrarum, dicit: "Et adorent eum omnes « angeli Dei"; quem Magi procidentes adoraverunt; quem « denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse, Scriptura « testatur » [1].

In Corpore. En schema argumentationis S. Thomae:

I. *Statuuntur principia.*
- In eo qui honoratur, consideranda sunt *duo:*
  - 1) ille *cui:*
    - *a*) intenditur totum subsistens;
    - *b*) partes ratione totius;
  - 2) *causa* propter quam: est in honorato id, a quo excellentia; quae causa potest esse multiplex.

II. *Applicantur quaesito.*
- 1) ratione *eius,* qui honoratur: *unica adoratio* Dei et hominis; eam multiplicare, est multiplicare personam, iuxta Nestorium.
- 2) ratione *causae* honoris: sicuti in solo Deo plures sunt causae, ita a fortiori in Deo-homine, ac proin *plures adorationes.*

APPENDIX

de vera Divinitate Christi [2].

Infantulum Iesum olim gestans Simeon senex prophetice dixit: « Positus est hic in signum, cui contradicetur » [3], Christum scilicet aliis Deum verum, aliis nonnisi hominem praedicantibus, plus minusve cum Deo coniunctum. In quibus haereticis priscis ac modernis verificatur et illud: « Quod est « quod fuit? ipsum quod futurum est ». De impietatibus enim quas increduli moderni in Christum eructant, dictum crederes: « Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: « Ecce hoc recens est; iam enim praecessit in saeculis, quae « fuerunt ante nos » [4]. Et sane fucum deme eruditionis phi-

[1] Sen. XIII, cap. 5. (DENZINGER, op. cit., n. 759).

[2] Lege de hoc integro argumento Card. FRANZELIN (op. cit. th. I-IX), et Cl. STENTRUP (op. cit., th. IV), etc., etc.

[3] LUC. II, 34.

[4] ECCL., I, 9, 10.

logicae, deme historica dubia facili negotio, crescente temporum spatio acervata, incredulitas moderna vix differt ab impietate antiqua, nisi quod altioris longe erant ingenii Celsus, Arius, Nestorius, aliique prisci Ecclesiae hostes, prae coaevis nostris, qui tanta arrogantia suas pervetustas novitates buccinant.

Et quidem alii aliter divinitatem Christi impugnant, de quibus hic agere singulis, esset praeter tractatus nostri indolem, et huius appendicis scopum. Historicam authentiam et veracitatem S. Scripturae, imprimis Novi Testamenti, hic supponimus. Thesis nostra ad hoc limitatur: Christum verum esse Deum, constat ex modo 1) quo fuit annuntiatus; 2) quo Ipse de semetipso locutus est; 3) quo eius doctrina est agnita, ab iis quibuscum Ipse vixit. Per partes veluti per tot propositiones argumentum hoc breviter evolvamus.

1. Prop. - Christus annuntiatus et demonstratus est verus Deus.

A) Licet ex Vet. Test. vaticiniis minus clare apparet, Christum vere ac proprie esse Deum, quam ex oraculis Nov. Test.; nihilominus et ipsa hoc dogma primordiale proclamant.

1) *Persona* Messiae ibi annuntiatur *a*) *Filius Dei* genitus: « Filius meus es tu: ego hodie genui te » [1]; *b*) *Dominus:* « Dixit Dominus Domino meo » [2]; *c*) *Deus* ipse: « Unxit te « Deus, Deus tuus » [3]; *Deus nobiscum:* « Vocabitur nomen « eius Emmanuel » [4].

2) *Proprietates* divinae ei tribuuntur: *a*) est *aeternus:* « Egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis » [5]; est « Pater « futuri saeculi » [6]; *b*) *adoratione* dignus: « Ipsum gentes « deprecabuntur » [7]; « Adorent eum omnes angeli eius » [8]; etc..

[1] Ps. II, 7.
[2] Ps. CIX, 1.
[3] Ps. XLIV, 8. — Cf. Is. IX, 7: « Vocabitur nomen eius Deus ».
[4] Is. VII, 14.
[5] MICH. V, 2.
[6] Is. IX, 6. — Cf. II, REG. VII: « Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium ». — Cf. HEBR. I, 5.
[7] Is. XI, 10.
[8] Ps. XCVI, 7.

3) *Opus* eius vires hominis ita exsuperat, ut non possit esse nisi Dei. *a*) Est *regnum* aeternum: « Suscitabit Deus « caeli regnum quod in aeternum non dissipabitur [1]; - *b*) est *redemptio:* « Si posuerit pro peccato animam suam videbit « semen longaevum et voluntas Domini in manu eius diri- « getur » [2]; - *c*) est *pacificatio* aeterna: « Vocabitur nomen « eius princeps Pacis..., et pacis non erit finis » [3]; - unde *d*) est *mediatio* omnipotens: « Omnis qui invocaverit nomen « Domini, salvus erit, quia in monte Sion et in Ierusalem « erit salvatio » [4].

B) Quem ita Vates de longinquo nuntiarunt, de propinquo quasi demonstrarunt 1) Angelus *Gabriel:* « Hic erit « magnus et *Filius Altissimi* vocabitur... et regni eius non « erit finis... Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur *Filius* « *Dei* » [5]. - 2) *Zacharias* ipse de suo filio canit: « Et tu puer « propheta *Altissimi* vocaberis: praeibis enim ante faciem « *Domini* parare vias eius ». Iuxta eum Messias nasciturus est Deus « oriens ex alto » [6]. - 3) *Elisabeth* Virginem almo germine gravidam ita compellat: « Unde hoc mihi, ut veniat « mater *Domini mei* ad me? [7]. - 4) *Ioannes Baptista a*) nondum visum Dominum [8] ita annuntiat turbis: « Ipse est qui « post me venturus est, qui ante me factus est ». Et viso Christo, nondum audito, exclamat: « Ecce Agnus Dei, ecce « qui tollit peccatum mundi » [9]. In quibus verbis sedulo perpensis apparet, Christum esse aeternum, quia est Deus, et salutis consummatorem, quia Deus-homo pro mundi salute immolandus. *b*) Postquam autem vidit columbam descendentem super caput Iesu, expressius testimonium reddit: « Et ego

[1] Dan. II, 44.

[2] Is. LIII, 10.

[3] Is. IX, 6, 7.

[4] Ioel. II, 32.

Luc. I, 32, 35. Verbulum *ideoque* (διό) nullomodo contrahit rationem huius appellationis « filius Dei », ad miraculosam nativitatem, sed ad hanc nativitatem, cuius modus expressus in v. 35 respondeat dignitati praemissae in v. 41.

[6] Ibid. 76, 78.

[7] Ibid. 42. — Et ipsa Virgo exclamat: « Exultavit spiritus meus in Deo salu- « tari meo », utique in Filio meo, Deo Redemptore » (v. 47).

[8] Quem utique adhuc in matris utero ipse detentus prophetico saltu Messiam agnoverat.

[9] Ioann. I, 27, sq.

« vidi et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei » [1]: scilicet unus ex his tribus, quorum alius per vocem superne delapsam Filium praedilectum monstravit, alius in forma columbae charismata unctionis et gratiarum figuravit. - *c*) Unde ad discipulos de Christo sciscitatos splendidam orationem habet, e qua saltem praecipua verba afferenda sunt atque illustranda. « Qui desursum venit, super omnes est.... Et quod « vidit et audivit, hoc testatur, et testimonium eius nemo « accipit. Qui accepit eius testimonium, signavit quia Deus « verax est. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non « enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater diligit Filium, « et omnia dedit in manu eius. Qui credit in Filium, habet « vitam aeternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit « vitam, sed ira Dei manet super eum » [2]. In quibus verbis sequentia continentur. α) Origo Christi non est tantum terrena, humana; imo principalius est caelestis; β) ita quidem ut sit divina, quum sit Filius Dei; γ) unde est absolute super omnes, quippe radicitus super omnem creaturam elevatus; δ) missus est Dei Filius a Patre ad doctrinam salutis edocendam; ε) in qua doctrina princeps caput est ipsa divina Christi origo; ζ) Christus Filius Dei est conscius secretorum Dei, divinam habens scientiam; η) sine mensura sunt potestas ipsi commissa, et Spiritus quo impletur. Iam vero quis negat, haec convenire non posse, nisi homini qui ita sit Filius Dei, uti vere sit Deus?

C) Quod testimonium Ioannis corroboratur per testimonium *ipsius Dei* de Christo. Praeter innumera miracula quibus Deus doctrinam Christi, imprimis de propria divinitate corroboravit, maxime suscitans eum a mortuis, et confirmans promissionem eius de mittendo Spiritu Sancto; triplex est testimonium verbale Patris de Filio. *a*) In Christi baptismate vox Patris intonuit: « Hic est Filius meus dilectus, « in quo mihi complacui » [3]. Iam vero, etsi appellatio Filii Dei possit per se et in sensu figurativo, adoptivo intelligi, - quo sensu et de membris Christi usurpatur, - negari nequit, hanc tam solemnem declarationem exigere sensum omnino

[1] Ioann. I, 34.
[2] Ioann. III, 31, sqq.
[3] Matth. III, 17.

specialem, proprium. Eo vel magis quod haec locutio, coniuncta cum apparitione Spiritus sub forma columbae, manifeste SS. Trinitatis mysterium exprimit, ac proin nos docet, Christum esse unum ex tribus personis Divinitatis unicae ac trinae. - *b*) In transfigurationis monte, eadem vox de nube facta est dicens: « Hic est Filius meus dilectus, ipsum « audite » [1]. Iam vero, praeter easdem rationes, haec ultima verba confirmant divinitatem Christi, quum aperte Christus, - uti mox patebit, - hanc proclamaverit. - *c*) Vespere triumphi palmarum Christus primos agoniae fremitus expertus, exclamavit: « Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox « de caelo: Et clarificavi, et iterum clarificabo » [2]. Porro licet primo intuitu haec potius dicta videantur de clarificando nomine Patris, penitius inspecta intelligenda sunt de clarificando nomine Patris per clarificandum ipsum Filium. Id dixerat Christus paulo superius: « Venit hora ut clarificetur « Filius hominis » [3]. Id mox ipse rogabit in solemni oratione post coenam: « Pater, venit hora: clarifica Filium tuum, ut « Filius tuus clarificet te » [4]. Quae ultima verba nexum ostendunt inter utramque clarificationem, quatenus unum est utriusque nomen, ac proin in eodem divinitatis honore gloria Patris sit gloria Filii, et reciproce. Iam vero haec intelligi nequeunt, nisi nomen Christi sit nomen Dei. Ergo Christus est Deus.

2. Prop. - Christus aperte seipsum Filium Dei, Deumque verum affirmavit.

Apparuerunt sane in historia homines quidam, aut diabolica superbia inflati, aut mystica exaltatione seducti, aut dementia correpti, qui seipsos ut deos, numinisve filios assererent, colendosque exigerent. At Iesus in tota vita sua nihil nobis offert, unde vel superbia, vel religiosa exaltatio, vel alienatio mentalis in eo praedicari possit. Quare testimonium quod fert de se, - quodque innumera prodigia corroborarunt, -

[1] Luc. IX, 35.
[2] Ioann. XII, 28.
[3] Ibid. 23.
[4] Ibid. XVII, 1, cf. 5.

habet aliquam virtutem singularem, ineluctabilem, si tamen constet, *a*) historice authentica esse, quae de ipso narrantur, et *b*) ipsum se revera uti Dei Filium verum, Deumque proclamasse. Unde ad vim huius auto-deificationis declinandam, alii negant prius, uti Wette, Kante, etc.; alii, uti Renan, alterum insuper recusant. Horum nuperrime numerum adauxit comes quidam Cam. de Renesse in opusculo ineptiis blasphemiisque permixto, cui titulus: « *Jésus-Christ, ses apôtres « et ses disciples au XX.e siècle* » [1]. Ibi legitur propositio: « Jamais durant sa vie le Christ n'a affirmé sa divinité » [2].

Ad detegendam huius impietatis audaciam iam voci obtemperemus Patris superne iniungentis: « Ipsum audite! ». Audiamus ipsum de se Christum. Non utique mente proterva, quae rebellans exclamat: « Durus est hic sermo, et quis « potest eum audire » [3]; sed corde docili ac amante, quod fidem adhibens loquenti, ait: « Verba vitae aeternae habes »; unde cum haec locuto addere possimus: « Et nos credidimus « et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei » [4].

Ne autem huius secundae propositionis demonstratio nimis nos detineat, recolantur quae iam alibi adduximus, tum in tractatu *De Deo trino* ad demonstrandam secundam personam SS. Trinitatis [5], tum in hoc tractatu ad unionem gemi-

[1] Ad vim huius opusculi ostendendam, satis sit sequentia transcripsisse: « Dans « ce catholicisme quelques rares apôtres sont restés plus fidèles au Christ qu'à « l'Eglise, Saint François d'Assise, le fondateur des franciscains, au XIII siècle, le « moine Savonarole au XV le dominicain Giordano Bruno au XVII. Ces deux der- « niers furent brûlés vifs par ordre de l'Inquisition, le premier plus modeste et « moins dangereux fut canonisé, ce qui parut le moyen le plus habile d'empêcher « le développement de sa doctrine purement humanitaire, démocratique et socialiste « (4 edit. p. 16) ». Parum esset, huiusmodi ineptias typis edi, nisi per vulgus ignarum pessimo zelo spargerentur.

[2] P. 72. At vide miram contradictionem scriptoris. P. 9. periodum per haec verba incipit: « Ou le Christ est Dieu, *comme l'ont prétendu les Pères de l'Eglise depuis « saint Jean l'Evangéliste et saint Paul, et surtout depuis le Concile de Nicée*, etc ». Et p. 73 legitur: « J'ai constaté historiquement que *pendant les premiers siècles* et « jusqu'au temps d'Origène et même bien au-delà, les Chrétiens ne considéraient le « Christ que comme l'Oint du Seigneur, etc. »; et pergit varios enumerando titulos praeter divinitatem. Igiturne per prima saecula doctrina S. Ioannis Evangelistae et S. Pauli a Christianis aut ignorabatur, aut despiciebatur? Et concludit emphatice: « Cette gloire devait suffire au Christ, c'était la seule qu'il ambitionnât ».

[3] Ioann. VI, 61.

[4] Ibid. p. 69. sq.

[5] P. 126, sqq.

nae Christi naturae in persona vindicandam [1]. Ad summa quaedam capita argumentum reducemus: 1) ad *personam,* 2) ad *proprietates,* 3) ad *opus* Christi, qualiter ex ipsis Christi verbis apparent. Tria tamen huic inquisitioni monita praemittimus, quibus recte perpensis, instituenda demonstratio vim suam plenius exerat.

a) Nos sumus catholici, id est, princeps magisterii organum in vivente Ecclesia reponimus. Quare ipsum Evangelium scriptum non est nobis nisi medium provide Ecclesiae datum ad depositum praedicationis oralis facilius conservandum. Inde minor necessitas ut theoretice ac catechistice, tanquam per tot theses dogmata in verbo scripto reperiantur, quam si, uti falso contendunt Protestantes, Biblia fons esset revelationis unicus.

b) Dogma divinitatis Christi nequit seiungi a dogmate SS. Trinitatis. Unde Christus, utriusque revelator, plenius se manifestavit vocando se Filium Dei, Unigenitum Patris, quam si se simpliciter proclamasset Deum. *Filium Dei,* in sensu presso quem hic titulus manifesto habet in ore Christi de se, non dicit minus, sed plus, quam solus titulus *Deus.* Adiungit enim determinationem relativam, ac inducit in SS. Trinitatis arcanum. Quare funditus aberrant, qui titulum *Deum* desiderant, et non agnoscunt, in titulo *Filio Dei, Unigenito Dei,* Deum a fortiori contineri [2].

c) Denique sedulo cavendum est, ne verba a contextu

[1] P. 98, sqq.

[2] Lege de vi huius tituli « *Filii Dei* » ac « *Dei* » thesim card. Franzelin (op. cit. III), quae ita sonat: « Quamvis argumenta Scripturae, quibus divinitas Jesu « Christi demonstratur, non unice nec potissimum ad appellationem *Dei* et *Filii Dei* « per se et extra contextum spectatam redigantur, non ea tamen est in usu loquendi « biblico horum nominum ambiguitas, qualem Sociniani post alios haereticos, ut « argumentorum vim eluderent, asseruerunt. Demonstrari enim potest, 1) nomen « Dei praeter unum Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum nemini unquam « in numero singulari ab sacris Scripturis adtribui simpliciter et sine expressa « restrictione et improprietatis significatione; — 2) in universis Scripturis praeter « unum Filium Dei, qui est Iesus Christus, nullam personam *singularem* et *definitam* « ex propria SS. Scriptorum sententia appellari *Filium Dei,* nisi fortasse ratione « typi, quem gerat ipsius Iesu Christi; — 3) falsum esse nomen *Filii Dei* aetate « Christi fuisse vulgatissimum, quo tanquam proprio, non secus ac nomine *filii* « *David* Messiam designare consueverint Iudaei etiam illi, qui non alium Christum « expectarent, quam regni Iudaici potentissimum restauratorem, eumque merum « hominem ».

avulsa ac emortua seiunctim rescindantur potius quam in vitali nexu sermonis degustentur. Hic processus, veluti a medicis materialisticis acceptus, qui negant animam humanam, quippe quam nusquam sub scalpello deprehendant; hodiedum apud philologos incredulos in detrimentum sanae exegeseos viget. Quos sane nulla sermonis virtus a lethali methodo detinere valet, quum nulla sit vox, quae aliqualem acceptionem figuratam pati non possit [1], aut saltem de cuius authentia, si nimium sonet legenti, ob hoc ipsum non a priori dubium possit moveri.

1) Itaque divina excellentia Christi elucet ex modo quo ipse Christus de personae suae constitutione loquitur.

a) Habet *originem supernam,* caelestem, non terrenam. Quod Ioannes exprimebat dicens: « Qui desursum venit, « super omnes est », Christus saepe de semetipso affirmat: « Descendi de caelo... Hic est panis de caelo descendens. « Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi » [2]. « Vos de « deorsum estis, ego de supernis sum » [3]. - *b*) Ita originem caelestem habet, ut de Deo exierit, et a Deo missus sit: « Ego « ex Deo processi et veni, neque enim a meipso veni, sed « ille me misit » [4]. - *c*) Exivit a Deo, ut Filius a Patre, mittitur uti Filius a Patre. « Exivi a Patre et veni in mundum » [5]; « misit me, quem vos nescitis » [6]. - *d*) Est Filius Patris modo prorsus singulari, quare est *Unigenitus,* et proprio sensu *Filius Dei:* « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum « Unigenitum daret » [7]. - *e*) Iste Unigenitus Filius Dei participat maiestatem nominis Dei: « Qui non credit, iam iudica- « tus est, quia non credit in nomine Unigenti Filii Dei » [8]. - *f*) Haec communicatio est tam perfecta usque ad aequalitatem et identitatem: « Pater meus quod dedit mihi, maius « omnibus est: ego et Pater unum sumus » [9]. « Philippe, qui

[1] Quod de ipsa voce *Deus* ostendit psalmus LXXXI, 6: « Ego dixi: dii estis ».
[2] IOANN. VI, 38, 50, 51.
[3] Ibid. VII, 23.
[4] Ibid. VIII, 42.
[5] Ibid. XVI, 28.
[6] Ibid. VII, 29.
[7] Ibid. III, 16.
[8] Ibid. III, 18.
[9] Ibid. X, 30.

« videt me, videt et Patrem » [1]. - Quare Filius est in Patre, ac Pater in Filio: « Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? » [2]. - *h*) Unde Pater agit in Filio, semper praesens in Filio: « Qui misit me, mecum est » [3]; « Pater in me manens, ipse facit opera » [4].

i) Porro Filius mittit Spiritum Sanctum, quemadmodum mittitur ipse a Patre: « Cum venerit Paraclitus, quem ego « mittam vobis a Patre, etc. » [5]. - *j*) Seipsum adnumerat cum Patre et Spiritu Sancto in eadem linea divinitatis: « Si quis « diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus dili- « get eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum « faciemus » [6]. « Euntes ergo docete omnes gentes: baptizan- « tes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti » [7]; in qua sententia apprime dogmatica Filius absque dubio ille idem est qui Christus. Ergo Christus ita semetipsum exhibuit uti natum de Deo, Filium, Unigentum Dei, ut sit unus de SS. Trinitate, ac proin Deus. - *k*) Unde fides in Christum est aequiparanda fidei in Deum: « Creditis in Deum, et in « me credite » [8].

Obiicies. Cur seipsum Christus tam frequenter vocat *filium hominis?* - Hanc obiectionem magni faciunt impii moderni et antiqui. At perperam. Si Doketae aliive humanam Christi naturam et nativitatem denegantes, veritatem docerent, utique Christus non posset vocari Filius hominis. At contra venturos huiusmodi, quos ipsa nimis evidens Christi divinitas in dubium de eius vera humanitate proiiceret, Christus simul se vocavit et Filium Dei, et Filium hominis; Dei et hominis, propter duplicem naturam; unum tamen Filium, propter unam personam.

Sed et altiorem sensum titulus *Filius hominis* habet. Est enim in ore Christi professio muneris Messianici, a Daniele sub eodem titulo praenuntiati. Iuvat integrum afferre vati-

[1] Ioann. xiv, 9.
[2] Ibid. xiv, 11.
[3] Ibid., vii, 29.
[4] Ibid. xiv, 10.
[5] Ibid. xv, 26.
[6] Ibid. xiv, 23.
[7] Matth. xxviii, 19.
[8] Ioann. xiv, 1. Cf. « Haec est vita aeterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, « et quem misisti Iesum Christum ». (Ibid. xvii, 3).

cinium. « Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum « nubibus caeli quasi filius *Filius hominis* veniebat, et usque « ad Antiquum dierum pervenit: et in conspectu eius obtule- « runt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum: « et omnes populi, tribus, et linguae ipsi servient: potestas « eius potestas aeterna, quae non auferetur: et regnum eius, « quod non corrumpetur » [1].

Qui Filius hominis est ipse Christus Messianici regni caput et conditor. Unde quotiescumque Christus se Filium hominis vocat, ad hanc splendidam de se prophetiam respicere dicendus est; v. gr. in hoc solemni vaticinio de seipso: « Ecce « ascendimus Ierosolymam, et Filius hominis tradetur prin- « cipibus sacerdotum et scribis et condemnabunt eum morte. « Et tradent eum Gentibus ad illudendum et flagellandum « et crucifigendum, et tertia die resurget » [2]. Unde Christus eodem titulo coram tribunali sacerdotum, ad praedictam sibi a Daniele gloriam provocat. « Dico vobis, amodo vide- « bitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et « venientem in nubibus caeli » [3]. Et Ioannes vidit « in medio « septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis, « vestitum podere et praecinctum ad mamillas zona aurea » [4]. Nedum igitur nomen Filii hominis deprimat dignitatem Christi, est titulus gloriae Dei-Hominis.

Caeterum Christus aperte nativitatem suam terrestrem ab origine sua caelesti distinguit, et hanc prae illa tantopere extollit, ut quasi unica vera dicenda videatur. Obiicientibus Hierosolymitanis: « Hunc scimus unde sit; Christus « autem cum venerit, nemo scit unde sit » [5], Christus quasi ironice respondet: « Et me scitis, et unde sim scitis: et a « meipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos « nescitis. Ego scio eum: quia ab ipso sum, et ipse me misit » [6]. Et alibi: « Scio unde venio et quo vado: vos autem nescitis « unde venio et quo vado » [7].

[1] Dan. vii, 13, 14.
[2] Matth. xx, 18, 19.
[3] Ibid. xxvi, 64.
[4] Apoc. i, 13.
[5] Ioann. vii, 27.
[6] Ibid. 28, sq.
[7] Ibid. viii, 17.

Et rursus Iudaeos in responso capere volens, interrogat: « Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? - Dicunt ei: « David; - Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat « eum Dominum, dicens: " Dixit Dominus Domino meo: sede « a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum « tuorum? " Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo « filius eius est?„ » Et addit Evangelista: « Et nemo poterat « ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illo die « eum amplius interrogare » [1]. Iam vero haec omnia virtute carent, si Christus non est simul verus Deus et verus homo; e contra sunt omnino stringentia, si, quemadmodum credit ac tenet Ecclesia catholica, Christus est persona singularis Filii Dei, geminam divinam et humanam in se habens naturam.

2) Sed et *perfectiones* divinas Christus sibi tribuit, tales scilicet proprietates, quae nonnisi vero Deo competere possunt. *a*) Habet *esse* immutabile, *aeternum:* « Antequam « Abraham fieret, ego sum » [2]. « Clarifica me tu, Pater, apud « temetipsum, claritate quam habui prius quam mundus « esset, apud te » [3]. – *b*) Est *omnipraesens:* « Nemo ascendit « in caelum, nisi qui descendit de caelo: Filius hominis, qui « est in caelo » [4]. « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus « usque ad consummationem saeculi » [5]. - *c*) Est *omniscius:* « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit « Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius et « cui voluerit Filius revelare » [6]. Et sane passim in Evangelio apparet tanquam omnia prorsus abscondita scrutans [7]; ita ut Petrus exclamarit: « Nunc scimus, quia tu scis omnia »; « Domine, tu omnia nosti » [8]. - *d*) Est *omnipotens:* « Pater « meus usque modo operatur, et ego operor » [9]; « Solvite « templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud » [10]; « Data

[1] Matth. xxii, 42, sqq.
[2] Ioann. viii, 58.
[3] Ibid. xvii, 5. — De vi loci Ioann. viii, 29. iam diximus p. 99.
[4] Ibid. iii, 13.
[5] Matt. xxviii, 26.
[6] Ibid. xi, 27.
[7] De loco Marc. xiii, 32, fuse diximus p. 446, sq.
[8] Ioann. xvi, 30; xxi, 17.
[9] Ibid. v, 17.
[10] Ibid. ii, 19.

« est mihi omnis potestas in caelo et in terra » [1]. - *e*) *Abstracte*, absolute de se dicit: « Ego sum lux mundi »; « Ego sum via « et veritas, et vita etc. » [2], quae non possunt nisi de Deo hoc modo praedicari.

3) Demum *opera* talia sibi tribuit, quae soli Deo competunt. - *a*) Exercet in caelo et in terra potestatem ligandi ac solvendi peccata: « Tibi dabo claves regni caelorum; et « quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cae- « lis, etc. » [3]. - *b*) Regnum sibi vindicat caeleste: « Regnum meum non est de hoc mundo ». - *c*) Promittit, dat vitam aeternam: « Ego sum panis vivus: Si quis manducaverit ex hoc « pane, vivet in aeternum » [4]. Caeterum, quaeso, quis unquam Eucharistiam cogitare potuisset, nisi Deus? Quis, nisi Deus, tantae sublimitatis hominibus afferre doctrinam? - *d*) Instituit ritus sacramentales, gratiae internae feraces. Iam vero hoc non est, nisi illius qui gratiae dominium possidet. - *e*) Immortalem fore suam Legem affirmat: « Caelum et terra transi- « bunt; verba autem mea non praeteribunt » [5]. - *f*) Est Iudex vivorum et mortuorum: « Sicut enim Pater suscitat mortuos, « et vivificat: sic et Filius, quos vult, vivificat... Et potesta- « tem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est » [6]. Scilicet Christus est Iudex vivorum et mortuorum, quia Deus-Homo.

Prop. 3. - Coaevi Christi Doctrinam eius de sua Divinitate plane intellexerunt.

De B. Virgine, de Zacharia, de Elisabeth, de Praecursore iam diximus. Pauca sint de Iudaeis et de Apostolis.

A) **Iudaei** tam clare intellexerunt, Christum se dixisse Filium Dei in sensu aequalitatis cum Deo, id est divinitatis, ut ob id ipsum eum morti tradiderint. Quaedam argumenta sufficiant ad hanc affirmationem demonstrandam.

[1] Matth. xxviii, 18.

[2] Ioann. viii, 12; xiv, 6.

[3] Matth. xvi, 19.

[4] Ioann. vi, 51, 52. Et ratio affertur alibi: « Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit et Filio habere vitam in semetipso ». (Ibid. v, 26).

[5] Matth. xxiv, 36.

[6] Ibid. v, 21, sqq. 27.

1) Post verba superius citata: « Pater meus usque modo « operatur, et ego operor », Evangelista pergit: « Propterea « ergo magis quaerebant eum Iudaei interficere: quia non « solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, « *aequalem se faciens Deo* » [1]. Ergo non qualicumque modo Christum Dei Filium se facere intelligebant, sed in rigore sermonis. - 2) Alibi, allatis verbis: « Ego et Pater unum sumus », pergit sacer narrator: « Sustulerunt ergo lapides Iudaei, ut « lapidarent eum. - Respondit Iesus: Multa bona opera ostendi « vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapi- « datis? - Responderunt ei Iudaei: De bono opere non lapi- « damus te, sed de blasphemia: et quia tu, homo cum sis, « *facis teipsum Deum* » [2]. Iam vero nec hic, nec ibi, Christus abigit eorum falsam interpretationem; sed confirmat suam declarationem ope mysterii SS. Trinitatis. - 3) Idem valet de modo quo Iudaei exceperunt verba; « Antequam Abraham « fieret, ego sum: » scilicet intelligentes clare, Christum se proclamare Deum: « Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in « eum ». Iesus autem, nedum errorem eorum depelleret « abscondit se, et exivit de templo » [3]. - 4) Confirmatur idem egregie per historiam passionis. *a*) Coram Caipha Christus suam divinitatem confitetur, et ob hanc confessionem ad mortem damnatur: « Adiuro te per Deum vivum, ut dicas « nobis, si tu es Christus Filius Dei. - Dicit illi Iesus: Tu « dixisti... Blasphemavit!... Reus est mortis » [4]. Iam vero quaenam blasphemia, quodnam scelus morte plectendum fuisset in affirmatione qualem rationalistae in titulo filii Dei haberi autumant? Nisi divinitas per hunc titulum significetur, haec affirmatio nequit tali plecti censura, neque ex lege talem incurrere poenam. - *b*) Coram Pilato idem elucet. Videntes inefficaciam primae accusationis de usurpato titulo Regis Iudaeorum, exclamant Iudaei. « Nos legem habemus, « ac secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit » [5]. Quae utique ratio, quum Pilatum ad venerationem magis

[1] Ioann. v, 18.
[2] Ioann. x, 31, sqq.
[3] Ibid. viii, 53.
[4] Matth. xxvi, 63. sqq.
[5] Ioann. xix, 7.

quam in rigorem movisset, illi ad primam accusationem redierunt, minitantes odium Caesaris; qui timor denique sententiam excussit. Ratio autem vera damnationis erat divinitas a Christo sibi vindicata.

B) **De Apostolis** hic tacere possemus, quum et apud incredulos in confesso sit, Christum uti Deum a S. Ioanne et a S. Paulo exhiberi. Pauca igitur sufficiant.

1) Et primo quidem constat, Apostolos Christo redivivo supremum venerationis signum exhibuisse: « Et videntes « eum adoraverunt; quidam autem dubitaverunt » [1]. Quod dubium sane non erat utrum adoratio ei tribuenda esset, necne; sed utrum haec figura Christi eis apparens, esset, necne figura Christi vera.

2) **S. Petrus** prae aliis Christum adhuc mortalem intuetur, et agnoscit uti verum Filium Dei: « Tu es Christus, Filius Dei vivi! » [2] Unde Christum Dominum appellat: « Domine, si « tu es, iube me ad te venire super aquas » [3]. Omniscientiam eius aperte proclamat; « Domine, tu omnia nosti » [4]. Divinam foecunditatem sermonis Christi agnoscit: « Domine, ad « quem ibimus, verba vitae aeternae habes » [5]. In concione sua in templo vocat Iesum « auctorem vitae » [6]. - Miracula operatur « In nomine Domini Iesu Christi » [7]. - Christum in epistolis suis aequaliter vocat Deum et Dominum. « Simon « Petrus servus et Apostolus Iesu-Christi, iis qui coaequa- « lem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia Dei nostri et « Salvatoris Iesu Christi (τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ Σωτῆρος Ἰησοῦ « Χριστοῦ)... Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus « in aeternum regnum Domini nostri et Salvatoris Iesu Chri- « sti. (τοῦ Κυριοῦ ἡμῶν καὶ Σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ) ». Qui parallelismus aperte ostendit, in priori formula Christum simpliciter vocari Deum [8].

3) **S. Thomas** celeberrimus est ob brevem et eloquentis-

[1] Matth. xxviii, 17.
[2] Matth. xvi, 16; cf. Ioann. vi, 70,
[3] Matth. xiv, 28.
[4] Ioann. xxi, 17.
[5] Ioann. vi, 69.
[6] Act. iii, 15.
[7] Act. iii, 6; iv, 10.
[8] II. Epist. i, 1, 11; cf. ii, 20; iii, 18.

simam confessionem divinitatis Christi: « Dominus meus, et « Deus meus! » [1] Quae confessio tantum e se splendorem emittit, ut increduli nulla validiori via eam eludere potuerint, quam affirmando, haec verba non ad Christum sed exclamationis instar ad Deum esse directa, quemadmodum, viso quodam spectaculo mirabili, in « bone Deus » prorumpere solemus. Quimino, et audita quadam singulari stultitia, sicut et ista « bone Deus! ». A Theodoro Mopsuesteno [2] haec ineptia ad nostra usque tempora pervenit. Nec mirum: est quippe fatum impietatis, ut ab exordio eadem, licet absona nimis, iterum iterumque decantare cogatur. Sed et Scriptura interpretationem hanc, caeterum in se absurdam, provide abigit. De apostolo enim ait: « *Respondit* Thomas et dixit « *ei* ». Et Christus laudat confessionem fidei in his verbis expressam: « Quia vidisti me, Thoma, credidisti » [3].

4) **S. Ioannes** magnus doctor divinitatis Christi ab omnibus celebratur. In quo facto validissimum est argumentum. Quî enim discipulus praedilectus tam essentialiter circa mentem et dignitatem Magistri errare potuisset? Porro ex Ioanne satis sit pauca testimonia adducere, deprompta ex Evangelio, ex epistolis et ex Apocalypsi.

a) Exordium *Evangelii* Ioannei [4] quovis commentario eloquentius resonat. « In principio erat Verbum, et Deus erat « Verbum..., et Verbum caro factum est et habitavit in nobis, « et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, « plenum gratiae et veritatis ». - Et immediate inter opus Moysis et opus Christi tale discrimen ostendit, ex quo Christi divinitas patescat: « *Lex* per Moysen *data* est; *gratia* et

[1] Ioann. xx, 28.

[2] « Hic autem et confessionem Thomae, per quam, dum palparet manum vel « latus Domini post resurrectionem dixit: Deus meus et Dominus meus, asseruit « non fuisse dictum de Christo a Thoma. Nec enim esse eum Deum dicit, sed mira- « culo resurrectionis obstupescentem Thomam glorificasse Deum, qui suscitavit Chri- « stum ». Ita Theodorum damnans Syn. oecum v. can. 12. de trib. cap. (Denzinger op. cit., n. 183).

[3] Ibid. sq.

[4] Historicam indolem - licet simul dogmaticam, imo apologeticam, et implicite polemicam - huius Evangelii omnino tenendam putamus. Quare prorsus recedimus a schola recentissima, quae - catholica tamen manere cupiens - Evangelium S. Ioannis ad quoddam veluti « romam théologique » reducere videtur. Cui scholae, sane nimis temerariae, dicere liceat: *Quo vadis?*

« *veritas* per Iesum Christum *facta* est » [1]. Et sacram narrationem, in qua contra Gnosticos et Ebionitas argumenta divinitatis Christi lubenti fide coacervat, hisce claudit verbis: « Haec scripta sunt ut credatis, quia Iesus est Christus « Filius Dei: et ut credentes, vitam habeatis in nomine « eius » [2].

b) In *epistolis* suis S. Ioannes eamdem veritatem instanter inculcat. In prima exclamat: « Quis est mendax, nisi is, « qui negat, quoniam Iesus est Christus? Hic est Antichristus, « qui negat Patrem et Filium. Omnis qui negat Filium, nec « Patrem habet: qui confitetur Filium, et Patrem habet » [3]. Quis non videat, heic Christum ita Filium praedicari, ut cum Patre ponatur in eadem linea divinitatis? - Iuxta Ioannem non praedicare Iesum hominem-Deum, est dividere ipsum: « Omnis « spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex « Deo est, et omnis qui *solvit* Iesum, ex Deo non est » [4]. Quam prophetica contra Nestorium sententia! - Paulo inferius provocat ad testimonium Iesu de se et Patris de Iesu: « Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui « non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in « testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo » [5]. - Et claudit epistolam per sententiam, quae omne dubium tollit: « Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis « sensum ut cognoscamus verum Deum, et simus in *vero* « Filio eius. Hic est *verus Deus* et vita aeterna (οὗτος ἐστιν « ὁ ἀληθινὸς Θεὸς καὶ ζωὴ αἰώνιος) » [6].

c) Ex *Apocalypsi* satis sit afferre visionem in cap. XIX. descriptam. Ioannes in eo est, ut procumbat coram Angelo eumque adoret. Qui ipsi ait: « Vide ne feceris, conservus « tuus sum... Deum adora... ». Et ecce apparet Christus. « Et « vidi caelum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat

[1] C. I, 1, 14, 17.

[2] Cap. XX, 31. Habes insuper ex his verbis confirmationem altioris significationis, quam superius nomini *Christi* tribuimus; et simul aliquam paraphrasen ipsius nominis *Iesu*, quasi diceret: Iesus est Deus Salvator, quia unctione substantiali homo ille Iesus est vere Filius Dei.

[3] C. II, 22, sq.; cf. III, 23.

[4] C. IV, 3, lege hoc integrum caput.

[5] C. V, 10. Cf. expositionem huius capitis in tractatu nostro *De Deo Trino*, p. 136, sqq. ubi de commate Ioanneo.

[6] Ibid. 20. — Cf. *De Deo Trino*, p. 473, sqq.

« super eum vocabatur Fidelis et Verax, et cum iustitia « iudicat et pugnat. Oculi autem eius sicut flamma ignis, et « in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, « quod nemo novit, nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa « sanguine: et vocatur nomen eius *Verbum Dei*. Et exerci- « tus qui sunt in caelo sequebantur eum in equis albis, vestiti « byssino albo et mundo. Et de ore eius procedit gladius ex « utraque parte acutus; ut in ipso percutiat gentes. Et ipse « reget eas in virga ferrea: et ipse calcat torcular vini furo- « ris irae Dei omnipotentis. Et habet in vestimento et in « femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominan- « tium » [1]. Quae sane descriptio nonnisi Christo vero Deo conveniri potest.

5) Nec aliter **S. Iacobus** et **S. Iudas.** *a*) Prior permixtim Dominum vocat Deum et Iesum Christum. « Fratres mei « nolite in personarum acceptione habere fidem Domini no- « stri Iesu Christi gloriae (τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς « δόξης » [2]. « Sufferentiam Iob audistis et finem Domini vidi- « stis, quoniam misericors Dominus est et miserator » [3]. Ecce in una sententia Dominus significat Christum et Deum. - *b*) Alter Christum divinis laudibus celebrat: « Subintroierunt « quidam homines..., impii, Dei nostri gratiam transferentes « in luxuriam, et solum Dominatorem et Dominum nostrum « Iesum Christum negantes (καὶ τὸν μόνον δεσπότην καὶ Κύριον « ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι) » [4]. Imo per « Dei nostri « gratiam », certe fidei Christi gratiam intendit, nec certe a Deo in his verbis Christum excludit secus sententia sese contradiceret [5].

6) **S. Paulus** non minus quam S. Ioannes divinitatem Christi proclamat, cum hoc tamen forte discrimine quod Ioannes magis arguit ex persona; Paulus magis ex opere. Abundant

[1] Apoc. xix, 11, sqq. — Cf. Ps. ii, 9; I. Tren. vi, 15; Apoc. xvii, 14; Dan. loc. cit.; Is. lxiii, 3.

[2] C. ii, 1.

[3] C. v, 11.

[4] Iud. 4.

[5] Idem valet de ultimo versu: « Soli Deo Salvatori nostro per Iesum Christum « Dominum nostrum, gloria et magnificentia, etc ». Christus nullo modo excluditur a voce « soli Deo », quum ipse sit Salvator κατ' ἐξοχήν; sed mediationis opus exprimitur cum relatione Filii ad Patrem. Eodem sensu Ecclesia claudit sua suffragia: « Per Dominum nostrum Iesum Christum ».

tamen etiam testimonia in quibus Gentium Apostolus expressis verbis Christum Deum demonstrat.

Ad hanc nostram thesim brevitatis causa contrahemus; secus integer quasi Paulus foret adducendus, adeo Christi opus passim ita extollit, ut non possit esse nisi opus Dei.

a) In epistola ad Romanos praeter alia prostat testimonium lucidissimum. De Israëlitis dicit: « Ex quibus est Chri-« stus secundum carnem, qui est super omnia *Deus* bene-« dictus in saecula. Amen (ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα, ὁ « ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας· ἀμήν » [1]. Quo testimonio nihil fortius. - *b*) In epist. ad Titum Paulus vocat Christum magnum Deum: « Expectantes beatam spem et « adventum gloriae *magni Dei* et Salvatoris (τοῦ μεγάλου Θεοῦ « καὶ Σωτῆρος) nostri Iesu-Christi » [2]. Ubi constructio graeca ostendit, unum esse magnum Deum et Salvatorem. - *c*) In epistola ad Philippenses Paulus expresse docet, Christum esse aequalem Deo, quia habebat naturam divinam antequam assumeret humanam: « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam « arbitratus est, esse se *aequalem Deo* » [3]. Ex quibus verbis insuper habes, Christum, teste Paulo, se aequalem Deo exhibuisse ac vindicasse. *d*) Sed et exordium epistolae ad Hebraeos eloquentia princeps est. Hic enim S. Paulus, Ioannis protoëvangelium veluti aemulatus, directe divinitatem Christi didactice demonstrandam assumit. Ex quo longiori discursu, testimoniis Vet. Testamenti suffulto, haec saltem verba afferre lubet. Postquam Apostolus affirmavit, Deum per Filium fecisse saecula [4], hanc splendidam Christi definitionem tradit: « Qui « cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius, por-« tansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccato-« rum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis » [5]. Quae verba alii Filio, quam qui et ipse Deus sit, nullatenus convenire possunt. - *e*) Caeterum S. Paulus in laudata

[1] C. IX, 5.

[2] C. II, 13.

[3] C. II, 6.

[4] Cf. IOANN. I, 3.

[5] C. I, 3. Praeclare Leo XIII: « Qui Dei Patris Unigenitus est, eamdem habet « cum ipso substantiam, " splendor gloriae et substantiae eius ", huic omnia cum « Patre communia esse necesse est, proptereaque quoque rerum omnium summum « imperium ». — Encycl. *Annum Sacrum*.

epist. ad Romanos expresse monet, Christum non esse Dei Filium qualicumque modo, sed in rigore sermonis: « Proprio « Filio suo non pepercit (Deus), sed pro nobis omnibus tra- « didit illum » [1].

Hanc doctrinam ab Apostolis tam aperte praedicatam, scriptores ecclesiastici ab apostolica aetate sedulo transmiserunt; quorum nomine satis sit in fine adducere haec verba S. Ignatii Martyris: « Medicus unus est, et carnalis et « spiritualis, genitus et ingenitus, seu factus et non factus, « in homine existens Deus, in morte vita vera, et ex Maria « et ex Deo, primum passibilis, et tunc impassibilis, Iesus- « Christus Dominus noster » [2]. Et « Glorifico Iesum Chri- « stum Deum, qui tanta vos sapientia donavit » [3].

Imo pro hac fide Martyres Regem Martyrum aemulati, sanguinem suum cum Christi sanguine permiscere gloriati sunt [4]. Quid enim egerunt Martyres, nisi in semetipsis complere, quod Paulus iam monebat Timotheum: « Certa bonum « certamen fidei, apprehende vitam aeternam, in qua vocatus « es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus. « Praecipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo « Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam « confessionem: ut serves mandatum sine macula, irreprehen- « sibile usque in adventum Domini nostri Iesu-Christi » [5]. Et ad Hebraeos idem dicit: « Habentes ergo Pontificem « magnum, qui penetravit caelos, Iesum Filium Dei, tenea- « mus confessionem » [6]. Inde in festo Martyrum Ecclesia canit verba Domini: « Qui me confessus fuerit coram homi- « nibus, confitebor et ego eum coram Patre meo » [7]. Et sane, ut hanc appendicem claudam verbis SS. D. Leonis XIII. « Prima et absoluta et essentialis veritas Christus est, utpote « Verbum Dei, consubstantiale et coaeternum Patri, unum « ipse et Pater. " Ego sum via et veritas ". Itaque, si verum

[1] C. VIII, 32.

[2] Epist. ad Ephes, n. 7.

[3] Epist. ad Smyrn. n. 1.

[4] Cf. quae in tractatu *De Deo Trino* attulimus de fide martyrum in Christum Deum (p. 174). — Cf. et apologistas passim.

[5] I. TIM. VI, 12, sq.

[6] C. IV, 14; cf. X, 23.

[7] Ant. 1. Vesp. cf. MATTH. 23.

« quaeritur, pareat primum omnium Iesu Christo, in eiusque « magisterio conquiescat humana ratio, propterea quod Chri- « sti voce loquitur ipsa veritas... Porro flectenda mens demisse « et obnoxie « in obsequium Christi; » usque adeo, ut eius « nomine imperioque veluti captiva teneatur; " In captivi- « tatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi ". « Tale prorsus obsequium est, quod Christus sibi tributum « vult [1]; et iure vult, *Deus est enim,* proptereaque sicut « voluntatis in homine, ita et intelligentiae unus habet sum- « mum imperium » [2].

ARTICULUS II.

UTRUM HUMANITAS CHRISTI ADORANDA SIT ADORATIONE LATRIAE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Quum ex modo probatis constet, a parte causae in adoratione Christi plures dari adorationes, quia plures tituli; iam quaeritur quomodo consideranda sit illa adoratio quae in Christo Homine-Deo contemplatur excellentiam humanitatis, non quidem prout Deo personaliter unitur, sed prout, in se perfectissima, abundantissimis gratiae dotibus collustratur. Quae quaestio subtilior, ut percipiatur melius, quaedam sint de latria et actibus eius, ex ipsa doctrina S. Th. III. Sent. Dist. IX, q. 1. a. 1, sol. 1, deprompta, ac art. 2, sol. 1, cum praesenti articulo collata.

2) *Latria* est summus obsequii gradus, qui debetur Deo. Porro dicitur tum pro re in obsequium exhibita, tum pro exhibitione ipsa, tum pro habitu quo exhibetur. Hoc ultimo sensu est virtus, quae variis nominibus decoratur: *a*) *pietas* exprimit affectum devotionis; *b*) *theosebia* vel *eusebia* intentionem attentam; *c*) *latria* servitutis professionem; *d*) *religio* exprimit ligamen operum hominis ad Deum.

Iam vero si in ipso Deo considerantur distinctius tituli excellentiae, quam habet formaliter ut *Deus* ratione sui ipsius, et ut *Dominus* ob servitutis dependentiam creaturae

[1] II. Cor. x, 5.

[2] Encycl. *Tametsi futura* de *Iesu Christo Redemptore.*

ad Creatorem, *latria* distinguitur in latriam proprie dictam, et *duliam*, sive *adorationem duliae.*

Haec autem *dulia,* - non utique amplius adoratio duliae, - est nomen genericum ad exprimendum cultum exhibitum Sanctis ratione suae excellentiae, quo sensu *dulia* opponitur *latriae.* Porro in ipsa *dulia* distinguitur *dulia* simplex passim debita Sanctis, et *hyperdulia,* qua describitur cultus supereminens B. V. Mariae debitus.

Haec autem rursus *hyperdulia* non omnino ad Deiparam Virginem restringitur. Etenim quaecumque in Christo Domino coluntur sub aspectu qui non patitur latriam, sed mere duliam, colenda sunt cultu *hyperduliae,* imo maioris prae hyperdulia Matri Iesu debita.

In genere autem loquendo, Deo et Christo debetur cultus *latriae,* B. V. Mariae cultus *hyperduliae,* Sanctis cultus *duliae;* licet et Deo *adoratio duliae* conveniat sicut et Christo; atque Christo, secundum aliqua, *hyperdulia* debeatur, uti mox patebit.

3) Etenim humanitatem Christi possum considerare uti subsistentem in Verbo, vel uti est in se, nempe excellentissimis charismatibus ornata. Si primo modo, ei simpliciter debetur adoratio latriae, quia unum facit cum persona Verbi: est enim Homo-Deus; si altero modo, debetur ei cultus duliae, quin tamen excludatur adoratio, quum non possit nisi per abstractionem haereticam humanitas Christi seiungi a Christi persona; erit proin ei reddenda dulia in summo gradu seu hyperdulia cum adoratione, seu *adoratio hyperduliae* [1].

4) Si autem fieret totalis abstractio a subsistentia carnis in persona Verbi, ratio adorationis periret, et non remaneret nisi dulia vel, propter maximam propinquitatem ad Deum, hyperdulia. Sed haec abstractio esset operatio mentis, sine realitate obiectiva.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Obiectio procedit ac si carnem Christi adoraremus abstractione facta ab eius unione cum Verbo. In quo triplex gradus datur: *a*) Caro Christi consi-

[1] Cf. S. Thom. Sent. III, dist. IX, q. 1, a. 2.

derata formaliter ut in Verbo subsistens, adoranda est cultu latriae; *b*) caro Christi considerata in se, quin separetur a Verbo, adoranda est cultu duliae vel potius hyperduliae, utique cum vera adoratione; *c*) caro Christi avulsa - per abstractionem impiam, Nestorianam - a supposito Verbi, non adoranda est, sed veneranda cultu duliae vel hyperduliae.

2. Obi. Supponit, carnem Christi adorari ratione sui ipsius et non ratione unionis cum Verbo.

3. Obi. Pari vitio laborat. Hic autem observa, in obiectione Deum dici colendum ut Dominum adoratione *latriae,* dum in *Corpore* dicitur adorandus adoratione *duliae.* Haec, primo aspectu contradictoria, componuntur per considerationem modo expositam n. 2. Latria quippe dicitur tum generice pro quovis cultu divino, tum specifice ad contradistinguendum a duliae adoratione. Obiectio sumit latriam in sensu generico; in *Corpore* specificatur.

Sed contra est. Afferendus quoque hic est locus Ioannis: « Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere divinitatem,... et « honorem, et gloriam » [1]. Id est: Dignus est Christus secundum suam humanitatem accipere honorem et gloriam Deo debitam. - Non ideo tamen, uti volunt impii, pervertuntur in Christo id quod est divinitas, et illud quod humanitas; id quod in tempore est creatum, et Creator aeternus.

In Corpore. S. Thomas duo agit: 1) Exponit duplicem modum quo humanitas Christi considerari potest; - 2) docet quomodo utrique respondeat propria adoratio.

Adverte, quaestionem quae movetur, exponi posse duplici formula: quonam cultu colenda sit *humanitas* Christi; quonam cultu *Christus* propter humanitatem sit colendus. Responsio differt iuxta priorem et alterum modum. Humanitas Christi duplici colenda est adoratione: latriae vel duliae secundum quod consideratur primo vel secundo modo, Christus autem propter suam humanitatem adorandus est adoratione duliae, quum in hac formula eius humanitas iam contrahatur ad secundum modum.

In evolutione articuli S. Th. loquitur permixtim iuxta utramque formulam quaesiti.

[1] Apoc. x, 12.

Corollarium de Cultu SS. Cordis Iesu.

Doctrina huius gemini articuli fundamentum ponit inconcussum cultus SS. Cordis Iesu. Remittimus quidem fusiorem huius argumenti expositionem usque in alteram partem tractatus; at iam heic per modum corollarii ratio fundamentalis huius devotionis breviter tangenda est.

Ubi, afflante Spiritu divino, incoepit in publicum cultum erumpere fornax illa iam a saeculis in sinu Ecclesiae, maxime in quibusdam sanctioribus animis accensa, nil intentatum reliquit spiritus tenebrarum ut hoc providum pietatis incrementum quovis modo impediret. Cuius mali zeli Ianseniani, Iosephinistae, ac Pistorienses in Gallia, Austria ac Italia adiutores certatim exstiterunt.

Et quidem directam adorationem humanitatis Christi illicitam esse contendebant. Unde Pius VI. in Bulla *Auctorem fidei* propositionem 61. Pistoriensium his verbis damnavit: « Propositio quae asserit, " adorare directe humanitatem « Christi, magis vero aliquam eius partem, fore semper hono- « rem divinum datum creaturae "; quatenus per hoc verbum « *directe* intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles « dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, « qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non « quidem propter se, et tanquam nuda caro, sed prout « unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, « et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incar- « natum cum propria ipsius carne adoratur: (ex conc. CP. V. « Gen. can. 9) falsa, captiosa, pio ac debito cultui humani- « tatis Christi a fidelibus praestito ac praestando detrahens « et iniuriosa » [1].

Fundamentum igitur adorationis SS. Cordi exhibitae est unio huius SS. Cordis cum ipsa persona Verbi. Nam adoratur uti cum persona Verbi unitum, non uti separatum. Unde contrariam calumniam synodi Pistoriensis Pius VI. in propositione 63. expressius refellit. « In eo quod cultores Cordis « Iesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant sanctis-

[1] Denzinger (op. cit. n. 1424).

« simam carnem Christi, aut eius partem aliquam, aut etiam « humanitatem totam cum separatione aut praecisione a divi- « nitate adorari non posse cultu latriae, quasi fideles Cor « Iesu adorarent cum separatione vel praecisione a divini- « tate, dum illud adorant ut est Cor Iesu, cor nempe personae « Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo « exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione « aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulchro: « captiosa, in fideles Cordis Christi cultores iniuriosa » [1]. Hanc fundamentalem rationem latreutici cultus SS. Cordis exprimunt sequentes invocationes litaniarum nuper ab Ecclesia probatarum. « Cor Iesu, Filii Patris aeterni; Cor Iesu, « Verbo Dei substantialiter unitum », etc. [2].

At si unio hypostatica est fundamentum latreuticum huius altissimae devotionis; non ideo haec eadem devotio non considerat in SS. Corde Iesu alios titulos ad summam reverentiam, iuxta principia in hoc altero articulo exposita. Qui tituli in eisdem litaniis abundantius enumerantur; nosque post absolutam contemplationem mysteriorum vitae et mortis Domini de eisdem data opera dicemus.

ARTICULUS III.

UTRUM IMAGO CHRISTI SIT ADORANDA ADORATIONE LATRIAE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Ex praecedentibus habemus duplex principium, in quo praesentis quaestionis solutio iam continetur. Honor seu reverentia alicui rei dari potest vel *ratione sui,* vel *ratione alterius.* - *a*) *Ratione sui* non potest reverentia adhiberi nisi creaturae rationali. - *b*) *Ratione alterius* potest exhiberi reverentia creaturae irrationali, et hoc multiplici titulo : α) quia imago est illius, ratione cuius honoratur; β) quia ad ipsum pertinuit; γ) quia eius contactu honestata fuit. De rationibus β) et γ) in sequentibus fusius dicetur; hic de ratione α) sive *imaginis* est agendum.

[1] DENZINGER op. cit., n. 1426.

[2] Vides proin, quanta levitate simul ac irreverentia cultores SS. Cordis ab adversariis Iansenistis aliisque veluti exclusa deitate vocati sint: « Cordicolae ».

2) Iam vero distinguendum est inter imaginem et imaginem. - *a*) Alia est materialis, quamdam habens similitudinem, quin tamen directe illum repraesentet, cuius imago est: ita homo est imago Dei. - *b*) Alia autem est formalis in similitudinem plenam, intentionaliter directe tendens ad repraesentandum illum, cuius imago est: tales sunt imagines Christi et Sanctorum.

Porro hoc est de ratione harum imaginum, ut, sicuti directe tendunt in repraesentandos illos, quorum imagines dicuntur, ita easdem colens feratur in eas, *quatenus imagines sunt,* eo affectu quo in ipsos, quos repraesentant. Unde duo sequuntur: *a*) Imagines Christi, *ratione repraesentati,* colendae sunt adoratione latriae, vel adoratione duliae, uti Christum ipsum colendum esse, in gemino praecedenti articulo demonstravimus; imagines B. M. V., cultu hyperduliae; Sanctorum, duliae. - 4) *Ratione autem sui,* colendae non sunt, nisi per eas Deus aliqua portenta exercuerit; tunc enim referuntur ad ipsum nova relatione, novo titulo, de quo infra sermo recurret. Item dic de imaginibus B. V. et Sanctorum.

3) Ex hac genuina notione imaginis Dei in Novo Testamento colendae, patent *a*) vitia cultus gentilis quoad imagines; *b*) rationes propter quas in V. Test. populo hebraico interdictum sit ne imagines sibi fingeret.

a) Gentilis imaginum cultus triplex vitium continet. α) Superstitiose coluntur imagines ratione sui ipsius; - β) exhibent forma corporali Deum incorporeum; - γ) repraesentant impie meras creaturas uti numina habitas.

b) Ne autem populus hebraicus in illa vitia incideret, ipsi interdictum est: α) fabricare sibi deos alienos; β) easque imagines modo Gentilium colere; γ) quin et suum Deum forma sensibili repraesentare, quum esset undequaque incorporeus.

4) Œconomiam repraesentationis corporalis Dei mutavit Incarnatio, quippe qua Deus corpore indutus humano visibiliter inter homines apparuit, deinceps sub hac forma et adorandus in se, et in imaginibus eodem cultu rite honorandus.

5) Error atque scelus Iconoclastarum fuit, noluisse distin-

guere inter cultum imaginibus exhibitum ratione sui, et ratione repraesentati. Prior superstitiosus est atque damnandus; alter legitimus universaque traditione catholica confirmatus, uti ex imaginibus Christi, B. M. V. et Sanctorum recenter repertis in Catacumbis contra Iconoclastas eorumque saec. XVI. instauratores invicte probatur [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non attendit ad rationes expositas numero 3. *b*).

2. Obi. Pariter negligit dicta n. 3. *a*).

3. Obi. Non considerat duplicem imaginum speciem descriptam n. 2.

4. Obi. Non distinguit inter traditionem scriptam et oralem; inter scriptionem litterarum signis impressis in libro, et operibus artis parieti affixis.

Sed contra est. Sanctam esse imaginis suae venerationem, ipse Christus aperte demonstravit, quum Abagaro regi Edissenorum roganti, Faciei suae simulacrum velo impressam transmisisse dicitur [2]; item quum iuxta traditionem pientissimae Veronicae sudorem vultus abstergenti, imaginem cruentatae, dolentis, spinisque coronatae Faciei reliquit qua imagine, post mortem Domini, Tiberius Caesar miraculose curatus, creditur Christo divinos decrevisse honores, ab inconsulto utique senatu non approbatos, ut refert Suetonius. Eusebius in sua Histor. eccles. [2], meminit per imagines apostolorum Petri et Pauli, atque imagines Christi miracula in Caesarea patrata [3]. Tanta fuit in Ecclesia haec imaginum traditio, ut eam ipse Lutherus contra Carolostadium vindicaverit.

Impia est inde assertio Felicis cuiusdam, Iconoclastarum, Ioannis de Roscesana, Xeniae Hierapolitani, dicentium imaginem Christi esse idolum, idolatriamque esse, imagines, etiam Christi, in templis asservare; necnon Almarici dicentis,

[1] Inter recentissima opera de hoc argum. conscripta placet hic commendare collationes desideratissimi Armellini, et *Guide des Catacombes romaines* Cl. Hor. Marucchi.

[2] Quod factum Damascenus l. IV, c. 16 narrat his verbis: « Volens benignissi-« mus D. I. Chr. pio Abagari regis Edissenorum satisfacere affectui, detersa sua « facie, impressam sudario imaginem transmisit ». — Cf. de eadem imagine Eusebium *Eccles. histor.* l. 2.

[3] L. VII.

imaginum thurificationem esse idololatriam. Inde quoque impietas Albigensium ac Novatorum saec. XVI. De quibus erroribus iam a Conc. Nicaen. II. profligatis [1], alibi ex professo agemus [2].

In Corpore. Processio *Corporis* valde simplex est. Distincto modo duplici quo in imaginem ferimur, S. Thomas probat nullam imaginibus venerationem competere ratione sui; ratione vero prototypi eam ipsam, quae prototypo debetur. Quo posito principio, ad adorationem Cruci debitam aliisque Christi imaginibus conclusio manifesta est.

Resp. ad 1m. Animadverte: incarnato Filio Dei, et per illum manifestato SS. Trinitatis mysterio, iam licet modo allegorico hoc ipsum mysterium repraesentare; ita tamen ut allegoria in modo repraesentandi Patrem et Spiritum Sanctum non confundatur cum veritate repraesentationis Verbi in forma humana. Porro Pater sub specie senis figuratur; Spiritus Sanctus sub specie columbae alis extensis super caput Crucifixi Filii, quem patibulo suspensum Pater, utpote mundo illum redimendo dans, utraque manu sustentat. Haec repraesentatio est maxime eloquens. - Altera exhibet Patrem senem glorioso Filio coronam victoriae imponentem, Spiritumque alis expansis vel inter utrumque, vel sub ipsis, ad significandam priori modo unionem Patris et Filii, altero modo Ecclesiam per Spiritum Sanctum a Patre et Filio iugiter foecundatam. - Triangulus non est nisi figura symbolica, quae imago vocari nequit. Duae alterae sunt quasi mediae inter imaginem et symbolum.

Veritas fundamentalis, cui argumentum *Corporis* innititur, nempe imagines formaliter ut tales eodem cultu esse honorandas quo prototypus, non solum moribus hominum in profanarum imaginum suorum parentum, principum, illustrium virorum probatur; sed et odio quo impii, satanico zelo aestuantes, imaginem Christi in nefandis suis ritibus deturpant, quo et Mauri ac Turcae Christianos fidem abiuraturos imaginem Crucifixi pedibus conculcare iubebant.

[1] Act. 1.
[2] In commentario II-II Q., XCIV.

ARTICULUS IV.

UTRUM CRUX CHRISTI SIT ADORANDA ADORATIONE LATRIAE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Si Crux non esset nisi simplex imago redemptoris, iam solutum esset quaesitum. Sed, praeter hanc imaginis rationem, in Cruce tria consideranda sunt, unde excellentia eius constituitur: *a*) contactu membrorum Christi fuit sanctificata; *b*) sanguine Christi fuit perfusa; *c*) instrumentum fuit in quo salus mundi completa est. De quibus singulis quaedam sint [1].

2) Crux ut *imago* non est solum illa, cui affigitur simulacrum Redemptoris nostri. Per se formam exhibet Victimae caelestis brachiis suis appensae. Unde in primis Ecclesiae temporibus Crucifixi imago mera cruce constabat; primo quidem symbolica, praesertim anchora navis, littera T vel X expressa; dein patibulo, at floribus palmisque tanquam ubertatis ac triumphi signis onusto; vel, uti in basilica sua Nolensi Sanctus Paulinus eam depingendam curavit, sanguine manante, niveoque Agno ad eius pedem stante. Postea solum, saeculo circiter VII, ipsa imago Redemptoris Cruci affixa est - nisi demas picturam catacumbae Sancti Valentini Romae in via Flaminia, in suo genere prope unicam. - Quae imago Crucifixi habitu triumphali primo repraesentabatur; dein realismo christianam artem invadente, in supremo horridoque tormenti squalore. - In hoc articulo per prius agitur de vera Cruce Domini uti imago est Crucifixi.

3) Ut *contactu membrorum* Christi sanctificata, Crux honoratur eodem cultu quo sacra Tunica, vel Sindon, vel Veronicae velum (in quibus duabus ultimis ulterius ratio imaginis est, et sanguinis hausti) [2]. Hoc tamen prae aliis habet Crux, quod membra Redemptoris tetigit in ipso redemptionis actu.

4) Pariter uti *perfusa Sanguine* Christi morientis, Crux colitur eodem cultu, quo pretiosissimi Sanguinis reliquiae.

[1] Adde, Crucem interdum considerari una cum divino ipso Crucifixo. Cf. textum S. Francisci Salesii mox afferendum.

[2] De authentia harum reliquiarum hic disputare, supervacaneum ducimus.

Ratione huius contactus et effluxionis Sanguinis Redemptoris, Crux vera mensa eucharistica fuit, portans « Corpus pro « nobis traditum » et bibens Sanguinem « effusum in remis- « sionem peccatorum ».

5) Demum uti *instrumentum* nostrae salutis, Crux excellentiam habet singularem prae lancea, columna, corona-spinea, etc.: nam per Crucem redempti sumus, unde Ecclesia Crucem alloquitur in hymno « *Vexilla Regis* », eam vocans *spem unicam,* quo titulo non compellat alia passionis Christi instrumenta.

6) Iam adverte hic, titulos Crucis praeter imaginem modo expositos, hoc habere commune cum illa, quod Crucem honore dignam reddunt ratione illius ad quem referunt. Cum hoc tamen discrimine, quoad contactu et Sanguinis aspersione Crux unitur Redemptori, ac proinde, quatenus consideratur ut ei unita, habet in se ipsa quod colatur. Idem dic de Cruce tanquam salutis instrumento, si consideretur in ipso facto mortis Domini; secus si mere consideretur ut facti memoria; tunc enim est imago non quidem Salvatoris, sed instrumenti quo nos redemit.

7) Quae imago aliter consideratur ab hoste Iudaico, ab ignorante Gentili, et a credente Christiano. Primus frendit, secundus irridet, tertius gratias agit et adorat. Inde, Labaro triumphante a Constantino inducto, mox patibuli supplicium ob reverentiam divini Crucifixi abolitum est; et quod antea servitutis et supremae ignominiae signum fuerat, tantae libertatis evasit emblema atque decoris, ut in pectore fortium ac in regum diademate Crucis trophaeum splendescat.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat dicta n. 5. et 7.

2. Obi. Non considerat in Cruce unionem cum Christo propter rationes n. 2. 3. et 4. expositas.

3. Obi. Dupliciter peccat: 1) negat latriae cultum caeteris passionis Christi instrumentis debitum; 2) non considerat titulum excellentiae Crucis, utpote principalioris instrumenti nostrae salutis. Cf. n. 6. et 5.

Sed contra est. Ratio hic allata procedit iuxta quartum titulum superius n. 5. expositum. Ubi adverte, non ideo adorandam esse Crucem Domini, quia in ipsa, uti instrumento

salutis, spes nostra reponenda est, nisi consideretur, iuxta addita n. 6., uti unita Victimae, quae chirographum damnationis nostrae eidem affixit.

Hunc relativum cultum ratione salutis a Cruce obtentae iam expressum habes in V. Test. Num. XXII. « Fac serpen-« tem aeneum et pone eum pro signo ». Unde primi Christiani Crucis mysterium symbolica serpentis figura saepe repraesentare solebant.

Legitimum porro esse Crucis suae cultum, ipse Dominus abunde demonstravit, quotiescunque per eam vel pie invocatam vel sceleste offensam prodigia tum gratiae, tum iudicii est operatus. Vide argumentum simillimum, quo S. Thomas concludit *Corpus* art. 6.

Audi quomodo Concil. oecum. sextum, can. 73. hunc cultum instrumenti salutis nostrae vindicavit: « Cum Crux « vivifica illud salutare nobis ostendat, nos omne studium « adhibere oportet, ut ei, per quam ab antiquo lapsu salvati « sumus, eum qui par est honorem habeamus. Unde et mente « et sermone et sensu adorationem ei tribuentes, Crucis figu-« ras, quae in solo ac pavimento fiunt, omnino deleri iube-« mus: ne incedentium conculcatione victoriae nobis tro-« phaeum iniuria afficiatur. Qui secus fecerit, excommunicari « decernimus ». Quae de vera Crucis adoratione esse intelligenda ex actis sequentis Concilii oecumenici Niceni II, aperte monstratur. Imo principium a S. Thoma adductum his verbis affirmat: « Imaginis honor ad primitivum transit: « et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsisten-« tiam » [1].

Blasphemiam ergo dixit Claudius Taurinensis, quando, Crucem insectantium caput, nullo modo eam adorandam esse affirmavit. Quod impium assertum Ecclesia quotannis in adoratione Crucis feriae VI. Hebdom. mai. publico ritu damnat, ubi non solum symbolo Redemptionis summos reddit honores, sed et canit Crucem Christi adorandam: « Crucem tuam ado-« ramus Domine »; et in hymno *Vexilla Regis* omnes Crucis titulos lyrice celebrat.

Porro inter scriptores catholicos qui Crucis cultum a blas-

[1] DENZINGER (op. cit., n. 244.).

phemiis Deformatorum efficacius vindicarunt, eminet S. Franciscus Salesius [1].

In Corpore. En huius *Corporis* argumentationem schemate expressam:

I. *Principia ponuntur:* Creaturae insensibilis cultus est relativus: vel *a)* ratione repraesentationis; *b)* ratione qualiscumque contactus [2].

II. *Applicantur:*
- 1) Crux ipsa, cui Christus confixus est; *adoranda cultu latriae:*
  - *a)* tum quia imago,
  - *b)* tum propter contactum
    - α) membrorum,
    - β) Sanguinis Christi.
- 2) aliae cruces » quia imagines.

Adverte argumentum suasivum inde adductum, quod Crucem « alloquimur, deprecamur quasi ipsum Crucifixum ». Id apprime noverat Angelicus ipse, quippe qui de se testatus est, Crucem sibi fuisse principem librum atque magistrum. Et sane, nisi obstitisset modestia, iure addidisset: inde et ipsa Crux nos alloquitur quasi ipse Crucifixus: « Bene « scripsisti de me, Thoma! »

Adverte in fine, quae hic de adoratione latriae dicuntur,

[1] *Defense de l'estendart de la Sainte Croix.* Placet ex cap. 11. libro IV. sequentia verba excerpere, quibus S. Franciscus Salesius duplicem respectum exhibet quo Crux colenda est. « On peut considérer la vraye Croix comme elle se trouve mainte- « nant, separée et desprise d'avec le Crucifix, et lhors elle sera pretieuse relique du « Sauveur, son lict d'honneur, throsne de sa royauté, trophee de sa victoire, et glorieux « instrument de nostre Redemption. Or comme toutes ces qualités sont relatives et « du tout rapportees à Iesus Christ, aussi l'honneur qu'on fait à la Croix en vertu « d'icelles est tout relatif au mesme Seigneur, et partant, comme appartenant au « Sauveur, c'est un honneur de latrie... On considère aussi la Croix, non ja comme « elle est a cette heure, separee de son Crucifix, en guise de relique, mays comme « elle fut au tems de la Passion, lhors que le Sauveur estoit cloué en icelle, que ce «pretieux arbre estoit chargé de son fruit, que ce therebinthe ou myrhe distillait « de tous costés en gouttes du sang salutaire: et en ceste consideration nostre ame « honnore la vraye Croix du mesme honneur qu'elle honnore le Crucifix, non tant « (a parler proprement) relativement, comme plustost consequemment et par parti- « cipation ou redondance ». *Œuvres de S. François de Sales* t. II, p. 339, sq. iuxta textum eruditissime vulgatum a monialibus Visitationis, curante imprimis Cl. B. Mackey O. S. B.

[2] Adverte, istud *b)* continere omnes rationes, quas tripartito (n. 3. 4. 5) superius evolvimus. In secunda parte S. Th. distinguit rationem n. 3. et 4. expositam; ultimam habes in *Sed contra est.*

de duliae et hyperduliae adoratione pariter esse intelligenda, iuxta exposita in articulo praecedenti.

Quaestio connexa de Reliquiis pretiosissimi Sanguinis.

Quaeres de cultu debito reliquiis pretiosissimi Sanguinis? Duplex stadium hic distinguendum est: aliud per triduum mortis, aliud post resurrectionem.

De stadio per triduum agitatissima fuit olim controversia inter Dominicanos et Franciscanos, utrum per hoc stadium pretiosissimus Sanguis in passione pro mundi salute effusus, manserit, sicuti corpus [1], hypostatice Verbo unitus. Negabant passim Franciscani; affirmabant Dominicani, quorum sententia abhinc quasi communis effecta est. Imo videtur Ecclesia, tempore Pii II, quo haec controversia maxime vigebat, ob rationes extrinsecas litem in hunc sensum non composuisse [2]. « Maior pars (cardinalium) sententiam Praedicatorum appro- « bavit, pauci cum Minoribus sensere. Pius quoque in maiori « parte fuit. Sed non est visum eo tempore decretum fieri « declarationis, ne multitudo Minorum, cuius erat contra « Turcas praedicatio necessaria, offenderetur; in aliud tem- « pus decisionem referri placuit » [3].

Itaque sententiam affirmantem omnino veram esse putamus, saltem de ea Sanguinis pretiosissimi quantitate qui rursus corpori Christi redivivo vitaliter coniungendus erat. Et sane si divinitas emortuo corpori Christi coniuncta remansit, non apparet ratio cur Sanguis ille salutaris hac unione destitutus fuerit [4], quum eius effusio fuerit salutis nostrae pretium. Hanc dignitatem pretiosissimi Sanguinis

[1] Cf. S. Damascenum (*De fid.* III, 27). S. Th. (III. Q. VI, a. 1. ad 3; — Q. L. a. 2. a. 3). De hac veritate in secunda parte huius tractatus sermo redibit.

[2] En decretum anno 1464 a Pio II. latum: « Auctoritate Apostolica tenore prae- « sentium statuimus, et ordinamus, quod nulli ordinum Minorum aut Praedicatorum « deinceps liceat de supradicta dubietate disputare, praedicare, vel publice aut private « verbum facere, seu aliis suadere, quod videlicet haereticum vel peccatum sit, tenere « vel credere, sanguinem ipsum sacratissimum, ut praemittitur, triduo passionis « eiusdem Domini nostri Iesu Christi ab ipsa divinitate quomodolibet fuisse vel non « fuisse divisum vel separatum, donec super dubietatis eiusmodi decisione quid tenen- « dum sit, fuerit per Sedem Apostolicam definitum ». (DENZINGER. op. cit., n. 609).

[3] Ita in comment. Pii II, 292. Ratio sane parum dogmatica!

[4] Utique sine animatione, pro eo qui tenet, in corpore vivo sanguinem animari.

commendat ipsa duplex formula institutionis SS. Eucharistiae.

At post resurrectionem Christi aliter loquendum est. Sanguinem pretiosissimum corpori redivivo vitaliter restitutum Christus pontifex summus in coelestia Sancta Sanctorum triumphali pompa invexit, aeterna redemptione inventa. Nihil sui Sanguinis extra corpus suum reliquit hypostatice Verbo unitum. Unde reliquiae huiusmodi, quae hic et illic maxime Brugis Flandrorum pio ritu servantur, sunt utique reliquiae nobilissimae, relativo adorationis cultu colendae, haud secus ac Crux, sed non absoluto.

Ad hanc dignitatem appropinquat sanguis qui non semel de imagine Crucifixi effluxit, licet minoris sit dignitatis. Relative tamen ad verum Christi sanguinem colitur; ac insuper portentosa origine praesentem Deum testatur.

Sanguis autem qui ex eucharisticis speciebus interdum scaturivit, sive dum Hostia ab impiis violaretur, sive, uti in miraculo Volsiniense, dum ipse celebrans dubio circa fidem ageretur, - medium locum tenet inter reliquias pretiosissimi Sanguinis passionis tempore effusi, et sanguinis e Crucifixi imagine emissi.

ARTICULUS V.

UTRUM MATER CHRISTI SIT ADORANDA ADORATIONE LATRIAE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Nexus inter hunc articulum et praecedentes intimus est. Etenim ex modo explicatis habemus, latriae adoratione colenda esse, quae propter contactum ad ipsum Christum referuntur. Iam vero quis contactus magis sacer illo, qui interfuit inter Deiparam et Prolem, quam suo sanguine nutriendam utero virginali gestabat, quamque uberibus admotam virgineo lacte alebat? Unde mirabunda exclamavit illa mulier de turba: « Beatus venter qui te portavit, « et ubera quae suxisti! » [1]

2) Duplex quippe respectus in Christi Matre consideran-

[1] Luc. xi, 27.

dus est: *a*) *absolutus,* nempe sanctitas eius prorsus singularis, ab instanti immaculatae conceptionis usque ad obitum iugiter adaucta; et incomparabilis eius gloria in caelis super Sanctorum et Angelorum agmina. - *b*) Alter respectus est *relativus,* nempe contactus mirabilis inter Matrem et Filium. - Ratione prioris respectus B. Virgini deberi dumtaxat cultum hyperduliae, manifestissimum est. - Sed nonne ratione alterius debetur ipsi *coadorationis* cultus, quum impium sit a Filio separare Matrem.

3) Solvitur difficultas ope principii iam supra positi, in resp. ad 3. art. 3. Creatura rationalis, capax cultus absoluti, non participat titulo relativo cultum superiori absolute debitum, nisi manifeste constet, honorem non reddi inferiori absolute, ac ita omnis confusionis periculum absit. Ita si legato Cardinali honores pontificii redduntur, quivis scit eosdem non Purpurato, licet caeteroquin eminentis meriti, sed ipsi Pontifici tribui. Iam vero, si iam nunc acatholici calumniantur Ecclesiam, quod Matrem Dei colat uti Deam, quid non delatrarent, si ratione cultus relativi, Virgini Deiparae tribueretur obsequium nonnisi Proli divinae absolute debitum?

4) Cultus tamen duliae B. Virgini debitum tantae excellentiae est, ut iure nomen speciale acceperit. Quo cultu *hyperduliae,* sicut colenda est ipsa, ita et eius reliquiae, de quibus in art. sequenti.

II. **Ad Textum.** *1. Obi.* Non considerat dicta n. 4. de singulari excellentia cultus Matri Christi debiti; qui cultus omnia continet, dempto summo adorationis gradu; nam, licet B. V. mater sit Regis, iste Rex est persona divina, Mater autem dumtaxat persona humana.

2. Obi. Non considerat discrimen ingens inter ea quae cultus absoluti sunt incapacia, et ea quae eiusdem capacia sunt.

3. Obi. Eodem vitio laborat.

Sed contra est. Convellitur hic haeretica positio Collyridianorum dicentium B. V. esse adorandam ut Deum. Valere autem contra illos argumentum S. Th., probatur ex Scripturae locis in quibus adoratio soli Deo servatur; v. gr.: « Glo-

« riam meam alteri non dabo » [1]; et « Dominum Deum tuum « adorabis, et illi soli servies » [2]. Imo, ne propriae Matris cultus formam excessivam assumeret, Christus provide disposuit, ut laudum Deiparae Scriptura parca exstaret; ipseque de Matre quasi tacere, quam excellentiam eius extollere maluit.

Instant novatores saec. XVI [3], contumeliae vertentes Ecclesiae, quod Mariam invocet titulis, qui soli Deo conveniunt. « In me omnis gratia viae et veritatis, in me omnis spes vitae « et virtutis » [4], unde desumpta videtur invocatio: « Mater « misericordiae, vita, dulcedo, et spes nostra » [5].

Resp. Haec et huiusmodi verba continerent quidem cultum soli Christo debitum, si de B. V. absolute per se praedicarentur; non autem limites hyperduliae excedunt, si mere *participative*. Iam vero haec praedicatio participativa ipso usu Scripturae vindicatur. - Christus dixit de se: « Ego sum *lux* « mundi » [6]; nihilominus vocat Apostolos eodem nomine dicens: « Vos estis *lux* mundi » [7]. - Christus est *petra* [8]; ita tamen ut Petrus quoque *petra* vocetur [9]. - Christus est *pastor* [10]; Petrus tamen non solum agnos sed et oves *pascere* iubetur [11].

His prae oculis habitis, tituli superius enumerati non aegre Deiparae applicantur participative.

In Corpore. S. Thomas in hoc *Corpore* tria agit. 1) Discrimen ostendit inter cultum rationali et irrationali creaturae tributum. 2) Excludit a B. Virgine cultum adorationis. 3) Vindicat cultum duliae excellentioris Deiparae debitum.

[1] Is. XLII, 8.
[2] MATTH. IV, 10.
[3] Cf. Conc. Trid. sess. XIV, c. 18.
[4] ECCLI, XXIV, 25.
[5] Antiph. *Salve Regina.*
[6] IOANN. VIII, 12.
[7] MATTH. V, 14.
[8] I. COR. X, 4.
[9] MATTH. XVI, 18.
[10] IOANN. X, 14
[11] IOANN. XXI, 15, 17.

ARTICULUS VI.

UTRUM RELIQUAE SANCTORUM SINT ADORANDAE.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) *Adoratio*, uti ab exordio monebamus, duplicem sensum habet: strictiorem, et minus strictum. Priori sensu significat supremum venerationis obsequium soli Deo debitum; altero sensu, exprimit gradus quoque inferiores cultus. Littera tituli non distinguit; attamen ex prima obiectione apparet, quaestionem in sensu latiori moveri: « videtur quod Sanctorum reliquiae *nullo modo* sint « *adorandae* ». Et argumentum in *Sed contra est* corpora Sanctorum *honoranda* affirmat. Nihilominus ipse terminus *adorationis* nexum indicat inter praecedentes articulos et eum ad quem accedimus. Urgetur nexus ex obiectione prima, in qua principium solutionis praecedentis ad modum instantiae adhibetur.

2) Ubi iam sedulo adverte, aliud esse, quod cultus latriae relativus negetur illi, qui cultus duliae vel hyperduliae absolute capax est, ad vitandum in re gravissima confusionis periculum; aliud, quod cultus relativus alicuius gradus debiti denegetur cuidam obiecto, ne cum indebito cultu superiori confundatur eidem obiecto, sive relative, sive etiam absolute ab aliis reddito. In primo casu statur in cultu proprio; in altero ab illo receditur, quod contra pietatem est.

3) Porro distinguuntur reliquiae Sanctorum in corpora, sive integra sive partialia, et vestimenta aliaque, quae fuerunt Sanctorum qualicumque contactu sacrata. Inter hanc duplicem classem reliquiarum hoc maxime interest, quod corpora vel corporum partes absoluto cultu honoranda sunt, propter animas quae fuerunt corporibus unitae, et eisdem glorificatis post resurrectionis diem in aeternum coniungentur. Licet enim non sint per se creaturae rationales, quibus solis cultus absolutus debetur; sunt tamen pars rationalis creaturae in praeterito et in futuro, non quidem propter identitatem formae in praesenti, - non enim remanet nisi identitas materiae, - sed in tempore anteacto et in aevo venturo [1].

[1] De hoc argumento data opera agemus in tractatu *de Novissimis*.

4) Aliae reliquiae Sanctorum non sunt honorandae nisi cultu relativo. Licet enim identitas numerica melius servetur in illis quam in reliquiis corporum, nihilominus numquam habuerunt rationem partis, neque sunt glorificandae in saeculo futuro. Praestant igitur aliis reliquiis reliquiae corporum. Et inter reliquias uniuscuiusque speciei praestant reliquiae corporum, partiales scilicet, quae pertinent ad nobilius membrum vel organum corporis sive per se, sive relate ad indolem propriam Sancti. Ita in genere praestant reliquiae capitis et cordis; in martyribus, partes vestigia vulnerum servantes; in S. Thoma apostolo digitus quem lateri Christi intulit; in verbi sacri praecone, puta in S. Antonio Paduano, lingua aureae eloquentiae instrumentum; in praeclaro doctore, puta in Angelico Aquinate, caput in quo tot volumina concepit; in viro apostolico, puta in S. Francisco Xaverio, dextra qua tot paganorum millia in salutis aqua regeneravit. Inter alias reliquias praestant illae, quae ratione propinquioris seu magis assidui contactus, vel ratione cooperationis instrumentalis in praecipuo opere sive portento, maiorem relationem ad Sanctos habuerunt; uti panni intincti sanguine, qui ex latere Seraphici Francisci effluxit.

5) Legitimum autem esse hunc reliquiarum cultum, probatur ex moribus humanis. Colunt enim parentes recordationem sive absentium sive defunctorum, pariter et amici; colunt cives memoriam ac cineres magnorum virorum sive domi sive militiae illustrium [1]. Quod et ipsi pseudo-reformatores saec. XVI eorumque successores, - ne moderna memorer fana ad normam ethnicorum Pantheon erecta vel deturpata, felici contradictione confirmant, dum Wartburgensem arcem, qua novus propheta inclusus latuit, tanquam novum Thabor usque in hodiernum diem venerantur.

Probatur idem divina auctoritate. Quotiescumque enim Deus vel in locis ubi corpora Sanctorum asservantur, vel ope alicuius qualiscumque eorum reliquiae gratias singulares miraculose concedit, quid facit, nisi cultum reliquiarum atque locorum sacrorum implicite confirmare, uti legitimum

[1] In ultima exhibitione Parisiensi ingens invisebatur aula memoriis Napoleonis I, cultu prope apotheosico referta.

atque pium? Quod abunde elucet ex revelatione apud basilicam S. Sebastiani extra muros a Sancta Birgitta habita, ibique marmoreo lapidi insculpta in ipso ingressu cryptae, ubi Principum Apostolorum corpora ad tempus iacuerunt.

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat discrimen supra n. 2. indicatum inter duplicem applicationem eiusdem principii.

2. Obi. Non attendit ad cultum quasi absolutum reliquiis corporum debitum, neque ad cultum relativum.

3. Obi. Negligit identitatem materiae in praesenti, et ipsius numeri in futuro.

Sed contra est. Doctrinam catholicam contra Vigilantium, Eunomium, Orphanos, Wiclefium, aliosque cultum reliquiarum Sanctorum ipsiusque Salvatoris reprobantes, definivit Ecclesia in Conc. Nic. II. act. 3, inquiens: « Servator noster « Christus fontes salutares, Sanctorum reliquias, nobis reli- « quit, multis modis beneficia fundentes. Martyrum enim ossa « virtutes multas operantur, atque id per Christum, qui in « ipsis habitat. Cum his, sanctas etiam imagines, reveremur; « principio adorantes Dei Verbi propter nos incarnati ima- « ginem ». Item in Conc. Bracarensi 3. can. 5. Sanctorum reliquiae vocantur sanctae Dei reliquiae. - Item Conc. Trid. sess. 25, in decreto de invocatione et veneratione reliquiarum Sanctorum, ita habet: « Mandat sancta Synodus... affirman- « tes, Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non « deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inu- « tiliter honorari, atque eorum opis impetrandae causa Sanc- « torum memorias frustra frequentari, omnimodo damnandos « esse: prout iampridem eos damnavit et nunc etiam damnat « Ecclesia » [1].

Ex Patribus specialius contra hunc errorem invexerunt S. Augustinus [2], S. Hieronymus [3], S. Damascenus [4].

In Corpore. Syllogismus simplicissimus argumentum complectitur. Carorum pignora colere universaliter apud homi-

[1] Denzinger (op. cit., n. 861).
[2] *De Civit. Dei,* l. 1, c. 13, a princ. et alibi.
[3] Epist. contra Vigilantium.
[4] *De fide orth.,* l. 4, c. 4.

nes in moribus est, idque iure. Atqui tales sunt Sanctorum reliquiae. Ergo.

Ad probandam minorem, S. Thomas affert I) in genere titulos Sanctorum ad nostram venerationem; dein II) in specie titulos reliquiarum corporum prae aliis quibusvis reliquiis.

I) *Tituli Sanctorum* ab Angelico enumerantur quatuor.

1) Sunt *membra Christi:* unde vides, cultum reliquiarum fundamentum habere Christi gratiam capitis.

2) *Filii* sunt Dei et 3) *amici* Dei. Neque putes, haec duo unum titulum per redundantiam exprimere. Filius dicit ius in haereditatem; amicus, familiaritatem: unde aliquid superaddit filio, aequalitatem scilicet gradus discrimen tollentem. Inde in ultima Coena Christus supremum volens Apostolis dare benevolentiae pignus, eos amicos suos appellare dignatus est; et ipse Ioannes se vocat titulo praedilectionis « discipulum quem diligebat Iesus », utique speciali prae caeteris amicitia. De qua amicitiae excellentia praeclare scripsit Lacordaire in opusculo Mariae Magdalenae dicato.

4) Demum sancti sunt *intercessores nostri.* Tres tituli praecedentes considerant Sanctos in seipsis, quartus eos intuetur in sua relatione ad nos. Quum enim et nos simus Christi membra, Dei filii et amici, vel saltem ad hanc dignitatem vocemur, impossibile est, Sanctos impetrationibus nostris non gerere morem. Dogma proin *Communionis sanctorum* cultum eorum vindicat.

II) Porro tituli *corporum* Sanctorum, ut prae caeteris reliquiis honorentur, collato responso ad 2m. pariter quatuor sunt, respicientes illud quod *fuerunt,* quod *sunt,* quod *erunt.*

1) *Quod fuerunt: a) corpora* scilicet magnorum illorum, quos tot titulis nobis coniunctos modo vidimus. *b)* Penitius rem consideranti apparent *templa et organa* Spiritus Sancti. Ex quo elucet nexus inter cultum corporum Sanctorum et dogma catholicum sanctificationis internae.

2) *Quod sunt: instrumenta* scilicet quibus Deus, exaudiendo preces in eorum praesentia oblatas, suam potentiam et bonitatem manifestat.

3) *Quod erunt:* configuranda scilicet glorioso corpori Christi; unde rursus apparet colligatio inter cultum reliquiarum et dogma futurae resurrectionis carnis.

Nulli proinde sit mirum, si Augustinus negantes hunc cultum tot veritatibus fidei nostrae affinem, simpliciter appellaverit non Christianos; neque mirum, si novatores saeculo XVI. utpote has ipsas veritates vel omnes, vel ex parte inficientes, eumdem cultum impugnarint.

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Si respicitur persona cui tribuitur, Christo una adoratio debetur; si tituli propter quos, multiplex, praesertim adoratio prout Deus est, et adoratio prout homo (art. 1). - Haec autem adoratio humanitatis Christi, si respicit eam tanquam in Verbo Deo subsistentem, simpliciter adoratio est latriae; si autem - absque exclusione hypostaticae unionis, quod haereticum foret - respicit directe excellentiam ipsius humanitatis uti talis, nempe omnibus charismatibus divinis abundantissime instructae, est adoratio duliae, sive melius hyperduliae (a. 2).

Porro haec adoratio debetur non solum ipsi Christo, sed et imaginibus Christi, non absolute in se consideratis - ita enim nullus eis cultus debetur, - sed relative ad Christum ipsum, quem repraesentant (a. 3). - Cruci autem, praeter titulum imaginis, adsunt tituli contactus membrorum Christi, aspersionis ipsius pretiosissimi Sanguinis, atque salutis nostrae instrumenti, cultum adorationis vindicantes (a. 4).

Etsi B. V. M. maxime intimo contactu cum Filio divino coniuncta est, quum tamen ei, utpote purae creaturae, non debeatur nisi cultus absolutus hyperduliae, non competit ei cultus latriae relativus, ob periculum ne hic in eam absolute referatur (art. 5).

Pariter reliquiae Sanctorum, praesertim eorum corpora, cultu non quidem adorationis, sed duliae honoranda sunt, propter intimam relationem quam ad ipsos Sanctos servant (a. 6).

QUAESTIO XXVI.

2) DE CHRISTO MEDIATORE DEI ET HOMINUM.

Ordo Quaestionis patens est. Stabilita 1) ratione propria qua Christo competit esse mediatòrem inter Deum et hominem (art. 1), quaeritur 2) penitius, utrum haec mediatio ipsi unice secundum suam naturam humanam competat (art. 2).

ARTICULUS I.

UTRUM ESSE MEDIATOREM DEI ET HOMINUM, SIT PROPRIUM CHRISTO.

I. **De ipsa Quaestione.** - 1) Pulchre S. Thomas hac quaestione de Christo mediatore claudit tractatum Incarnationis propre dictum. Est enim quasi compendium omnis expositionis huius mysterii, et viam simul sternit ad contemplandum opus, quo Christus mediationem exercuit. Iure proin hanc de mediatione quaestionem inter praecedentia et sequentia veluti mediam appellabis.

2) Iam sedulo perpende, hic non quaeri de mediatione qualicumque, sed de perfecta mediatione Christo propria. Ad cuius asserti pleniorem intelligentiam tria distinguenda sunt: *a*) Aliud est, esse medium; aliud, esse mediatorem; - *b*) ipsa mediatio alia est principalis, alia subordinata; - *c*) alia rursus mediatio ad bonum, alia ad malum. Quae singillatim evolvantur oportet.

a) *Medium* respicit statum, *mediatio* actionem. *Medium* esse inter homines et Deum, convenit angelo propter naturam suam pure spiritualem; non ideo tamen angelus est *mediator,* nam ad eum non spectat coniungere Deum et homines, nisi subordinate per ministerialem illuminationem et tutelam.

Haec autem *actio* Christi mediatoris, *initialiter* est ipsa coniunctio in seipso utriusque naturae; *plene* autem ac *terminate* est Redemptionis opus vi huius coniunctionis completum. Hoc altero sensu in praesenti articulo intenditur; utroque modo in sequenti.

b) *Principalis* quippe mediatio illa est, qua Christus, utpote simul Homo-Deus, reconciliavit mundum Patri. Cui mediationi aliae *subordinantur*. Sunt autem α) omnia ministeria sacra, sive prophetica, sive sacerdotalia, quae existebant in Ant. Testamento, quippe quod totum venturo subordinabatur Messiae. Sunt insuper β) in Novo Testamento omnia ministeria quae exercentur nomine Christi, per legationis munus ab eo acceptum. Inde collige, quotiescumque angeli cooperantur operibus salutis, subordinata mediatione fungi.

c) Subordinata haec mediatio, ab ipsa mediatione principali Christi derivata, tota est *ad bonum,* id est, ad Deum et homines sibi invicem coniungendos; spectat quippe ad dirigendos homines in finem bonum, qui Deus est. - Quum autem alius ex opposito finis sit malus, in supremo damnato Lucifero quasi personificatus, quotquot diaboli ministros agunt, ut alios secum a Deo avertant ac perdant, tot mali mediatores fiunt [1].

II. **Ad Textum.** - *1. Obi.* Non considerat dicta n. *b*).

2. Obi. Negligit exposita tum n. *a*) tum n. *c*).

3. Obi. Non attendit rationem, cur Spiritus Sanctus dicatur interpellare pro nobis, quia nempe ab ipso habemus unde supernaturali gemitu vocem ad Deum attollere valeamus.

Sed contra est. Adverte tria in hoc loco Pauli contineri: 1) affirmationem mediationis activae Dei et hominum; - 2) mediationis singularis; - 3) propter humanam naturam a Deo assumptam. Ultima verba « *Homo* Iesus-Christus » iam continent solutionem articuli sequentis.

In Corpore. S. Thomas duo facit. 1) Ostendit ex ratione theologica et ex auctoritate Pauli, Christum esse solum mediatorem perfectum; 2) exponit quomodo illa mediatio Christi non excludat alias mediationes subordinatas.

[1] Cf. dicta superius de capite malorum.

Huic mediationi subordinatae adscribenda est facultas impetratoria orationum Sanctorum, quam post Vigilantium, Pauperes de Lugduno impugnabant, negantes scilicet Sanctos orare pro nobis, orationesque nostras ad se factas audire. Probatur e contra haec mediatio impetratoria ex variis locis Scripturarum: « Ad aliquem Sanctorum conver-« tere » [1]. « Quiescat ira tua, et esto placabilis super mali-« tia populi tui; Recordare Abraham, Isaac et Iacob, etc. ». « Placatusque est Dominus, ne faceret malum, etc. » [2]. « Ne « auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham « dilectum tuum, et Isaac servum tuum, etc. » [3]. Imo ipse Iacob hanc impetratoriam virtutem nominis servorum Dei solemniter proclamavit, inquiens: « Invocetur super eos « nomen meum (filios nempe Ioseph, quibus benedicebat), « nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac et cre-« scant in multitudinem super terram » [4].

De efficacia autem orationis Sanctorum, puta prophetarum ac sacerdotum, multis in locis Scripturae constat, v. gr.: in II. libro Machab., Iudas Machabaeus nocturno visu Oniam sacerdotem conspexit « orare pro omni populo Iudaeo-« rum », simul et alium virum, de quo Onias intuenti dixit: « Hic est fratrum amator et populi Israel, hic est qui mul-« tum orat pro populo, et universa sancta civitate, Ieremias, « propheta Dei » [5]. Iam vero ad quid orare pro populo dicerentur, nisi mediationem impetratoriam eorum oratio haberet? – De qua impetratoria virtute orationis Sanctorum cf. Concil. Trident. Sess. XXV. superius in art. 6. Q. XXV. citatum.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS SECUNDUM QUOD HOMO, SIT MEDIATOR DEI ET HOMINUM.

I. **De ipsa Quaestione.** – 1) Iam audivimus Paulum affirmantem, « hominem Iesum-Christum » esse solum mediato-

[1] Iob. v, 1.
[2] Exod. xxxii, 12.
[3] Dan. iii, 35.
[4] Gen. xlviii, 16.
[5] C. xv, 12, 14.

rem Dei et hominum. Hoc praesenti articulo magis investigandum restat.

Ubi primo adverte quaestionis sensum. Non ita intelligendus est, ac si unice humana Christi natura ad hanc rationem mediationis conferret; sed quaeritur, utrum ille Christus, simul homo et Deus, humana sua natura mediator sit, an divina.

2) Iam vero huc facit distinctio, quam exposuimus in articulo praecedenti inter mediatoris *statum* et *actionem*.

a) Si *statum* consideramus, habemus medium inter Deum et hominem. Atqui Christus, ut Deus, est in ipso gradu Dei cum Patre et Spiritu Sancto; ut homo autem, propter realitatem humanae naturae, locum tenet medium. Ita tamen medius est, ut naturae suae divinae debeat, ut sit supra homines, quorum naturam quidem, sed non personam assumpsit. Vides proin, Christum, uti Deum, supra homines esse; uti hominem, medium esse inter Deum et homines. Utrumque propter singularitatem hypostaseos exprimit formula: Christus, uti est homo, medius est inter Deum et homines.

Adverte tamen, praeter rationem personalitatis divinae, Christo-homini quamdam competere excellentiam ac proin dignitatem medii inter Deum et homines. Tanta quippe et gratia et gloria sublimatus est, ut caeteris quibuscumque humani generis individuis emineat. Iure proin S. Thom. ad hanc excellentiam Christi ut hominis recurrit in *Corpore* huius articuli, ut veritatem theseos quoad statum mediatoris ostendat.

b) *Actio* autem mediatoris consistit in seiunctos coniungendo. In quo munere duplex respectus vel motus considerandus est: α) motus *a Deo ad homines,* per manifestationem veritatum et collationem donorum Dei; β) motus *ab hominibus ad Deum,* per satisfactionem et interpellationem.

Iam vero α) patet, Christum nuntium divorum et gratiae datorem exstitisse per humanam naturam, qua inter homines visibilis apparuit. - Auctoritas autem qua praecepta dabat, omniscentia qua arcana pandebat, potentia demum qua dona gratiae conferebat, radicem suam in divina natura, vel in dignitate personali divina Christi habebant.

Pariter β) ut homo, id est, in humana sua natura Hostiam

sese pro mundo Christus obtulit; ut homo pro nobis iugiter interpellat, ad oblationis suae pretium salvandis applicandum. - Hanc autem oblationem fuisse vere satisfactoriam, damna peccati ex iustitia resarcientem; hanc interpellationem talem esse, quae de iure audiatur, Christus rursus habet a sua dignitate personali divina.

Proin in *actione* sicuti in *statu* mediatoris ita utrumque convenit Christo secundum humanam naturam, ut tamen divina eius natura, quatenus identificatur cum Christi persona, utrique tanquam substratum inserviat.

II. **Ad Textum.** - *1. et 2. Obi.* Subtiliter procedunt; imo habent partem veritatis, quam totam invenis expressam in 2) *a*). - *3. Obi.* Pariter continet ea, quae in *b*) ad finem, de vi expiatoria oblationis Christi tradita sunt.

Sed contra est. Adverte, textum S. Augustini non urgendum esse contra ea quae supra diximus. Nempe inter utrumque membrum illius assertionis: « Christus non est media- « tor secundum quod Verbum, sed secundum quod homo », hoc interest, quod primum excludit hominem, solum Deum ponens; secundum non excludit Deum, ponens Hominem-Deum. Profunde igitur locutus est Paulus concludendo sententiam supra allatam per verba: « *Homo* Christus Iesus ». Eamdemque veritatem iam a Moyse fuisse insinuatam, non sine fundamento putaveris, ubi venturum Messiam hoc annuntiavit oraculo: « Prophetam de gente tua et de fratribus tuis « sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus » [1].

In Corpore. En schema huius pulcherrimi argumenti.

Quum mediator debeat differre et coniungere, Christus est mediator

- 1) non ut *Deus:* nîl differt a Patre, nec a Spiritu Sancto;
- 2) sed ut *homo:*
  - *a*) differt:
    - α) a Deo per naturam humanam;
    - β) ab hominibus, per excellentiam.
  - *b*) coniungit:
    - α) Deum hominibus, per praecepta et dona;
    - β) homines Deo, per satisfactionem et interpellationem.

[1] Deuter. xviii, 15.

Resp. ad 1m. et ad 2m. Si attente hanc responsionem cum responsione sequenti contuleris, videbis, utramque respondere animadversionibus quas, ad modum alicuius temperamenti, sub n. 2. *a*) exposuimus.

Resp. ad 1m. aliquantulum progreditur ultra asserta in *Corpore,* quatenus elemento divinitatis in ordine ad statum mediatoris plus attribuit, quam expresse in *Corpore* continebatur. - *Resp. ad 2m.* redit ad *Corporis* textum. Utraque simul collata doctrinam plenam exhibet.

Resp. ad 3m. Praeter distinctionem inter peccati ablationem auctoritativam et expiativam, S. Thomas hic distinguere potuisset ipsa in expiatione inter elementum humanum, quod solum erat capax immolationis et elementum divinum, a quo solo virtus infinita derivabat. Vide dicta supra n. *b*).

Facile cuivis patet, quam intimo nexu titulus Mediatoris cum titulo Pontificis in Christo copuletur. Nil mirum proin, si considerationes iam superius praelibatae hic recurrant. Hanc Mediatoris dignitatem in Christo semetipsum, secundum quod homo erat, Patri offerente, egregie illustravit S. Anselmus [1].

Brevissima totius Quaestionis Synopsis.

Quum mediator ille proprie sit, qui efficaciter extrema unit in medio, Christus, simul Deus et homo, mundum reconcilians Deo, propriissime nomen Mediatoris Dei et hominum meretur (a. 1). - Meretur autem illud secundum quod est homo. Etenim ut homo, et non ut Verbum, medius est inter homines et Deum, opusque coniunctionis inter Deum et homines ut homo complevit. Mediator igitur est secundum quod homo; in Verbo utique subsistens, a quo habuit tum esse supra homines, tum pro hominibus infinite expiare potuisse (a. 2).

[1] *Cur Deus Homo,* l. II, c. 19. — *P. L.* t. CLVIII, col. 425, sqq.

EPILOGUS.

In art. 3. Q. I, agentes de ordine praedestinationis inter Incarnationem et Redemptionem, dicebamus: « Fusiorem « tractationem huius controversiae remittimus ad appendi- « cem huic volumini, si spatium sinat, adnectendam » [1]. Molem autem huius tomi tantam evasuram, haec scribentes non praevidebamus. Quare haec appendix ad finem alterius tomi satius differetur. Interim auctoribus ibidem citatis, qui opinionem Ruperti et Scoti recentissime propugnarunt, addere iuvat opusculum sane egregium P. Ioannis Baptistae du P. B. Cappucce, cui titulus: « *Primauté de Notre-Seigneur « Jésus-Christ* » [2].

Liceat huic primae parti tractationis de Deo-Homine finem imponere, utendo invocatione valde theologica, qua S. Anselmus orationem XV. ad Christum incipit: « Ad te, « dulcissime et benignissime Domine Iesu Christe, qui fons « pietatis es et misericordiae, potissime me converto; quia « et per potentiam divinitatis tuae, qua cum Patre et Spiritu « Sancto unus Deus omnia ex nihilo fecisti, me creatum esse « fateor; et per Incarnationem tuam, quam in proprietate « personae tuae, cooperante tamen Patre et Spiritu Sancto « suscepisti, me refectum et renovatum esse scio » [3]; - memor sane consilii Sancti Benedicti ad monachos suos: « Christo « nihil omnino praeponant, qui nos pariter ad vitam aeternam « perducat. Amen » [4].

[1] P. 46.
[2] Fragments publiés dans les *Études franciscaines* 1899-1900.
[3] *P. L.* t. CLVIII, col. 888.
[4] S. Reg. c. LXXII.

I. O. G. D.

INDEX RERUM

ALPHABETICUS ANALYTICUS.

AARON. — Sacerdotium Aaronis sacerdotio Melchisedech inferius, 745, sqq.

ABAELARDUS. — Negavit finem Incarnationis esse, ut homo e daemonis captivitate liberaretur, 3, 9, 10, 53, 282. — Doctrinis Adoptianistarum consensit, 138. — Dicitur Conceptualismi parens, 267. — Quomodo intelligat, iustitiam Dei revelari ex fide in fidem, 346. — Negavit donum timoris fuisse in Christo, 353.

ABBREVIATIO. — Verbum abbreviatum, 12. — Hoc dictum non significat imminutionem naturae divinae in Incarnatione, 30.

ABSTRACTIO. — Duplex abstractio, 218. — Abstractio personalitatis a natura divina, 219.

ABULENSIS. — Putavit Sanguinem Christi non esse immediate Verbo unitum, 298.

ACEPHALI. — Pertinent ad Monophysiticam haeresim, 73. — Quomodo erraverint circa passibilitatem Christi, 538, sqq., 579.

ADAM. — De eius stirpe Verbum assumere naturam humanam conveniens erat, 273, sqq. — Scientia infusa in eo admittenda est, 414. — Qua ratione Christus novus Adam, 733.

ADAMUS A S. VICTORE. — Unionem hypostaticam poëtico sermone illustrat, 633.

ADAMUS (Can. Later.). — Christum ex parte Deum, ex parte hominem dixit, 138.

ADMIRATIO. — Quo sensu possit poni in Christo, 563, 564.

ADOPTIANI. — Filiationem naturalem et alteram adoptivam ponunt in Christo, 3, 8. — Distinguunt personam ab hypostasi, 135, 138, 189. — Ortus et progressio Adoptianismi, 756, sqq.

ADOPTIO. — Natura adoptionis, 749, sqq. — Adoptio competit toti Trinitati, potest tamen tribui Patri, 752, sqq. — Sola rationalis creatura adoptionis est capax, 754, sqq. — Christus, in quantum est homo, nequit dici filius adoptivus, 756, sqq. — Deo convenit adoptare filios, 789, sqq.

ADORATIO. — Unica adoratio Christi homini-Deo debetur, 781, sqq. — Qua ratione adoratio dirigenda sit ad humanitatem Christi, ad imagines eius, ad Crucem, 804, sqq.

AETERNITAS. — Dei aeternitas non laeditur per Incarnationem, 22, 23. — Aeternitas sacerdotii Christi, 742, sqq.

AGATHO (S.). — Epistolae in VI. Synodo lectae, 11, 647. — Unus Christus ex duabus naturis inconfusis, 185. — Duas voluntates et duas operationes habet Christus, 651. — Romana Sedes ab errore immunis declaratur, 697.

Agnoëtismus. — Error eorum qui in Christo ignorantiam posuerunt, 405, 427.

Agobardus. — Scripsit contra Monothelitas, 12.

Agonia. — Rationes tristitiae in agonia Christi, 559.

Aguirre (Card. de). — Subsistentia non est distincta ab existentia substantiali, 627.

Albanenses. — Negarunt veritatem corporis Christi et passionum eius, 536.

Albertus Magnus (B.). — Incarnatio absolute praedestinata dicenda videtur, 45, 51. — Depositio humanitatis a Christo facta, isti humanitati conferret singularitatem et personalitatem, 262. — Gratia Christi finita est, utpote creata, 366. — S. Hilarius retractavit doctrinam, quam proposuerat de impassibilitate Christi, 544. — Distinctio inter personalitatem et naturam, 631.

Alcuinus (B.) — Scripsit contra Monothelitas, 12. — Unus Christus duas habet naturas, 89, 90. — Eius sententia circa scientiam animae Christi, 440. — Strenue impugnavit Adoptianos, 757, 758.

Alexander III. — Damnatur opinio, quae negat unionem substantialem in Incarnatione, 162. — Reprobatur propositio: Christus non est aliquid, secundum quod homo, 611.

Alexander Halensis. — Dempta Redemptione, adhuc Incarnatio maxime conveniens fuisset, 45. — Elevatio per gratiam requiritur, ut natura quaedam assumi possit a Deo, 262. — Sanguis non est animatus, 295. — Gratia videtur medium esse ad unionem hypostaticam, 331, 332, 370. — Scientia animae Christi extenditur ad omnia obiecta scientiae divinae, sed non usque ad comprehensionem, 446. — Distinctio inter personalitatem et naturam, 631.

Alexandrinum Concilium (a. 362). — Damnavit Apollinaris haeresim, 301.

Alius, Aliud. — Discrimen inter praedicationem neutri et masculini generis, 601, 602.

Alm·inus. — Accidentia sine subiecto subsistentia possent assumi a Deo, 263.

Amalricus. — Imaginum thurificationem idololatriam reputabat, 810, 811.

Ambrosius (S). — Scripta de Incarnatione, 12. — Christus unus, Deus et homo, 85, 111. — Verum corpus habuit Christus, quia impossibile est mentiri Deum, 287. — Quo sensu Christus in similitudinem hominum factus, 289. — Iustitia Dei quae revelatur ex fide in fidem, 346. — Christus verus fuit Propheta, 360. — Scientia humana tribuenda est Christo, 401. — In scientia humana Christus proficiebat, 471. — Potentiam divinam accepit Christus, 481. — Speciosus forma dicitur Christus secundum divinitatem, 506. — Suscepit animam passibilem Christus, 532. — Corpus mortale habuit Christus, 541. — Non creatus est Christus, 587. — Unctio Christi secundum naturam humanam, 638. — Unctus Christus, quia lumen mundi, 641, 642. — Voluntas Christi similis voluntati Patris, 690. — Christus oravit naturali affectu, ut non pateretur, 730.

Ambrosius (ps.). — Christus unus, Deus et homo, 111, 112. — Quo sensu Christus in similitudinem hominum factus, 189.

Anabaptistae. — Inficiunt veritatem corporis Christi, 290.

Analogia. — Analogiae quae illustrant unionem hypostaticam, 632.

Anastasius. — Familiaris Nestorii, 94.

Anastasius Sinaita. — Adversarius Nestorianorum et Eutychianorum, 11.

Andreas Samosatenus. — Favit Nestorio, 95.

Angelus. — Cur angelicam naturam Filius Dei non assumpserit, 252, sqq. — Reparatio Angelorum non fuisset ex stricta iustitia, 255, 256, 276, 277. —

Christus caput Angelorum, 386, sqq. — Christus non minor Angelis secundum gradum visionis, 453. — Angelorum scientia est habitualis, 463. — Angeli ministrarunt Christo, 476, sqq.

Anima. — Verbum assumpsit animam rationalem, 299, sqq., 306, sqq. — Mediante anima Verbum assumpsit carnem, 313, sqq. — Distinctio inter animam et spiritum, 316, sqq. — Origo animae humanae, 320. — Quo tempore infundatur corpori, 321. — Non tempore, at natura anima ut quo, non vero ut quod, prius est assumpta quam corpus, 322, 323. — In ipsa conceptione, miraculose animata est caro Christi, 324. — Limites influxus animae in corpus, 487. — Anima Christi fuit passibilis, 532, sqq.

Animatio. — Assumptio humanae naturae melius Incarnatio quam animatio dicitur, 305.

Anselmus (S.). — Opera de incarnatione, 12. — Causae Incarnationis enumerantur, 21. — Deus homines creavit, ut sedes ab Angelis amissas implerent, 32. — Necessarium fuit, hominem reparari reparatione strictae iustitiae; quae non potuit nisi per passionem et mortem Christi obtineri, 40, sqq. — Verbum non fuisset incarnatum, si homo non peccasset, 54. — Redemptio requirebat unitatem personae et duplicitatem naturae in Christo, 128, 129. — Qua ratione duae sint naturae in una Christi persona, 129, sqq. — In Christo Deus est persona et homo est persona, nec tamen duae sunt personae, sed una persona, 172. — Plures personas non posse unum hominem assumere in unitatem personae, videtur dixisse in hypothesi unius personae incarnatae, 227, sqq. — Filium Dei potius quam alias personas incarnari, multis de causis decentissimum erat, 238, sqq. — Irreparabilitas lapsus Angelorum, 253. — Satisfactio pro originali peccato requirebat, ut Verbum de stirpe Adae assumeret humanam naturam, 274. — Iustitia Dei revelatur ex fide in primum adventum Domini in fidem in secundum adventum, 347. — Quo iure peccatores captivi sint diaboli, 396. — Quare Christus pati et mori potuerit, 496, 497. — Christus formosus etiam corporali specie, 513, 514. — Maria pulcherrima mulierum, 518. — Non assumpsit Christus ignorantiam, quia haec ad nihil utilis est, 531, 532. — Quo minus peccare potuerit Christus, eo maxime sanctus, 675, 676. — Potestas agendi malum non est libertas, 707. — Christus ipse a seipso potest dici habere quod habet, 719. — Sacerdos in aeternum Christus, 735. — Remissio peccatorum est effectus sacrificii Christi, 739. — Christus Creator et Redemptor noster, 831.

Antichristus. — Quaenam futura sit eius actio, et quo sensu caput malorum dicendus, 397, sqq.

Antiochenum Concilium. — Unitatem personalem in Christo contra Paulum Samosatenum declarat, 108.

Apelles. — Christo corpus sidereum tribuebat, 25, 280, 281.

Aphthartodoketae. — Absolutam incorruptibilitatem corporis Christi tenebant, 73, 589, 540.

Apollinaris, Apollinaristae. — Negant animam Christi, 3, 7, 764. — Partem Verbi in substantiam carnis mutatam, solamque animam sensitivam esse in Christo contendunt, 68, 278, 306. — Apollinaris est praecursor Eutychetis, 72. — Damnatur a Concilio oecumenico v., 103, 104. — Christi carnem deiferam asserebant, 168. — Naturam divinam incarnatam saepe dicunt, 215, 216. — Aliquid de substantia Verbi in carnem mutatum autumant, 289, 290. — Vicissitudines erroris Apollinaristarum, 301. — Triplicitas animae

humanae, 306. — Passionem divinitati tribuunt, 580.

Apologia de Verbo. — Citatur iste tractatus, 166.

Apostolicum Symbolum. — Fons praecipuus quoad Incarnationis dogma, 11.

Apotheosis. — Prorsus diversus ab Incarnationis conceptu, 4.

Apparitio. — Nomen Incarnationi conveniens, 16.

Appellatio. — Appellationes concretae ponunt suppositum, abstractae naturam, 577.

Ariminiani. — Divinitatem Christi ad dogmata fidei pertinere negant, 3, 6.

Aristoteles. — Distinctio inter substantiam primam et secundam, 126. — Realismus temperatus, 267, 268. — Distinctio inter laudem et honorem, 782.

Arius, Ariani. — Negant Christi divinitatem, 3, 6. — Contendunt, Verbum supplere vices animae in Christo, 68, 278, 299. — Damnantur a plurimis Conciliis, 104, 299, 300. — Ignorantiam Filio Dei tribuunt, 405.

Armellini. — Citatur, 810.

Arnaldus. — Dixit, Christum assumpisse humanitatem aequalem divinitati, 443.

Arno. — Impugnavit Adoptianismum, 139, 758.

Arnould (Arth.). — Theosophus, citatur, 201.

Arriaga. — Tenet sanguinem esse animatum, 295.

Artemon. — Negavit Christi divinitatem, 5.

Ascarius. — Partibus Adoptianorum favit, 757.

Assumptio. — Nomen significans operationem assumendi humanam naturam, 16. — Discrimina inter assumptionem et unionem, 181, sqq. — Assumere naturam creatam, convenit personae divinae, 209, sqq. — Disputatur, num suppositum creatum possit assumere aliam naturam, 211, 212. — Assumere convenit naturae divinae, prouti est unum cum Filio, 213, 214. — Quod Verbum assumpsit, nunquam dimisit, 298, 299. — Ordo assumptionis partium naturae humanae, 313, sqq.

Athanasianum Symbolum. — Duplex natura, una persona in Christo, 76, 101. — Comparatio unionis animae et corporis cum unione hypostatica, 145. — Eadem potentia trium personarum Trinitatis, 223. — Christus ex anima rationali et humana carne subsistens, 286. — Christus ex substantia matris natus, 292. — Christus homo perfectus, 310. — Unus est Christus, sicut anima rationalis et caro unus est homo, 603. — Christus aequalis Patri secundum divinitatem, minor secundum humanitatem, 716.

Athanasius (S.). — Summe decebat, Deum Incarnatione lapsum hominis reparare, 43. — Sublato peccato hominis, Verbum carnem non induisset, 49, 50. — Μία φύσις σεσαρκωμένη, 72. — Christus Deus et homo, 81. — Unitas hypostasis non naturae in Christo, 110. — Unus Christus, secundum indeficientem existentiam, 162. — Num dixerit divinam incarnatam naturam, 215, 216. — Verbum assumpsit carnem ex Maria Virgine, 293. — Anima Christi sensitiva et rationali virtute praedita, 309. — Verbum Patris seipsum factum hominem in Spiritu sanctificat, 338. — Verbum assumpsit mortale corpus, 541. — Quo sensu divinitati soli tribui possit voluntas in Christo, 689. — Adoratur caro Christi, quia facta est caro Dei, 784.

Atzberger. — De impeccabilitate Christi, 13, 670.

Augustinus (S.). — De Doketis, 6. — Scripta de Incarnatione, 12. — Verbum caro factum, ut Deus visibilis fiat, 24. — Homo Deo accessit, non Deus a se recessit, 27. — Christus infans, rector omnium, 28. — In mysteriis ratio facti est potentia facientis,

29, 126, 127, 227. — Deus creavit homines, ut sedes ab Angelis amissas implerent, 32. — Deus alio modo quam Incarnatione hominem redimere poterat, non tamen ex stricta iustitia, 35, 36. — Incarnatio Redemptioni subordinata est, 45. — Alia multa praeter Redemptionem attendenda sunt in Incarnatione, 48. — Tempus conveniens Incarnationi erat iuventus mundi, 60, sqq. — Duplex natura unita in Christo, 85, 86. — In persona Chr. mixtura dicitur Dei et hominis, 91, 92, 120, 264, 265. — Unus Dei Filius, idemque hominis Filius, in unitate personae copulans utramque naturam, 112, 113. — Qua ratione Pater maior sit Filio, 113. — Filius Dei potest dici habere hominem, 119. — Distinctio inter οὐσίαν et ὑπόστασιν, 125. — Habitus dicitur quadrupliciter; quonam modo habitus dici possit humanitas assumpta a Verbo, 164, 165. — Ea gratia fit homo Christianus, qua homo factus est Christus, 190. — Praedestinatio ad unionem hypostaticam, exemplar praedestinationis Sanctorum, 192. — In Christo, gratia quodammodo naturalis, 196. — Christus natus ex Deo, natus ex femina, 258. — Humana natura in unitatem personae Filii Dei singulariter assumpta, 265. — Ideae Platonis in mente divina intelligendae sunt, 267, 270. — Ad reparationem utriusque sexus, decuit ut Verbum assumeret naturam humanam ex femina, 274. — Quo sensu potuerit ex alia quam ex Adae stirpe Deus hominem assumere, 275. — Manichaei simulatam carnis speciem tribuebant Christo, 283. — Si fefellit, veritas non est Christus, 284. — Totum hominem suscepit Christus, ut totum salvaret, 288. — Per sanguinem in carne vivitur, 296. — Vicissitudines erroris Apollinaristarum, 301. — Christum animam assumpsisse ex testimoniis Scripturae evidenter probatur, 303. — Caro interdum supponit pro homine, 304. — Per animam rationalem Verbum carnem assumpsit, 314. — Per spiritum animam, per animam corpus et sic totum hominem assumpsit Veritas, 318, 327. — Non sine gratia mediator Dei et hominum est Christus, 338. — Iustitia Dei revelatur ex fide praedicantium in fidem audientium, 346, 347. — Christus fuit vere propheta, 359, 360. — Christus caput est Ecclesiae, 379. — Dignitas Christi capitis fundamentum est caritatis inter homines, 381. — Nullus intellectus vult esse infinitus, sensu negativo, 435. — Christus dicit, se nescire diem iudicii, quia ad eius magisterium non pertinet, 447, 448. — Quaenam corporalis pulchritudo in Christo ponenda sit, 510, sqq., 520. — Nullum peccatum in Christo admitti potest, 527, 673. — Veri affectus in anima Christi erant, 532. — Carere affectibus peius est omnibus vitiis, 534. — Anima sentit per corpus, 535. — Christus mortale habuit corpus, ita ut ad mortem per senectutem pervenire potuisset, 541. — Quo sensu passiones Christi potestati tribui possint, 554. — Distinctio inter dolorem et tristitiam, 555. — Vera fuit tristitia in anima Christi, 557, 558. — Timor sine animi infirmitate in Christo fuit, 562. — Zelus honoris satagit emendare perversa, 565. — Idem Filius Dei et Filius hominis, 573, 574. — Christus aliud propter Verbum, aliud propter hominem, 602. — Secundum humanitatem Christus non est ubique, 616. — Qua ratione Christus seipsum sanctificaverit, 636. — Ungebantur reges, sacerdotes, prophetae sub Veteri Testamento, 641. — Perfectius est liberum arbitrium, quod non potest servire peccato, 659, 660. — Ratio impeccabilitatis Christi maxime ex unione hypostatica repetenda est, 668, 669. — Caro non prodest quidquam,

explicatur, 668. — Gloriam corporis et Capitis Christus passione sibi meruit, 706. — De haereticis Melchisedecianis, 747. — Posse habere fidem, est naturae hominum; habere, est gratiae, 755. — Explicatio textus: Christus praedestinatus in virtute, etc., 767, 768. — Praedestinatio est gratiae praeparatio, 771, 772. — Cultus reliquiis Sanctorum debitus, 822. — Christus est Mediator Dei et hominum secundum quod est homo, 829.

Augustinus de Roma. — Solos praedestinatos dixit esse membra Christi, 384. — Animam Christi videre Deum tam clare quantum videt Deus se ipsum, asseruit, 435. — Christum ut hominem omnipotentem dixit, 482. — Humanam naturam confundit cum persona Verbi, 580, 592.

Avicebron. — Triplicem animam in homine posuit, 306.

Bach. — Citatur, 74, 93, 139.

Baco (Fr.). — Duplicem animam in homine posuit, 307.

Ballerini (Petr.). — De epistolis Honorii Papae, 693.

Baltus (Urb.). Responsio ad quamdam eius animadversionem circa conceptum περιχωρήσεως, 684.

Baltzer. — Dicit, S. Anselmum collectivam tantum unionem personalem in Christo statuisse, 172. — Interpretatio Concilii Chalcedonensis, 177. — Distinguit in homine animam a spiritu, 307. — Contradicit traditioni catholicae quoad scientiam Christi, 404.

Bandinus. — Scripta de Incarnatione, 12.

Bannes. — Distinctio realis inter subsistentiam et existentiam substantialem, 321.

Barnabas (S.). — Quo sensu plenus Spiritu Sancto dicatur, 361.

Baronius. — De mente S. Hilarii circa impassibilitatem Christi, 542. — De authenticitate epist. Honorii Pp., 691.

Barthol. a Barberiis. — De mente S. Bonaventurae quoad gratiam praerequisitam ad unionem hypostaticam, 332.

Basileense Concilium. — Damnavit errorem Augustini de Roma dicentis, solos praedestinatos esse membra Christi, 384. — Eiusdem sententiam circa visionem claram Dei, Christi animae tributam reprobavit, 435.

Basilides. — Negavit Christi humanitatem, 6, 281.

Basilius (S.). — Christus veniens in mundum dignam sibi matrem invenit, 62. — Deus sibi humanam naturam assumpsit, 82, 83. — Caro deifera praedicatur in Christo, 167, 168. — Speciosus forma dicitur Christus secundum divinitatem, 506. — Passiones ex peccato derivatas non potuit assumere Christus, 527. — Necessitates corporales naturales Christo fuerunt, in exemplum conversationis humanae assumptae, 553.

Basilius Seleuciensis (S.). — Testatur S. Athanasium naturam divinam incarnatam dixisse, 215.

Baur. — Christum merum hominem asseruit, 5.

Bayle. — Inanes obiectiones contra possibilitatem unionis hypostaticae, 126, 127.

Beatus (S.). — Eius partes in oppugnatione Adoptianismi, 757.

Beda (S.). — Verum corpus ex materna carne traxit Filius hominis, 293. — Profectus Christi in gratia et sapientia, 473.

Beelen. — Quomodo intelligendum sit: Iustitia Dei revelatur in eo ex fide in fidem, 347. — Explicatio textus Rom. I. de praedestinatione Christi, 768.

Bellarminus. — Opus de Christo capite Ecclesiae, 13. — Confutatio illorum, qui humanam scientiam denegant Christo, 403, 406. — De errore Ubiquistarum, 612. — De authenticitate et orthodoxia epistolarum Honorii Papae, 691, 696.

Benedictus (S.). — Lumen deificum, 169. — Christo nihil praeponendum, 831.

Benedictus II. — Improbat modum dicendi ponentem tres substantias in Christo, 158.

Benedictus XIV. — Professio fidei Orientalibus imposita, 11, 243, 652, 653. — Condemnatio erroris Berruyer, 611.

Benedictus Anian. (S.). — Partes eius in oppugnatione Adoptianorum, 757, 758.

Berengarius. — Narrat S. Hilarium retractasse doctrinam, quam proposuerat circa impassibilitatem Christi, 542.

Berlage. — Rationem personalitatis ponit in conscientia sui, 174.

Bernardinus Senensis (S.). — Etiamsi homo non peccasset, Incarnatio fuisset, 45.

Bernardus (S.). — Scripta de Incarnatione, 12. — Diabolus ex invidia Adamum oppugnavit, quia sciebat, Christum ex ipso nasciturum, 49. — Unitas personalis Christi posset dici unitas dignitiva, 186. — Anima humana creando immittitur et immittendo creatur, 323. — Gratia habitualis et gratia unionis Christi, 338. — Subiectio peccatorum sub captivitate diaboli, 396. — Plenitudo scientiae Christi ab exordio suae conceptionis, 404, 405. — Christus speciosus forma etiam corporaliter, 513. — Illustratur circummeatio divinae et humanae naturae in Christo, 687. — Caro nihil prodest per se, sed per Spíritum vivificantem, 688.

Berruyer. — Naturam humanam Christi dixit esse quasi-suppositum, 610, 611, 764.

Bérulle (Card. de). — Scripsit de praerogativis Christi, 13.

Beryllus. — Dixit Christum, quoad divinitatem non fuisse ante Mariam, 590.

Besant (Annie). — Eius doctrina theosophica circa Incarnationem et Trinitatem, 143, 198.

Biel (Gabriel). — Comparatio unionis Incarnationis cum unione accidentis et subiecti, 187. — Probabile est, B. Mariam de condigno meruisse ut fieret Mater Dei, 194. — Per virtutem divinam suppositum creatum videtur assumere posse aliam naturam substantialem, 212. — Deus potuisset assumere accidentia sine subiecto existentia, 263. — Sanguis Christi num immediate Verbo unitus, 298. — Gratia, dispositio ad unionem hypostaticam, 333. — Animae Christi visio aptitudinalis omnium in Verbo tribuitur, 445. — Acquisita scientia Christi non se extendit ad omnia, 468.

Billot. — Eius tractatus de Incarnatione commendatur, 13. — Oppositio inter S. Anselmum, S. Bonaventuram et S. Thomam circa possibilitatem assumptionis unius naturae humanae a tribus personis divinis, 227. — Gratia gratum faciens in Christo formaliter, gratia gratis data eminenter, 355. — Scientia visionis Christi ex eo probatur, quod dicitur esse in caelo, 410, 411. — Explicatio progressus Christi in scientia acquisita, 470. — Idem est esse existentiae Verbi et Christi, 608, 627, 628. — Voluntas Christi movebatur motionibus, quae scientiâ conditionatorum praevidebantur efficaces, 667.

Blavatsky. — Eius systema theosophicum, 140, sqq., 201, sqq.

Boëthius. — Liber de duabus naturis, 11. — Natura initium sumit a perfectis, 59. — In Christo una persona, duplex natura, 86, sqq. — Excluduntur falsae hypotheses de unione naturarum in Christo, 88, 89. — Statuta distinctione inter essentiam, subsistentiam et personam, probatur unitas personae in Christo, 114, sqq. — Vetus Testamentum promittit Christum ex Virgine nasciturum, 258. — Non est assumptio, ubi duplex persona, 259. — Verbum dicitur assumpsisse hominem, 264. — Verbum eum salvavit, quem etiam

assumpsit (non probanda formula), 276. — Christus participavit de triplici statu hominis: gloriae, innocentiae, culpae, 486. — Christus est unum, 600.

Bon ventura (S.). — Scripta de Incarnatione, 13. — Incarnatio quare dicatur, et non inanimatio, 17. — Rationes pro convenientia Incarnationis, 26. — Congruentissimum sed non necessarium fuit, hominem reparare via satisfactionis, 36, 37. — Incarnatio subordinata est Redemptioni, 45. — Sententia absolutam statuens praedestinationem Incarnationis non est reprobanda, 51. — Magis excitat devotionem fidelium, Deus esse incarnatum ad delenda peccata, 54. — Conveniens magis fuit Christum incarnari in fine saeculorum, quam in principio, 63. — Duplex natura in unitate personae Christi probatur, 132, 133. — Compositio in Christo admittenda tantum in sensu positionis cum alio, 147, sqq. — Triplex esse potest dici in Christo, 157, 158. — Unitas dignitiva seu unitas Christi omnes excedit unitates, 185, 186. — B. Maria meruit concipere Filium Dei de congruo et de digno, 193. — Proprietas naturalis alicui dupliciter, 195, 196. — Gratia unionis, quatenus naturalis, et non naturalis, 197. — Abstracta personalitate per fidem determinata, potest adhuc intelligi, naturam divinam assumere, 219. — Concordantia cum doctrina S. Thomae quoad possibilitatem assumptionis unius naturae humanae a tribus personis divinis, 230, sqq. — Filium Dei, prae aliis personis, decebat incarnari, 238. — Convenientius humana natura quam angelica assumpta est a Filio Dei, 253. — Verbum assumpsisse personam humanam, repugnat veritati conceptionis, assumptionis, unionis, 259, 260. — Quare personalitas humana Christo defuerit, 360. — Quare magis congruat assumptio unius naturae singularis, quam plurium, 272. — Veritas carnis Christi, 294. — Sanguis non videtur animatus, 295. — Christus, utpote mediator, animam humanam assumpsit, 305. — Medium congruentiae dicitur anima quoad assumptionem carnis a Verbo, 315. — In corpore Christi mortuo remanebat congruitas ad unionem, 316. — Interdum spiritus pars superior animae, anima inferior accipitur, 318. — Gratia uti medium ad unionem Verbi et naturae humanae non praerequiritur, sed per ipsam unionem causatur, 331, sqq. — Habitus fidei cum visione beatifica insociabilis est, 348. — Gratia creata Christi plena et perfecta, non absolute infinita, 372. — Christus caput Angelorum et hominum, proprius tamen hominum, 385, 387, 393. — Gratia capitis comparata cum gratia unionis, 393. — Triplex scientia humana ponenda est in Christo, 402, 403. — Deus totus videtur ab anima Chr., sed non comprehenditur, 436. — Anima Christi secundum habitualem, non vero secundum actualem cognitionem videt omnia in Verbo, 444, 445. — Cognitio infinitorum in actu vel in habitu, 452. — In scientia acquisita Christi admittendus est profectus, attamen secundum apparentiam, 469, 470. — Animae Christi non competit omnipotentia, 480. — Quibus de causis Christus defectus hominum assumpserit, 497, 498. — Pulchritudo corporalis tribuenda est Christo, 516. — Verus dolor sensibilis fuit in Christo, 537. — S. Hilarius ab omni errore immunis censendus est in quaestione impassibilitatis Christi, 542, 544. — Dolor et tristitia in Christo pervenerunt usque ad rationem ut naturam, 559. — Dolor Christi omnium acerbissimus, 567. — Conciliatur status viatoris cum statu comprehensoris in Christo, 567. — Sensus formulae: Deus factus est homo, 582. — Improbanda

formula: Christus est creatura, 586. — Christus non est duo, sed unum, 606. — Ratio formalis personalitatis, 631. — De numero voluntatum Christi et de concordia earum, 665, 666. — Num a primo instanti suae vitae humanae Christus meruerit, 712. — Qualis oratio Christo conveniat, 722, 723. — Utrum oratio Christi fuerit sensualitatis an rationis, 725, 726. — Quaenam oratio Christi semper fuerit exaudita, 731.

Bossuet. — Laudatur, 13. — Citatur, 700.

Bougaud. — Absolutam praedestinationem Incarnationis docet, 46.

Braccarense Concilium. — Sanctorum reliquiae, sanctae Dei reliquiae, 822.

Bucerus. — Ignorantiam posuit in Christo, 406.

Buddhistae. — Negant Christi Incarnationem, 3, 4. — Buddhismus instauratus nostrae aetatis, 140, sqq.

Cabrera. — Distinctio realis intercedit inter existentiam et subsistentiam, 621.

Caelestinus I. (S.). — Concilium Ephesinum contra Nestorium convocavit, 95. — Auctoritatem S. Ioannis Chrysostomi adducit ad probandam unitatem personae Christi, 118.

Caietanus (Card.). — Scripsit de Incarnatione, 13. — Opinio tertia a Magistro sententiarum allata circa unionem Incarnationis non videbatur a Conciliis reprobata, 116. — Reiicienda est comparatio unionis Incarnationis cum unione accidentis et subiecti; recte autem fit comparatio cum unione animae separatae et corporis resurgentis, 187. — Suppositum creatum ne per divinam quidem virtutem posset assumere aliam naturam substantialem, 212. — Unio hypostatica excellentior quam unio beatifica, 263. — Ordo assumptionis animae et corporis a Verbo, 319, 328. — Identitas poenitentiae cum virtute religionis, 344. — Substantiae non possunt esse in numero infinito, bene vero actiones, 451. — Unica est existentia substantialis in Christo, 607, 764. — Distinguendum docet inter subsistentiam et existentiam substantialem, 621, 634, 635.

Calvinus. — Ignorantiam posuit in Christo, 406.

Capecelatro (Card.). — De vita Christi scripsit, 14.

Capponi a Porrecta. — Citatur, 26, 75, 329.

Capreolus. — Unica est existentia substantialis in Christo, 607. — Non est distincta realiter existentia a subsistentia, 627.

Caput. — Caput Ecclesiae Christus, 374, sqq. — Primario Christus caput animarum, secundario corporum, 382, sqq. — Christus caput omnium hominum viventium, secundum gradus, 383, sqq. — Christus caput Angelorum, 386, sqq. — Romanus Pontifex caput Ecclesiae, 394, 395. — Diabolus et Antichristus caput malorum, 395, sqq.

Caro. — Vis huius vocis in Incarnatione, 16, 17. — Proprietates carnis, 27, 28. — In Scriptura saepe significat hominem totum, 304. — Caro assumpta est a Verbo mediante anima, 312, sqq. — Simul tempore assumpta anima et caro, 319, sqq. — Caro deificata, quo sensu recte dicatur, 585, 684, 685. — Caro Christi vivifica, qua ratione dicatur, 687, sqq.

Carpocrates. — Negavit Christi divinitatem, 5.

Cassianus. — Libri de Christi Incarnatione, 12. — Confutatio Nestorii, 107.

Cassianus. — Doketa, citatus a Clemente Alex. et Hieronymo, 281.

Castelein. — De numero electorum, 66.

Centinus. — Conceptum personalitatis in quodam positivo reponit, 623.

Cerdon. — Negavit Christi humanitatem, 6, 280, 536.

Cerinthus. — Negavit divinitatem Chri-

sti, 3, 5, 68. — Contendit hominem Iesum per sua merita unionem cum Verbo obtinuisse, 191.

Chalcedonense Concilium. — Condemnat Euthycheten, 11, 73. — Condemnat eos, qui negant Christi humanitatem, 25. — Duplex natura in Christo, 76, 77. — Una persona et una hypostasis in Christo, 102, 107. — Approbat implicite formulam: Natura divina incarnata, 214, 215. — Christus animam rationalem assumpsit, 299, 300.

Clarisius. — Citatur in actis Concilii Ephesini, 177.

Charitas. — Excitatur in homine per Incarnationem, 38.

Chatterii. — Eius doctrina theosophica, 142, 143, 199, 203, sqq.

Chollet. — Citatur, 24.

Chollyridiani. — B. Mariam V. adorandam dixerunt, 818.

Christologia — Sermo de ipsa Incarnatione, 1, 15.

Christophorus. — Ratio huius nominis, 167.

Christus. — Sensus nominis, 637, sqq. — Divinitas Christi demonstratur, 785, sqq. — Vide singula praedicata.

Chrysostomus. — Cf. *Ioannes Chrys.*

Claudianus Mamertus. — Doctrina S. Hilarii quoad impassibilitatem Christi, 542.

Claudius Taurin. — Crucem non esse adorandam dixit, 814.

Clemens I (S.). — Christus Deus et homo, 81. — Christus animam suam pro animabus nostris tradidit, 302, 303.

Clemens IV. — Confessio fidei Michaëli Paleologo tradita, in qua asseritur veritas corporis Christi, 286.

Clemens VI. — Gutta sanguinis Christi propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani sufficisset, 297.

Clemens XIII. — Humana natura Christi non potest dici quasi-suppositum, 611.

Clemens Alexandrinus. — Cassianum quemdam dicit parentem Doketismi, 281. — Christum adspectu deformem fuisse asserit, 507. — Christus necessitatibus corporalibus se subiecit, ne secus de veritate Incarnationis dubitaretur, 552, 553.

Cleomenus. — Unus ex ducibus Patripassianorum, 241.

Cognitio. — Cf. *Scientia.* — Cognitio matutina et vespertina Angelorum, 413, 414. — Cognitio actualis et habitualis, 444, 445.

Colorbos. — Christum verum hominem fuisse negavit, 283.

Commer (Ern.). — Verbum humanam Christi naturam formaliter existentem reddit, 600. — Christus ab initio suae conceptionis plenitudine scientiae instructus est, 609, 610. — Oratio Christi, 728. — Christus sacerdos summus, 735.

Communicatio. — Lex communicationis idiomatum, 577, sqq.

Compositio. — Num compositio naturarum de Christo praedicari possit, 144, sqq. — Ratio intima huius compositionis naturarum, 150, sqq.

Comprehensor. — Christus fuit simul viator et comprehensor, 566, sqq.

Conceptio. — Num infusio animae rationalis fiat in instante conceptionis, an postea, 321.

Conceptualismus. — Indoles huius doctrinae, 267, 268.

Concilia. — Cf. singula; v. gr. *Constantinop. Ephesin.*, etc.

Concupiscentia. — Quo sensu sit mala, 27. — Nulla neque habitualis concupiscentia in Christo fuit, 525, sqq.

Condillac. — Nominalismum propugnavit, 266.

Conscientia. — Conscientia sui non constituit personalitatem, 172, sqq. — Ex necessitate conscientiae sui probatur scientiam visionis ab initio conceptionis fuisse in Christo, 408, 409.

Constantiense Concilium. — Condemnat Ioannem Huss, 128, 384, 397.

Costantinop. Concilium I. — Apollinaris haeresim damnat, 301.

Constantinop. Concilium II. — Condemnat Nestorium, 11. — Tria capitula damnata, 95. — Canones contra Arium, Nestorium, Eutychen, alios, 102, sqq. — Unitatem Verbi ad carnem secundum hypostasim praedicandam esse declarat, 136, 162. — Unio secundum compositionem dicitur de Christo, 145, 146. — Unio Verbi facta est ad carnem rationali anima animatam, 154. — Quaevis accidentalis unio Verbi et naturae humanae a fide aliena est, 161, 162. — Condemnatio symboli Theodori Mopsuesteni, 178. — Natura Dei Verbi incarnata dici potest, 215, 217. — Solus Filius Dei incarnatus est, 243. — Christus non per Mentem intermediam Verbo unitur, 247, 256. — Non omnium formas assumpsit Christus, neque universalis prolapsionis est reparator, 256, 257. — Sancta Virgo vere est Dei genitrix, 290. — Christus, consubstantialis Patri secundum divinitatem, consubstantialis nobis secundum humanitatem, 310, 311. — Anima Christi non fuit unita Verbo ante Incarnationem, 322, 325. — Una adoratione Christus adorandus est, 784. — Confessio S. Thomae Ap. vindicatur contra falsam interpretationem Theodori Mopsuesteni, 799.

Constantinop. Concilium III. — Unus de Trinitate incarnatus est, 244. — Anima Christi non fuit unita Verbo ante Incarnationem, 322, 325. — Duplex voluntas et duplex operatio praedicandae sunt de Christo, 647, 651, 652. — Anathemata contra Honorium lata, 697, 698. — Christi Cruci adoratio exhibenda est, 814.

Constantinop. Symbolum. — Fons praecipuus quoad doctrinam Incarnationis, 11.

Constantinus Apamoensis. — Duplicem energiam sed unicam voluntatem tribuit Christo, 647.

Constantius II. — Eius partes in controversia monothelisticâ, 646.

Consubstantialis. — Christus consubstantialis Patri secundum divinitatem, consubstantialis nobis secundum humanitatem, 310, 311.

Cor Iesu SS. — In ipso, cum ipso, per ipsum oramus Deum, 732. — Cultus SS. Cordi debitus, 807, 808.

Cornelius a Lapide. — Citatur, 347.

Corpus. — Corporaliter divinitas fuit in Christo, 190, 364. — Verum corpus Christus probatur habuisse, 283, sqq. — Quaenam elementa corporis humani animata sint, 294, sqq. — Corporales defectus quare et quousque assumpserit Filius Dei, 492, sqq. — Pulchritudo corporalis Christi, 505, sqq. — *Cf. Caro.*

Corrupticolae. — Corpus Christi post mortem corruptioni deditum asserebant, 73, 539.

Cosmiani. — Dixerunt Christum non fuisse ante saecula, 590.

Creatianismus. — Doctrina creationis immediatae animarum, 320.

Creatura. — Non potest dici simpliciter: Christus est creatura, 585, sqq. 596, — Christus, ut homo, recte dicitur creatura, 590, sqq.

Crux. — Qualis Cruci Christi tribuendus sit cultus, 812, sqq.

Cyprianus (S.). — Deum cum homine misceri, an recte dictum, 91. — Christus Deus et homo, 111.

Cyrillus Alexandrinus (S.). — Anathematismi contra Nestorium, 11, 96, 101, 102. — Incarnatio absolute praedestinata dicenda videtur, 45. — Ἕνωσις φυσική, 72, 101. — Unam naturam incarnatam, an et quo sensu dictum, 74, 75, 214, sqq. — Condemnatio Nestorii in Concilio Ephesino, 95. — Unitas personae in Christo ex anathematismis

probatur, 101, 102. — Confutatio Nestorianismi ex dogmate Eucharistiae, 106. — Auctoritate S. Ioannis Chrysostomi Nestorius impugnatur, 118. — Non duplex dicendus Christus, tametsi duabus rebus constans, 120. — Unanimis traditio circa unitatem personalem, 121. — Illustratur unio hypostatica per similitudinem cum unione animae et corporis, 122, 123. — Verbum unitum est carni animatae anima rationali, 154. — Christus non est dicendus homo deifer, 167. — Christus Deus humanatus, 169. — Christus est unus, unitate numerica ontologica, 170. — Iudicium circa symbolum Theodori Mopsuesteni, 178. — Non homo assumptus est a Verbo, sed Verbum homo factus est, 265. — Christus homo animatus anima rationali, 309. — Verbum assumpsit humanam naturam, omnibus donis cumulatam, 337, 338. — Christus fuit vere Propheta, 360. — Necessarium est ponere profectum in Christo secundum scientiam humanam, 472, 473. — Christus speciosus forma dicitur secundum divinitatem, 506. — Corpus Christi non est ubique, 615. — Sanctus per seipsum est Christus, 636. — Duplex operatio tribuenda est Christo, 653. — Verbum utebatur carne tanquam organo, 669, 681, 682. — Caro Christi vivifica est, 687, 688.

Cyrillus Hierosolymitanus (S.). — Christus secundum corpus non adest omnibus locis, 615.

Cyrus Phasensis. — Unus ex praecipuis fautoribus Monothelismi, 644, 645.

Damascenus. — Cf. *Ioannes Damasc.*

Damasus (S.). — Anathematismi contra Apollinaristas, 11. — Carmen de Christi Ascensione, 12.

Dechamps (Card.). — Laudantur eius opera, 13.

Defectus. — Defectus corporales quare et quousque assumpserit Filius Dei, 492, sqq. — Defectus animae num sint in Christo, 522, sqq.

Deifer. — Non recte dicitur Christus homo deifer, 167, 168.

Deificus. — Non est Christus dicendus homo deificus, 168, 169.

De Neufville. — Citatur, 141.

De Rada. — Laudatur, 13. — Positivum docet esse conceptum personalitatis, 623.

Descendere. — Quo sensu Christus de caelo descendisse dicatur, 291.

Devivier. — Commendatur eius apologia, 14.

Diabolus. — Caput est malorum, 395, sqq.

Dichotomismus. — Doctrina quae duplicem animam in homine ponit, 307.

Didon (O. P.). — Vitam Christi scripsit, 14.

Dieringer. — Cogitat personalitatem ad modum naturae habere se posse relative ad aliam personam, 171. — Ponit personalitatem in conscientia sui, 174.

Diodorus Tarsensis. — Doctrinam Nestorianismo similem tenuit, 94.

Dionysius Alexandrinus (S.). — Una persona in Christo, 110. — Dolores in Christo negat quoad naturam divinam, 552. — Nomen Christi tribuit Verbo ante assumptam carnem, 640.

Dionysius Areopagita. — Quid acceperit Christus ab Angelis, 477. — Eius auctoritas a Monophysitis primo invocata est, 644.

Dionysius Carthusiensis. — Scripsit de Incarnatione, 13. — Mens S. Bonaventurae quoad ordinem inter gratiam habitualem Christi et unionem hypostaticam, 332.

Dioscorus. — Christi naturam divinam dicebat passam, 579, 580.

Dippellius. — Duplicem naturam humanam, terrenam et caelestem tribuit Christo, 290.

Divinit s. — Christi divinitas ex Scripturis demonstratur, 785, sqq.

Döllinger. — Citatur, 700.

Doketae. — Humanitatem Christi negant, 3, 6, 764. — Historia Doketismi, 278, sqq — Veritatem passionis Christi non agnoscunt, 538.

Dolor. — Verus dolor sensibilis fuit in Christo, 535, sqq. — Differentia inter dolorem et tristitiam, 555, 558.

Dominicus. — Non recte Christus diceretur homo dominicus, 574, sqq.

Domnus. — Damnavit Eutychen, 73.

Donum. — Dona Spiritus Sancti omnia in Christo fuerunt, 350, sqq.

Drogo (Card.). — Sermo de Christi passione, 12.

Duchesne. — Citatur, 692, 699.

Duli . — Cultus qui Sanctis debetur, 801, 802.

Dupin. — Citatur, 700.

Durandus. — Comparat unionem Incarnationis cum insertione surculi in arborem, 188. — Suppositum creatum, neque per divinam virtutem assumere potest aliam naturam substantialem, 212. — Quaelibet natura assumi posset a Deo, 262. — Perfectior videtur unio beatifica quam unio hypostatica, 263. — Sanguis non est animatus, 295. — Doctrina de ordine assumptionis carnis et animae a Verbo, 319, 328. — Prius naturâ anima ut quo, non vero ut quod, est assumpta a Verbo quam corpus, 323. — Sententia S. Bonaventurae de gratia, quae esset medium ad unionem hypostaticam, 332. — Habitus fidei stare potest cum visione beatifica, 348. — Christi anima cognoscit omnia quantum ad quid, non quantum ad quod sint, 446. — Scientia infusa perfecit animam Christi formaliter ut viatoris, 458. — Acquisita scientia Christi non se extendit ad omnia, 468. — Personalitas non videtur realiter distincta a natura nec existentia, 623. — Num Deum peccare possibile esset, ob communionem idiomatum, 672.

Ebed-Iesu. — Reiicit nomen Nestorianismi, 97.

Eberhardus (Bamberg.). — Impugnavit Adoptianos sui temporis, 139.

Eberhardus (Salisburg.). — Impugnavit doctrinam Adoptianismum sapientem, 139.

Ebion. — Christum merum hominem ait, 5, 68. — Dixit hominem Iesum per sua merita unionem cum Verbo obtinuisse, 191.

Ecclesia. — Tum ut societas, tum ut corpus, caput habet Christum, 374, sqq. — Spiritus Sanctus cor Ecclesiae, 376. — Ecclesiae membra diversi gradus, 384. — Romanus Pontifex caput Ecclesiae, 394.

Ehrhard. — De terminologia Patrum quoad Incarnationem, 93, 94.

Einig. — Ratio impeccabilitatis Christi maxime ex unione hypostatica repetenda est, 668.

Elcesei. — Dixerunt Christum non unum esse, sed plures, 603.

Electi. — Electorum numerus qualis, 61, 66.

Elipandus. — Auctor haeresis Adoptianorum, 756, sqq.

Elpidius. — Cf. *Rusticus*.

Ephesinum Concilium. — Condemnat Nestorium, 11, 101, 102. — Christus non est dicendus deifer, sed verus Deus, 167, 329, 330. — Condemnat Photianam haeresim, 191. — Homo dicitur assumptus a Verbo, 265. — Sancta Virgo vere Dei genitrix, 290. — Non pro seipso obtulit Christus sacrificium, 739, 741. — Una adoratione adorandus est Christus, 784. — De cultu imaginum 810.

Ephraemius Antiochenus. — Hypostasis Christi dicitur composita, 119. — Citatur ep. Iulii papae dicentis, naturam esse unam incarnatam Dei Verbi, 216.

Ephrem (S.). — Perfectam habet Christus duplicem naturam, ne duas perdat, 83.

Epiphanius (S.). — Unus Christus Deus et homo, 82. — Professio unitatis personalis in Christo ante Nestorium catechumenis proposita, 107, 103. — Verbum in unitate substantiae assumpsit carnem, 163. — Doctrina Valentini gnostici, 281. — Profectus secundum humanam sapientiam admittendus est in Christo, 472. — Corpus Christi, instrumentum Verbi, 669.

Eranistes. — Divinae et humanae naturae compenetrationem falso explicat, 685.

Esse. — Unum est esse in Christo, 604, sqq. — Una est existentia substantialis in Christo, 607, sqq. — Tum natura, tum esse possunt dici illud quo aliquid est, 628, 629.

Estius. — Scripsit de Incarnatione, 13. — Quomodo interpretetur textum: Iustitia Dei revelatur in eo ex fide in fidem, 347.

Etherius. — Scripsit contra Monothelitas, 12. — Impugnavit Adoptianos, 757.

Etudes Franciscaines. — Laudatur opus P. Ioannis Baptistae du P. B., de primatu D. N. I. C. agens, 831.

Etudes religieuses. — Iudicium minus rectum circa doctrinam de futuribilibus in tractatu nostro *de Deo Uno* propositam, 44.

Eucharistia. — Dogma inconciliabile cum Nestorianismo, 106. — Probat omnes fideles corpus esse Christi, 377, 378. — Est pignus futurae gloriae, 688, 689. — Arg. divinitatis Chr., 796.

Eugenius I. (S.). — Condemnatio triplicis voluntatis Christo adscriptae, 646.

Eugenius IV. — Cf. *Florentinum Conc.*

Eulogius Alexandrinus. — Scripsit de Incarnatione, 11. — Confutavit Agnoëtas, 405, 431.

Eunomius. — Damnatur a II. Concilio Constantinopolitano, 104. — Negavit Christum assumpsisse animam, 299. — Cultum reliquiarum respuit, 822.

Eusebius Caesar.. — Christus verus Deus et verus homo, 82. — Christi animae tribuit scientiam et potentiam divinam, 441. — Ab omni vitio et peccato immunis est Christus, 527. — In Veteri Testamento prophetice tantum Verbum vocari Christus potuit, 639. — Imago Christi Abagaro missa, 810.

Euthymius. — Christum tunc temporis in mundum venisse censet, quando dignam sibi matrem invenit, 61. — Nomen Christi significat divinitatem et humanitatem, 639, 640. — Compenetratio divinae et humanae naturae in Christo, 685.

Eutyches, Eutychiani. — Naturam divinam tantum esse in Christo dicunt, 3, 8. — Unio Incarnationis in natura, 68, 72. — Historia Eutychianismi, 72, 73. — Formula synodo Constant. oblata, 75. — Confutatio a Boethio instituta 86, sqq. — Christus ex natura divina et humana, non in utraque natura, 90. — Condemnatio in II. Concilio Constantinop. lata, 103, 104. — Quomodo sentiant de veritate passionis Christi, 538, sqq.

Exinanitio. — Nomen Incarnationis synonymum, 16. — Non dicit imminutionem in Deo, 30.

Existentia. — Cf. *Esse.*

Expositio verae fidei. — Auctor huius libri modum Incarnationis inexplicabilem fatetur, 29. — Comparatio inter compositionem hominis et duas naturas Christi, 79, 80.

Faber. — Laudatur, 13. — Absolutam Incarnationis praedestinationem defendit, 46.

Faustus Regiensis. — Citatur, 113.

Felix (S.). — Tractatus de divinitate et humanitate Christi, 12.

Felix (Urgelit). — Unam personam, duplicem hypostasim ponit in Christo, 68, 764. — Negavit animam Christi, 303. — Eius partes in propugnanda

Adoptianorum haeresi, 756, sqq. — Cf. *Adoptiani*.

Fénelon. — Laudatur, 13.

Ferrandus. — Duplicem docet in Christo naturam, 89. — Impugnat Acephalos, 539. — Naturam humanam Christi non ubique esse diffusam probat, 616, 617.

Ferrariensis. — Distinctio realis admittenda est inter subsistentiam et existentiam substantialem, 621.

Ferrata (Card.). — Concio de Redemptore, 14.

Feuerbach. — Citatur, 618.

Fidelis (Ab.). — Adoptianismi fautor, 757.

Fides. — Certior fit per Incarnationem ipsius Veritatis, 38. — Num in Chr. fuerit fides, 341, sqq. — Iustitia Dei revelatur in eo ex fide in fidem; sensus huius textus declaratur, 346, 347. — Habitus fidei non potest simul stare cum visione beatifica, 348.

Filius. — Filio Dei speciali ratione conveniebat incarnatio, 235, sqq. — Solum Filium incarnatum esse, probatur multipliciter, 240, sqq. — Nomen Filius Dei expresse dicit naturam divinam, 791, sqq. — Sensus nominis Filii hominis, 793, sqq.

Flodoardus. — Scripta de Incarnatione Christi, 12.

Florentinum Concilium. — Solus Filius Dei incarnatus, 244. — Verum corpus assumpsit Filius Dei, 286. — Ex Maria Virgine Christus corpus habuit, 292. — Corpus Christi animatum est anima rationali, 300, 309. — Dei Filius integram naturam humanam assumpsit, 327. — Humanitas non est unita Verbo mediante gratia, 329. — Romanus Pontifex, caput Ecclesiae, 394. — Christus ab omni peccato immunis, 502. — Unus et idem, Deus et homo, 572. — Idem Deus et homo, immortalis et aeternus, passibilis et temporalis, 578. — In Christo duplex operatio et duplex voluntas, 652.

Folmarus. — Sententias Adoptianismum sapientes propugnavit, 139, 759.

Franciscus a Christo. — Scripsit de Incarnatione, 13.

Franciscus Salesius (S.). — Etiamsi homo non peccasset, Filius Dei incarnatus esset, 45. — Duplex respectus quo Crux Christi colenda est, 815.

Francofordiensis Synodus. — Condemnat Adoptianos, 11, 757, 760. — Proscribit formulam: duae naturae et tres substantiae in Christo, 159. — Christus non homo deificus est, sed homo Deus, 169. — Christus non potest pleno sensu dici servus, 762.

Franzelin (Card.). — Eius tract. de Incarnatione, 3, 13. — De Nestorianis, 97. — De sensu vocis τελειότης, 108. — Fides in unum Christum Deum et hominem constans ab exordiis Ecclesiae, 121, 122. — Testimonia Patrum circa compositionem in Christo, 146. — Testimonia auctoritatis contra unionem accidentalem in Incarnatione, 162. — Natura unionis in Christo secundum Nestorium, 177. — Symbolum Theodori Mopsuesteni, 178. — Quo sensu S. Cyrillus unam naturam Verbi dixerit incarnatam, 217. — De solo Filio Dei incarnato, 244. — Veritas corporis Christi, 288. — Veritas animae Christi, 306. — Scientia animae Christi, 446. — Subsistentia non differt realiter neque ab existentia neque a natura, consistit tamen in quodam positivo, 608, 623, 634. — Doctrina S. Thomae circa distinctionem inter naturam et hypostasim, 626. — Impeccabilitas Christi praecipue ex unione hypostatica repetenda est, 668. — Quo sensu intelligendum S. Athanasii dictum: voluntatem solius esse divinitatis, 689. — Probatio divinitatis Christi, 785. — Sensus tituli: Filius Dei, 791.

Frassen. — Laudatur, 13.

Fulgentius (S.). — De Incarnatione Christi scripta, 11. — Duae naturae incon-

fusae remanent in Chr., 89. — Unitionem naturarum esse factam, aptissime dicitur, 92. — Solum Verbum carnem ipsa Trinitas fecit, 180, 181. — Solus Filius Dei incarnatus, 244. — Rationes pro convenientia incarnationis Filii, contra convenientiam incarnationis aliarum personarum, 245, sqq. — Unigenitus Deus semel ex Patre, semel ex Matre natus, 257. — Christus verus homo, quia hominem salvavit, 288. — Deus creatus de Virgine secundum carnem, 293. — Christus, quia Mediator, totam naturam hominis suscepit, 311. — Anima Christi plenam habuit notitiam deitatis suae; non videtur tamen sic cognovisse deitatem, sicut deitas ipsa se cognoscit, 437, sqq. — In Christo profectus secundum humanam scientiam poni debet, 471, 472. — Christus speciosus forma secundum divinitatem dicitur, 506. — Corpus Christi corruptibile, quia mortale, 539, 541. — Christus, secundum quod est homo, non est ubique, 616.

Fulloniani. — Secta Monophysitarum, 73, 539.

Funk. — Citatur, 94, 279, 282.

Gay. — Laudatur, 13. — Etiamsi homo non peccasset, Verbum incarnatum fuisset, 46.

Gennadius. — In dubium vocat authenticitatem epistolae Iulii papae dicentis, unam incarnatam esse naturam Dei verbi, 216.

Georgius (Constantinop.). — Fautor monothelismi, postea se submisit, 647, 653.

Gerlochus. — Impugnavit sententias Adoptianismo faventes, 139, 759.

Gilbertus Porretanus. — Adoptianistis adhaeret, 138. — Inter Realistas computatur, 267, 268.

Gnostici. — Errant circa humanitatem Christi, 6, 7.

Gonet. — Scripsit de Incarnatione, 13. — Incarnationem Redemptioni subordinatam docet, 46.

Goudin. — Corpus in exordio conceptionis a rationali anima animari adstruit, 321.

Gonzalez (Card.). — Infusionem animae rationalis in exordio conceptionis ponit, 321.

Gratia. — Diversae distinctiones gratiae, 189, 335. — Gratia unionis in Christo, 189, 190. — Gratia unionis quo sensu naturalis, quo sensu non naturalis, 194, sqq. — Humana natura non est assumpta a Verbo mediante gratia, 328, sqq. — Gratia habitualis in anima Christi, 336, sqq. — Gratiae gratis datae fuerunt in Christo, 354, sqq. — Plenitudo gratiae Christi, 361, sqq. — Gratia Christi non potuit augeri, 367, sqq. — Quo sensu profecerit Christus in gratia, 369, 370. — Gratia habitualis consequens ad unionem hypostaticam, 370, sqq. — Gratia Christi, capitis Ecclesiae, 374, sqq. — Gratia capitis ratione distinguitur a gratia habituali Christi, 389, sqq. — Gratia capitis propria Christi, 394, 395.

Graul. — Citatur, 5.

Gredt. — De modo quo triplex vita hominis se habeat ad invicem, 307. — Subsistentia non distinguitur realiter ab existentia naturae substantialis, 607, 627, 630.

Gregorius Magnus (S.). — Filius brachium Dei, 237. — Dona Spiritus Sancti permanent in caelo, 354. — Christus caput hominum et angelorum, 388. — Iniquorum caput diabolus, 397. — Agnoëtismus includit Nestorianismum, 431, 447. — Nulla concupiscentia admittenda est in Christo, 528. — Per suam humanitatem Christus non est ubique, 617.

Gregorius a Valentia. — Sanguinem docet esse animatum, 295. — Doctrinam gratiae infusae in anima Christi non putat esse de fide, 341.

Gregorius Nazianzenus (S.). — Non absolute necessaria fuit Incarnatio, 43. — Christus Deus et homo, 83. — Deus mixtus homini, 91. — Duae naturae in uno Christo, 111. — Christus simplex et compositus, 120. — Mixtura naturarum praedicari potest de Christo, 146. — Caro deifera non recte praedicatur de Christo, 168. — Quod assumptum est a Deo, hoc salute donatur, 288. — Christus materna ex carne corpus traxit, 293. — Verbum assumpsit animam; nihilominus recte incarnatum dicitur, 305, 306. — Refelluntur, qui Filio Dei ignorantiam tribuunt, 405. — Pater unxit Christum unione divinitatis et humanitatis, 639. — Comparatio qua illustratur compenetratio divinae et humanae naturae, 685. — Quo sensu voluntas Christi dicatur deificata, 689.

Gregorius Nyssenus (S.). — Duplex natura in Christo, 83.

Gregorius Thaumaturgus (S.). — Num div. natur. incarnat. dixerit, 215, 216.

Grisar (S. I.). — De ratione agendi Honorii in quaestione Monothelismi, 692, 697, 700.

Guillaume. — Citatur editio rhythmorum Adami de S. Victore, 633.

Gulielmus Parisiensis. — S. Hilarius retractavit doctrinam, quam proposuerat circa incorruptibilitatem corporis Christi, 544.

Günther. — Œconomiam peccati originalis reparationem exigere asserit, 32. — Rationem formalem personalitatis in conscientia sui reponens, unionem dynamico-formalem statuit inter duas personas Christi, 172, sqq. — Quomodo ad suam mentem detorqueat traditionem catholicam, 175, sqq. — Distinguit in homine animam et spiritum, 307, 317. — Christum dicit non absolute impeccabilem fuisse, 673.

Guibertus (Ven.). — Tractatus de Christi Incarnatione, 12.

Habitus. — Scientia infusa est habitualis, scientia beata actualis, 463. — Pluralitas habituum in scientia infusa, 463, sqq.

Hadrianus I. — Condemnavit Adoptianos, 760, 761, 763.

Hagemann. — Lutherana theologia destruit totum dogma christianum, 618.

Halensis. — Cf. *Alexander Halensis*.

Harduinus. — Citatur, 610.

Hartmannus. — Impugnavit Adoptianos suae aetatis, 139.

Hase. — Christum merum hominem dixit, 5. — Citatur, 613, 674.

Hedley. — Quae sit vera notio libertatis, 707.

Hefele. — Citatur, 73, 691, 700.

Hegel. — Christum symbolum commixtionis divinitatis cum humanitate dixit, 5, 618. — Eius pantheismus, 267.

Heinrich. — Laudatur, 13.

Henno. — Laudatur, 13.

Henricus Gandavensis. — Rationalitatem requirit in natura, quae sit assumptibilis a Deo, 262. — Habitum visionis a visione actuali distinguit in anima Christi, 445. — Non distinguit personalitatem realiter a natura singulari vel existentia, 625.

Heracleon. — Negavit Christi humanitatem, 6.

Heraclius. — Eius partes in ortu haeresis Monothelisticae, 644, 645.

Hergenröther. — Citatur, 73, 405.

Herrera. — Personalitatem non esse realiter distinctam a natura docet, aliquid tamen positivum ei superaddere admittit, 623.

Hervaeus Burgidol. — In Christo instaurantur quae in caelis sunt et in terra, 388, 389.

Hervaeus Natalis. — Negat distinctionem realem inter essentiam et existentiam, 608.

Hettinger. — Citatur, 4, 5.

Hieronymus (S.). — Christus Filius Dei et Filius hominis, 85, 112. — De con-

fusione inter voces : substantia et hypostasis, 125. — De quodam Doketa Cassiano nomine, 281. — Quaenam corporalis pulchritudo Christum deceat, 509, 510. — Verus dolor et vera tristitia fuerunt in anima Christi, 557. — Consortes Christi secundum carnem sumus, 638. — Vigilantius reprobavit nocturnas orationes, 722. — Cultus reliquiis Sanctorum debitus, 820, sqq.

Hilarius (S.). — Christus unus ex duabus naturis, 85, 111. — Christus in forma servi secundum habitum fuit, 165. — Christus natus ex Maria Virgine, 293. — Dissertatio circa mentem S. Doctoris de passibilitate corporis Christi, 542, sqq. — Unus est Christus, non alius filius hominis quam qui Filius Dei est, 603. — Obiectum orationis Christi, 730.

Hippolytus (S.). — Caro Christi in Verbo subsistebat, 110. — De doctrinis Basilidis, 281.

Holzklau. — Laudatur, 13.

Homo. — Cf. *natura humana*. — Christus homo perfectus, 310, 311. — Vere dicitur : Deus est homo ; homo est Deus, 570, sqq. — Recte dicitur : Deus factus est homo, 580, sqq. — Improbanda formula : homo factus est Deus, 583, sqq. — Quare Christus dicatur Filius hominis, 793, sqq.

Honorius I. — Eius acta in origine haeresis Monothelisticae, 645. — Dissertatio de eius agendi ratione in quaestione Monothelismi et condemnatione a Conciliis, 691, sqq.

Hormisdas Pp. — Christus, unus de Trinitate, 243.

Hostia. — Christus simul sacerdos et hostia, 736, 737.

Hugo de S. Victore. — Scripta de Incarnatione, 12. — De operatione Trinitatis in Incarnatione, 181. — Censet animam Christi habere scientiam cum divinitate aequalem, 440, 441. — Christus secundum corpus non est ubique diffusus, 618.

Humanatio. — Discrimen inter humanationem et incarnationem, 182, 183.

Hunaldus. — Veritas passionum Christi, 554.

Hurtado. — Docet sanguinem esse animatum, 295. — Personalitatem putat entitatem absolutam superaddere naturae, 622.

Hurter. — Laudatur, 13. — Impeccabilitatis Christi praecipua causa est unio hypostatica, 668.

Huss. — Inanis eius explicatio unionis hypostaticae, 127, 128. — Non praedestinatos dixit, nunquam esse membra Ecclesiae, 384. — S. Paulum numquam fuisse membrum diaboli asseruit, 297.

Hyperdulia. — Cultus B. M. Virgini debitus, 805.

Hypostasis. — Quomodo differat a persona, 114, 134, sqq. — Unio hypostatica, 117, 122, 123, 135. — Hypostasis Christi composita, 119, 120. — Varii sensus vocis, 123, sqq. — Quo sensu a S. Paulo dicatur χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως, 124, 125. — Distinctio inter hypostasim et substantiam, 125. — Unio in persona non differt ab unione in hypostasi, 134, sqq. — Cf. *Persona, Unio*.

Ianseniani. — Offendunt in Christum Redemptorem, 3.

Ibas Edessenus. — Favit partibus Nestorii, 95. — Damnatus a Concilio Constantinopolitano II, 104.

Iconoclastae. — Adversarii cultus imaginum, 810.

Idiomata. — Lex communicationis idiomatum, 577, sqq.

Ignatius Martyr (S.). — Christus Deus et homo, 81. — Christus una persona, 109. — Confutatio Doketarum, 279, 280, 282. — Christus ex Maria natus, 292, 293. — Christus veram habet animam, 303. — Christus Deus et homo, 803.

Ignorantia. — Nulla in Christo fuit igno-

rantia, 529. — Ignorantia numquam utilis, 532.

Imago. — Filio Dei, utpote imagini Patris, speciali ratione conveniebat Incarnatio, 236, sqq. — Ratione eius quem repraesentant, imagines Christi colendae sunt adoratione latriae, 808 sqq.

Immensitas. — Dei immensitas non contrahitur per Incarnationem, 22, 23.

Immutabilitas. — Dei immutabilitas non laeditur per Incarnationem, 22, 23, 26, 27, 30.

Impeccabilitas. — Christi impeccabilitatis causae investigantur, 666, sqq. — Impeccabilitas non tollit liberum arbitrium, 670, sqq.

Incarnatio. — Ratio nominis, 16, 17, 305. — Incarnatio in fieri seu in esse, 17, 18. — Ipsum Verbum potest dici Incarnatio, 18. — Convenientia Incarnationis in se, 20, sqq. — Statuitur, Incarnationem non fuisse necessariam, nisi hypothetice, consequenter et ad melius esse, 31, sqq. — Convenientia temporis quo incarnatum est Verbum, 58, sqq. — Rationes pro Incarnatione solius Filii, 235, sqq. — Tabella synoptica omnium systematum de unione Incarnationis, 764, 765.

Incorporatio. — Nomen significans assumptionem humanae naturae, 16.

Incorrupticolae. — Absolutam incorruptibilitatem corpori Christi adscribebant, 73, 539.

Individuum. — Num sint duo individua, an unum in Christo, 138.

Infallibilitas. — Haec praerogativa Romani Pontificis inaniter impugnatur ex agendi ratione Honorii Papae, 691, sqq.

Infinitum. — Variae acceptiones huius vocis, 365. — Infinita relative fuit gratia habitualis Christi, 366. — Infinitas diversa obiectorum scientiae visionis et simplicis intelligentiae, 449, 450. — Non sunt infinitae actu substantiae, accidentia vero possunt esse infinita, 451.

Inhumanatio. — Ratio nominis et comparatio cum nomine Incarnationis, 16, 17.

Innocentius I. — In Christo docet fuisse spiritum timoris Domini, 339, 353.

Innocentius III. — Professio fidei Waldensibus imposita, 244, 292. — Sanguis pertinet ad compositionem corporis humani, 297.

Ioannes. (S. Ev.). — Eius testimonia pro divinitate Christi, 799, sqq.

Ioannes II. — Christus, unus de Trinitate, 243.

Ioannes Antiochenus. — Nestorii doctrinam defendit, 95.

Ioannes a S. Thoma. — Distinctio realis intercedit inter subsistentiam et existentiam substantialem, 621.

Ioannes Cornubiensis. — Opus de Verbo incarnato, 12. — Christus non est persona humana, quia rationalitas absorpta est in divinitate, 261.

Ioannes Chrysostomus (S.). — Duplex natura unita in Christo, 83, 84. — Duplex natura in una persona et una subsistentia, 111. — Quo sensu dictum sit, in Incarnatione unum esse duo, personasque divisas esse per hypostasim, 118, 119. — Quo sensu Christus in similitudinem hominum factus, 289. — Quaenam sit iustitia Dei revelata ex fide in fidem, 346, 347. — Christus est vere propheta, 360. — Christus cognoscit diem iudicii, quia ipse est iudex, 447. — Christo tribuenda est pulchritudo etiam corporalis, 508, 509. — Christus immunis ab omni peccato, 524. — Naturali affectu Christus oravit, ne pateretur, 730. — Christus manifestatus in virtute secundum sanctificationem, 768.

Ioannes Damascenus (S.). — Scripsit contra Monothelitas, 12. — Bonitas, sapientia, iustitia, potentia Dei manifestantur in Incarnatione, 24, 25. — Potuisset Deus dimittere peccatum hominis, sine reparatione stricta, 43.

— Quomodo duae naturae in una hypostasi Christi conveniant, 113, 114. — Unam hypostasim in Christo contra Nestorium affirmat, 136. — Verbum assumpsit carnem animatam anima rationali, 154. — In Domino Iesu non est communem speciem accipere, 155. — Christus non est deifer, sed Deus, 167. — Citatur S. Athanasius in favorem formulae: natura divina incarnata, 215. — Filius Dei non assumpsit naturam humanam quae in specie consideratur, 272. — Caro significat hominem, 304. — Caro Christi anima rationali animata est, 309. — Intellectus est quid animae purissimum, 318. — Simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis, 325. — Christus ungens et unctus, 337. — Christus non proficiebat secundum scientiam, quasi imperfectus in ea existens, 473. — Beneplacito divinae voluntatis permittebatur carni Christi pati quae propria, 495. — Passiones indetractibiles assumpsit Christus, non vero detractibiles, 503. — Passiones omnes voluntarie fuerunt in Christo, non ideo tamen minus verae, 553. — Unctio Christi secundum naturam humanam, 638. — Voluntas humana est in Christo, 649. — Duplex voluntas et duplex operatio agnoscenda est in Christo, 680, 681. — Ratio immeationis naturae divinae in carnem, 684, sqq. — Imago Christi regi Abogaro missa, 810.

Ioannes de Neapoli. — Citatur, 606.

Ioannes de Roscesana. — Imaginem Christi idolum dicebat, 810.

Ioannes Maxentii. — Citatur, 113.

Ioannes Praepositus. — Dicit S. Hilarium retractasse doctrinam, quam proposuerat circa impassibilitatem Christi, 542, 553, 554.

Ira. — Quo sensu in Christo esse potuerit, 564, 565.

Irenaeus (S.). — Absolutae praedestinationi Incarnationis favere videtur, 45. — Christum Deum et hominem affirmat, 81. — Unitio nomen Incarnationis, 92. — Christus una persona, 109. — De doctrinis Doketarum, 280, 281. — Non putative, sed in vera carne apparuit Christus, 287, 288. — Animam suam Christus pro nostra anima tradidit, 303. — Christus speciosus forma secundum corpus gloriosum dicitur, 506.

Irenaeus (Gramm.). — De sensu vocis ὑπόστασις, 124.

Isidorus Hispalensis (S.). — Christus fuit vere Propheta, 360. — Trinitas sibi soli nota est, et homini assumpto, 437. — Christus unctus gratiae dono, 640.

Isidorus Pelus. — Christus speciosus forma secundum animam dicitur, 506.

Iudaei. — Negant divinitatem Christi, 3, 4. — Intellexerunt, Christum seipsum dixisse Deum, 796, sqq.

Iudicium. — Qua ratione Christus diem iudicii nesciat, 446, sqq.

Iulianistae. — Absolutam incorruptibilitatem corporis Christi tenebant, 73, 539.

Iulianus (S.). — Tres posuit in Christo substantias, 158.

Iulius I. (S.). — Μία φύσις σεσαρκομένη, 72. — Num revera scripserit, naturam esse unam incarnatam Dei Verbi, 215, 216.

Iungmann. — Laudatur, 13. — Epistolae Honorii Papae non sunt haereticae dicendae, 696.

Iustinus (S.). — Christum Deum et hominem affirmat, 81.

Iuvencus. — Christi triumphus, 12.

Iuventus. — Iuventus mundi, 60, 62.

Kappenhöner. — Scripta eius de passionibus Christi, 13.

Katholiek (De). — Recte refert doctrinam in tractatu *de Deo Uno* circa futuribilia propositam, 44.

Katschthaler. — Citatur, 7, 13, 290.

Kenotici. — Divinitatem Christi in Incarnatione exinanitam dicebant, 74.

Kirschkamp. — De scientia humana Christi scripsit, 13.
Klee. — Citatur, 16, 73, 93, 288.
Klein. — Citatur, 613.
Kleutgen. — Laudatur, 13. — Citatur, 97.
Knoll. — Laudatur, 13.
König. — Citatur, 613.
Küpper. — Citatur, 281.
Kuhn. — Rationem formalem personalitatis ponit in conscientia sui, 173.

Lacordaire. — Laudatur, 13. — Amicitiam Christi erga S. Mariam Magdalenam pulchre describit, 823.
Lactantius. — Sacerdotes et reges ungebantur in Veteri Testamento, 641.
Lahousse. — Rationem personalitatis docet esse positivam, quae tamen amitti possit per accessionem superioris perfectionis, 624, 625.
Lanfrancus. — S. Hilarii doctrina quoad passibilitatem corporis Christi ab omni errore immunis censenda est, 542.
Lapis angularis. — Ratio huius nominis, 64.
Lateranense Concilium (a. 649. sub Martin. I.). — Monophysitas et Monothelitas condemnat, 11, 646, 650, 651. — Unionem secundum compositionem praedicat de persona Christi, 146. — Unitionem substantialem inter naturam humanam et divinam adstruit, 162. — Solus Filius Dei incarnatus declaratur, 243. — Nulla contradictio inter voluntatem divinam et humanam Christi admitti potest, 664. — Duplex operatio in Christo est agnoscenda, 680.
Lateranense Concilium iv. — Unigenitus a tota Trinitate incarnatus, 180, 184.
Latria. — Notio latriae et actus eius, 804, 805. — Adoratio latriae qua ratione pertineat ad humanitatem Christi, ad eius imagines, ad Crucem, 804, sqq.
Laurent. — Christum in passione visione beatifica privatum putat, 708.
Legrand. — Citatur, 16, 92, 97, 105, 288, 610. — Necessitatem absolutam Incarnationis reiicit, 46.
Leibnitz. — Eius opinio de creatione et evolutione animarum, 320.
Leidradus. — Multum contulit ad extirpationem Adoptianismi, 758.
Leo Magnus (S.). — Epistolae dogmaticae contra Eutychen, 11, 73. — Incarnatio opus summae sapientiae, 25, 26. — Si homo non peccasset, Filius Dei incarnatus non fuisset, 49. — Redemptio principalius respicit culpam originalem, 57. — Christus non venit initio mundi, ut veritas eius missionis manifestior esset, 61. — Duplex natura in Christo, 76. — Incarnatio est unitio divinae et humanae naturae 92. — Duplex natura, una persona in Christo, 102. — Verbum unitum est carni anima rationali animatae, 154. — Priscillianistae negabant veritatem corporis Christi, 284. — Caro Christi de Virgine sumpta, 293. — Anima Christi non fuit unita Verbo ante incarnationem, 323. — Verbum assumptam naturam beatificavit, 349. — Nulla concupiscentia admittenda in Christo, 527, 528. — Christus habuit corpus mortale, 541. — Duplex operatio competit Christo, 653, 681, 686.
Leo II (S.). — Probat acta VI. Concilii, 647. — Improbat modum agendi Honorii, 698, 699.
Leo III (S.). — Habuit synodum contra Adoptianos, 758.
Leo IX (S.). — Symbolum fidei Petro episcopo propositum, in quo statuitur veritas corporis Christi, 286. — Condemnatio Adoptianismi, 761.
Leo XIII. — Christum Redemptorem exaltat, 9, sqq. — Veram liberi arbitrii notionem vindicat, 660. — Christum verum Deum proclamat, 802, sqq.
Leontius Byzantinus. — Impugnavit Nestorianos et Eutychianos, 11, 113. — Testatur S. Cyrillum primum dixisse naturam divinam esse incarnatam,

215, 216. — In Christo viatore scientiam beatam agnoscit, 472. — Refellit eos qui passionem Christi cum incorruptibilitate corporis eius conciliare student, 540.

Lepidi. — Laudatur, 267. — De distinctione inter essentiam et existentiam, 608.

Leporius. — Doctrinam Nestorianismo affinem aliquo tempore tenuit, 94. — Nullam ignorantiam in Christo admittendam esse profitetur, 431. — Natura divina mixta est humanae naturae, non humana mixta divinae, 685, 686.

Liber Pontificalis. — De actis Honorii Papae, 692, 699, 700.

Libertas. — Elementa perfectionis et imperfectionis in libero arbitrio, 658, sqq. — Excellentia liberi arbitrii in Christo, 658, sqq., 670 sqq. — Liberum arbitrium minime contradicit impeccabilitati Christi, 670, sqq.

Lichettus. — Conceptum personalitatis in quodam positivo reponit, 623.

Lieber. — De augmento sapientiae in Christo, 13.

Lingua. — Quare dono linguarum non usus sit Christus, 357.

Liturgia. — *(Testimonia dogmatica ex Liturgia desumpta).* Incarnatio, opus summae sapientiae, 24 — Carnem assumere non dedecuit Deum, 28, 30. — Incarnatio maxime conveniens ad salutem hominum procurandam, 43, 44. — Maria a Deo digna facta est ut esset Mater Christi, 62. — Unitas personae, duplicitas naturae in Christo, 104, 105, 117. — Pars humanae naturae vocatur substantia, 157. — B. Maria meruit esse Mater Dei, 194. — Creator generis humani, animatum corpus sumens, deinde procedens homo, 258, 300. — Verbum suscipere dicitur hominem, 265. — Culpat caro, purgat caro, 275. — Christus ex anima rationali et carne subsistens, 286. — Christus ex substantia Matris natus, 292. — Christus virtutum omnium exemplar, 345. — In Angelis est timor, 354. — Christus caput Angelorum 388. — Omnipotens solus dicitur Deus, 481. — Christus facie pulcherrimus, 517. — Deus natus et passus est, 578. — Christus non est ubique secundum naturam humanam, 614. — Remissio peccatorum est effectus sacrificii Christi, 738. — Adoratio Christo debetur, 784. — Ratio cur adorandum sit Cor Iesu, 808. — Crux Christi est adoranda, 814.

Locke. — Nominalismum profitetur, 266.

Lombardus. — Cf. *Petrus Lomb.*

Ludovicus a Leone. — Eius opus de nominibus Christi laudatur, 13.

Lugo. (Card.) — Opera de Incarnatione, 13. — Doctrinam gratiae infusae in anima Christi stricte de fide esse non putat, 341.

Luitolphus. — Adoptianorum placita instauravit, 138, 759.

Lutherus. — Agnovit Christum Deum et B. Mariam V. Matrem Dei, 5. — Remissio peccatorum per non imputationem explicavit, 56. — Romanum Pontificem Antichristum dixit, 398. — Ignorantiam posuit in Christo, 406. — Naturam humanam Christi dixit esse ubique, 612. — Cultum imaginum retinuit, 810.

Luzerne (de la). — Citatur, 700.

Macedonius. — Damnatur in II. Concilio Constantinopolitano, 104.

Macharius Antiochenus. — Duplicem in Christo voluntatem negavit, 68, 647, 652, sqq. — Solam divinam operationem in Christo admisit, 680.

Mackey (O. S. B.). — Laudatur eius editio operum S. Francisci Salesii, 815.

Maeratius. — Gratia infusa animae Christi non est de fide, 341.

Magister. — Christus, summus Magister, neque ab hominibus, neque ab Angelis didicit, 474, sqq.

Mahumedani. — Negant divinitatem Christi, 3, sq. — Melius quam Iudaei de Christo sentiunt, 4.

Malebranche. — Incarnationis necessitatem absolutam praedicat, 46. — Eius sententia circa ideas in Deo existentes, 267.

Manichaei. — Negarunt Christi humanitatem, 6, 25, 68, 269, 278, 283. — Trichotomismum propugnarunt, 306.

Marcion. — Negavit Christi humanitatem, 6. — Christo corpus caeleste tribuit, 290.

Maria (B. Virgo). — Immaculatam se dicit Conceptionem, 18. — Christus dignam sibi Matrem praeparavit, 61, 62. — Non esset Mater Dei, nisi unio naturarum in Christo esset in persona, 100. — Recte dicitur theophora, 167. — Θεοτόκος dicenda est, 94, 170. — Merito stricte de condigno non meruit ut Mater fieret Dei, 192, sqq. — Non esset Mater Dei, si Verbum assumpsisset personam humanam, 257, 258. — Maternitas divina requirit ut Christus verum corpus ex matre traxerit, 290, sqq. — Plenitudo gratiae eius, 361, 364, 365. — Pulcherrima mulierum praedicatur, 518. — Quinam cultus ipsi debeatur, 817, sqq.

Mariologia. — Eius ratio in tractatu de Incarnatione, 2.

Marius Mercator. — Citatur, 113. — Symbolum Theodori Mopsuesteni, 178.

Marsilius (de Inghen). — Accidentia sine subiecto subsistentia a Deo assumi posse censet, 263. — Habitum visionis ab actu distinguit in anima Christi, 445. — Acquisitam Christi scientiam non ad omnia se extendere putat, 468, 469.

Martyrologium. — De ordine inter Redemptionem et Incarnationem, 50.

Marucchi. — Laudatur eius opus de Catacumbis romanis, 810.

Mastrius. — Negativum reputat conceptum personalitatis, 623.

Maximus (Confessor). — Scripsit contra Monothelitas, 12. — Quo sensu passiones potestati Christi tribuerit, 554. — Eius partes in impugnatione Monothelismi, 645, 646. — In actionibus theandricis distinguendum est, quid uniuscuiusque naturae sit, 681. — Verbum ad patranda miracula usum est carne, 687.

Mayr. — Conceptum personalitatis in quodam negativo reponit, 623.

Mediator. — Christus mediator Dei et hominum secundum quod est homo, 825, sqq.

Medina. — Scripsit de Incarnatione, 13. — Distinctio realis inter subsistentiam et existentiam substantialem, 621.

Medium. — Medium congruentiae et medium necessitatis in assumptione naturae humanae, 313, 330.

Melchisedech. — Natura sacrificii Melchisedech, eiusque praecellentia supra sacerdotium leviticum, 745, sqq. — Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, 745, sqq. — Haeretici Melchisedeciani vocati, 747.

Menander. — Negavit Christi humanitatem, 6.

Mens (νοῦς). — Non datur Mens intermedia inter Verbum et Christum, 247.

Meritum. — Unio Incarnationis non fuit ex praecedentibus meritis, 190, sqq. — Gloriam sibi Christus meruit ex sua passione, 191. — Num B. Virgo de condigno meruerit Mater esse Dei, 192, sqq. — Quaenam esse possint obiecta meriti Christi, 703, sqq. — Quidnam aliis Christus meruerit, 708, sqq.

Messianitas. — Ad quamnam partem tractationis pertineat sermo de messianitate Christi, 2. — Iudaei negant Christum Messiam, 4. — Sensus vocis Messiae, 637.

Metamorphistae. — Dixerunt corpus Christi factum esse Deum, 591, 592.

Miraculum. — Varii gradus potestatis miracula faciendi, 485. — Ratio miraculi arefactae ficus, 674, 675.

Mixtura. — Quo sensu haec vox de unione naturarum in Christo a Patribus usurpetur, 91, 92, 120, 146, 264.

Molina. — Negativum putat esse conceptum personalitatis, 623.

Monarchiani. — Denegabant Christo dignitatem divinam, 240, 241.

Monophysitae. — Solam divinam naturam admittunt in Christo, 3, 8, 764. — Eorum praecursores, 72. — Doctrina Eutychetis, 72, 73. — Diversae species Monophysitarum, 73, 74.

Monothelitae. — Unicam voluntatem ponunt in Christo, 3, 8, 764. — Historia Monothelismi, 643, sqq.

Monsabré. — Laudatur, 13.

Morris (Iohn). — Laudatur, 13.

Motus. — Motus quo moventur instrumenta, 655, 679.

Munier. — Laudatur, 13.

Natura. — Diversi sensus vocis, 78, 194, sqq. — Uniones in natura possibiles, 78, 79, 87, 88. — Christus ex utraque et in utraque natura, divina et humana, 90. — Distinctio inter naturam et personam, 97, 98, 106. — Quo sensu naturalis, quo sensu non naturalis gratia unionis, 194, sqq. — Quaelibet natura creata a Deo assumi posset, 262, 263. — Distinctio realis inter naturam et existentiam, 607, sqq. — Tabella synoptica sententiarum de unione naturarum in Christo, 764, 765.

Natura divina. — Eius infinitas non impedit Incarnationem, 22, 23, 26. — Assumere convenit naturae divinae, prouti est unum cum Filio, 213, 214. — Origo et sensus formulae « Natura divina incarnata », 214, seq. — Natura divina praedicatur de Christo in abstracto et in concreto, 600, sqq.

Natura humana. — Eius imperfectio non impedit assumptionem a Verbo, 22, 23, 27, 28. — Quomodo homo loco naturae humanae dicatur, 119. — Una natura humana posset assumi a pluribus personis divinis, 224, sqq. — Plures naturae humanae assumi possent ab una persona divina, 233, sqq. — Natura humana magis assumptibilis a Filio Dei quam quaelibet alia natura, 250, sqq. — Diversi sensus naturae humanae, 266. — Quare Filius Dei unam tantum naturam humanam assumpserit, 271, sqq. — Convenientissimum fuit ut Verbum assumeret naturam humanam ex stirpe Adae, 273, sqq. — Natura humana praedicatur de Christo in concreto tantum, 600, sqq. — Natura humana Christi est aliquid, sed non in se, 611. — Humana natura Christi non est ubique, 611, sqq.

Nazareni. — Nomen quorumdam Nestorianorum, 97.

Nestorius, Nestoriani. — Duas personas et hypostases ponunt in Christo, 3, 8, 114, 764. — Negant unionem Incarnationis in persona, 68. — Historia et indoles haeresis Nestorianae, 93, sqq. — Condemnantur Concilio II. Constantinopolitano, 103, 104. — Consequentiae Nestorianismi quoad Incarnationem, Redemptionem, Eucharistiam, 105, 106. — Unitatem personae interdum, hypostaseos nunquam concedunt, 114, 135, 136, 170. — Sensus vocis hypostasis, 125. — Christus homo deifer dictus, 167. — Christus unus secundum coniunctionem, non naturaliter unus, 169, 170. — B. Maria θεοτόκος participative vocatur, 170, 171. — Error Nestorianus, non fuit tam de tempore quam de ipsa indole unionis, 176, 177. — Mediante gratia intelligebant unionem duarum personarum Christi, 329. — Excellentiam moralem Christo concedebant, 343. — Ignorantiam Filio Dei adscribebant, 405. — Duplicem Christo adorationem exhibendam dicebant, 781.

Nicaenum Concilium II. — Christus secundum humanitatem circumscriptus

est, 612. — Reliquias Sanctorum honorandas esse proclamat, 822.

Nicaenum Symbolum. — Fons praecipuus quoad Incarnationis dogma, 11. — Propter nostram salutem Filius Dei descendit de caelis, 50. — Christus una persona, 101. — Sola persona Filii incarnata, 221.

Nicephorus (S.). — Corpus Christi loco circumscribitur, 616.

Nicephorus Callistus. — Origeni attribuit errorem, quod anima Christi unita fuerit Verbo ante carnem, 322.

Nicetas (S.). — Liber de Christi appellationibus, 12.

Nietzsche. — Citatur, 618.

Noetus. — Unus ex praecipuis Patripassianis, 241.

Nominalismus. — Indoles huius sententiae, 266.

Novatianus. — Christus Deus et homo, filius Dei, et filius hominis, 84, 85.

Numerus. — Electorum numerus qualis, 61, 66.

Nyctages. — Reprobabant vigilias et orationes nocturnas, 722.

Odo Camerac.. — Scripta de Christi adventu, 12.

Oecumenicus. — Citatur, 347.

Okkam. — Statuit suppositum creatum per divinam virtutem communicatam posse assumere aliam naturam substantialem, 212. — Nominalismi instaurator dicitur, 266. — Duplicem animam in homine posuit, 307. — Visionem aptitudinalem omnium adscribit animae Christi, 445. — Personalitatis rationem in quadam negatione reponit, 623.

Omnipotentia. — Anima Christi non fuit simpliciter omnipotens, 479, sqq.

Ὁμοούσιος. — Christus consubstantialis Patri secundum divinitatem, consubstantialis nobis secundum humanitatem, 310, 311.

Operatio. — Divina et humana operatio in Christo, est agnoscenda, 677, sqq. — Operationes theandricae et non theandricae, 678. — Multiplicitas operationum humanarum Christi maiorem unitatem prae se fert quam in puro homine, 700, sqq.

Ophitae. — Negarunt Christi humanitatem, 6.

Oratio. — Christo competit orare, 720, sqq. — Christus oravit secundum affectum rationis et sensus, 723, sqq. — Quaenam oratio Christi semper fuerit exaudita, 728, sqq. — Num Christus petierit a Patre salutem omnium hominum, 729.

Ordo. — Ordo naturae secundum dignitatem et causalitatem, 315, 324. — Ordo causalitatis finalis et materialis, 326, 327.

Origines. — Ponit animam Christi ante mundum creatam, 68, 321, 322. — Christum verum hominem et verum Deum affirmat, 82. — Decreta Concilii v. contra errores circa Incarnationem, 104. — Christus una persona, θεάνθρωπος, 109, 110. — Confusio hominis cum divinitate, 207. — Canon Conc. oecum. v. circa unionem mediatam Christi et Verbi, 247, 256, 257. — Creatio animarum ab aeterno, 320. — Christus nescit diem iudicii secundum corpus mysticum, 447. — Christi corpus deforme fuisse putat, 507. — Verus dolor et tristitia fuerunt in Christo, 557. — Christus substantialiter sanctus, 637, 638. — Christus impeccabilis, quia Verbo unitus, 669, 670. — Naturali affectu Christus oravit ne pateretur, 730. — Christus in virtute Dei secundum sanctificationem probatus, 768.

Otto (Friesing.). — Impugnavit Adoptianos suae aetatis, 139.

Oviedo. — Docet sanguinem, esse animatum 295.

Palmieri. — Negat distinctionem realem inter essentiam et existentiam,

608. — Rationem personalitatis docet esse positivam, at cum respectu negativo, 624. — De actis Honorii, 696.

Paludanus. — Putat gratiam habitualem praerequisitam esse ad unionem hypostaticam, 333. — Probat subsistentiam non esse realiter distinctam ab existentia substantiali, 627.

Paschal (Th.). — Explicatio principiorum Theosophiae, 142, 200, sqq.

Paschasius Radbertus (S.). — Caro nihil prodest per se, sed per Spiritum vivificantem, 638.

Passio. — Passiones detractibiles et indetractibiles, 503. — Passiones animales et corporales, 532. — Passiones et propassiones, 533. — Quasnam passiones Christus assumpserit, 533, sqq.

Pasteur. — Notio infiniti plena est mysteriis, 30.

Patripassiani. — Falso sentiunt de divinitate Christi, 3, 6. — Totam Trinitatem incarnatam dicunt, 221. — Omnes actiones Christi passionemque Patri tribuunt, 240, 241.

Pauliciani. — Manichaeorum secta, 282.

Paulinus Aquileiensis (S.). — Scripsit contra Monothelitas, 12. — Impugnavit Adoptianos, 758.

Paulinus Nolanus (S.). — Eius imago Crucifixi, 812.

Paulus. — Unus ex fautoribus Monothelismi, 646.

Paulus Samosatenus. — Christum nullatenus fuisse ante B. Mariam V. asseruit, 5, 6. — Unionem excellentiae tantum hominis Christi cum Deo concessit, 68. — Condemnatur a Concilio Antiocheno, 108, 110. — Contendit, Iesum ex meritis unionem cum Verbo obtinuisse, 191.

Peccatum. — Principalius Incarnatio originale quam actuale peccatum respicit, 55, sqq. — Remissio peccatorum actualium impossibilis sine remissione culpae originalis, 56. — In Christo nullum peccatum, 522, sqq. — Neque fomes peccati in Christo fuit, 525, sqq. — Expiatio peccatorum effectus est sacerdotii Christi, 737, sqq.

Pelagiani. — Negant Christum verum esse Redemptorem, 3, 9.

Pennachi. — De authenticitate et orthodoxia epistolarum Honorii Papae, 691, 696.

Perfectum. — Ordo successionis inter perfectum et imperfectum, 64, 65.

Περιχώρησις. — Declaratur circumpenetratio divinae et humanae naturae in mysterio Incarnationis, 683, sqq., 741.

Permaneder. — Citatur, 113.

Perrone. — Citatur, 118, 126.

Persona. — Distinctio inter personam et naturam, 97, 98, 106, 619, sqq. — Unio Incarnationis in persona, 97, sqq. — Distinctio inter personam et hypostasim, 114, 134, sqq. — Personae divinae convenit assumere naturam creatam, 209, sqq. — Quaelibet persona divina sine alia posset humanam naturam assumere, 220, sqq. — Plures personae divinae unam naturam humanam assumere possent, 224, sqq. — Tres personae divinae naturam unam humanam per modum unius principii assumerent, 225. — Una persona divina plures naturas humanas, etiam diversi sexus, assumere posset, 233, sqq. — Verbum non assumpsit personam, 257, sqq. — Christus, secundum quod est homo, non recte dicitur persona, 593, sqq. — Diversae sententiae de ratione formali personalitatis, 621, sqq.

Pesch. (T.). — Subsistentia radicalis, aptitudinalis, evoluta, 623.

Petavius. — Citatur, 6, 13, 50, 61, 73, 84, 85, 93, 97, 120, 146, 177, 309, 405, 424, 479, 554, 585, 615. — Iudicium de mente S. Anselmi quoad necessitatem Incarnationis, 42, 43. — Sententia de absoluta Incarnationis praedestinatione non satis auctoritate nititur, 52. — Quaenam conditio Christi fuisset, in hypothesi eorum qui Incarnationem

absolutam defendunt, non est inquirendum, 54. — Voces difficultatem parientes quoad unionem naturarum in Christo, 90, 91. — Frequens apud Patres locutio: hypostasis Christi composita, 119. — Caro deifera num praedicari possit de Christo, 167, 168. — Non est probabile, S. Athanasium dixisse naturam divinam esse incarnatam, 216. — Scientiam visionis Christo viatori denegare, proximum est haeresi, 412. — Num S. Fulgentius senserit scientia beata animam Christi Verbum comprehendere, 440. — S. Hilarius retractavit sententiam, quam proposuerat circa impassibilitatem Christi, 542, 544. — Ratio personalitatis formaliter est positiva, habet tamen etiam respectum negativum, 623, 624. — De sanctificatione et unctione Christi, 637. — Unio hypostatica est fundamentalis ratio impeccabilitatis Christi, 668. — Diversi gradus commeationis divinae et humanae naturae Christi, 686. — Quare θέλημα γνωμικόν Patres a Christo removeant, 690.

Peters. — Citatur, 647.

Petersen (I. G.). — Duplicem tribuit Christo naturam humanam, 290.

Petrus a Tarentasia. — Sententia S. Bonaventurae circa gratiam ut medium ad unionem hypostaticam, 332.

Petrus Aureolus. — Citatur, 606.

Petrus Cantor. — Verbum abbreviatum, 12.

Petrus Chrysologus. — Oppugnavit Nestorianos et Eutychianos, 11.

Petrus Lombardus. — Scripta de Incarnatione, 12. — Tres opiniones de modo unionis divinae et humanae naturae, 69, 134, sqq. 144, sqq. 764. — Quomodo iudicet primam trium opinionum, 138, 139. — Quid sentiat de secunda, 144. — Approbatur secunda opinio, 144, sqq. — Confutatur tertia, 153, sqq. — Quare ut probabilis afferatur tertia opinio. 165, 166. — Verbum dicitur assumpsisse hominem, 264. — Anima Christi omnia scit quae Deus scit, sed non ita clare, 432, 433, 446. — Anima Christi non est omnipotens, 479. — Defectus assumpsit Filius Dei ad probandam veritatem sui corporis et animae, necnon ad culpam hominis tollendam, 494, 495. — Doctrina S. Hilarii quoad passibilitatem corporis Christi ab errore immunis censenda est, 542. — Non est simpliciter dicendum: Christus est creatura, 586.

Petrus Mongus. — Acephalorum caput, 73, 538.

Petrus Friesingensis. — Sententias Adoptianisticas defendit, 139, 759.

Petrus (S.). — Eius testimonia circa Christi divinitatem, 798.

Phantasiastae. — Humanitatem Christi negant, 3, 6.

Phartolatrae. — Corpus Christi post mortem corruptioni deditum asserebant, 73, 539.

Philippus (abb. B. Spei). — S. Hilarii doctrinam de impassibilitate Christi ab errore immunem iudicavit, 542. — Docuit passiones Christi miraculosas fuisse, 553, 554.

Philippus a S. Trinitate. — Incarnationem docet Redemptioni subordinatam, 46.

Photinus. — Negavit Christi divinitatem, 6, 68. — Contendit, hominem Iesum per sua merita unionem cum Verbo obtinuisse, 191.

Pistoriensis Synodus. — Condemnatio propositionum huius synodi quae reprobant cultum humanitati Christi tributum, 807, sqq.

Pius II. — Controversia num Sanguis Christi in triduo mortis hypostatice fuerit unitus, 816, sqq.

Pius VI. — Condemnat propositiones Pistoriensium circa cultum humanitatis et Sanctissimi Cordis Christi, 807, 808.

Pius IX. — Condemnat Güntherum, 172, sqq.

Plato. — Eius Realismus et ideae separatae, 267, 268. — Doctrina triplicis animae a quibusdam ipsi adscribitur, 306. — Creatio animarum ab aeterno, 320.

Plinius. — Oleum est symbolum immortalitatis, 642.

Poenitentia. — Quo sensu fuerit in Christo, 344.

Polycarpus (S.). — Impugnavit Doketas, 279, 280.

Pontius. — Conceptum personalitatis negativum statuit, 623.

Positivistae. — Christum merum hominem habent, 4, 5.

Possibilitas. — Incarnationis possibilitas, 28, sqq.

Potentia. — Potentia activa, passiva, obedientialis, 250. — Potentia Dei absoluta et ordinata, 250. — Potentia animae Christi, quousque se extendat, 479, sqq. — Quo sensu data Christo omnis potestas in caelo et in terra, 483. — Varii gradus potestatis miracula faciendi, 485. — Quare dicatur Christus non potuisse virtutem ullam facere in patria sua, 489, 490.

Praedestinati. — Haeretici docentes, praedestinatum numquam esse membrum diaboli, 397.

Praedestinatio. — Quonam sensu praedestinatio supponat praescientiam futurorum, 52. — Praedestinatio, ex appropriationis lege, spectat ad Patrem, 448, 449. — Praedestinatio Christi, 766, sqq. — De sensu textus: Christus praedestinatus Filius Dei in virtute, 769. — Quo modo competat Christo esse praedestinatum, 770, sqq. — Christus secundum quod homo, praedestinatus est esse Filius Dei, 773, sqq. — Praedestinatio Christi nostrae praedestinationis causa exemplaris, efficiens, finalis, 775, sqq.

Praedicatum. — Praedicatum propositionis sumitur formaliter, 595, 596.

Prateolus (Gabr.). — Citatur, 663.

Praxeas. — Unus ex praecipuis Patripassianis, 241.

Principium. — Principium qui et loquor vobis: interpretatio textus, 98, 99.

Prioritas. — Cf. *Ordo*.

Priscillianistae. — Negant veritatem corporis Christi, 284, 285.

Proclitanitae. — Negant Christum venisse in carne, 25.

Proclus. — Scripsit contra Nestorianos et Eutychianos, 11, 95, 113. — Christus proficiebat sapientia et gratia secundum carnem, 472.

Profectus. — Quo sensu Christus in gratia et sapientia profecisse dicatur, 369, 370, 417. — Profectus Christi in scientia acquisita, 469, sqq.

Prophetia. — Indoles doni prophetiae, 357, 358. — Christus vere fuit Propheta, 357, sqq. — Prophetiae circa Christi divinitatem, 786, 787.

Prosper (S.). — Citatur, 113.

Psellus. — In Christo una ex duabus naturis hypostasis composita, 119, 120.

Ptolemaeus. — Christo corpus ex elementis caelestibus factum tribuebat, 290.

Pulchritudo. — Christus speciosus forma prae filiis hominum, 505, sqq.

Pyrrhus. — Monothelismi fautor, 645, 646.

Pythagoras. — Ideae Platonis derivatae sunt ex numeris Pythagorae, 267. — Transmigratio animarum, 320.

Quakeri. — Non confitentur, eamdem esse Christi naturam humanam ac aliorum hominum, 290.

Quiros. — Tenet sanguinem esse animatum, 295. — Personalitatem in quadam entitate absolute repositam aestimat, 622.

Rationalistae. — Offendunt in Christum Deum diversimode, 3, sqq.

Ratramnus. — Liber de Christi nativitate, 12.

Raymundus Lullus. — Incarnationis absolutam necessitatem astruit, 76.

Realismus. — Diversae formae realismi, 267, 268.

Redemptio. — Ordo praedestinationis inter Redemptionem et Incarnationem, 44, sqq. — Tota Redemptio singulis hominibus data, 58. — Nestoriana haeresis tollit Redemptionem, 105.

Redemptor. — Christum Redemptorem praedicat Leo XIII, 9. sqq. — Munus Christi Redemptoris a quibusnam negetur, 9, 10.

Reincarnatio. — Idem quod Metempsychosis, 320.

Reinhard. — Citatur, 613.

Relatio. — Ratio relationis est esse eius, 179.

Reliquiae. — Quonam cultu Sanguinis Christi reliquiae sint honorandae, 816, 817. — Cultus reliquiis Sanctorum debitus, 820, sqq.

Renan. — Christum merum hominem dicit, 4, 5. — Christum hominem excellentis virtutis proclamat, 343. — Negat, Christum seipsum dixisse Deum 790.

Renesse (de). — Citatur, 675. — Negat, Christum unquam seipsum Deum dixisse, 790.

Res naturae. — In Christo una res naturarum duarum, 138, 602.

Reynaud (Theoph). — Scripsit de Incarnatione, 13.

Richardus de Mediavilla. — Negat sanguinem esse animatum, 295. — Putat Sanguinem Christi non esse immediate Verbo unitum, 298. — S. Bonaventura non statuit gratiam esse medium praerequisitum ad unionem hypostaticam, 332. — Personalitatem in quadam negatione videtur reponere, 623.

Richardus de S. Victore. — Eius scripta de Incarnatione, 12. — Paululum excessit in adstruenda necessitate Incarnationis, 42.

Richbodus. — Impugnavit Adoptianorum haeresim, 758.

Richer. — Citatur, 700.

Risi (Franc.). — De causa Incarnationis Christi erudite scripsit, 13. — Absoluta fuit predestinatio Incarnationis, 46.

Roberti. — Laudatur, 13, 16, 638.

Romana Synodus (380). — Damnat eos, qui ponunt, Verbum vices animae gerere inChristo, 299, 301, 309. — Reprobat errorem negantium veram in anima Christi fuisse tristitiam, 557.

Romana Synodus (430). — Damnavit Nestorium, 95.

Romana Synodus (649). — Natura Dei Verbi incarnata praedicatur, 215.

Romana Synodus (794). — Adoptianos condemnavit, 760.

Roscellinus. — Negavit identitatem personarum divinarum cum essentia divina, 129. — Adoptianistis favit, 138. — Nominalismi parens habetur, 266.

Rosemüller. — Citatur, 637.

Rosmini. — Humanam voluntatem Christi negat esse personalem, 171. — Eius sententia quoad ens in universali, 267. — Quomodo anima sensitiva transeat in rationalem, 307.

Rossi. — Scripta de Incarnatione, 13. — Incarnationis necessitatem absolutam adstruit, 46.

Rubens. — Eius repraesentatio Christophori, 167.

Rupertus. — Scripta de Incarnatione, 12. — Soli Deo possibilis incarnatio sine sui immutatione, 30. — Incarnatio absolute praedestinata dicenda videtur, 45. — Regnum Dei et regnum diaboli opposita inter se, 396. — Secundum humanitatem Christus gratia et sapientia proficiebat, 472, 473. — Christus secundum humanitatem non est in omnibus locis, 618. — Christus impeccabilis fuit, quia Deus et homo, 668.

Rusticus Diaconus. — In theandricis tantum operationibus distinguendum est quid sit uniuscuiusque naturae, 682

Rusticus Elpidius. — Carmina de Christi beneficiis, 12.

Sabellius. — Ad sectam Patripassianorum pertinet, 241.

Sacerdotium. — Notio sacerdotii, 733, sqq. — Christus est sacerdos, 753, sqq. — Effectus Sacerdotii Christi, 737, sqq. — Christus sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, 742, sqq. — Sacerdotium leviticum confertur cum sacerdotio Melchisedech, 745, sqq.

Salisburgenses. — Scripta theologorum Salisburgensium Ordinis S. Benedicti commendantur, 13. — Subsistentiam docent non esse realiter distinctam ab existentia substantiali, 635.

Salmanticenses. — Laudantur eorum commentaria, 13. — Sententia de subordinatione Incarnationis sub Redemptione, 46.

Sanctitas. — Substantialis Christi sanctificatio, 635, sqq. — Impeccabilitatis Christi natura et ratio, 666, sqq.

Sanguis. — Sententiae philosophorum circa animationem sanguinis, 295, sqq. — Reliquiae Sanguinis Christi quo cultu adorandae sint, 816, 817.

Saraceni. — Passionis veritatem negant, 538.

Saturninus. — Negavit Christi humanitatem, 6, 25, 280.

Savonarola. — Citatur, 520.

Schätzler. — Laudatur, 13. — Incarnationem Redemptioni subordinatam docet, 46. — Citatur, 611.

Scheeben. — Eius tractatus de Incarnatione, 2, 13. — De mente Scoti quoad absolutam praedestinationem Incarnationis, 45. — De dignitate maiore humano generi collata per Incarnationem-Redemptionem, 53. — De Nestoriana doctrina, 97. — Agnoëtismus instauratus a Protestantibus, 403. — Distinctio inter visionem habitualem et actualem animae Christi, 445, 446. — Confutatio erroris Berruyer, 610, 611. — Ratio personalitatis non potest esse in quodam negativo, 634. — Unio personalis cum Verbo est fundamentalis ratio impeccabilitatis Christi, 668, 670.

Schell. — Citatur, 13, 345. — De plenitudine gratiae Christi capitis optime scribit, 391. — Restringit ambitum scientiae Christi, 405. — Attenta narratione evangelica, et ratione perfectionis sitae in evolutione sui, concludit ad limitandam scientiam beatam et infusam, ad exaggerandam acquisitam scientiam Christi, 418, sqq., 703. — Scientiam infusam Christi nimis adaequat scientiae Angelorum, 460, 463. — Unio cum Verbo est praecipua ratio impeccabilitatis Christi 667, 668, 673.

Schelling. — Christum dixit symbolum commixtionis divinitatis cum humanitate, 5.

Schenkel. — Christum merum hominem habet, 5.

Schiffini. — Subsistentia non est realiter distincta ab existentia substantiali, 627.

Schleiermacher. — Citatur, 618, 674.

Schneemann. — Epistolae Honorii Papae non propugnant doctrinam haereticam, 696.

Schwane. — Citatur, 14.

Schwetz. — Auctoritates pro unitate personali Christi, 113; — pro adoratione Christi, 784.

Scientia. — Praeter scientiam divinam etiam humanam habuit Christus, 400, sqq. — Christus habuit scientiam beatorum, scientiam infusam, scientiam acquisitam, 402, sqq. — Scientia infusa non contradicit veritati conversationis Christi, 425, 426. — Anima Christi non comprehendit Verbum, 433, sqq. — Anima Christi videt omnia obiecta scientiae visionis, non vero simplicis intelligentiae, 443, sqq. — Quo sensu Christus nesciat diem iudicii, 446, sqq.

— Infinitas obiectorum scientiae visionis et simplicis intelligentiae, 449, sqq. — Scientia visionis Christi perfectior quam scientia angelica, 452, 453. — Christus scientia infusa omnia cognovit quae speciebus cognosci possint, 454, sqq. — Scientia infusa neque requirit conversionem ad phantasmata, neque discursum, 456, sqq. — Scientia infusa Christi quo sensu maior quam scientia angelica, 460, 461. — Scientia infusa est habitualis, 461, sqq. — Scientia acquisita Christi se extendit ad omnia, quae per intellectum agentem cognoscibilia fiunt, 466, sqq. — Omniscientia secundum quid latius patet quam omnipotentia, 481. — In Christo nulla admitti potest ignorantia, 529, sqq.

Scotus (I. Duns). — Scripta de Incarnatione, 13. — Incarnatio absolute praedestinata dicenda videtur, 45, 52. — Quare sententia circa unionem accidentalem in Incarnatione a Magistro sententiarum non reprobetur, 165, 166. — Suppositum creatum, per divinam virtutem videtur posse assumere aliam naturam substantialem, 212. — Quaelibet natura creata est assumptibilis a Deo, 262. — Comparatio inter excellentiam unionis hypostaticae et unionis beatificae, 263. — Sanguis non est animatus, 295. — Prius natura quam corpus anima ut quo, non vero ut quod, est assumpta a Verbo, 323. — Sententia S. Bonaventurae de gratia quae esset medium ad unionem hypostaticam, 332. — Habitus fidei posset stare cum visione beatifica, de facto tamen non est in beatis, 348. — Confusio inter dona et virtutes, 351. — Distinctio inter visionem habitualem et actualem animae Christi, 445. — Duplex est in Christo existentia, una subsistentia, natura humana subsistentia carente quia subsistentia est aliquid negativum, 607, 723, 634, 764. — Ratio meriti in Christo quoad gloriam proprii corporis, 712, 713.

Sedulius. — Carmen de Incarnatione, 12. — Maria mater Domini, 257.

Segneri. — Laudatur, 13.

Senectus. — Senectus mundi, 62, 64.

Senonense Concilium. — Damnant eos qui negant spiritum timoris in Christo, 338, 339, 353.

Sergius. — Auctor Monothelismi, 643, sqq., 680, 691.

Severus Antioch., Severiani. — Christi corpus corruptioni deditum asserebant, 73, 405, 539. — Affinitas cum Nestorio, 94. — Unionem duarum personarum Christi secundum habitum dicebant, 329. — Duplicem Christi operationem negabant, 683.

Sigebertus. — Error Praedestinatorum, 397.

Simar. — Citatur, 111.

Similitudo. — Quo sensu Christus in similitudinem hominum factus, 284, 289.

Simon Magus. — Gnosticus et Doketa, 6, 280.

Sociniani. — Negant divinitatem Christi, 3, 6.

Socrates (histor.). — Nomen ὑπόστασις non occurrit apud philosophos, 123, 124. — De lectione textus graeci ep. I. Ioann. c. IV. « qui solvit Iesum », 279. — Utriusque Apollinaris doctrina circa animam Christi, 301. — Doctrina Eunomo-Eutychianorum circa scientiam Christi, 405.

Sophocles. — Sensus quo ὑπόστασις dicatur in eius tragoediis, 124.

Sophronius (S.). — Scripsit contra Monothelitas, 12, 644, 645, 654. — Eius partes in tractationibus cum Honorio, 693, sqq.

Soteriologia. — Agit de operibus Salvatoris, 1, 15.

Soto (Domin.). — Negat distinctionem realem inter essentiam et existentiam, 608.

Sozomenes. — Citatur, 405.

Spes. — Confirmatur per Incarnationem Christi, 38. — Quaenam fuerit in Christo spes, 348, sqq.

Spinoza. — Christum ait symbolum commixtionis divinitatis cum materia, 5.

Staudenmaier. — Rationem personalitatis reponit in conscientia sui, 173.

Stentrup. — Laudatur, 13. — De haeresi Nestoriana, 97. — De sensu formulae « unio hypostatica » apud antiquos scriptores et Patres, 122, sqq. — Aristotelis philosophia dogmati christiano consentanea, 126. — Quo sensu compositio de Christo praedicari possit, 150. — De illis qui rationem personalitatis reponunt in conscientia sui, 174. — Symbolum Theodori Mopsuesteni, 178. — De lectione textus v. 7. ep. II. Ioann. 279. — Veritas carnis Christi, 288. — Veritas animae Christi, 306. — Doctrina S. Bonaventurae circa gratiam ut medium unionis Verbi et naturae humanae, 331, 333. — Num gratia Christi fuerit infinita, augmentique capax, 367, 370. — Extensio scientiae animae Christi, 446. — Pulchritudo corporalis Christi, 519. — Num S. Hilarius ab errore immunis censendus sit in doctrina de impassibilitate Christi, 545, sqq. — In Christo singulae naturae habent suam existentiam, quia non est realis distinctio inter naturam et existentiam, 608, 624. — Ratio praecipua impeccabilitatis Christi est unio cum Verbo, 668. — Distinctiones voluntatum Christi a Patribus usurpatae, 690. — De ratione agendi Papae Honorii, 697. — Qua ratione homo Iesus dicatur filius Dei naturalis, 762. — Demonstratio divinitatis Christi, 785.

Stephanus (S.). — Quaenam plenitudo gratiae ipsi competat, 361.

Stoici. — Eorum doctrina circa passiones, 556.

Strauss. — Christum merum hominem asserit, 4, 618.

Suarez. — Opera de Incarnatione, 13. — Etiam si homo non peccasset, Incarnatio fuisset, 45, 46. — Sanguis non est animatus, 295. — Necessitas et excellentia gratiae habitualis animae Christi, 339, 340. — Doctrina de gratia infusa animae Christi pertinet ad fidem, 341. — Identitas poenitentiae et virtutis religionis, 344. — Scientiam visionis Christo viatori denegare, ad minus valde est temerarium, 411, 412. — Subsistentia aliquid realiter addit supra existentiam; quare facile explicatur humanitatem Christi carere propria subsistentia, 622, 623, 634, 764. — Voluntas Christi movebatur motionibus, quae ope scientiae mediae praevidebantur efficaces, 666, 667. — Unio hypostatica est fundamentalis ratio impeccabilitatis Christi, 668. — Ratio qua Christus homo est filius Dei naturalis, desumenda est ex gratia unionis hypostaticae, 762.

Subiectio. — Christus subiectus Patri secundum naturam humanam, 714, sqq.

Substantia. — Cf. *natura, persona.* — Substantia particularis completa et incompleta, 137. — Num tres substantiae possint praedicari de Christo, 156, sqq.

Suetonius. — Narrat, Tiberium voluisse Christum inter divos collocare, 810.

Sylvius. — Scripsit de Incarnatione, 13.

Symbolistae. — Christum symbolum unionis humanitatis cum divinitate habent, 4, 5.

Symbolum. — Cf. Singula: *Athanas., Constantinop., etc.*

Τελειότης. — Sensus huius vocis apud Epiphanium et Athanasium, 108, 110.

Tempus. — Tempus conveniens pro Incarnatione, 58, sqq. — Plenitudo temporis, 60. — Tabella synoptica pro tempore Incarnationis, 65.

Tendula. — Impugnavit Adoptianos, 757.

Tentscher (S. I.). — Citatur, 118.

Tertullianus. — Liber de carne Christi,

12. — Incarnationem absolute praedestinatam dicere videtur, 45. — Christus homo et Deus, 84. — Quo sensu homo Deo mixtus dici possit, 91. — Duplex natura in una persona Christi, 111. — Haeresis Apellita, 280, 281. — Veritas carnis Christi ex ipsius veracitate probatur, 287. — Quo sensu Christus in similitudinem hominum factus, 289. — Caro pro toto homine supponit, 306. — Christo non est tribuenda pulchritudo corporalis, 507. — Veritas passionum Christi adstruitur, 540. — Vera tristitia fuit in anima Christi, 557. — Quo sensu dictum sit: Caro non prodest quidquam, 688.

Θεανδρικός. — Operationes Christi quibus participat natura humana, 678.

Θεάνθρωπος. — Ratio huius nominis, 109, 123.

Themistius. — Animae Christi ignorantiam adscripsit, 405, 447.

Theodoretus. — Citatur, 92, 94, 301. — Favit Nestorio, 95. — De Doketa quodam, Kossiani nomine, 281. — De mente Apollinaris circa multiplicitatem animarum, 306. — Iustitia Dei revelatur ex fide Vet. Testamenti in fidem Nov. Test, 346, 347. — Christus speciosus forma secundum animae pulchritudinem dictus est, 506. — Corpus Christi localiter est circumscriptum, 615. — Nomen Christi significat divinam et humanam naturam, 639. — Christus demonstratus Filius Dei per virtutem Spiritus Sancti, 768.

Theodorus Abucara. — Citatur, 113. — Christus voluntarie suscepit mortem, 541, 542.

Theodorus Byzantinus. — Negat, Christum salvasse genus humanum, 53. — Negat Christi divinitatem, 240, 241.

Theodorus Mopsuestenus. — Negat unionem Incarnationis factam in persona, 68, 122. — Praecursor Nestorii, 93, 94. — Condemnatur in II. Constantinop. Concilio, 103, 104. — Symbolum eius condemnatur, 177, 178. — Unionem per gratiam statuit in Christo, 329. — Ignorantiam ponit in Christo, 405. — Progressum moralem affirmat in Christo, 672. — Quo sensu intelligat confessionem S. Thomae, 799.

Theodorus Pharanita. — Corporalem magnitudinem corpus Christi habuisse negavit, 539. — Eius partes in origine controversiae Monothelisticae, 644, 646.

Theodosius. — Scripsit contra eos, qui ignorantiam Christo tribuebant, 405.

Theodotus Ancyranus. — Citatur, 113.

Theodotus Coriarius. — Negavit Christi divinitatem, 5.

Θεοδόχος. — Nomen a Nestorio B. M. V. concessum, 94.

Theodulphus. — Defendit veritatem contra Adoptianos, 758.

Theopaschitae. — Monophysitarum secta, 73, 539.

Theophorus. — Christus non est dicendus theophorus, 167, 168.

Theophylactus. — Citatur, 347, 768.

Theosophi. — Male sentiunt de divinitate Christi, 3, 5. — Systema theosophicum recens circa incarnationem exponitur, 139, sqq.; 198, sqq.

Θεοτόκος. — Nomen a Nestorio B. M. V. denegatum, nisi ratione inhabitationis tantum, 94, 96, 170, 171.

Thomas (Apostolus). — Eius confessio divinitatis Christi, 810.

Thomas (S.). — *(Recensentur hic tantum doctrinae momenta ex aliis operibus quam a Summa Theolog. desumpta).* — Deus posset peccatum absque omni poena dimittere, 37, 38. — Rationes propter quas probabilius Incarnatio Redemptioni subordinata dicenda sit, 50. — In medietate temporum conveniens fuit Christum incarnari, 63, sqq. — Tabella errorum circa unionem divinitatis et humanitatis in Christo, 68. — Tabella unionum in natura possibilium, 79. — Unio in hypostasi nihil differt ab unione in persona, 137. —

Compositio in Christo, quo sensu admitti possit, 148, sqq. — Triplex est substantia in Christo, 158. — Unio naturae humanae cum Verbo non ad modum indumenti concipienda, 163. — Si ex meritis fuisset unio Incarnationis, homo factus esset Deus, non Deus homo, 191. — B. Maria meruit merito de congruo ut Mater Dei fieret, 193. — Quo sensu gratia naturalis in Christo, 197. — Abstractio personalitatis a natura divina, quomodo debeat intelligi, 218, 219. — De potentia Dei absoluta, tres personae divinae possent unam naturam humanam assumere, 227. — Interpretatio S. Anselmi quoad possibilitatem assumptionis unius hominis a tribus personis, 228. — Filium Dei, prae aliis personis, decebat incarnari, 236, 237. — In homine aliud natura, aliud persona, quia ex materia et forma compositus; aliter in angelo, 254, 255. — Qualibet natura creata a Deo assumi posset, 262. — Sensus locutionum in quibus Verbum dicitur assumpsisse hominem, 264, sqq. — Etiamsi Deus assumpsisset omnes naturas humanas, summa suppositorum non excederet tria, 272. — Ad reparationem originalis peccati convenientissimum fuit ut de stirpe Adae Verbum assumeret naturam humanam, 273, 274. — Scriptura distinguit inter apparitiones veras et phantasticas, 289. — Si Christus non haberet animam, neque veram haberet carnem, 300, 302. — Multiplex ratio medii, 313. — Sicut forma dat esse materiae, quamvis sine materia esse nequeat, ita spiritus causat assumpsibilitatem in corpore, quamvis assumptibilis non sit, 319. — Quo sensu Verbum assumpserit partes naturae humanae mediante toto, 326, 328. — Quomodo gratia possit dici medium congruentiae ad unionem Verbi et naturae humanae, 330, 331. — Ex gratia unionis sequitur gratia habitualis, 339. — Gratia, utpote perficiens ad opus et in esse, in Christo requiritur, 340. — Esse caput Ecclesiae, convenit Christo ut Deo, magis tamen ut homini, 380. — Diversa ratio unionis capitis et membrorum, 385. — Christus caput Angelorum, 386, 387. — Gratia unionis, gratia personalis, gratia capitis, 392. — Ratio multiplicis scientiae Christi, 400. — Num scientia acquisita conciliari possit cum scientia infusa, 415, 446. — Anima Christi videt totum Verbi, non tamen totaliter, 435, sqq. — Quae cognoscuntur in Verbo, cognoscuntur omnia simul, 444, 445. — Scientia infusa Christi num maior sit quam scientia angelica, 461. — Utrum unus an plures sint habitus in scientia infusa Christi, 465. — Anima Christi non habet omnipotentiam, 479, 480. — Potentia animae Christi excedit potentiam cuiusvis animae seu angeli, 484. — Filius Dei assumpsit defectus humanos, ad exercendum mediatoris officium et spem nostrae immortalitatis erigendam, 494, 495. — Christus speciosus forma, etiam corporaliter, 514, sqq. — Qua ratione patiebatur anima Christi, 535. — Verus dolor sensibilis probatur in Christo, 536, 537. — Mens S. Hilarii quoad passibilitatem corporis Christi, 542, sqq. — Differentia inter dolorem et tristitiam, 555. — Dolores Christi se extenderunt ad rationem ut natura est, non ut ratio, 559, 560. — Dolor Christi, omnium dolorum maximus, 560. — Ira tripliciter dicitur, 564. — Non est contradictio inter statum viatoris et comprehensoris, 567. — Quod praedicatur de aliquo essentialiter, non potest de eo praedicari denominative, 574. — Sensus formularum: Deus factus est homo, homo factus est Deus, 581, 585. — Christus non potest dici creatura, 586, 587. — Christus, secundum quod est homo, non debet dici persona vel individuum, 594. — Christus est

unum, 599. — Realis distinctio intercedit inter essentiam et esse, non vero inter esse et hypostasim, 627, sqq. — Plures voluntates sunt in Christo, 649. — Quid Christus meruerit, quomodo sibi meruerit, 706, sqq. — De oratione Christi, 720. — Christus sacerdos in aeternum, 735. — Titulus Patris melius convenit toti Trinitati, quam titulus Filii conveniret Patri incarnato, 754. — Quid sit, Christum praedestinatum esse in virtute ex resurrectione mortuorum, 766, 766. — Praedestinatio Christi respicit naturam potius quam personam, 773. — Notio latriae eiusque actus, 804.

Thomassinus. — Scripta de Incarnatione, 13. — Incarnatio subordinata est Redemptioni, 45. — De locutionibus Patrum confusioni naturarum in Christo apparenter faventibus, 91. — Testimonia Patrum quoad compositionem de Christo praedicandam, 146. — Ratio personalitatis formaliter est positiva; continet tamen respectum negativum, 623, 624. — De decretis Honorii Papae in quaestione Monothelismi, 693.

Tiberius. — Inter Romanorum deos Christum recipere voluit, 3, sq., 810.

Timor. — Timor multiplex, 352. — In Christo fuit donum timoris, 362, sqq. — Timor ut propassio, fuit in anima Christi, 561, sqq.

Thimotheus. — Scripsit contra eos, qui Christo ignorantiam tribuebant, 405.

Tiphanus. — Quo sensu compositio hypostasi Christi adscribi quaeat, 150. — Explicatio unitatis subsistentialis Christi, negata distinctione reali inter personalitatem, existentiam, naturam, 623, 624, 634, 764.

Titus Bostrensis. — Sanctus Christus, quia Dei Filius, 636.

Toletanum Concilium i. — Veritatem corporis Christi asserit, 286.

Toletanum Concilium ii. — Convenientiam Incarnationis proclamat, 25.

Toletanum Concilium vi. — Filius Dei non suscepit hominem in unitate divinae naturae, 213.

Toletanum Concilium xi. — Duae naturae, una persona in Christo, 104. — In Christo corpus est animatum anima rationali, 154. — Tres in Christo substantiae, 158. — Solus Filius Dei incarnatus est, 243, 244. — Christus assumpsit corpus ex Maria Virgine, 292.

Toletanum Concilium xiv. — Tres esse in Christo substantias approbavit, 158.

Toletanum Concilium xv. — Tres propriae et duae possunt dici in Christo substantiae, 158, 159.

Toletus. — Citatur, 39, 50, 181. — Vix probabilem putat sent. de absoluta praedestinatione Incarnationis, 51, 52. — Beneficium Redemptionis totum singulis datum, 58. — Composita potest dici persona Christi, 146, 150. — Quare Magister Sententiarum non reprobet opinionem, quae unionem accidentalem ponit in Incarnatione, 166. — Reiiciendae sunt comparationes unionis Incarnationis cum unione accidentis et subiecti, vel cum unione animae separatae et corporis redivivi, 187, 188. — Suppositum creatum per divinam virtutem communicatam videtur posse assumere aliam naturam substantialem, 212. — Comparatio inter excellentiam unionis hypostaticae et beatificae, 263. — Reparatio Angelorum, si possibilis, esset per meritum de condigno, 277. — Sanguis non est animatus; sanguis tamen Christi assumptus hypostatice, 298, 299. — Controversia inter Durandum et Caietanum quoad ordinem assumptionis partium Corporis Christi, 319. — Iustitia Dei dicitur revelata ex fide Veteris Testamenti in fidem Novi Testamenti, 347. — Anima Christi cognoscit omnia quae cognoscit Verbum, sed non uno intuitu, 446. — Non est certum, Christum habuisse scientiam acquisitam omnium

eorum, quae per virtutem intellectus agentis possunt cognosci, 468. — Christus omnium hominum speciosissimus, 516, 517. — In Christo unica est subsistentia, duplex existentia, 607, 622. — Christus sibi meruit per charitatem viatoris, 713.

Tolosanum Symbolum. — Fons dogmaticus quoad Incarnationis doctrinam, 11.

Tongiorgi. — Personalitas dicit aliquid positivum cum respectu negativo, 623, 624.

Tournely. — Citatur, 97. — Quo sensu Christus compositus dicatur ex duabus naturis, 150. — De orthodoxia epistolarum Honorii Papae, 696.

Traductianismus. — Systema generationis animarum, 320.

Trichotomismus. — Theoria triplicis animae, 306.

Tridentinum Concilium. — Sanguis in Eucharistia adest sub speciebus panis, vi naturalis connexionis, qua partes Christi inter se copulantur, 297. — Anima Christi adest in Eucharistiae sacramento, 302. — Christus caput Ecclesiae, 379, 380. — Per fidem veram, etsi non vivam, fit christianus, 384. — Peccator captivitatem incurrit diaboli, 397. — Iustificationem nobis astruit Christus, 711. — Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, 734, 735. — Iustificatio est translatio ad statum adoptionis filiorum Dei, 752. — Latriae cultus Christo debetur, 784, 785. — Reliquiae Sanctorum cultu honorandae sunt, 822.

Trinitas. — Christus a tota Trinitate communiter incarnatus, 180, 181. — Unus de Trinitate passus est, 243.

Tristitia. — Differentia inter dolorem et tristitiam, 555. — In anima Christi vera fuit tristitia, 555, sqq. — Differentia inter tristitiam et timorem, 562.

Turrecremata (Card.). — Reprobat errorem Augustini de Roma circa claram Dei visionem animae Christi adscriptam, 435. — Ab haeresi immunem iudicat Papam Honorium, 696.

Ubiquistae. — Docent corpus Christi omnibus locis praesens esse, 612, 613.

Unctio. — Nomen Incarnationi Conveniens, 16, 337. — Exprimit gratiam capitis Christi, 390, 391. — Substantialis unctionis Chisti natura et sensus symbolicus explicantur, 637, sqq. — Quibus competat unctio, 640, sqq.

Unio. — Nomen Incarnationis, 16. — Errores circa modum unionis Verbi, 68, 163. — Factum unionis Verbi et hominis probatur ex Scripturis, 70, 71. — Unionem non esse factam in natura, probatur ex Scripturis et traditione, 75, sqq. — Diversarum unionum possibilium tabellae synopticae, 78, 79. — Quid intersit inter unionem, unitatem, unitionem, 92, 93. — Unio secundum Nestorium, 94, sqq. — Unio Verbi et humanitatis in persona probatur ex Scripturis, 98, sqq. — Unitas personae ex Traditione probatur, 107, sqq. — Unio hypostatica, 117, 122, 123, 135, 160. — Unio Verbi ad carnem secundum compositionem praedicatur, 144, sqq. — Unio animae et corporis in Christo adstruitur, 153, sqq. — Unio accidentalis, substantialis, subsistentialis, 160, 161. — Probatur unionem Verbi et humanitatis non fuisse accidentalem 161, sqq. — Unio Verbi incarnati est aliquid creatum, 178, sqq. — Discrimen inter unionem et assumptionem, 181, sqq. — Gradus et comparatio unionum, 184, sqq. — Unio Incarnationis comparationibus illustratur, 186, sqq., 632, sqq. — Unio duarum naturarum in Christo per gratiam facta sine antecedentibus meritis, 189, sqq. — Unio hypostatica cum unione beatifica confertur 263. — Dissertatio de constitutivo formali unionis hypostaticae, 619, sqq. — Tabella synoptica sententiarum de ratione formali unionis hy-

postaticae, 635. — Tabella synoptica sententiarum de unione naturarum in Christo, 764, 765.

Unitas. — Unitas principium numeri, et unitas divinae personae, 185. — Christus est unum, 599, sqq. — In Christo est unum esse tantum, 604, sqq.

Unitio. — Aptum nomen Incarnationis; qua ratione differat ab unione et unitate, 92, 93.

Universale. — Diversae sententiae circa naturam, universalium, 256, sqq. — Quare universalem naturam non potuerit assumere Verbum, 269, sqq.

Urbanus viii. — Professio fidei Orientalibus imposita, 11, 243.

Urraburu. — De animatione partium corporis, praesertim sanguinis, ab anima humana, 295, sqq. — De variis sententiis circa distinctiones inter essentiam, subsistentiam, existentiam, 621, 622, 634.

Valentia. — Cf. *Greg. a Val.*

Valentinus. — Negat corpus Christi fuisse terrenum, 3, 7, 68. — Dicit corpus Christi fuisse spirituale, 278, 281, 289. — Inficit veritatem passionum Christi, 553.

Van Weddingen. — Commendatur eius opus apologeticum, 14.

Vasquez. — Citatur, 146, 670. — Sanguinem negat esse animatum, 295. — Gratia infusa animae Christi non est de fide tenenda, 341. — Imperfectio membrorum videtur requirere profectum in scientia Christi infusa et acquisita, 470. — Subsistentia addit modum realem supra existentiam non distinctam ab essentia, 622. — Homo Iesus est filius Dei naturalis ratione unionis hypostaticae, 762.

Vaticanum Concilium (Schema). — Natura unionis personalis in Christo, 178. — Liberum arbitrium plenum et absoluta impeccabilitas competunt Christo, 671, 672.

Vavassor. — Putat Christum fuisse corpore deformem, 519.

Verbum. — Filium Dei, utpote Verbum, speciali ratione decebat incarnari, 236, sqq. — Cf. *natura divina, etc.*

Veuillot. — De Christi vita scripsit, 14.

Viator. — Conditio viatoris non requirebat in Christo augmentum gratiae, 369. — Christus simul viator et comprehensor, 566, sqq. — Conditio viatoris locum relinquit merito, 704.

Victor Pp. (S.). — Impugnavit Monarchianos, 241.

Viennense Concilium. — Verum corpus humanum assumpsit Filius Dei, 286.

Vigilantius. — Reprobabat vigilias sanctorum, 722. — Cultum reliquiarum respuebat, 822. — Intercessionem Sanctorum negabat, 827.

Vigilius Tapsensis. — Citatur, 113. — Christus Redemptor imprimis animam redemit, ergo et ipse animam assumpsit, 300, 303, 304. — Secundum carnem Christus sapientia profecit, 472.

Virtus. — Quaenam virtutes fuerint in Christo, 341, sqq.

Voluntas. — In Christo fuit voluntas divina et humana, 648, sqq. — Divisiones humanae voluntatis, 648, 649, 655. — Voluntas sensualitatis tribuenda est Christo, 655, 656. — Voluntas ut ratio et ut natura tribuendae sunt Christo, 656, 657. — Concordia voluntatis divinae et humanae Christi, 660, sqq. — θέλημα φυσικόν, θέλημα ὑποστατικόν, θέλημα γνωμικόν, 690.

Wadding (C. I.). — Conceptum personalitatis ut negativum habet, 623.

Waldenses. — Professio fidei eis imposita, proclamat Incarnationem solius Filii, et nativitatem ex Virgine Maria, 244, 292.

Wegscheider. — Christum merum hominem habet, 5.

Weigelius. — Duplicem naturam humanam Christo tribuit, 290.

Wette. — Negat authenticitatem narrationis vitae Christi.

Wicleff. — Cultum reliquiarum respuit, 822.

Wiest. — Citatur, 73, 290.

Xenias Hierapol. — Cultum imaginum idololatriam dicit, 818.

Zelus. — In quo conveniat cum ira, 564. — Zelo sancto Christus animatus erat, 564, 565.

Zigliara. — De systemate Rosminii, 267, 307. — De catholicitate Creatianismi, 320. — De tempore infusionis animae, 321. — De ratione distinctionis inter essentiam et subsistentiam, 621.

Zoroaster. — Quaedam habet similia doctrinis idealisticis Platonis, 267.

Zumel. — Docet subsistentiam non esse realiter distinctam ab existentia substantiali, 627.

Zwinglius. — Ignorantiam in Christo posuit, 406. — Negavit realem Christi praesentiam in Eucharistia, 612.

GTU Library
BX1749.T5 J2 1900 v.4
Janssens, Henri Lau/Summa theologica ad
G
3 2400 00181 5574

BX 1749 T5 J2 1900 v.4 GTU
Janssens, Henri L
Summa theologica ad modum commentarii in Aquinatis summam

MAY 0 4 1998

BX 1749 T5 J2 1900 v.4 GTU
Janssens, Henri L
Summa theologica ad modum commentarii in Aquinatis summam

Graduate Theological Union
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709

DEMCO